
(99)

Planetar fortitudines f. — . — . 32
Imagines coeli — — f: 94
Tabula nififmitatis — — — fol: 87
De affectibus Planet — — fol: 138
De dominis domorum — — — f. 143
Directiones locorum Hylegialium — f — 169
De Revolutionibus — f 174

4160 Rare Ex Libris





from Waterton's library
Walton Hall
Wakefield

Amerika

compl.
d. H.
2123

Conventus FF. Praedicatorum Augustae.

M. Ioannes Bayer Bavarus I. V. studiosus 1597

OPERA Mathematica

IOANNIS SCHONERI CAROLOSTADII IN VNVM VOLVMEN CONGESTA, ET PVBLICAE VTILITATI *ſtudioſorum omnium, ac celebri famæ Norici nominis dicata.*

DENVO AB AVTHORIS Filio correcta & locupletata.

IMPRESSA NORIBERGAE, IN OFFICINA Ioannis Montani & Vlrici Neuberi.

M. D. LXI.

	♄	♃	♂	☉	♀	☿	☽	
♈	3.P. 2 4.•.27.26 21.30.30	3.N. 2 1 6	5.0 2 + 22.21 26. 25	4.0.3.D. 19 1.	2 5.• 7.7 12.14 1	2 13.15. 20.21.	0	
♉	2. 1. 23. 27.26.1	2 15.16. 22.22.	3.P. 2. .27.28. 5.• 30.30	0	5.0.3.D 2 + 1 8	2 1. 9. 14.15	4.0.3.N. 3 1	
♊	3.D. 2 22.25 25.30	3.P.2. 1 8.7 14.12	2 18.26. 1. 24.20.	1.	2 13.15. 17.21.	5.0.3.N.2 + .1. 7.6	0	
♋	2 27.28. 30.30. 5.•	4.0. 2 15 7.20 13.26	3.D.N.2. .1.4.• 6.7.28	0	3.P.2. 1. 21.8. 27.13	2 14. 1 19.20.	+ 5.0.3.P. + 1	
♌	.2. 1. 1.12 6.18. 5.•	3.N.2. 20.1. 1. 25.6	2.3.P. 25.26. 30.30. 1	+ 5.0.3.D. +	2 7.14. 11.19.	2. 19.7 24.13.	0	
♍	2. 29.19. 30.24.	2. 18.14. 21.18.5.•	3.P. 2 25.22 30.28	1.	3.D.2 4.• 8.1. 27 17.13	+ 5.0.4.0.2 + 15.1 7.1.	3.N.	
♎	4.0.3.D. 21.2. 1. 1 6	3.P.2. 12.15. 19.21. 1	2. 29.25. 30.30.	4.• 19	5.0 2 + 7.22 11.28	3.D.2. 20.7 24.14	1	
♏	2. 25.23. 30.30.	2. 20.7 24.14.	+ 5.0.3.D.N. 21. 1 6.7	1	3.P.2. 15.8. 21.12. 1	2. 12.22. 19.27.	3.P. 4.• 3.	
♐	3.P.2. 20.22 25.26.1.	3.N. 2 + 5.0 .1 8 12	2. 27.26 30.30.	3.D.	2 13.9 17.14.	2 .1. 18.15.5.• 21.19.	1.	
♑	5.0 2 + 26.23 30.26	2.4.• 1 8.13.15 14.19.	4.0. 3.P.2. 28 26.27.1. 25.30.	.1.	3.D. 2. 1.15. 6 22.	2. 1.7 7.12.	3.N. 5.•	
♒	+ 5.0.3.D.2. 1.26 6.30.	3.P. 2. 21.14. 25.20.	2. 21.26. 25.30.	5.•	2 1 8.13. 13.20.	3.N. 2. 7.1.1 12.7	1.	
♓	2 1. 29 27. 30 30.	5.0.2. + 9.13.1. 14.16	3.D.N.2. 21.20. 26.28. 1	0	4.0.3.P.2. 27. .1. 8.12.	2. 5.• 17.15. 4.• 19.20.	3.P.	
5.0 +	notat domu[m] secundariam alicuius planetae.							
+ 5.0	notat domum primariam.							
5.•	~~Detrimentum~~ planetae.							
5.0	~~exaltatio~~ planetae domus.							
4.0	Exaltatio.							
4.•	Casus.							
P.	particeps in triplicitate.							
D.	terminus.							
N	Hochung.							

INDEX CONTENTORUM IN HOC LIBRO.

I.
Iſagogæ Aſtrologiæ iudiciariæ.
II.
De iudicijs Natiuitatum libri tres.
III.
Tabulæ Reſolutæ.
IIII.
De uſu Globi cœleſtis.
V.
De compoſitione globi cœleſtis.
VI.
De uſu Globi terreſtris.
VII.
De compoſitione Globi terreſtris.
VIII.
Libellus de diſtantijs locorum per numeros, & inſtrumentum inueſtigandis.
IX.
De conſtructione Torqueti.
X.
In conſtructionem atq; uſum Rectanguli, ſiue radij Aſtronomici, Annotationes.
XI.
In Fabricam & uſum magnæ regulæ Ptolomæi annotationes.
XII.
Horarij Cylindrini Canones.
XIII.
Aequatorium Aſtronomicum, ex quo errantium ſtellarũ motus, luminarium configurationes, & defectus colliguntur, appoſitis ubiq; planetarum Sphæris, et terminorum expoſitionibus.
XIIII.
Planiſphærium, ſeu Metheoroſcopium, in quo ſingula quæ per motum primi mobilis contingunt, inueniuntur.
XV.
Organum Vranicũ, è quo facilimè abſq; ſcrupuloſa ſupputatione, ueri, medijq; planetarum motus reperiuntur.
XVI.
Inſtrumentum impedimentorum Lunæ, per quod dies impediti facilimè colliguntur, his apprime utile, qui Almanach conſcribere geſtiunt.

* ij AD

AD AMPLISSIMVM
AC PRVDENTISSIMVM SENATVM
Vrbis Noricæ, Carmen nuncupatorium Ioachimi Helleri Leucopetrei.

NOridos Herciniæ magni ſacer ordo Senatus,
Qui regis imperio, & moderatis legibus iſtam,
Quam flauo mediam Pegneſus diuidit amni,
Viciniſq; aliæ numeroſæ in ſaltibus Vrbem,
Agnoſcunt dominam, & ſancti pia iura Senatus,
Sponte colunt, Mecœnatum ueneranda meorum
Lumina, præclaris proceres natalibus orti
Saluete, & noſtris placidas adiungite uotis
Mentes, ac mites cœpto aſpirate labori.
Septies emenſis Titan ſua lumina ſignis,
Septenaſq; hyemes, totidem cum meſſibus æſtus
Reddidit, ut primum me Norica rura benigno
Hoſpitio excepêre, locumq; dedêre Camœnis
Haud inimica meis. Vbi non ingrata magiſtris
Prima ſuis cecinit mea Pieris, altera magnis
Principibus placuiſſe fuit non improba cura,
Quos inter claros Heroas noſtra reponant
Secula, uirtutum decora immortalia. Iuſtus
Ad uos ordo Patres me nunc deducit, & oro,
Qua præceptores mea carmina mente probarunt,
Et qua principibus placuerunt fronte benignis,
Talibus excipite hæc animis iuuenilia ſcripta,
Quæ rectis ſtudijs, & ueſtro dantur honori.
Non hoc ambitio, non aſſentatio ſuaſit,
Sed doctis celebrata uiris, atq; artibus almis
Numina ueſtræ Vrbis dexterrima, nomen auitum
Laudatæ toties uirtutis, & integritatis,
Quod bona & utilibus ſtudijs propenſa uoluntas,
Cum meritis peperit magnis tibi, clare Senatus.
Iſta uiri docti ſenſêre, & carmine grato
Venturis memores mandarunt inclyta ſeclis,
Quæ benefacta bonis ſtudijs Reſpublica ueſtra
Contulit, ingenijs clara excellentibus. Atq; hæc
Laus non poſtremas eſt inter habenda: Sed ipſi
Hoc commune Magiſtratus ſibi cum Ioue ſummo

Cœlitibusq́; putent Diuis, qui munera magnis
Hæc diuina uiris, cœlo demiſſa ſupremo,
Heroum cura, meritisq́; colenda dederunt.
Sic ſeruatæ artes propagatæq́; coluntur,
Dum ſua maiores generoſæ poſteritati
Commendare ſtudent, atq; addunt rebus honorem.
Hæc quaſi ſemina publica ſunt uirtutis & artis,
Quæ tanta imperijs dant incrementa beatis,
Quanta nec armatæ in Mauortia prælia turmæ,
Nec murorum ætate breui ruitura lutoſa
Moles, aut opibus munita potentia multis
Conciliare ualent, & quidquid in orbe caducas
Inter res habet aut precij aut uirtutis honorem,
Quæ niſi doctrinæ celebrentur laude, iacebunt,
Atq; oppreſſa ſuo ſordeſcent puluere. Crœſi
Quis modo ſciret opes? Quis fortem noſſet Achillem?
Aut quis Alexandrum magnum? Quis prælia Cyri
Sciret? ab Aonijs niſi prodita carmina plectris,
Vitam donaſſent factis ætate ſubactis.
Eſt animis igitur generoſis digna uoluptas,
Adſerere ad ſeros bona duratura nepotes.
Nec patrimonia ſplendidiora relinquere poſſunt,
Diuitiasq́; patres meliores poſteritati,
Quàm ueræ doctrinæ, & opes uirtutis honeſtæ.
Mentibus hinc ſanis eſt inditus ardor, & ingens
Cura ſalutarem doctrinam ſpargere uitæ,
Virtutemq́; ſecuturis quoq; tradere ſeclis,
Vt ſobolem ſanctam, uita dignamq́; perenni,
Venturæ poſſent ad ſidera mittere gentes,
Aetheriasq́; domos animis implere beatis.
Hæc immortali diuinitus inſita menti
Cura, futurorum uis eſt præſaga bonorum
Aeternæ uitæ, in qua cum ſua præmia iuſtis
Mens reſtare uidet, uirtutum ſemina honeſtas
Artes, longæuis cupit immortalia ſeclis
Tradere. Ita aſſiduè ſanctis pia nomina rebus,
Commeruiſſe iuuat doctrinæ conſcia ueræ
Pectora. Sic ueſtri maiores, inclyta patrum
Lumina, tum reliquis ſeruandis artibus urbi,
Atq; orbi peperêre decus populoq́; futuro:
Tum quòd in hac aliquot diuina Mathemata ſeclis

Vrbe uelut ſedem propriam tenuêre. Nec ipſæ
Hæc tantum didicere Scholæ, ſed & ordine ciues
Summo oblectati ſtudio hoc clariſsima famæ
Nomina promeruêre ſibi, hæredíq; futuro.
Talis erat raræ doctrinæ Pirgicamerus,
Pfintzingusq; pius quondam, ſapiensq; Cholerus,
Atq; alij, quorum ſi nomina uerſibus iſtis
Congruerent, cuperem noſtris celebrata Camœnis,
Nec retinent hodie pauci decus urbis auitum,
Quos ego ſi numerem, ſeries numeroſa futura eſt;
Vel numeri me deficient æquante labore
Iliadem, uel Mæonidæ ſublimia magni
Ora, modosq; requirente, ingeniumq; Poëtæ.
Multi etiam claris celebrati laudibus iſtam
Artifices coluêre urbem, qui præmia digna
Et uobis & ſe Patrum meruêre ſub annis.
Hos inter præclarus erat, quem Regius ille
Mons dedit, Iſte ſuo reuocata Mathemata nobis
Reddidit ingenio, nec quod peteretur abeſſet,
Mors hominem niſi diuinum immatura tuliſſet.
Diceris hoc didiciſſe olim Gualthere magiſtro
Aſtra uiasq; poli. Poſt quem Vernerus acutus
Vates & Aſtronomus, clariſsimus extitit arte.
Vltimus his Francus ſucceſſit laudibus iiſdem
Clarus, & ingenio, ac pulchra uirtute Schonerus.
Hæc inter reliquas laus eſt non infima dotes.
Nam manet, & magno uicturum nomen in orbe
Pandit, & imperij clades, uaſtasq; ruinas
Fulcit, regnorum poſt funera ſæua ſuperſtes;
Sic & Athenarum manet indelebile nomen,
Quæ per ſexcentos humanis artibus annos
Hoſpitium & ſacris intra ſua mœnia Muſis
Conceſſêre locum. Nec tantum claſsibus æquor,
Innumeræq; armis preſſæ ciuilibus urbes,
His peperêre decus, quantum diuina Platonis,
Aut ſapientis Ariſtotelis monumenta dederunt.
Iſta bonis uarijs orbem fecêre beatum,
Arma φόνοις miſeris urbem impleuere diſertam.
Aonijs igitur decora immortalia Muſis,
Martigenis debet ſcelera exitialia turmis.
Ergo etiam norunt ueterem Pandionis urbem

Poſtera ſecla, ſuiſq; uehit nunc laudibus orbis.
Cecropiaſq; mori diuini Helyconis Athenas
Turba uetat, celebratq; æterno palladis almæ
Nomine & ingenio dignam pugnacis Ἀθήνης,
Quæ ſibi certandum ſummi cum fratre Tonantis,
Iudicibus diuis pro docta credidit urbe.
Non tantum æquorei fauor atq; potentia Regis,
Aut uires ualuêre, ſuum qui claſſibus æquor,
Conceſſiſſe amplis fruſtra iactabat Athenis,
Totq; per undoſum pelagus data regna, tot oras
Bellis adiectas naualibus æquore in alto,
Defenſamq; ſuis hanc oſtentabat in undis
Vrbem, quam terra ferro uaſtârat, & igni,
Ac fundamentis iam penê euerterat ipſis,
Innumeris armatus equis, & milite Xerxes.
Quem contra breuiter uultum demiſſa, profata eſt
Docta Minerua. Meo dici de nomine Athenas,
Iuppiter alme pater, ſuperiq; æquiſſima cauſa eſt.
Si qua fuit, noſtris fuit artibus, ingenioq;.
Arte domiq; foriſq; ſtetit, non uiribus ullis.
Si tulit arma, meis tulit artibus illa, feretq;.
Conſilio forti uis eſt depulſa meorum
Ingenioq; ducum. Teſtis conſultor Apollo eſt.
Aut hoc ſi potuit patruus, cur tranſitus hoſti
Eſt datus? undoſum cum per mare littus Achiuum,
Vicinaſq; oras inuaderet urbis amicæ.
Regna uiaſq; maris, niſi qui cœleſtia nouit
Signa dedit nemo. Cœco quid in æquore cauſæ eſt?
Hæc effata ſilet. Victrix & honeſta Mineruæ
Cauſa dijs placuit, Mens hæc eſt una Deorum,
Vrbes ſeruari doctrina conſilioq;
Verius ac longè melius, quàm uiribus ullis.
Ergo dedêre urbi manſurum nomen Ἀθήνης,
Ingenijſq; immortalem florêre beatis
Iuſſere, inſanis nimium non credere bellis.
Hæc ego dum meditor communia fata uidebar
Penè uidere mihi, data ab ipſo Norica cœlo
Vrbs tibi, cum doctis bene conuenientia Athenis,
Vix alia eſt uarijs excultior artibus, inter
Teutonici regni uix eſt opulentior urbes.
Vix ornamentis ciuilibus amplior ulla,

Aut

Aut illuſtrior eſt, Sic legibus undiq; iuſtis
Conſtat, & omnibus officijs pulcherrimus ordo eſt.
Tam bene conſtituit ſapientia ſumma Senatus
Singula, tam pulchre celebris doctrina potentum
Ornat, & imperio genuinum adiungit honorem,
Et leges ſanctas, & honeſtas excolit artes.
Hæc merita agnoſcenda uiris prudentibus, atq;
Inſcribenda cedro, famæq; perennibus annis,
Perpetuumq; ſuperſtitibus memoranda Camœnis:
Quæ regnis pulſæ proprijs, Helycone relicto,
Hic profugæ inuenêre locum ſapientibus aptum,
Tranquillisq; choris, Muſis & Apolline dignum.
Illud ut officium præſtet, uenerande Senatus,
Vraniæ meritis, & honoribus aucta tot annos
Norica in urbe tibi, & claris maioribus olim,
Hæc iuſsit luciq; nouæ monumenta, tuisq;
Laudibus æternis, famæq; dicare perenni,
Ingenio docti quondam dictata Schoneri.
Vt tua, quæ reliquæ toties celebrare ſorores
Diuerſis ſtuduêre modis coniungeret ipſis,
Nomina ſideribus iam non noua Norica ſummis,
Et late ſub utrosq; polos fulgentis Olympi
Spargeret, & famæ daret hunc cœleſtis honorem,
Vt quicunq; polos diſcet monſtrante Schonero
Aſtrorumq; uias, orta atq; cadentia ſigna,
Et ſecreta poli quæret cum motibus ipſis,
Legibus æternis certisq; regentibus orbem,
Hæc legat, & memori grates ſic mente reponat,
Eſſe aliquem in terris populum clarumq; Senatum,
Qui iuuet atq; ornet cœleſtia dona benignis
Sumptibus, & ſtudio diuina Mathemata ſummo
Excolat, ac memori commendet poſteritati.
Hæc de te celebrent & primus & ultimus orbis,
Quà uel ad Eoos ſpacioſus panditur Indos,
Occiduisúe iacet quâ campus amœnus in undis,
Nomine ab Atlantis magni celeberrimus, aut quâ
Arida decliuem tellus dependet in Auſtrum,
Aut Aquilonares gelidiſsima ſurgit ad Arctos.
Deniq; quicunq; iſta legent monumenta Schoneri,
Quâcunq; incedant, habitent quibus orbis in oris,
Huic grates referant urbi, memoriq; Senatum
Mente

Mente colant, qui homines opera ad præſtantia doctos
Excitat, atq; fouet dignatus honoribus amplis,
Artifices rerum & naturæ arcana profeſſos.
Quid non ſe totus debere fatebitur orbis
Vrbi? ex qua terræq; plagæ, tractusq; marini,
Ventorumq; ſitus, & magna uolumina cœli,
Cum ſpacijs, ſtellisq; ſuis deſcripta Schoneri
Ingenio, magnum late mittuntur in orbem?
Ipſe ſibi per quem mundus coniunctus ouabit.
Qui diſtractis imperijs, bellisq; laborat.
Namq; hic terra polo confertur, & aurea cœli
Lumina ſiderei humanos referuntur ad uſus.
Hinc qui cœruleum late maris æquor arandum
Claßibus ingreßi, medijs in fluctibus errant,
Proſpicient longe repetitæ littora terræ,
Quas teneant oras, qua uentus parte reſpiret.
Lucida quin cœli quoq; docti ſigna notabunt,
Et pluuias Hyadas, Capráq;, et Atlantidas omnes,
Ac geminas Arctus, auro Oriona nitentem,
Cũ canibus geminis, Aquilam, Arcturũq; Bootis,
Atq; lyræ pulchrum ſidus, per quam Orphea cantu
Mouiſſe & ſuperos, atq; infernalia regna,
Cum ſyluisq; feras, & ſaxa ſequentia fertur.
Et reliqua aſtriferum pingentia lumina cœlum.
Atq; alacres oculos tollentes arte uidebunt,
Signifer obliquo quâ tendat limite flexus,
Atq; parallelorum, ſtellarumq; rotunda
Tramite ubi recto flexoúe uolumina currant.
Auſtrinus qua parte polus, quaúe Arcticus extet,
Cur diuerſa educat equos, aliaq; reducat
Parte ſuos Phœbus cum ſex Erronibus. Inde
Quæ uarient arcus nocturnos, atq; diurnos
Cauſæ ſtellarum, Solisq;, Quis orbibus ordo,
Pugnet ut alternis fraterq; ſororq; tenebris,
Vt uarient ortus Lunæ, quæ ſidera tangat
Cynthia concurſu facto, in quæ ſigna uehantur
Sidera ſigniferi uarias obeuntia metas.
Sic notis ſtellis uires quoq; noſcere promptum eſt
Aetherias, tempeſtatumq; agnoſcere ſigna.
Ergo Atlas tot ſiderea ſub mole labores
Qui tulit, ipſe aliqua gaudebit parte leuatus,

Tanti

Tanti oneris magnum pondus ſubeunte Schonero,
Quæ decora, ut propriè tua ſunt, Reuerende Senatus,
Nata iſthæc intra tibi mœnia, ſumptibus almis
Conſeruata, tuo ſic inſcribuntur honori,
Publica ut hæc gratæ ſit ſignificatio mentis,
Quam noſtra Vrame debet tibi. Suſcipe uultu
Quo bona ſcripta ſoles, & uita digna perenni,
Clementi & placido, hunc non auerſatus honorem.
Et mea qualiacunq; ſunt, non inuida famæ
Virtutiq; tuæ, precor excipe carmina mitis,
Ac nauatam operam, curam, aſsiduumq; laborem
His emendandis ſcriptis, dum barbara paſsim
Corrigo uel muto, quæ deprauata uidebam,
Quæſo probate patres, qua fronte probare ſoletis,
Quæ data ſunt rectis ſtudijs, & laudibus urbis.
Sic ego cum gratis ſolennia uota camœnis
Pro uobis faciam, uiuat uenerabilis ordo
Patrum, cumq; ipſis laus Norica luceat aſtris.

Eiuſdem

EIVSDEM ELEGIACVM AD LE-ctorem, in Aſtrologiæ contemptores.

QVód regat humanos diuina potentia caſus,
Expreſsit ſummo magnus in orbe Deus.
Qua poſuit tacitis dominantia legibus aſtra,
Et ſtellas uires iuſsit habere ſuas.
Ergo poli quoties pulcherrima lumina cernis,
Sis memor autoris, qui regit illa, Dei.
Fertur in errores amens Epicurus aniles,
Dum certa mundum lege carere putat.
Fingit in occaſu deleri ſidera, rurſus
Axe ſub Eoo luce nitere noua.
Ride Epicure Deum, gere neſcia pectora fati,
Finge nihil cœli ſignificare faces,
Ride Epicure, nigrum tamen hinc cum ſtabis ad Orcum,
Quod tua ſubſannet ſcommata numen erit.
Sæpe hæc imperijs nocuit dementia magnis,
Et nimium ueras aſtra habuere minas.
Irruit in patriæ triſtiſsima damna Pericles,
Sidere non fauſto bella cruenta mouens.
Nos artes, ceu dona Dei, reuerenter amemus,
Quæ ſtellas certis legibus ire docent.
Quæ cauſas rerumq; notant, ſeriemq; futuri,
Et quæcunq; ſuis motibus aſtra trahunt.
Non hæc humanis ſunt cognita uiribus, Ipſo
Sed monſtrante Deo, ſunt patefacta uiris,
Quos ſtudium ſuprema trahens ad templa, remotos
Effectus docuit, ſanctaq; fata poli.
Acceſsit multis nota experientia ſeclis,
Hæc arti fecit ſideribusq; fidem
Fœlices animæ, ſublimia pectora, uires
Vltra mortales exeruere caput.
Aedimus hæc igitur docti monumenta Schoneri,
Ne tantæ nobis eripiantur opes.
Hic antiquorum numeroſa uolumina uatum
Luſtrans, hæc ſtudijs cenſuit apta tuis.
Quare age ſi patrias animo cupis ire per arces,
Hoc lege præſtantis nobile uatis opus.

Præfatio

PRÆFATIO D. PHILIPPI MELANTHONIS IN OPERA CLARISSIMI MATHEMATICI Ioannis Schoneri Caroloſtadij.

CVM initio belli Peloponeſiaci Pericles inſtructa ingenti claſſe à litore ſoluturus eſſet, in illo ipſo articulo cum in ſuam triremem aſcendit, conſpecta eſt tanta Solis eclipſis, ut penè tenebrę nocturnæ medio die exiſterent, & ſtellæ cõſpicerentur. Territus igitur tanquam prodigio gubernator, ut reliqua multitudo, nauigare recuſauit. Hic Pericles ſeu uerè contemnens aſtrorum minas, ſeu ſimulans conſtantiam, ne languefaceret animos militum, pallio ſuo texit gubernatoris oculos, ac paulò poſt remoto pallio, interrogat, num putet aliquid portendi, quòd oculi exiguo tempore tecti fuerint, nec tamen læſi ſint. Cum reſpondiſſet gubernator de pallio, nihil mali eſſe quòd pallium pauliſper admotum eſſet oculis: Ita, inquit Pericles, nec Soli, aut naturæ rerum aliquid mali accidiſſe, aut ſignificari putes, etiam ſi Luna in eum incurrrẽs, pauliſper conſpectum eius hominibus ademiſſet, ac ſoluere iubet, & bellum Græciæ inferre, exitiale primum patriæ, deinde & uniuerſæ reliquæ Græciæ. Opinor autem multos eſſe, qui laudent hoc iudicium Periclis. Sed nimis triſtes pœnas uniuerſa Græcia huius audaciſsimi iudicij dedit.

Cumq; omnium ſeculorum exemplis compertum ſit, res triſtes ac inſignes ciuitatum, aut regnorum ruinas, quaſi denunciari luminum cœleſtium defectibus, ſeu obſcuratione, ferrei animi eſt, ſignificationes diuinitus in natura ordinatas ſuperbè ridere ac contemnere. Semper aũt cum de cęteris artibus quæ literis continentur, & de uitæ doctrina, imò etiã de illo ipſo doctrinæ genere, in quo ſe Deus ęternus pater Domini noſtri Ieſu Chriſti illuſtribus teſtimonijs patefecit, magnę iudiciorũ diſſimilitudines fuerũt. Quare de artibus, nõ ex omnium exemplis qui eas contemnunt, ſed ex firmis rationibus & teſtimonijs iudicandum eſt.

Ac ut de cæteris artibus nõ dicam. Duę ſunt partes doctrinę de aſtris, quarũ altera certiſsimas leges motuũ oſtendit, alera μαντικὴ ſeu Diuinatrix monſtrat ſiderum effectus, ſeu ſignificationes. Etſi autẽ prior pars ex manifeſtis demonſtrationibus extructa eſt, & utilitatẽ hanc inſignẽ & omnibus notam continet, ut anni metas certas, & partiũ anni iuſtam

deſcri-

deſcriptionem, notatis æquinoctijs & Solſtitijs teneamus: tamen eam multi aut ſtolidi, aut ſuperbi aſpernantur, & ſuis exemplis ab illa eruditiſsima parte Philoſophiæ iuuentutem abducunt. Sed horum iudicia etiam diuinis teſtimonijs refutantur. Nam cum ſcriptum ſit: Et erunt lumina in ſigna, tempora, dies, & annos, pręcipitur certè aſpectio et motuum obſeruatio. Omitto cætera. De annis dicam, quorum rationem teneri Deus uoluit, ne retro cogitantes nulla rerum initia conſtituere poſſemus, uoluit ſciri quæ doctrina primum reuelata ſit, quo ordine promiſsiones propagatæ ſint, uoluit ſciri tempus quo filius Mediator miſſus eſt: Deniq; manifeſtum omnium hiſtoriarum in uita lumen eſſe temporum ſeriem. Hæc ſi magna & digna conſideratione hominum ducimus, nequaquam aſpernanda erit motuum doctrina.

Quanquam ego quidem nullos unquam Cyclopes tam feros fuiſſe puto, neq; ullam tam horridam barbariem, quæ non menſium & annorum interualla, & ſpacia notarit, & poſteritati tradiderit. Turpiſsimum eſt igitur uiris doctis, qui ad gubernacula Reipub. ſedent, has artes uituperare, & ab earum ſtudijs bona ingenia abducere, cũ quidem ipſa curia in maximarum rerum deliberationibus, iudicijs, & multis fori negocijs quotidie de utilitate doctrinæ, ac de ratione annorum admoneat.

Cæterum bonæ mentes & ſi hanc utilitatem, quæ multo maior eſt, quàm ut ullius eloquentia pro dignitate prædicari poſsit, ex hac doctrina expetant, tamen etiam eò certitudinem motuum conſiderant, ut in mentibus ſuis hanc ſententiam confirment: Hunc mundum & hanc totam rerum naturam non caſu ortam eſſe, aut uolui, ſed ab aliqua æterna mente architectatrice conditam eſſe. Id clariſſime oſtendit hic ipſe ordo motuum perpetuus ſumma arte inſtitutus. Nam caſu orta non feruntur certis & æternis legibus, & ordine ad uitæ utilitatem accommodato, ac perpetuo. Hoc mirificum ſpectaculum ideo propoſitum eſt hominum mentibus, ut de Deo nos commonefaceret, quem ita prope monſtrat, ut Paulus dicat: penè manibus contrectari Deum poſſe oſtendentem ſe nobis in hoc ſuo opificio.

Poſtremo, dignitatem doctrinæ de motibus eo maiorem eſſe ſciamus, quia multas alias artes complectitur, & fons eſt Geographiæ, qua certè in uita carere non poſſumus.

Sed uenio ad diuinatricem, quam multi homines docti magnis uoluminibus inſectati ſunt.

Eſt in manibus hominum farrago criminationum à Pico non ſcri-

pta,ſed excerpta ex uetuſtioribus commentarijs,qui ad huius diuinatri cis repræhenſionem multo ante collecti fuerunt.Hos refutarunt docti uiri Bellantius,& alij quidã,& multę leues & ieiunæ cauillationes obij ciuntur,quarum repetitio longa, & refutatio non neceſſaria eſt. Prudentes uerißimo Galeni iudicio contenti ſint,qui de ipſis aſtrorum effectionibus inquit: Sophiſticum eſt manifeſtæ experientiæ uelle contradicere. Addit autem,eſſe aliquas ſiderum ac luminis effectiones in elementis,& corporibus mixtis,plantis & animantibus manifeſta experientia compertũ eſt. Vt ſcimus ignem calidum eſſe, aquã humidam (ſic enim loquar exempli cauſa) ſic ſcimus corpora à Sole calefieri,à Luna humectari: Saturni & Martis coniunctionem in Leone æſtus & ſiccitates facere: Lunæ & Iouis coniunctionem in Cancro,augere humores.

Hæc cum perpetua experientia palàm teſtetur, non dubia ſunt,niſi quis Sophiſticè,ut Anaxagoras, diſputare uelit, Niuem atram eſſe. Cũ igitur ſint aliquæ effectiones aſtrorum, & earum animaduerſio artem pepererit, non inanem eſſe hanc diuinatricem neceſſe eſt, ſed metæ conſtituantur iam antea à Ptolemæo præſcriptæ.

Lumen aduehit qualitates primas & proximas ex his ortas in alia corpora. De aëre his annis multis certißima teſtimonia uidimus, quæ coniunctiones & eclipſes,æſtuum,quæ humiditatum magnarum cauſa fuerint. Sed de homine dicamus.

Craſes humanorum corporum, etſi multum ſumunt à materia ſeu à ſemine,tamen certũ eſt eas ualde temperari poteſtate ſiderum,ut nati paulò ante coniunctionem,cum Luna iam radijs Solis tegitur,longè ſunt imbecilliores alijs.Rurſus hi quibus fulgent magnæ Saturni & Iouis coniunctiones,Craſim longè habent fœliciorem.Sed longum eſſet exempla perſequi,quæ congruere uidebit quicunq; aſpicere ea uolet.

De his effectibus,id eſt,temperamentis & inclinationibus,quę comitantur temperamenta loquimur,non referimus ad ſidera omnes omnium hominum actiones & euentus. Vt igitur in medica arte ex cognitione cauſarum, ſignorum,& effectuum ars extitit tum iudicandi, tum prædicendi multas corporum mutationes,& ea prædictio Phyſica res conceſſa eſt,& aliena à ſuperſtitione,quia eſt aſpectio diuinorum operum,cauſarum,ſignorum,& effectuum: Ita in hac diuinatrice iudicante ex ſiderum poſitu,cauſæ,ſigna,effectus aſpiciuntur,& horum conſideratio tantũ eſt diuinorũ operum aſpectio. Quare & conceſſa eſt hęc ars,& aliena à ſuperſtitione. Sed non euagemur extra metas. Nõ affirmemus ea,quæ à poteſtate aſtrorum non oriuntur, nec miſceamus fortes & illa genera diuinationum,quæ uocat Ptolomæus ἀναιτιολόγητα.

Poſtquam

Poſtquàm autem dictum eſt, temperamentum & inclinationes ab aſtris oriri, iam prudentes cogitent, magnam quidem partem hęc initia actionum comitari, ut dicitur:

Naturæ ſequitur ſemina quiſq; ſuæ.

Sed tamen cum ſint tantum partiales cauſæ, actiones aliunde regi poſſunt. Ac neceſſe eſt eos, qui diſciplina quadam regere uitam & mores uolunt, ſcire triplices eſſe diuerſiſsimas actionum humanarum cauſas: Vſitatiſsima eſt uoluntas, quæ aut aſſentitur, aut repugnat temperamentis: ut C. Cæſar repugnat iracundiæ, cum uictos principes in patriam reuocat.

Alia cauſa principalis eſt Deus: ut cum accenditur Dauid, ut prælietur cum Goliath. Hæc actio, & ſimiles quales ſunt piorum multæ, non cientur ſtellarum uiribus aut temperamentis, ſed ſunt motus diuini, quos ideo diligenter conſiderari prodeſt, ut nos adſuefaciamus ad petendam à Deo gubernationem. Multæ ſunt prauæ in omnibus inclinationes, & ut ſint bonæ, tamen magna eſt hominum infirmitas, & errores, ac hallucinationes plurimæ. Quare opus eſt diuina gubernatione, ut in Pſalmis ſubinde dicitur: Deduc me domine in uia tua. Eſtq; ſapientia neceſſaria bonis mentibus, ſcire Deum non alligatum eſſe ad cauſas ſecundas, ſed liberrimè flectere mentes hominum ad ſalutaria conſilia, etiam ſi naturæ inclinationes tetra minantur. Aſpiciamus igitur nos ipſos, & noſtros quos regere debemus, nec nos ſolos hanc noſtrã Argo gubernare poſſe arbitremur, ſed adiungamus nobis Deum rectorem, ut toties Deus ipſe præcipit. Et Chriſtus inquit: Quanto magis pater cœleſtis dabit Spiritum ſanctum petentibus?

Tertia actionum cauſa eſt Diabolus. Nam Neronis furores non à temperamento tantum oriuntur, ac innumerabiles homines bonis naturis præditi horribiliter in ſcelera ruunt, & opprimuntur triſtiſsimis caſibus, ut Saul, Oedipus, quorum facta & euentus non ad cauſas cœleſtes referuntur, ſed ad Diabolum.

Hanc cauſarum diuerſitatem in uita profectò neceſſe eſt conſiderari, ut ubi natura conformanda ſit, ubi reprimenda, quam ualde opus ſit gubernatore Deo, & quanta uigilantia cauendæ ſint inſidiæ Diaboli, cogitemus. Hæc philoſophia digna eſt bonis & doctis, & prodeſſe eam illi ſciunt, qui eam utcunq; excercent.

Quid eſt diſciplina honeſta, niſi hæc diligentia regendæ uitæ, quæ niſi proſpectis cauſis exiſtere non poteſt? Vtilem igitur eſſe ad mores regendos hanc diuinatricem manifeſtum eſt, quæ naturæ inclinationes monſtrat, ut bonæ excitentur arte, & uicioſis frenum inijciatur. Nunc

facilis eſt explicatio dicti Ieremiæ: A ſignis cœli nolite timere. O dulcem conſolationem Eccleſiæ, & omnibus Deum inuocantibus propoſitam. Non ait Ieremias: Nihil eſſe ſigna cœli, imò cum nominat ſigna, portendi aliquid adfirmat. Antequàm Hieroſolima euerſa eſt, quantum fuit prodigiorum, eclipſium, triſtium coniunctionum? Hæc denunciabant excidium illis miſerrimis ciuitatibus. Et quanquam in hac infirmitate naturæ mentes ſunt timidæ, & prodigijs mouentur, ſæpè expaueſcebant eorum pectora, & qui Deum uere colebant, tamen his conſolationem Chriſtus tradiderat, manſuram eſſe Eccleſiam, & habituram hoſpitia in alijs locis.

Sic Chriſtus, cum prædicit horrendos tumultus orbis terrarum, & triſtiſsimas ruinas Imperiorum, adijcit conſolationem: Inſtat, inquit, redemptio ueſtra. Ac precari iubet, ut inter illas rerum humanarum confuſiones ſeruemur.

Ita Ieremias, & ſi impendent magnæ calamitates, tamen uult nos confirmatos uera agnitione & inuocatione Dei, expectare auxilium & liberationem.

Fatendum eſt eſſe res malas & ſæuas mortem, euerſiones urbium, ſpectare neces coniugum, ac liberorum, abduci in exilia. Hæc non ſunt nihil. Et tamen pios ita oportet confirmatos eſſe, ne metu harum rerũ cum aut impendent, aut ſunt in conſpectu, frangantur. Sapientia eſt aſpicere naturam ſuam, ſed magis neceſſaria ſapientia eſt, rectorem Deum adiungere. Si quid mali aut aſtrorum poſitus, aut naturæ inclinatio minitatur, ſciamus Deum & poſſe & uelle moderari euentus, ſi ipſum uerè inuocemus. Sciendum eſt autem & quo ordine actiones ſuſcipiendæ ſint. Non moueat bella Pompeius fretus aſtrorum poſitu, ſed obtemperet uocationi. Et cum uocatio poſtulat arma capi, mandatum Dei omnibus terroribus anteferatur.

Relinquitur ergo hanc diuinatricem, doctrinam eſſe Phyſicam, ac naturæ aſpectionem, in qua temperamenta, & inclinationes, quantum fieri poteſt, iudicantur, & ad cauſas cœleſtes referuntur, quas eaſdem res & medici conſiderant, ſed referunt ad cauſas propiores, ſcilicet ad materiam. Sæpè autem opus eſt utraſq; cauſas, propiores & remotiores aſpici. Talis autem Phyſica naturæ aſpectio non eſt ſuperſtitioſa, cum ſit conſideratio diuinorum operum, quam docuit homines experientia, ut reliquam phyſicen, ut herbarum uires in medicando.

Baſilius in enarratione capitis de rerum creatione, ſiderum effectiones tollit hoc argumento. Si à ſideribus uicioſæ inclinationes, aut ſce-

lera

lera orirentur, Deus cauſa eſſet humanorum uiciorum ac furorum, hęc ratiocinatio plauſibilis uideri poſsit Ethnico. Nobis in Eccleſia dolorem augere debet, quod hæc præſtans natura, nequaquam uolente Deo, in has tantas ærumnas ſe ipſa proiecerit. Si hominum natura manſiſſet integra, fulſiſſet in nobis lux diuina, gubernatrix omnium motuum, & Stellæ in materia non contaminata alias actiones habuiſſent: At nunc in his ſordibus infœliciores ſunt actiones, & extincta eſt illa lux, quæ rexiſſet omnes humanos motus. Hęc deploranda ſunt in Baſilij ratiocinatione, non deijcienda de cœlo ſidera, & cogitandum quantum decus humana natura amiſerit, quàm triſte malum ſit peccatum, propter quod hæc noſtra temperamenta nunc belluinis ſimilia ſunt.

Ad hanc autem reſponſionem, deinde hæc addenda eſt: Ne nunc quidem ſtellas ſcelerum cauſas eſſe. Quia, etſi inclinationes ab eis oriuntur: tamen hæ non ſunt integræ actionum cauſæ, ſed uoluntas præcipua cauſa eſt actionum, quæ quidem & poteſt, & debet frenare inclinationes. Non enim fatalem neceſſitatem conſtituimus, nec cogi Neronem à ſtellis ad tanta ſcelera dicimus, ſed accerſiuit ipſe ſibi hos furores uolens, & indulgentem cupiditatibus, magis magisq́ incitauit Diabolus, Ac multo fit deterior Nero, quàm qualem natura quamuis infauſta finxerat.

Nunc reſponſionem ad Baſilij argumentum, uides non leuem commonefactionem eſſe de noſtris miſerijs, & ueris earum cauſis.

At obijciunt: Paucisſimas eſſe demonſtrationes de effectionibus ſiderum. Socrates de uniuerſa humana ſepientia inquit, homines aut pauca, aut nihil ſcire, quorum alterum falſum eſt. Vult enim Deus aliquam in hominum mentibus lucem eſſe reliquam, notitias numerorum, figurarum, legum naturæ, phyſicas multas. Etſi autem magna eſt infirmitas humanæ mentis, & facilis hallucinatio, & multa errata: tamen illæ notitiæ quæ diuinitus monſtratæ ſunt, non ſunt abijciendæ. Et aliarum paucarum notitiarum cum rectè euoluuntur, magna eſt amplitudo, ut in ſingulis artibus prudentes artifices magna cum admiratione diuinæ ſapientiæ animaduertunt. Ita fateor de effectionibus ſtellarum paucas eſſe demonſtrationes. Sed tamen ex his ipſis, ſi euoluantur, ſi dextrè & prudenter ad uitam adcommodentur, ualde multa iudicari poſſunt. At ſæpè fallimur, ſæpius etiam quàm in cæteris artibus. Fateor hoc quoq́ nec tamen ars nulla eſt. Quid eſt enim familiarius homini, quàm hallucinari ac errare? Sed manent tamen aliquæ ueræ notitiæ, quas alij magis, alij minus dextrè ad ea de quibus iudicant, accommodant. Et de futuris rebus etiam pauca proſpicere, & utile & magnum eſt. Nec prorſus de nihilo dictum.

Qui ſapit, ille animum fortunæ præparat omni,
Præuiſumq́ poteſt arte leuare malum.

Hæc ærumnoſa hominum natura premitur ingentibus miſerijs multo pluribus, quàm quas aſtra denunciant. Non igitur quæramus philoſophiam humanam, quæ depellat omnia pericula & mala, ſicut nec mors tolli medicatione poteſt, imò nec morbi oẽs pelli poſſunt. Agnoſcamus nos eſſe maſſam peccati, ac propter iram Dei ſingulos & pœnas propriorum lapſuum ferre, & publicarum miſeriarum ſocietate feriri. Et tamen cum accedit agnitio uera filij Dei, Domini noſtri Ieſu Chriſti, experientur ſe prẹſidia uitẹ maiora habere, quàm ſi Crœſi opes, arces, & exercitus haberent.

Nec omnino uerum eſt Pindari dictum, qui Phiſicos ait δρέπειν ἀτελῆ καρπὸν σοφίας. Non ſemper opitulantur artes. Imò multa ſunt in multis artibus, nondum ſatis patefacta. Fruendum eſt tamen ea doctrina, quam Deus & conſpici, & adminiculum aliquod uitæ eſſe uoluit.


Cum igitur hæc diuinatrix ſit Phyſica quædam temperamentorum & inclinationum humanarum aſpectio, & cauſarum cœleſtium collatio, ex uera experientia extructa, ars eſt & conceſſa, & qua bonæ mentes benè uti poſſunt, ut medicis prædictionibus. Ideo utile eſt reliquias ueterum ſcriptorum in hoc genere ſeruari. Ac mihi clariſsimus uir Ioannes Schonerus, quem ego penè ſolum hac noſtra ætate artificem in hoc genere eſſe, uerè confirmare poſſum, utiliſsimam operam prẹſtitiſſe uidetur, quòd & ab alijs tradita, & à ſe longo uſu obſeruata in unum corpus coëgit, & tanquam diſſipatas ædificij partes belliſsimè extruxit, ut tota ars ſine magno negocio à ſtudioſis perdiſci poſſit. Etſi enim, ut ſolet, alia præcepta alijs ſunt firmiora, tamen prudentes delectum adhibere poterunt. Nec ſua laude ideo Schonerus priuari debet, qui inſigni hoc ſuo labore id egit, ne ars tota, & magna pars ueræ Phyſices interiret. Hæc igitur bonis, ſtudioſis, amantibus philoſophiæ, & uniuerſæ doctrinæ de motibus & effectibus cœleſtibus eduntur, hi legant, & ſeſe ad amorem omnium bonarum artium, & ad cogitationem de diuerſis cauſis actionum humanarum, & de tota gubernatione uitæ exuſcitent, & naturæ infirmitatem contemplantes, confugiant ad Deum æternum patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti, & huius mediatoris fiducia petant, ut diuinitus regamur, & defendamur.

τέλος.

Hæc ſtudia ac mores, uitamq́; & fata Schoneri,
Lectorem, cœli parua tabella, docet.



Mortuus eſt in Chriſto anno Domini 1547, 16 Ianuarij circa ſecundam à meridie Noribergæ, cũ eſſet ſeptuagenarius, & directio corporis Martis, qui erat in ☍ ♄, hoſtis hylegij, ad Hyleg horoſcopum, & ferè ☍ ♄, cum Martis corpore ad Venerem dominam Horoſcopi, ac profectio aſcendentis ad corpus Saturni perueniſſet.



ANNO ÆTATIS SVÆ LXIX.

IN EFFIGIEM D. IOAN. SCHONERI, PHIL. MEL. CARMEN.

Aſtrorum motus, & fata regentia mundum
Qui norunt, multos Francica terra tulit.
Heſperus at quanto quàm cætera ſidera fulget
Splendidior, uultus Sole tegente ſuos:
Tantum præ reliquis caput extulit unus & alter,
Secula uix maius priſca tulere decus.
Regius, alter erat cui mons cognominis uſum
Et natale ſolum primaq́; tecta dedit.
Qui procul Auſonia deceſſit in urbe Ioannes,
Artis ibi ſpecimen cum daret ipſe ſuæ.
Alter ab hoc uixit Schonerus laudibus artis
Non tamen inferior, quàm fuit ille, ſuæ.
Noſtra quoq; his ducibus peragrarunt lumina cœlum,
Barbarico fuerant quæ uiciata luto.
Vtq́; ferè extinctam reuocauit uterq; Matheſin,
Sic tantum peperit laudis uterq; ſibi.
Terra tibi quantum Bœotica fortis Orion,
Et Lybica Atlanti debuit ora ſuo
Hæc uero uultus Schoneri monſtrat imago
Ingenium libris exprimit ipſe ſuis.

ISAGOGES ASTROLOGIÆ IVDICIARIÆ CLARISSIMI MATHEMATICI IOANNIS Schoneri Caroloſtadij pars prima: ſeriem ac diſpoſitionem Ephemeridis explicans.

CANON PRIMVS.

PRINCIPIO PONITVR NVMERVS anni, ad quem ipſa Ephemeris eſt calculata: deinde ſequitur aureus numerus, Ciclus ſolaris, litera Dominicalis, Indictio, Interuallū, & cœtera feſta mobilia, & ſi quod luminarium eo anno defectum luminis patietur, cum debita eius figuratione. Cœterum etiam quinq; planetarū regreſsiones, & quantum durabunt eorum regreſſiones, ſi contigerint. Iam etiam uerſo folio duplex offertur paginæ facies: ſiniſtra quidem facie, numeri motuum uerorum, in gradibus & minutis diſponuntur. Verum quo articulatius ſingula diſcernas, in ea facie ad ſiniſtram Menſis notatur, cum inſignibus quibuſdam ſuis diebus feſtiuis, literaq; Dominicali repetita, ac numero dierum ſuorum, ut certo & omnibus noto tempori motus certus aſſignetur. Succedunt deinceps octo columnulæ, lineis diſcretæ ſingularibus, quarum prima Solis eſt, ſecunda Lunæ, tertia Saturno, quarta Ioui, quinta Marti, ſexta Veneri, ſeptima Mercurio, octaua capiti draconis Lunæ dicatur, characteribus proprijs hunc ordinem ſuperne commonſtrantibus. Vnaquæq; etiam columnula duplicem habet numerorum ordinē, graduum uidelicet ac minutorum per literas gr. & m̄. in capitibus eorum notatorum, qui cuius ſint ſigni, character proximè ſuprapoſitus admonet. Omnis autem motus uerus hic deſignatus ad meridiem refertur diei, cuius numero opponuntur gradus, & minuta talis motus. Dies etiam æquales ſupponunt, ueluti ſupputatio poſtulat Aſtronomica. Cœterum ſingulæ planetarum columnulæ binas in capitibus geſtant literas, quæ ſingulorum partem latitudinis ad initia menſium indicant, nempe his duabus S.A. Septentrionalis aſcendens: Illis autem S.D. Septentrionalis deſcendens planeta inſinuatur. Sic M.D. meridianum deſcendentem: & M.A. meridianum aſcendentem ſignificant. Latitudines autem quinq; planetarum in gradibus, & minutis in calce cuiuſuis menſis ad primum, decimum & uigeſimum diem menſis ſuprapoſiti depræhendes, quæ ſecundum literarum capitalium ſignationem iam ſupra expoſitam, nomen ſortientur, planetiſq; adaptabuntur: niſi in textu numerorum à capite columnulæ ad pedem eiuſdem deſcendendo litera S.M. uel A.D. à capitalibus diſcrepans, occurrerit: tunc enim aut latitudo planetæ, aut eius aſcenſus uel deſcenſus in latitudine pro literæ expreſſione mutabitur. Nunc demum quæ in dextra facie notantur, addiſcamus. Sed maiorem huius interpretationis partem, titulus capitalis abſoluit, quippe aſpectus Lunę ad Solem & planetas, ſex columnulis exponuntur, quæ Solis ac planetarum ſex proprias notas in capitibus tabulæ aſpectuum aſſignatas gerunt. Aſpectuum quidem differentijs, per characteres etiā ſuos deſignatis, ☍ Oppoſito, △ Trigono, □ Quadrato, ✱ Sextili, ☌ Coniunctione. Horis autem, quibus aſpectus ipſi perficiuntur, à meridie initium ſumentibus, poſt aſpectus characterem adiunctis. Verum coniunctiones luminarium, oppoſitiones,

poſitiones, ac quadraturæ, non ſolũ horis, ſed & minutis eorũ adnotantur in columnula Solis, iuxta quam etiam à ſiniſtris eſt numerus dierũ menſis cuiuſq;, ut aſpectus uniuerſi temporibus certis poſſint aſſignari. Sequuntur aſpectus Solis, & planetarũ inter ſe ſparſim, ut ratio motuum exigit, inſerti. Neq; deeſt Lunæ cum capite, caudaq; draconis ſui congreſſio. Poſtremò peculiare quoddam planetis à Sole accidens indicatur: quando uidelicet orientales, occidentalesue ſint: huiuſcemodi accidentia duplices inſinuant ſyllabæ Or. & Occ. in capitibus quinq; columnarum poſitæ. Et hactenus quidem de ſerie ac diſpoſitione ephemeridum.

Aureum numerum, literam dominicalem, Indictionem & feſta mobilia inquirere. Canon II.

CHarta prima cuiuslibet ephemeridis, hæc iam propoſita continet. Nam ibidem in dextra pagina, reperies numerum diei menſis illius mox ibidem expreſſi, quibus celebrari feſta hæc mobilia conuenit, & niſi omnino hæbetis fueris ingenij, à te ipſo capies. Sic pari ordine Aureus numerus, Litera dominicalis, Cyclus ſolaris, Indictioq; in promptu erunt.

Characteres planetarum, ſignorum atq; aſpectuum declarare. Canon III.

VEteres illi cœleſtium rerum ſapientes, ob frequentem uſum nominum XII. ſignorum Zodiaci, VII. planetarum, nec non IIII. aſpectuum capitis, caudæq; draconis Lunæ, & coniunctionis, certos ſibi characteres excogitarunt, quibus ea nomina, ſtudioſo lectori, citra tædium inſinuarent. Nam arietem uolentes ſignificare, cornua duntaxat Arietis hunc in modum ♈ exprimere conſueuerunt. Deinde pro Tauro caput Tauri cornutum ſic ♉ poſuerunt. Pro Geminis autem duas columnas connexas quidem ſic ♊. Pro Cancro, cancri cornua duo ſic ♋. Pro Leone caudam eiuſdem Leonis, ſic ♌. Pro Virgine, plicas ueſtimenti puellaris, uel ut alij exiſtimarunt, fimbriam eiuſdem ueſtimenti, ſic ♍. Pro Libra, partem libræ ſuperiorẽ ♎. Pro Scorpione, caudã nodoſam ſcorpionis ſic ♏. Pro Sagittario ſagittam ♐. Pro Capricorno, caudã capricorni cœleſtis imaginis ♑. Pro Aquario, duos riuulos, ſic ♒. Pro Piſcibus duos piſces ſic ♓, quia uero in cœleſti imagine piſces quaſi filo quodam in medio coniunguntur, aliqui ſic ♓ expreſſerunt. Porrò caput & caudam draconis Lunæ exprimere uolentes, ſemicirculos duos ſcripſerunt, utrinq; nodis ſuis finitos, ut ſignificet ☊ caput, aut ☋ caudam draconis.

Deinde pro Saturno, ſenem pingebant baculo innixum, ad hunc modum ♄. Pro Ioue, hominem regem, ſceptrigerum, ſic ♃. Pro Marte, telum bellicum, ſic ♂. Pro Sole, formã Solis rotundam, ſic ☉. Pro Luna, Lunæ cornua, ſic ☽. Pro Venere, imaginem puellæ, ſic ♀. Pro Mercurio, iuuenem geſtantem petaſos in galero, ſic ☿.

Aſpectus autem cum ſit diſtantia ſecundum partes aliquotas Zodiaci, quemadmodum & eorum demonſtrat denominatio, alio fundamento characteres ſuos recipit, à denominatione ſcilicet, hunc in modũ. Nam in duodecim ſignis Zodiaci ſunt quatuor numeri partes aliquotæ idem reddentes multoties acceptæ. Habent enim XII. ſigna primo partem ſextam, duo ſcilicet ſigna, quæ aſpectum ſextilem reddunt, & ideo ſextilis dicitur, quia ſextam tenet circuli partem, quem ſex lineis ab uno centro exeuntibus notauerunt, hoc modo ⚹, quæ in circulo diſpoſitæ, eum in ſex æquas ſecant portiones.


Habent



Habent etiam XII. ſigna quartam partem, tria ſcilicet ſigna, ex quibus quadratus fit aſpectus, qui & quartus eſt dictus, ea de cauſa, quòd quartam contineat Zodiaci portionem, quem tetragono hoc modo pinxerunt □, qui in circulo ſtatutus eum diuidit in quatuor partes æquales, accipiens in quodlibet latus tria ſigna.



Habent inſuper XII. ſigna Zodiaci tertiam partem, quatuor ſcilicet ſigna, trinum facientia aſpectum, qui ita dictus, quòd tertiam partem amplectatur, quem triangulo æquilatero ita △ notarũt, qui in circulo poſitus, quatuor ſigna in latus quodlibet aſſumit.



Habent demum XII. ſigna Zodiaci etiam ſecundam partem, ſiue medietatem, ſex ſcilicet ſigna: cuius quia extrema per diametrum opponuntur, oppoſitio ea, ſeu oppoſitus aſpectus nominata eſt, quam duobus orbibus oppoſitis uoluerunt notare, ſic ☍. Eam ob rem coniunctionem etiam unico orbe cum diametro placuit ſcribere, ſic ☌. Vt duorum orbium in eadem linea recta coitio ſignificaretur.

Porrò cum XII. ſigna Zodiaci non habeant alias partes, præterquàm enumeratas, non erunt ideo plures aſpectus, prædictis. Diſtantia nanq; quinq; ſignorum, non eſt aſpectus, quia quinq; non ſunt pars aliquota ex duodecim, nec diſtantia per unum ſignum, quia unum non eſt numerus, ſed numeri principium, quare unum non proprie dicitur pars duodecima, cum ſit potius principium partis, & hoc magis, quia omnem numerum menſurat, nec menſuratione tamen numerum à numero diſtinguit.

Verum motum Solis, Lunæ, & quinq; planetarum, capitis, caudęq; draconis Lunæ, ad meridiem cuiuſuis diei inuenire. Canon IIII.

QVære numerum diei propoſiti in numeris dierum menſis tui, & hoc in primo ordine numerorum ad ſiniſtram, et è regione illius numeri tui diei uerſus dextram in columnula ſub charactere tui planetæ, cuius uerum locum quæris, deſcende uſq; ad diem propoſitum, nam ibidem duos

os numeros inuenies, quorum primus gradus, ſecundus minuta eius ſigni denotat, Iſti enim gradus & minuta ſic reperta, ſunt ueri loci illius planetæ, gradus & minuta ad meridiem illius diei. Locus autem uerus caudæ draconis Lunæ ſemper ex oppoſito ſigno loci ueri capitis draconis Lunæ reperitur, & in conſimilis numeri gradu.

Verum locum Solis & Lunæ, atq; quinq; planetarum, capitis caudæq; draconis Lunæ ad quancunq; diei horam atq; momentum elicere. Canon V.

ET quia in ephemeridibus motus Solis & Lunæ, ac quinq; planetarum, item capitis caudæq; draconis Lunæ ad meridiem diei, cuius numero aſcribuntur, ſupputati ſunt, conſtetq; quolibet diei momento motus eorum uariari, ob continuum ſphærarum omnium motum, conueniens erit hoc in loco, generalem tradere modum, quo cuiuſq; planetæ motus omni momento ex ephemeride excipiatur, & hoc per regulam proportionum uulgatiſſimam in hunc modum. Scribatur primo loco numerus 24. horarum diei naturalis, ſecundo loco motus diurnus planetæ, qui ex ſubtractione motus tui diei à motu eiuſdem planetæ diei immediate ſubſequentis, ſi directus fuerit, aut è contra, ſi retrogradus fuerit, colligitur. Tertio loco tempus in horis & minutis ad quod motus uis. Quibus numeris ita ad regulam proportionum diſpoſitis, multiplicetur ſecundus per tertium, uel è contra, & productum diuidatur per primum, tunc quotientem adde, ſi planeta directus fuerit: uel ſubtrahe, ſi retrogradus, à motu in ephemeride tui diei ſcripto, & proueniens erit locus planetæ uerus, ad tempus tuum propoſitum.

Motum horarium cuiuſuis planetæ doctè colligere. Canon VI.

PRO motu horario Planetæ exarata eſt tabula ſequens, cuius uſus talis erit: Collige ex ephemeride motum diurnum tui planetæ, cuius horarium quæris, per ſubtractionem motus minoris à maiori ſecundum canonis præcedentis doctrinam, hunc motum diurnum quære in hac tabula, in primo ordine numerorum ad ſiniſtram, qui gradibus & minutis motus diurni debetur, mox enim ad dextram eiuſdem tabulæ reperies minuta & ſecunda, uel ſecunda & tertia, motum ſcilicet horarium tui planetæ: hac tamen conditione, ſi motus diurnus gradus habuerit, erit primus numerus minuta, ſecundus ſecunda. Si uero minuta habuerit, erit primus numerus ſecunda, ſecundus tertia, iuxtà titulorum in capite tabulæ poſitorum denotationem.

Tabula motus unius horæ, ad quam fit introitus, cum motu diurno planetæ.

gr.	m̃.	2.	gr.	m̃.	2.	gr.	m̃.	2.	gr.	m̃.	2.
M.	2.	3.	M.	2.	3.	M.	2.	3.	M.	2.	3.
1	2	30	16	40	0	31	77	30	46	115	0
2	5	0	17	42	30	32	80	0	47	117	30
3	7	30	18	45	0	33	82	30	48	120	0
4	10	0	19	47	30	34	85	0	49	122	30
5	12	30	20	50	0	35	87	30	50	125	0
6	15	0	21	52	30	36	90	0	51	127	30
7	17	30	22	55	0	37	92	30	52	130	0
8	20	0	23	57	30	38	95	0	53	132	30
9	22	30	24	60	0	39	97	30	54	135	0
10	25	0	25	62	30	40	100	0	55	137	30
11	27	30	26	65	0	41	102	30	56	140	0
12	30	0	27	67	30	42	105	0	57	142	30
13	32	30	28	70	0	43	107	30	58	145	0
14	35	0	29	72	30	44	110	0	59	147	30
15	37	30	30	75	0	45	112	30	60	150	0

Quod præcedens docuit, aliter inueſtigare. Canon VII.

EXcipe motum diurnum planetæ, cuius horarium quæris, per præcedentes, & eum dupla, deinde adde huic duplato ſemidiurnum motum illius eiuſdem planetæ, & proueniens uerum motum horarium eiuſdem planetæ inſinuat, mutando tamen denominationem fractionis per unam differentiam denominationum, iſto ordine: Si motus diurnus extractus habet gradus, fiet primus numerus fractionis huius motus horarij minuta, ſecundus ſecunda. Si autem primus numerus motus diurni minuta tenuerit, erit primus numerus fractionis huius motus horarij ſic collectus, ſecunda: ſecundus tertia, & ſic conſequenter.

Argumentum latitudinis Lunæ uerum ac æquatum reperire. Canon VIII.

ARgumentum latitudinis Lunæ, eſt diſtantia corporis lunaris à capite draconis ſui. Ad habendum autem argumentum latitudinis Lunæ, accipe ex ephemeride ueros motus Lunę, & capitis draconis eiuſdem pro certo tempore deſignato, & characteres eorundem motuum per tabellam characterum duodecim Signorum Zodiaci in numeros reſolue, uerocꝫ motu capitis Draconis Lunaris à uero motu Lunæ ſurrepto, coaſſumptis duodecim Signis, ſi alias ſubtractio perfici nequeat: uerum & æquatum argumentum latitudinis Lunæ emergit.

Tabula

Tabula numerorum & characterum duodecim ſignorum.

♈ 0	♎ 6
♉ 1	♏ 7
♊ 2	♐ 8
♋ 3	♑ 9
♌ 4	♒ 10
♍ 5	♓ 11

Latitudinem Lunæ ueram quouis momento oſtendere. Canon IX.

INGREdere tabulam hanc, ac perquirito ſignum argumenti latitudinis Lunæ per canonem præcedentem inuentum, in capite uel pede tabulæ. Signo in capite tabulæ depræhenſo, gradum argumenti in linea numeri graduum lateris ſiniſtri à capite tabulæ ad eius pedem deſcendendo accipe: & in angulo communi, aut concurſu linearum ſigni & gradus argumenti latitudinis Lunæ, inuenies latitudinem Septentrionalem aſcendentem, uel Meridionalem deſcendentem Lunæ per gradus & minuta ſcriptam. Septentrionalem quidem aſcendentem, cum argumentum latitudinis Lunæ 0. 1. aut 2. in ſignis tenuerit: Meridionalem deſcendentem argumento latitudinis Lunæ 6. 7. aut 8. ſigna poſſidente. Quòd ſi ſignum memorati argumenti latitudinis Lunæ, in pede tabulæ offenſum fuerit, gradum eiuſdem in linea numeri graduum lateris dextri tabulæ, à pede ad caput tabulæ ſcandendo recipe, & in communi angulo ſigni, & gradus ipſius argumenti latitudinis Lunæ, latitudinem Septentrionalem deſcendentem, uel latitudinem Meridianam aſcendentem, in gradibus & minutis agnoſces, quam Septentrionalem deſcendentem pronuncia, ſi argumentum latitudinis Lunæ fuerit 3. 4. aut 5. ſignorum: Meridionalem autem aſcendentem argumento Latitudinis Lunę 9. 10. aut 11. in ſignis complectente. Si præterea argumento latitudinis Lunę minuta certa adhæſerint, duplici introitu agendum eſt, differentia (ut adſolet) excerpenda, & pars proportionalis ſecundum proportionem minutorum, iuxta integros gradus, ad 60. minuta elicienda, quam adde uel minue ex angulo communi, pro ut res ipſa & ratio aſtronomica creſcentis, aut decreſcentis latitudinis exigit.

Tabula latitud. Lunæ.							
Septentrion. aſcendens.							
Sig	0		1		2		na
Meridion. deſcendens.							
Sig	6		7		8		na
Gradus argumenti.	gr.	m̃	gr.	m̃	gr.	m̃	Gradus argumenti.
0	0	0	2	30	4	20	30
1	0	5	2	34	4	22	29
2	0	10	2	39	4	25	28
3	0	16	2	43	4	27	27
4	0	21	2	48	4	30	26
5	0	26	2	52	4	32	25
6	0	31	2	56	4	34	24
7	0	37	3	0	4	26	23
8	0	42	3	4	4	38	22
9	0	47	3	9	4	40	21
10	0	52	3	13	4	42	20
11	0	57	3	17	4	44	19
12	1	2	3	21	4	45	18
13	1	7	3	24	4	47	17
14	1	12	3	28	4	48	16
15	1	18	3	32	4	50	15
16	1	23	3	36	4	51	14
17	1	28	3	39	4	52	13
18	1	33	3	43	4	53	12
19	1	37	3	46	4	54	11
20	1	42	3	50	4	55	10
21	1	47	3	53	4	56	9
22	1	52	3	56	4	57	8
23	1	57	3	59	4	58	7
24	2	2	4	3	4	58	6
25	2	7	4	6	4	59	5
26	2	11	4	9	4	59	4
27	2	16	4	12	5	0	3
28	2	21	4	14	5	0	2
29	2	25	4	17	5	0	1
30	2	30	4	20	5	0	0
Septentrion. deſcendens.							
Sig	5		4		3		na
Meridiona. aſcendens.							
Sig	11		10		9		na

Latitudines quinq; planetarum certis diebus atq; horis determinare. Canon X.

☿ conſignificator.
Cadens.
Quarta domus eſt, quæ imum cœli, parentum, rerumq; paternarum, ædificiorum, fundamẽtorum, theſaurorum omnium abſconditorũ, & omnis agriculturæ, bonorum immobilium, ſignificationem habet. Significat pectus, pulmonem œſophagum, ſplenem.
☉ conſignificator.
Tertia domus Dea dicitur ex qua de fratribus, ſororibus, cognatis, affinibus, propinquis, itineribus minoribus, & hoſpitalitate uaticinamur. Habet humeros, brachia, manus. ♂ conſignificator.
Quinta domus bona fortuna agnominata, in qua filiorum atq; numerum ſiue donorum atq; ueſtimentorum conditio inuenitur. Habet ſtomachum, epar, cor, neruos, latera, dorſum. ♀ conſignificatrix.
Cadens.
Angulus imi cœli.
Succedens.

Duodecim domiciliorum cœli, ſexus, complexiones, partem mundi, fortitudines, colores atq; gaudia planetarum in eis, uno intuitu capere. Canon VI.

Vitæ initium. Pars ſupra terrā dextra dicitur. Aetas media.



Senilis defectiua. Pars hęc ſubterranea ſiniſtra uocatur. Senilis ętas.

Significator in quarto orientali à M.C. ad horoſcopum ſignificat horas, in quarta meridiana à M.C. uſq; ad occaſum ſignificat menſes, in occidentali ab occaſu uſq; ad I.C. ſignificat annos, in ſeptentrionali ab I.C. ad ortum dies.

Ptolemæo iudice partis orientalis domus ſunt. { 10.11.12. / 6. 5.4. } Occidentalis { 7.8.9. / 1.2.3. }

Me iudice partis meridionalis domus ſunt. { 10.11.12. / 6. 5.4. } Septentrionalis { 7.8.9. / 1.2.3. }

De accidentibus quæ accidunt planetis in ſeipſis, & ad inuicem: Progreſsiones ſiue directiones, retrogradationes, ſtationesq; planetarum inueſtigare. Can. VII.

QVinq; illa, quę planetis frequenter accidunt, multifariam cognoſci poſſunt. Progreditur autem planeta, dum motus eius in ephemeride ſcriptus augetur. Contra uero dum minuitur, regreditur. Verum quoties nulla graduum aut minutorū motus uariatio fit, ſtare dicitur. Idem per ſyllabas Di & Re, quinq; planetarum columnulis inſertas diſcerni poteſt. Præterea prima ephemeridum pagina præfata planetarum accidentia facilimè docet atq; commonſtrat.

Velocitatem ac tarditatem motus planetæ auſcultare. Canon VIII.

VElox autem motu planeta dicitur, dum ſecundum ſignorum conſequentiam, motus uerus uelocior eſt medio eius motu. Econtra tardus dum retrogradè mouetur, aut tardius quàm medio eius motu progreditur. Id autem deprænenditur, ſi ex ephemeride motum cuiuſuis planetæ diurnum elicueris, eumq́ cum medio motu eius in tabella mediorũ motuum diurnorum planetarum comparaueris.

Tabella mediorum motuum planetarum diurn.

	gr.	m̃.	2
♄	o	2	1
♃	o	4	59
♂	o	31	27
☉			8
♀		59	8
☿	o	59	8
☽	13	10	36

An auctus uel minutus lumine & numero ſit planeta. Canon IX.

DVm planeta à Sole, uel Sol ab eo recedit, auctus lumine dicitur. Minutus autem cum ad Solem, uel Sol ad eum acceſſerit, ut infra.

Aucti Lumine Minuti.

Receſſus Solis à tribus ſuperioribus.



Acceſſus Solis ad tres ſuperiores.

Auctus

Tres inferiores aucti lumine à Sole recedunt.



Tres inferiores deficiente lumine ad Solem conuertuntur.

Auctus uel diminutus numero.

Arg. planetæ æquatum ſi fuerit	Minus	6. ſignis. Hoc eſt, quando æquatio argumenti	Additur medio motui	dicitur	Auctus	Numero
	Plus		Subtrahitur à medio motu		Diminutus	

Si autem argumentum equatum planetæ fuerit præciſé 6. uel 12. ſignorum, tunc neq; auctus neq; diminutus, Sed æqualis numero dicitur.

An planeta Orientalis, Occidentaliſue ſit cognoſcere. Canon X.

IN pagina dextræ chartæ ephemeridis, ſub quinq; planetarum characteribus, ſyllabę Or. uel Occi. quęſitũ oſtendunt. Verum ſi aliter in ueſtigare uolueris, conſidera tres ſuperiores: Saturnum, Iouem, & Martem, qui à coniunctione eorum cum Sole uſq; ad oppoſitionem eorum Orientales: ab oppoſitione uerò cum Sole iterum ad coniunctionẽ eorum Occidentales appellantur. Venus autẽ & Mercurius quandiu Solem occidentem inſequuntur, Occidentales, Dum autẽ mane Solem antecedunt, Orientales dicuntur. Luna autem â nouilunio ad plenilunium uſq; Occidentalis, à plenilunio ad coniunctionem iterum Orientalis nominari meretur. Vel aliter: Orientalis dicitur planeta, quando matutinò tempore, ante Solis ortũ apparet ſupra terram, Occidentalis uero, quando ueſperi poſt Solis occaſum apparuerit ſupra terram.

An planeta ſit in bona configuratione uel mala colligere. Canon XI.

Bonę configurationes planetarum ſunt, bonorum ☌ cum bonis, boniq́ aſpectus luminarium adinuicem, uel cum planetis, uel planetarum inter ſe. Malæ autem configurationes, ſunt malorum ☌ & aſpectus eorum ☍ & □, ut infra clarius ex ſubiecta accipies figura.

Boni planetæ, qui & fortunæ, ſunt ♃, ♀.
Mali & infortunæ ♄, ♂.
Mediocres ☉, ☿, ☽.

☌
- Bonorum planetarum, bona eſt ut ☌ ♃ ♀.
- Malorum, mala eſt ut ☌ ♄ ♂. Aliqui uero uolunt eſſe bonam propter temperaturam qualitatum.
- Mediocriū, indifferens, ut ☌ ☿ ☽, Excipitur ☌ luminariū, quę infauſta cenſetur.
- Boni cum malo, mala eſt, ut ☌ ♄ ♃, hoc tamen pro natura & diſpoſitione planetæ uincentis in figura, iudicandum eſt.
- Boni cum mediocri, bona eſt, ut ☌ ♃ ☽
- Mali cum mediocri, mala eſt, ut ☌ ♄ ☽.

Aſpectus
- Boni ſunt △ ✱, qui ſi fuerint
  - Bonorum planetarum, boni ſunt, ut ♃ ♀ △ uel ✱.
  - Malorum planetarum, non ſunt mali, ut ♄ ♂ △ uel ✱.
  - Mediocrium, boni ſunt, ut ☿ ☽ △ uel ✱.
  - Mediocris cum bono, boni ſunt, ut ☽ ♃ △ uel ✱.
  - Mediocris cum malo, non ſunt mali, ut ☿ ♄ △ uel ✱.
- Mali ſunt □ ☍, qui ſi fuerint
  - Bonorum, non ſunt mali, ut ♃ ♀ □ uel ☍.
  - Malorum planetarum, mali ſunt, ut ♄ ♂ □ uel ☍.
  - Mediocrium, non ſunt mali, ut ☿ ☽ □ uel ☍.
    Exceptis □ & ☍ luminarium, quæ malæ ſunt.
  - Mediocris cum bono, non ſunt mali, ut ☿ ♃ □ uel ☍.
  - Mediocris cum malo, mali ſunt, ut ☿ ♄ □ uel ☍.

Vtrum planeta ſit aſcendens ad angulos, uel deſcendens ab angulis, experiri. Canon XII.

Planeta eſt aſcendens ad angulos, cum fuerit in aliquo cœleſtis conſtitutionis angulorum uel ſuccedente, octaua tamen domo excepta.

Coniunctiones & aſpectus planetarum definire. Canon XIII.

Coniunctio fit, cum fuerint duo uel plures planetæ in uno ſigno, gradu, & minuto. Dicuntur etiam planetę coniuncti, cum ſeſe orbibus ſuis attingunt, ut Sole exiſtente in gradu 5. ♌ & ♄ in 29. eiuſdem coniuncti dicuntur. Sunt tamen qui hanc uocant applicationem ad coniunctionem, ut ſic.

Aſpectus

Contactus orbium Solis & Saturni.



Orbis Solis 15. grad.

Orbis Saturni 9. grad.

Aſpectus Sextilis ſiue Hexagonus eſt cũ Planeta quiſpiã ab altero diſtat gradibus 60. Quadratus ſiue Tetragonus cum per 90. gradus diſtant. Trinus uel Trigonus cũ per 120. Oppoſitus uel Diameter, cum per medietatem circuli diſtant. Accipiunt tamen iudices aſpectus iuxta contactum orbium planetarum, ut ☽ in 5. ♉ aſpicit ♄. □ in 26. grad. ♌. Ptolemæus etiam latitudinem in coniunctionibus conſiderat.


Separationem ab aſpectu uel coniunctione cognoſcere. Can. XIIII.


HAec fit, cũ planeta leuis elongatur à ponderoſo per quantitatem graduũ ſuorum orbiũ, ut ſi ♄ & ♂ fuiſſent coniuncti in 10. gradu ♈ & ♂ nunc eſſet in 18. ♈, quoniam tunc dicitur ſeparatus à ♄, quod idem etiam in aſpectibus obſeruandũ conuenit. Dicunt tamen alij quòd ſeparatio fit, quãdo leuis receſſerit à põderoſo per 1. minut. quod uerũ eſt, ſi orbes nõ aduertimus.


Prohibitionem ab aſpectu uel coniunctione capere. Can. XV.

HAec eſt in duplici differentia. Contingit nanq;, cum tres planetę in uno fuerint ſigno, & ponderoſior ipſorũ cum tranſiuit plures gradus illius ſigni, quàm aliquis illorum duorum, tunc medius prohibet coniunctionẽ ſequentis, ſ. illũ qui tranſiuit minus de ſigno, ut ♂ 10. ♈, ☽, 12. ♈, ♄, 15. ♈. Ibi Luna prohibet Martem, à coniunctione Saturni, & ipſa coniungitur Saturno. Alio modo, quando duo planetę ſunt in eodem ſigno, & leuior ipſorum iungatur ponderoſo, & alter planeta aſpiciat eundẽ ponderoſum, & ſit ☌ aſpicientis ita prope ſicut ☌ corporalis planetę exiſtentis in eodem ſigno. Tunc ille qui coniungitur corporaliter, prohibet aſpicientem ne aſpiciat. Si autem aſpiciens fuerit propior per aſpectum ipſi põderoſo, erit ☌ aſpicientis, & prohibet ☌ corporalẽ planetę, qui eſt in eodẽ ſigno cum illo ponderoſo, ut hic □ ☿ & ♂ manet, & non prohibetur △ ♃, & ☿ prohibetur per ♂ propiorem Mercurio in gradibus.

An


□ MANET
△ PROHIBETVR


PRO HIBETVR
PER



An planeta ſit unitus Soli uel non, uel in Cazimi, auſcultare. Can. XVI.

PLaneta dicitur unitus Soli, uel in Cazimi exiſtere, cum fuerit proximus Soli infra 16. minuta ante uel poſt, id eſt, quando diſtat â Sole ſecundum longitudinem & latitudinem ſolum 16. minutis uel infra.

Vtrum planeta combuſtus uel oppreſſus, ſiue ſub radijs ſit inueſtigare. Canon XVII.

AMicus medicorum inquit, combuſtus dicitur planeta, quando eſt cum ⊙ per ſex gradus ante uel poſt. Sed poſt ſex gradus uel ante, uſq; in 15 gradus, dicitur oppreſſus, egrediens de ſub radijs ſolis. Eſtq; ea maxima debilitas, quæ planetis contingere poteſt, quanquam & retrogradatio & pleraq; alia planetas plurimum impedire ſolent, ut in ſequentibus planius uidebis. Agnoſcitur autem planetarum combuſtio per ſuorum orbium medietates. Etenim cum â Sole minus ſui orbis medietate diſtat, aut tantum præciſe ante & poſt, combuſtus & debilis admodum uirtutis dicitur. Eſt autem medietas orbis, ♄ & ♃ 9. graduum, ♂ 8. ♀ & ☿ 7. ☽ 12. ⊙ 15. graduum. Oppreſſus dicitur planeta, cum â 16. minutis uſq; ad 12. gradus â Sole elongatur.

Vtrum planeta apparens ſit uel non, auſcultare. Can. XVIII.

APparitio accidit planetæ, dum planeta, qui aliquandiu ſub radijs latuit ſolaribus, mane aut ueſperi apparere incipit. Sub radijs autem ſolaribus latere dicitur planeta, ſi intra 15. gradus ante uel poſt Solem fuerit.

An

An planeta ſit in ſua ſimilitudine, quam Hayz uocant, uel non. Canon XIX.

HAyz, ſiue ſimilitudo planetæ eſt, quando planeta diurnus, in die ſuper terram, nocte ſub terra. Et planeta nocturnus, die ſub terra, nocte ſuper terram exiſtit.

Diurni.

Sic { ♄ ♃ ☉ ☿ } in { Diurna. / Nocturna. } figura { ſuper terram. / ſub terra. }

Nocturni.

Sic { ♂ ♀ ☽ } in { diurna ſub terra. / nocturna ſuper terram. }

Vel etiam dum planeta maſculinus in ſigno & quarta maſculinis, & orientalis: Planeta uero fœmininus, in ſigno & quarta fœmininis, & occidentalis compertus fuerit.

Maſc. Maſc. Maſc.

Sic { ♄ ♃ ♂ ☉ } uel in { ♈ ♊ ♌ ♎ ♐ ♒ } & uel in { M.C. undecima duodecima quarta quinta ſexta } & orientalis.

Fœm. Fœm. Fœm.


Sic { ♀ ☽ } uel in { ♉ ♋ ♍ ♏ ♑ ♓ } & uel in { prima ſecunda tertia ſeptima octaua nona } & occidentalis.


Iſto modo contingit aliquando planetam tripliciter eſſe in ſuo Hayz, Primò iuxta moram ſupra uel infra terram. Secundo iuxta maſculinitatem uel fœmininitatem ſigni. Tertiò iuxta quartas maſculinas uel fœmininas, quod aliàs conformitas quartæ dicitur. Notandum autem quòd Mercurius aliquando diurnus, aliquando nocturnus exiſtit, nunc maſculinus deinde fœmininus iuxta configurationem eius cum planetis, uel iuxta naturam ſigni in quo reperitur, ſi alteri non fuerit coniunctus uel configuratus, quod bene notabis.


Ductoriam, quæ & ſecuritas dicitur, cognoſcere. Canon XX.

CVM planeta fuerit in ſuo Hayz, & in angulo, & luminare temporis in angulo ab eo, præter oppoſitionem, id eſt, in quadraturis, ita ut in die planeta ſit orientalis à Sole, in nocte occidentalis à Luna. Sic oportet, ut in die ſit in decimo ſigno à Sole. In nocte in quarto ſigno à Luna ſecundum ordinem ſignorum, ut ſic.

Almugeas







Almugeas uel intuitus planetarum ad Solem & Lunam inuenire. Canon XXI.

INtuitus iſte fit, dum à Sole in planetam, tot fuerint ſigna, ſecundum ſucceſsionem, quot ſunt à ♌ in domum principalem talis planetę, ut de ♄, domus eius principalis eſt ♑ ſextum à ſole. Si igitur ☉ fuerit in ♈ & ♄ in ♍, eſt almugea ☉. Almugea ☽, dum ſecundum ſucceſsionem à planeta in Lunam, ſunt tot ſigna, quot inter domum ſecundariam planetæ & ♋, ut dum Luna fuerit in quinto ſigno à ♃, ut in ſequenti facile conſpicies.

Almugea Solis.

Cum à ☉ in	♄	fuerint	6	ſigna.
	♃		5	
	♂		4	
	♀		3	
	☿		2	

Iſte intuitus non poteſt contingere ♀ & ☿, cum tot ſignis à Sole abeſſe non poſſint.

Almugea Lunæ.

Cũ à	♄	in ☽ fuerint	6	ſigna.
	♃		5	
	♂		4	
	♀		3	
	☿		2	

An planeta ſit obeſſus, an ne? Canon XXII.

OBſeſſus dicitur, cum planeta fuerit inter duas fortunas uel infortunas, uel inter radios eorum, quoniam tunc obſeſſus dicitur, ut

♄		6 ♉	ibi ♃ eſt	♄ 6 ♈	Ibi ☽ obſeſſa
♃	in gr.	8 ♉	obſeſſus à	☽ 8 ♋	ex □ ♄ & ♂
♂		10 ♉	♄ & ♂.	♂ 10 ♈	

An uacuus curſu ſit aliquis planetarum, faciliter auſcultare. Canon XXIII.

CVm planeta ſeparatur ab aliquo per ☌ uel aſpectum, & non iungitur alteri per corpus uel per aſpectum, quamdiu fuerit planeta in eodem ſigno, dicitur curſu uacuus, hoc tamen debet intelligi iuxta orbes uel radios planetarum. Exemplo accipe: Si ☽ ☌ ♃ in ♐, & poſt ſeparationẽ eius à ♃, non ſit aliquis planetarum in ♐, cui coniungi poſſet medietate orbis,

nec


nec radius alicuius, quem poſſet aſpicere. In hoc caſu, Luna uacua curſu dicitur, donec exeat de ♐, & iungatur alicui corpore uel aſpectu, ſed hanc ſolummodo in Luna obſeruamus. Aliud exemplum, ut ♄ in 9. ♈, ♃ 10. ♊, ♂ 17. ♊, ☉ 27. ♈, ♀ 5. ♓, ☿ 24. ♈, ☽ 26. ♉. Ibi Luna à nullo aſpicitur in 26. ♉, neq; ullus illi coniungitur, donec eſt in ♉, quare uacua curſu cenſebitur.

An aliquis planetarum ſit peregrinus uel feralis. Can. XXIIII.

Peregrinus dicitur planeta, cum non fuerit in aliqua ſuarum dignitatum eſſentialium, ut ♄ in 6. ♈, nullam obtinet dignitatem eſſentialem, ideo peregrinus dicitur. Feralis autem dicitur, cum fuerit planeta in aliquo ſignorum, ubi nullus aliorũ planetarũ ſit, neq; radij alicuius alterius planetæ. Ille planeta quamdiu fuerit in ſigno, ſic ſe habente, dicitur feralis, id eſt planeta exiſtens in aliquo ſigno ſolus, abſq; radijs aliorum.

Aſcenſionem & deſcenſionem planetæ in circulo eccentrico, & etiam epicyclo aucupare. Canon XXV.

Cũ centrũ	0		6		deſcẽdẽs	in ec	Cũ arg. ue	0		6		deſcẽdẽs	in e
planetę ue		in		eſt		cẽtri	rum plane		in		eſt		picy
rũ fuerit à	6		12		aſcẽdens	co.	tę fuerit à	6		12		aſcẽdens	clo.




Receptionem planetæ, quæ pulſatio, commiſsio, uel donatio uirtutis, uel diſpoſitionis dicitur, concludere. Canon XXVI.

IN huius rei iudicio hoc perpetuò eſt obſeruãdum, quòd dominus loci recipit ab aſpiciente dignitatem ſuam. Eſtq; propriè dare uim, cũ planeta exiſtens in aliqua ſua dignitate applicat alteri planetæ habenti maiorem in eo loco dignitatem. Dare naturam dicitur, quando planeta applicat alteri, qui eſt dominus domus exaltationis aut triplicitatis loci, in quo eſt ipſe applicans. Eſt autẽ in hoc genere triplex differentia. Prima, cum planeta fuerit in dignitate alterius, eundem aſpiciens, tunc pulſat, id eſt, mittit naturam domini, ſcilicet dignitatis, ad ipſummet dominũ, ut ♀ in 3.♍. ☿ 2.♋, ibi ☿ committit naturam ſuæ domus & ſui termini, ipſi Veneri, & ♀ recipit & retinet, & fortius retinet iſtam fortitudinem quando in angulo fuerit, quàm in alijs locis cœli. Et ita ♀ poteſt adhuc conſequenter committere uirtutem ſuam altiori ſe, ſi ♀ ipſum ſuperiorem exiſtentem in dignitatibus eſſentialibus ipſius Veneris aſpiciat aliquo aſpectu, tunc conſequenter Venus committit diſpoſitionem ſuam ipſi ſuperiori, ut puta Ioui, ſi ♃ eſſet in ♉ uel ♎, & in terminis Veneris. Et quantò inferior eſt debilior, tantò illa receptio uirtutis ipſius ſuperioris eſt fortior.

Secunda, ut ſit planeta in dignitate ſua, aſpiciens alium, tunc enim illi alij mittit naturam ſuam, ut ☽ in 7. ♉, ♄ in 7. ♍, ibi ☽ mittit fortitudinem ſuam Saturno, cum tamen ♄ nullam dignitatem in loco ☽ habeat.


Tertia, ut ſit planeta in dignitate ſua, aſpiciens alium, qui in eodem loco habet dignitatẽ, ut ☉ in ♈, ♂ in ♌. Ibi mutua eſt receptio, nam ☉ eſt in domicilio Martis, qui ibidem habet exaltationem, & Mars in domicilio Solis. Alij autem receptionem in duplici differentia ponunt. Maiorem uocant, quando planeta iungitur alteri per corpus uel aſpectum, aut per applicationem, & unus eorum eſt in domicilio, uel exaltatione alterius, tunc ille, cuius eſt domus uel exaltatio, recipit alium quaſi in ſuo hoſpitio, & hanc dicunt eſſe perfectam & mutuam receptionem, ut in exemplo tertij iam dicti modi. Minorem dicunt fieri ex triplicitate, termino & facie. In hac oportet, ut habeat planeta duas ex minoribus dignitatibus, quoniam ex una non fit receptio, uel unam ex maioribus, ut ſi aliquis planetarum coniungitur cũ domino domus ſigni in quo fuerit, uel cum domino exaltationis eiuſdem ſigni, uel cum domino duarum de alijs dignitatibus minoribus, ſcilicet cum domino termini & triplicitatis, uel cũ domino termini & faciei, uel cũ domino faciei, & triplicitatis, ſiue per corpus, ſiue per aſpectum. Tunc planeta, qui eſt dominus domus ſigni, uel alicuius dignitatis illius, committit & dat diſpoſitionem & naturam atq; uirtutem ſuam illi, ut

Ex domicilio.



Ibi ☽ iungitur ♂, & ♂ de doma ſua, in qua ☽ eſt, recipit ☽, & committit ei diſpoſitionem & uirtutem ſuam.

Ex exaltatione.




Ibi ☽ iungitur ☉, & ☉ de exaltatione ſua in qua ☽ eſt, recipit ☽, & committit ei diſpoſitionem & uirtutem ſuam.

Ex termino & facie.


Term. faci. ♄ ☿ 23. ♉	☌ ⚹ □ △ ☍	♄ 23.	♉ ♋ ♌ ♍ ♏	♓ ♒ ♑	Ibi ☿ iungitur ♄, & ♄ dominus termini & faciei loci ☿ recipit ☿, & committit ei diſpoſitionem, & uirtutem ſuam.

Translationem luminis uel naturæ, quam uim dare altiori planetæ uocant, inquirere. Canon XXVII.

DVm leuis ſeparatur à ponderoſo, & ante completam ſeparationem iungitur alteri per corpus aut aſpectum, tunc ille leuis transfert naturam primi ad ſecundũ. Item etiam cũ leuis iungitur ponderoſiori ſe aliquo aſpectu, & ille iterum põderoſiori, tunc medius transfert naturam leuis ad ponderoſiorem, ut hic natura Mercurij transfertur à ☾ ad ♃.



Vel etiam, quando planeta leuis ſeparatur à ponderoſiori ſe, & applicat alteri, qui eiuſdem ſit qualitatis. Et illum modum translationis ſequuntur recentiores, ut




Ibi Luna recedit à ✳ ☉ ad ☌ ♂, & ſic ☽ defert caliditatem ☉ ad ♂, qui etiam eſt calidus, & ſic augetur Martis caliditas, eo quòd Sol dat uim ſuam ♂, quam ☽ à Sole per aſpectum accepit.

Contrarietatem uel deſtructionem coniunctionum planetarum doctè capere. Canon XXVIII.

HOc fit, quando tres planetæ in eodem fuerint ſigno, quorum unus ſit ponderoſus, alij uero duo leuiores, ita tamen ut unus duorum leuium, tranſiuerit ponderoſum, & alter petat coniunctionem ponderoſi, ſed antequâm iungatur eidem põderoſo, ille qui tranſiuit ponderoſum, fiat retrogradus, & iungatur ponderoſo per retrogradationem, & tranſiens põderoſum, iungitur etiam alteri leuiori, quoniam ſic deſtruitur ☌ prioris cum ponderoſo, ut ♃ 0. ♍, ♄ 8. ♍, ♂ 12. ♍ retrogradus, Iupiter ibi petit ☌ ♄. Sed antequàm corporaliter uenit ad eũ, ♂ incipit retrogradari, & prius uenit ad ♄ retrogradè, & deinde obuiat Ioui, & ſic deſtruitur ☌ ♃ & ♄. Hęc ab alijs Interpoſitio dicitur.

Abſciſionem luminis uel naturæ unius planetæ ab altero diſcernere. Canon XXIX.

HOc fit dupliciter. Primo, cùm planeta leuis, petit ☌ ponderoſi, ſed antequàm iungatur ei, alter planeta iungitur illi ponderoſo, per retrogradationem, & ſic abſcindit lumen primi à ponderoſo, & eſt quaſi idem quòd contrarietas, niſi quòd hic tertius planeta, ponitur in principio ſequentis ſigni, & primi duo, circa finem antecedentis ſigni, ut




Ibi ♂ fit retrogradus, & coniungitur Saturno per retrogradationem ex □, & iſte Mars abſcindit lumen ♄ à ♃. Secundo, quādo leuis petit ☌ ponderoſi, ſed anteà quàm iungatur ei, ponderoſus iungitur alteri ſe ponderoſiori, & ſic ponderoſior abſcindit lumen ponderoſi à leui, ut ♂ 6. ♈, ♃ 9. ♈, ♄ 10. ♈, ♂ petit ☌ ♃, & ♃ petit ☌ ♄. Sed antequā Mars iungitur ♃, Iupiter iungitur ♄. In tali caſu Saturnus abſcindit lumen Iouis à Marte, & iſte modus ſimilis eſt prohibitioni.

Collectionem luminis uel naturæ capere. Canon XXX.

CVm uni planetæ iunguntur duo uel plures, ille colligit lumina eorum, & recipit etiam naturam eorum.

Delationem luminis, quæ redditus uirtutis dicitur, inquirere. Canon XXXI.

DVm inferior aſpicit ſuperiorem combuſtum aut retrogradum, iam effectus debilis, remittit illi uirtutem ſuam, ut



Refrenationem à coniunctione uel aſpectu, uidere. Can. XXXII.

QVando inferior ſuperiori coniungi petit, ſed ante completam coniunctionem, retrog aditur. Hoc idem intelligitur de aſpectibus, ut ♀ 5. ♍, ♄ 12. ♍. Ibi ♀ uadit ad ☌ ♄, & ♀ incipit fieri retrograda, quare Venus ſic refrenatur à ☌ ♄.

Fruſtrationem à coniunctione, uel aſpectu planetæ capere. Canon XXXIII.

HAec fit, quando planeta leuis petit ☌ ponderoſi, ſed antequàm iungatur ponderoſo, ponderoſus intrat in aliud ſignum, & in principio illius ſigni ſunt radiј alterius planetæ quibus iungitur, tũc quando leuis peruenit ad ☌ ponderoſi, coniungitur radiјs aſpicientis, & ſic annullatur ☌ eius cũ ponderoſo, propter radios aſpicientis, qui fruſtrantur eius ☌, ut ♃ in 30. ♌, ♂ 23. ♌ petens ☌ ♃, ſed antequàm uenit ad eum, Iupiter intrat ♍. Deinde pono quòd ♄ aſpiciat 1. ♍. Sic ♂ exiens de ♌, primo iungitur radiјs ♄, & ſic annullatur ♂ & ♃ ☌.

Eleuationem planetæ ſuper planetam uidere. Can. XXXIIII.

HAec fit multis uiјs. Primo, cum comparantur duo planetæ inuicem in epicyclio, ut ſi ille cuius argumentum uerum minus fuerit, eleuatur ſuper planetam, cuius argumentum uerum maius fuerit, & hoc uſq; ad 6. ſigna, id eſt, uſq; ad oppoſitum augis epicycli. Deinde autem uſq; ad augem epicycli, planeta cuius argumentum uerum maius fuerit, eleuabitur

ſuper

ſuper planetam, cuius argumentum uerum minus fuerit, **id eſt, planeta qui** minus diſtat ab auge ſui epicycli, dicitur eleuari ſuper illũ, qui magis diſtat ab auge ſui epicycli. Et hoc maximè conſideratur in ☌ planetarum. Eodem modo poſſemus dicere: Quòd planeta qui minus diſtat ab auge deferentis ſui, eleuatur ſuper planetam, qui magis diſtat ab auge ſua ut ſupra, Can. 25. Secundo, eleuatur planeta ſuper planetam ſecundũ latitudinem Zodiaci, quoniam in ☌ planeta qui habuerit latitudinẽ ſeptentrionalem, eleuatur ſuper planetam, qui habet latitudinem meridionalem. Quôd ſi ambo habuerint latitudinem ſeptentrionalem, ille qui habuerit maiorem, uadit ſuper alium. Quòd ſi latitudinem habuerint meridionalem, ille qui minorem habuerit, eleuatur ſuper alium. Si fuerit unus in ecliptica, tunc ſeptentrionalis eleuatur ſuper eum, & ille qui eſt in ecliptica, eleuatur ſuper meridionalem. Tertio, ſi duo planetæ eſſent in medietate zodiaci aſcendente uel deſcendente, & haberent eandem latitudinem, quicunq; eorum in lõgitudine maiorem declinationem habuerit in ſeptentrionem, hic eleuatur ſuper alterum. Quôd ſi ambo declinationem meridionalem habuerint, quicunq; ex eis minorem declinationem meridionalem habuerit, hic eleuatur ſuper alterum. Item, ſi duo planetæ diuerſarum fuerint longitudinum & latitudinum, qui maiorem declinationem ſeptentrionalem, aut minorem meridionalem declinationem habuerit, ſuper alterum eleuatur, propter aſcenſionem in ſeptentrionem. Quarto, quando planeta diſtat ab alio per 10. aut 11. ſigna iuxta ſucceſsionem, is qui eſt in 10. aut undecimo ſigno ab altero iuxta ſignorum conſequentiam dicitur eleuatus ſuper alterum, ſic angulus M. C. & undecima eleuantur ſuper aſcendens &c.

Hali in Ptolo. Primus modus exaltationis planetarũ eſt (inquit) dum planeta eſt in dignitate alterius, & quando dominus dignitatis applicuerit ei qui ibi eſt. Alius modus, ut ſit unus planeta debilior alio, tum enim qui eſt fortior, dicetur exaltari ſuper alium debiliorem. Ille qui eſt in 10. ſigno ab alio ſuper eum eleuari dicitur. Eleuari etiam ſuper planetam planeta dicitur, quando planeta accedens ad alterum, propinquior eſt ei quàm ille ad quem accedit.

Qui planetę amici uel inimici ad inuicem ſint explorare. Can. XXXV.

Amici.

Amici
- ♄ ſunt { ♃, ☉, ☽ }
- ♃, omnes præter ♂
- ♂ eſt ♀, alij ipſum odio habent, multò plus ♃ & ☉
- ☉ ſunt { ♃, ♀ }
- ♀, omnes planetę præter ♄
- ☿ ſunt { ♄, ♃, ♀ }
- ☽ ſunt { ♄, ♃, ♀ }
- ☊ ſunt { ♃, ♀ }
- ☋ ſunt { ♄, ♂ }

Inimici.

Inimici
- ♄ ſunt { ♂, ♀ } Sed magis ipſa ♀
- ♂, ſunt omnes planetę pręter ♀
- ☉ ſunt { ♂, ☿, ☽ }
- ♀ eſt ♄
- ☿ ſunt { ♂, ☉, ☽ }
- ☽ ſunt { ♂, ☿ }
- ☊ ſunt { ♄, ♂ }
- ☋ ſunt { ♃, ☉, ♀, ☽ }

Amici

Amici ratione concordantiæ in natura, qualitate, ſubſtantia & poteſtate: ♂ ☉ | ♃ ♀ | ♀ ☽

Inimici ratione domorum oppoſitorum: ♄ ☽ | ♄ ☉ | ♃ ☿ | ♂ ♀

Inimici ratione exaltat.: ♄ ☉ | ♃ ♂ | ☿ ♀

Planetam eſſe in lumine uel non, auſcultare. Can. XXXVI.

CVM planeta diurnus fuerit ſignificator alicuius rei in diurna figura, & planeta nocturnus cum fuerit ſignificator rei in nocte: Vel etiam planeta exiens radios ſolares, & non fuerit iunctus alteri, dicitur eſſe in lumine ſuo.

Decanos ſignorum, gradus maſculi. & fœmini. gradus tenebroſos, fumoſos, lucidos, uacuos: Item gradus Puteales, Azemene, ac fortunæ prompte capere. Canon XXXVII.

	Decani ſig.	Gr. Ma. & fœ.	G. te. fu. lu. uac.	G. Puteal.	G. Aze.	G. fort.
♈	o ♂ 10 ☉ 20 ♃ 30	o m 8 f 9 m 15 f 22 m 30.	o t 3 l 8 t 16 l 20 t 24 l 29 t 30.	6. 11. 16. 23. 29.		19
♉	♀ ☿ ♄	o f 5 m 11 f 17 m 21 f 24 m 30	o t 3 l 7 u 11 l 14 u 19 l 27 t 30	5. 12. 24. 25.	6. 7. 8. 9. 10.	3. 15. 27.
♊	☿ ♀ ♄	o f 5 m 16 f 22 m 26 f 30	o l 4 t 7 l 12 u 16 l 22 t 27 u 30	2. 12. 17. 26. 30.		11.
♋	☽ ♂ ♃	o m 2 f 8 m 10 f 12 m 23 f 27 m 30	o l 12 l 14 u 18 f 20 l 28 u 30	12. 17. 23. 26. 30.	9. 10. 11. 12 13. 14. 15.	1. 2. 3. 4. 15.
♌	☉ ♃ ♂	o m 5 f 8 m 15 f 23 m 30	o t 10 f 2 25 l 30	6. 13. 15. 22. 23. 28.	18. 27. 28.	2. 5. 7. 19
♍	o ☿ 10 ♄ 20 ♀ 30	o f 8 m 12 f 20 m 30	o t 5 l 8 10 l 16 f 22 u 27 t 30	8. 13. 16. 21. 22.		3. 14. 20.
♎	♀ ♄ ☿	o m 5 f 15 m 20 f 27 m 30	o l 5 t 10 l 18 t 21 l 27 u 30	1. 7. 20. 30		3. 15. 21.
♏	♂ ♃ ☽	o m 4 f 14 m 17 f 24 m 30	o t 3 l 8 u 14 l 20 f 22 u 27 t 30	9. 10. 22. 23. 27.	19. 28.	7. 18. 20.
♐	♃ ♂ ☉	o m 2 f 5 m 12 f 24 m 30	o l 9 t 12 l 19 f 23 l 30	7. 12. 15. 24. 27.	1. 7. 8. 18. 19.	13. 20.
♑	♄ ♀ ☿	o m 11 f 19 m 30	o t 7 l 10 f 15 l 19 t 22 u 25 t 30	7. 17. 22. 24. 29.	26. 27. 28. 29.	12. 13. 14 20.
♒	♄ ☿ ♀	o m 5 f 15 m 21 f 25 m 27 30	o f 4 l 9 t 13 l 21 u 25 l 30	11. 12. 17. 22. 24. 29.	18. 19.	7. 16. 17. 20.
♓	o ♃ 10 ☽ 20 ♂ 30	o m 10 f 20 m 23 f 28 m 30	o t 6 l 12 t 18 l 22 u 25 l 28 t 30	4. 9. 24. 27. 28.		13. 20.

Antiſcia

Antiſcia planetarum in ſignis, gradibus, & minutis colligere. Canon XXXVIII.

QVære primo ſignum tui planetæ, cuius antiſcium uis in ordine ſigno-rum ſequentis tabulæ. Nam ſignum quod ad latus tui ſigni adiacet, eſt ſignum antiſcij tui planetæ. Vt: ſi ♄ eſſet ♈ 20. grad. & 10. minu. quo-niam ♈ adiacet ♍, ideo in ♍ mittit ♄ ſuum autiſcium. Si gradū uis, in-tra cum gradu ♄ 20. in tabulam graduum, cui ad latus adiacet 10. gra-dus. Si minutum, intra ordinem minutorum cum 10. minutis ♄, quibus adiacet mi-nut. 50. Infer igitur Saturnum ex 20. grad. 10. minut. ♈ mittere antiſcium ſuum in gradum 9. minut. 50. ♍. Tum enim numerus graduum planetæ anticipandus eſt, ſi gradibus minuta adhæſerint.

Antiſcia in ſignis.			Antiſcia in gradibus.			Antiſcia in minutis.					
♈	in	♍	1	in	29	1	in	59	16	in	44
♉		♌	2		28	2		58	17		43
♊		♋	3		27	3		57	18		42
♑		♐	4		26	4		56	19		41
♒		♏	5		25	5		55	20		40
♓		♎	6		24	6		54	21		39
			7		23	7		53	22		38
			8		22	8		52	23		37
			9		21	9		51	24		36
			10		20	10		50	25		35
			11		19	11		49	26		34
			12		18	12		48	27		33
			13		17	13		47	28		32
			14		16	14		46	29		31
			15		15	15		45	30		30

Fortitudines

Fortitudines & debilitates planetarum determinare. Canon XXXIX.

Sol dicitur

- Fortuna, ſi fuerit
  - In aſpectu fortunæ uel coniunctione
  - Obſeſſus à fortunis uel eorum radijs
  - Mali cadant ab eo
  - In bono aſpectu Lunæ uel aliorum
  - In aliqua ſuarum dignitatum eſſentialium
  - Separatus à fortuna & iunctus fortunæ
  - In gradu lucido
  - Receptus
- Fortis, ſi fuerit
  - Aſcendens in circulo ſuæ augis
  - In ſuperiori parte eccentrici
  - In angulo uel ſuccedenti
  - In { ſigno / gradu / quarta } maſcu. excepta ♎
  - Prope Venerem
  - In dignitatibus fortunarum
  - Eleuatus ſuper infortunas

  } Omnia q̃ fortunāt, fortificant
- Infortuna ſi fuerit
  - Coniunctus infortunæ uel in eius aſpectu
  - Obſeſſus ab infortunis uel eorum radijs
  - In malo aſpectu Lunæ uel aliorum
  - In oppoſito ſuarum dignitatum, ſcilicet in caſu uel detrimento
  - Separatus à fortuna & iunctus infortunæ
  - In gradu tenebroſo
  - In gradu ☊ uel ☋
- Debilis ſi fuerit
  - Non receptus
  - Deſcendens in circulo augis
  - In inferiori parte eccentrici
  - In domo cadente
  - In { ſigno / gradu / quarta } fœmini.
  - In dignitatibus infortunarum
  - Infortuna eleuata ſuper eum
  - Coniunctus planetæ, uel per aſpectum configuratus cadenti ab angulo.
  - Coniunctus uel in aſpectu planetæ exiſtentis in oppoſito ſuarum dignitatum
  - Peregrinus.

  } Omnia q̃ infortunāt debilitāt

Coniunctas

Luna dicitur.

- Fortuna, ſi fuerit
  - Coniuncta fortunæ uel in aſpectu.
  - Obſeſſa à fortunis uel eorum radijs.
  - Si mali cadant ab ea.
  - In bono aſpectu Solis uel aliorum.
  - In aliqua dignitatum ſuarum.
  - Separata ab infortuna & iuncta fortunæ.
  - In gradu lucido. Recepta.
  - Vnita Soli.
- Fortis, ſi fuerit.
  - Septentrionalis.
  - Aſcendens in eccentrico.
  - Aſcendens in epicyclo.
  - Nuper egreſſa de ſub radijs Solis.
  - In angulo uel ſuccedenti.
  - Occidentalis à Sole.
  - In { ſigno / gradu / quarta } fœmini.
  - In Nocte ſupra terram.
  - In Die ſub terra.
  - Eleuata ſuper infortunas.
  - In dignitatibus fortunarum.
  - Velox curſu.
- Infortuna, ſi fuerit.
  - Iuncta infortunæ uel in aſpectu eius.
  - Obſeſſa ab infortunis uel radijs eorum.
  - In malo aſpectu Solis uel aliorum.
  - In oppoſito ſuarum dignitatum.
  - Separata à fortunis & iuncta infortunis.
  - Iuncta ſtellis fixis naturaliter maleficis.
  - In gradu tenebroſo. Non recepta.
- Debilis, ſi fuerit.
  - Peregrina. Meridionalis.
  - Deſcendens in { eccentrico. / epicyclo. }
  - Sub radijs & combuſta.
  - In cadente.
  - Orientalis à ſole.
  - In { ſigno / gradu / quarta } maſculi.
  - In nocte ſub terra. In die ſupra terram.
  - Si infortunæ eleuantur ſuper eam.
  - Si intrat terminos eclipticos.i. ☊ uel ☋ infra 12.g.
  - In uia combuſta, ut ſecunda medietas ♎, & prima ♏
  - In geminis.
  - In dignitatibus infortunarum.
  - In coniunctione planetæ cadentis ab angulo.
  - In coniunctione planetæ exiſtentis in oppoſito ſuarum dignitatum.
  - Tarda curſu.

Viam combuſtam in Galaxia determinant autores noſtro ſæculo, in parte ſeptentrionali à 18. ♊ ad 2. ♋, & in medietate meridionali ab 8. ♐ in 13. eiuſdem, & iterum, quia ibidem bipartita eſt à 24. ♐, ad 2. ♑.

Saturnus, Iupiter, Mars, Venus, Mercurius dicuntur Fortunæ, ſi fuerint

- Coniuncti fortunæ, uel in aſpectu fortunarum.
- Obſeſsi à fortunis, uel eorum radijs.
- Si mali cadant ab eis.
- Vniti ſoli uel in eius bono aſpectu.
- In bono aſpectu Lunæ.
- In aliqua ſuarum dignitatum.
- In gradu lucido.
- Separati ab infortunis, & iuncti fortunis.
- Veloces curſu. Aucti lumine.
- Directi. Recepti.

Fortes, ſi fuerint

- Aſcendentes in ſeptentrionem, ſiue ſeptentrionales.
- Aſcendentes in circulo augis.
- In ſtatione ſecunda.
- Exeuntes de ſubradijs Solis.
- In angulo uel ſuccedenti.
- Orientales à ſole, ſed ☿ & ♀ occidentales à ☉.
- In { ſignis / gradibus / quartis } maſc. Sed ☿ & ♀ in { ſignis / gradibus / quartis } fœmin.
- In die ſupra terram / In nocte ſub terra. Sed ♂ ♀ & ☿ { die ſub terra, / nocte ſupra
- Eleuati ſuper inferiores.
- In dignitatibus fortunarum.

Saturnus, Iupiter, Mars, Venus, Mercurius dicuntur Infortunæ, ſi fuerint

- Coniuncti infortunis, uel in eorum aſpectibus.
- Obſeſsi ab infortunis, uel radijs eorum.
- Combuſti. In malo aſpectu Solis uel Lunæ.
- In oppoſito ſuarum dignitatum.
- In domo cadente.
- Separati à fortuna, & iuncti infortunæ.
- Minuti lumine.
- In terminis malorum uel domibus.
- In gradibus tenebroſis. Peregrini.
- Cum ☊ uel ☋ infra 12. gradus. Retrogradi.

Debiles, ſi fuerint

- Deſcendentes in meridiem uel meridionales.
- In ſtatione prima.
- Deſcendentes in circulo augis.
- Occidentales à Sole, Sed ☿ & ♀ orientales à ☉.
- In { ſignis / gradibus / quartis } fœmin. Sed ☿ ♀ in maſculinis.
- In gradibus tenebroſis. In uia combuſta.
- In die ſub terra. / In nocte ſup. ter. Sed ♂ ☿ & ♀ { die ſupra. / nocte ſub.
- Coniuncti planetæ retrogrado:
- Coniuncti planetæ impedito.
- Coniuncti planetæ cadenti.
- Non recepti.
- Si infortunæ eleuentur ſuper eos.

Notandum tamen, quòd D. Antonius de montulmo hanc rem de fortitudinibus & debilitatibus planetarum, numeris diſtinxit, ut exempli cauſa: Domus prima uel decima obtinet 5. eò quòd fortes ſunt ſicut 5. id eſt, in eadem fortitudine, ſicut eſt planeta exiſtens in ſuo domicilio. Huius tabulam accipe ſequentem.

FORTITVDINES planetarum.

5 Domus prima uel decima.
4 Domus ſeptima uel quarta.
2 Domus nona.
3 Domus undecima uel quinta.
1 Domus tertia.
5 Domicilium.
4 Exaltatio.
3 Triplicitas.
2 Terminus.
1 Facies.
5 Exiſtentia in Cazimi.
5 Coniunctio corporalis cum fortuna.
4 Applicatio cum fortuna ex △.
3 Applicatio cum fortuna ex ✱.
5 Receptio.
3 Gaudium ratione ſigni.
2 Gaudium ratione domus figuræ.
1 Gradus lucidi.
1 Gradus augentes fortunam.
1 Gradus conformes in ſexu.
2 Orientalitas trium ſuperiorum.
2 Occidentalitas inferiorum.
3 Hayz.
2 Conformitas quartæ.
5 Securitas.
4 Directio.
1 Velocitas curſus.
1 Augmentum luminis.
1 Augmentum numeri.
2 Aſcenſio in circulo augis.
2 Aſcenſio in ſeptentrionem.
5 Coniunctio corporalis cum ſtella de natura fortunæ.
5 Exiſtentia inter duas fortunas.

DEBILITATES planetarum.

5 Domus duodecima.
4 Domus octaua.
3 Domus ſexta.
2 Domus ſecunda.
2 Domus ſeptima à domo planetæ, id eſt detrimentum.
5 Domus ſeptima ab exaltatione, id eſt caſus.
6 Combuſtio planetæ à Sole.
4 Sub radijs extra combuſtionem.
5 Obſeſsio inter duas infortunas.
3 Applicatio cum infortuna.
5 Coniunctio corporalis cum infortuna.
4 Applicatio cum infortuna per ☍.
5 Applicatio corporalis cum ſtella de natura infortunæ.
5 Peregrinatio.
2 Euacuatio curſus.
3 Feralitas.
3 Gradus uacui uel fumoſi.
2 Gradus tenebroſi, putei, Azemene.
2 Occidentalitas trium ſuperiorum.
2 Orientalitas inferiorum.
2 Contrarietas Hayz.
5 Retrogradatio.
1 Tarditas curſus.
1 Minutio luminis.
1 Minutio numeri.
2 Deſcenſio in circulo augis.
2 Deſcenſio in meridiem.
3 Coniunctio cum ☊.
5 Coniunctio cum ☋.
2 Via combuſta.
5 Eclipſis luminarium.
2 ☽ in ♊, uel in fine ſignorum, in terminis malorum.
4 Luminare infra terminos eclipſis.
4 Luna uadens ad combuſtionem uel infra 12. gradus.

Ioannes Hiſpalenſis generaliora tantum ex illis obſeruat, quem communiter ſequuntur neoterij. Conſiderat primo, an planeta ſit combuſtus an non. Secundo, an ſit directus an non, ſeu uelox aut tardus. Tertio, an in aliqua ſuarum dignitatum fuerit, ut domo, exaltatione, triplicitate, termino uel facie. Quarto, an ſit in malo aſpectu infortunarum, uel in bono aſpectu fortunarum, an non. Quinto & ultimo, quomodo ſit collocatus in figura cœli, an ſit in angulo uel ſuccedenti, uel cadenti.

Potentes igitur & fortes dicuntur planetæ, cum ſunt directi in domibus aut exaltationibus, in angulis uel ſuccedentibus, liberi à combuſtione, orientales, non impediti à malis. Sed potentia & fortitudo eorũ augmentatur, ſi à fortunis aſpiciuntur, aut eis coniunguntur, & quando ſunt in Hayz ſuis, ſuperiores orientales, inferiores occidentales. Supreme damnati & infortunati dicuntur, cum ſunt retrogradi, combuſti, cadentes ab exaltatione, in cadente, à malis impediti ☌ □, aut ☍, in contrario Hayz, meridionales. Et quanto plura fuerint malorum teſtimonia, tanto infortunatiores, ſed partim in dignitatibus & fortitudinibus, partim uero in debilitatibus & depreſsionibus, indifferentes ſiue mediocres dicuntur.

Fortunia & infortunia cuſpidum domorum cœli, Item locorum planetarum, & partium ſignificatorum doctè definire. Canon XL.

CVſpides & initia domorum cœli: Item planetæ & partes ſignificatorum, fortunantur per ☌, & omnes aſpectus bonorum planetarum, & per bonos aſpectus mediocrium Planetarum, cum eadem loca aſpiciunt uel coniuncti illis fuerint ex medietate, uel intra medietates orbium eorum, ut ſi 14. ♉ eſſet cuſpis ſecundæ domus figuræ cœli, & ♃ in 23. ♉. Sic ♃ per ſuam præſentiam in ſecunda domo, ex medietate orbis ſui, qui eſt 9 graduum, fortunaret cuſpidem ſecundę domus. Hoc idem etiam faceret in quolibet gradu intermedio. Sic pari uia aſpectus obſeruandi, ut ſit 14. ♉, ſicut prius cuſpis ſecundæ domus, & ♃ in 23. gradu ♏, aſpiciens cuſpidem △, ex medietate orbis ſui, quoniam ſic fortunaret cuſpidem ſecundæ, ſic etiam in quolibet gradu intermedio ſub medietate orbis ſui. Iſto modo intellige etiam infortunationes & damnationes prædictorum locorum. Nam mali planetæ per ☌ ☍ & □, & mediocres planetæ per eorum ☍ & □, infortunant loca planetarum bonorum, & cuſpides domorum, ac partes ſignificatorum ex medietate, & intra medietates orbium eorum. ☊ cum ſua præſentia, fortunat & augmentat, quemlibet locum in quo eſt. Quare bonum cum bonis, & malum cum malis, ſicut ☋ infortunat & minuit, quare bona cum malis, & cum bonis mala.

Dominos, dominatores uel gubernatores & duces thematum inuenire. Canon XLI.

DOminus ſigni is eſt, qui in eodem ſigno domicilium habet, ut ſigni ♈ Mars, Tauri ♀ &c. Sic ſi aſcenderet ſignum ♈, Mars dominus aſcendentis erit. Si ſecundam domum ſignum ♉ occuparet, Venus domina ſecundæ domus eſſet. Sic de alijs iudicandum erit.

Dominator, ſignificator ſiue gubernator, Arabicè Almutén dictus, ille

ctus, ille cenſetur, qui in ſigno ac ſigni gradu, plures habuerit authoritates eſſentiales, ut ſi 6. gradus. ♎ in figura diurna aſcenderet, Venus ibidem haberet dignitates eſſentiales 5. ratione domicilij ſui. ♄ uero 9. ratione exaltationis triplicitatis et termini. Cæteros omnes uincens. Sic ♄ Almuten ſiue dominator aſcendentis cenſeretur. Iſto etiam modo in alijs operandum erit. Dux autem thematis eſt, qui in toto themate potiores & plures obtinet authoritates cum eſſentiales tum accidentales. Sunt autem authoritates eſſentiales: Domus exaltat. triplicitas, Terminus & facies. Accidentales autem ut in M. C. 12. in aſcendente undecim iuxta Canonem ſextum huius. Dux igitur is eſt, qui plures ex ijs obtinet authoritates ac fortitudines. Sol tamē ſecundum aliquos & ☽ in duces & dominatores particularium rerum nō eliguntur, cum domini totius ſint. Quomodo autem dominatores ſiue Almuten natiuitatis, Item gubernatores anni uel quartarum eius, etiam Eclipſium, Item coniunctionum, oppoſitionum, & quadraturarum extrahi oporteat, ſuis aperietur locis.

Quam Zodiaci manſionem Luna peragret, patefacere. Canon XLII.

QVantam uetuſtiſsimi huius artis ſcriptores ſtellis fixis uim tribuerint, uel ex hoc apparet, quòd totum Zodiaci circulum in 28. manſiones diuiſerunt, nominaq́ꝫ, naturas, ac proprietates eiſdem ab ipſis ſtellis indiderunt. Cum itaqꝫ Luna ob propinquitatem, quam ad iſta inferiora habet, prę cæteris obſeruanda ſit, in qua manſionū collocanda ſit, facilime perſpicietur. Nam ſingularum manſionum initia ſuis quæqꝫ nominibus in tabula ſequenti expreſſa uidere licet, quarū quęlibet uſqꝫ ad initium proxime ſequentis manſionis extenditur. Quare & initia & fines cum nominibus ſingularum manſionum, ex ſubiecta tabula ſolo intuitu facile diſces. Vbi igitur uerum locum Lunæ ex Ephemeride aut tabulis aſtronomicis compertum habueris, facile definies adminiculo numerorum huius tabulæ, quam Luna inter cœleſtia ſidera manſionem occupet.

Tabula XXVIII. manſionum Lunæ, uerificata ad annum Chriſti M. D. XVIII. completum.

Numerus.	Nomina latina à ſtellis fixis.	Initia earundem.				
		S.	g.	m.	Natura.	
1	Cornua Arietis.	♈	19	56	Sicca.	Infortunat.
2	Venter & cauda arietis.	♉	2	47	Temperata.	Fortunata.
3	Pleiades.	♉	15	38	Humidiſsima.	Fortunata.
4	Oculus Tauri.	♉	28	30	Humida tempeſt.	Infortuna.
5	Cornua Tauri.	♊	11	21	Sicca & calida.	Infortuna.
6	Pedes Geminorum.	♊	24	13	Temperata.	Fortunata.
7	Capita Geminorum.	♋	7	4	Humida.	Infortuna.
8	Præſepe & Aſelli.	♋	19	56	Temperata.	Fortunata.
9	Caput Leonis.	♌	2	47	Sicca.	Fortunata.
10	Cor Leonis.	♌	15	38	Humida.	Fortunata.
11	Dorſum Leonis.	♌	28	30	Tempeſt. uerſus frig.	Infortuna.
12	Cauda Leonis & caput ♍.	♍	11	21	Sicca.	Fortunata.
13	Cingulus Virginis.	♍	24	13	Temperata.	Fortunata.
14	Spica uel Vindemiator.	♎	7	4	Humida multum.	Fortunata.
15	Pedes uirginis.	♎	19	56	Sicca.	Infortuna.
16	Lances Libræ.	♏	2	47	Frigida & humida.	Infortuna.
17	Frons Scorpij.	♏	15	38	Humidiſsima.	Infortuna.
18	Cor Scorpij.	♏	28	30	Sicca.	Fortunata.
19	Cauda Scorpij.	♐	11	21	Humida.	Infortuna.
20	Arcus & manus Sagittarij.	♐	24	13	Temperata ad calid.	Fortunata.
21	Poſterior pars Sagittarij.	♑	7	4	Temperata.	Fortunata.
22	Caput Capricorni.	♑	19	56	Temperata.	Fortunata.
23	Venter et cauda capricorni.	♒	2	47	Humida.	Fortunata.
24	Corpus aquarij.	♒	15	38	Tempe. uerſus frigi.	Fortunata.
25	Aqua & amphora Aquarij.	♒	28	30	Humida.	Infortuna.
26	Prior Piſcis.	♓	11	21	Temperata.	Fortunata.
27	Cauda prioris Piſcis.	♓	24	13	Sicca.	Infortuna.
28	Medietas ligamenti Piſcis.	♈	7	4	Sicca.	Infortuna.

TERTIA

TERTIA PARS DE ELECTIONIBVS COMMVNIBVS.

Quæ in omni electione generatim conſideranda ſint præponere. Canon I.

IN electionibus uniuerſalibus rei propoſitæ qualitas ante omnia pernoſcenda eſt. Deinde uerò Luna ab impedimentis ſupra memoratis libera, in ſigno Zodiaci rei propoſitæ conuenienti, & in aſpectu planetæ rem illam ſignificantis: planeta quoq;, qui rei propoſitæ dominatur, cæteros in cœli figura planetas antecellere fortitudine ſua cum primis debet. Domus etiam, quæ naturam & ſignificationem eiuſdem rei tenet, dominusq; eius, â maleficis, & earum radijs prorſus ſint immunes, optimumq; ſi beneficæ affulſerint. Præterea in cuiuſq; operis inceptione, Hali aſcendens & eius dominum, Lunam quoq; & dominum domus eius ſub bonis habitudinibus, & ſitu conſtituere iubet, meliorq; fiet electio, ſi Luna & aſcendentis dominus, aſcendens ipſum fœlici radiatione illuſtrauerint. Lunam tamen inquit proprio corpore aſcendentis angulum in omni electione abhorrere. Manſio inſuper Lunæ fortunata non parum in ea re commodi afferre ſolet. Quæ autem ſub quouis ſigno & planetarum cum Luna aſpectu agere conueniat: uel quæ cuiq; planetæ ſignificatio ſit ex tabulis circa canonem ſecundum & tertium ſecundæ partis huius, & ea quæ ſtatim ſequitur ſanè dinoſci poterit. Id poſtremò obſeruari uolumus, ut in re cuius finis accelerandus ſit, mobilia ſigna: In his autem quæ firma & ſtabilia eſſe deſiderantur, fixa ſigna potius eligantur. At communia inter hæc mediocria cenſeantur. In particularibus autem electionibus, parum iſta omnia conferent, ſi genituræ ſiue natalis figuræ nulla ratio habita fuerit: ex quo illud emergit, ut nonnunquam maleficis in electionibus utendum ſit aſtrologo, perinde ut uenenis medicus ad curationem nonnunquam utitur, quanquam moderatè, quod totum Ptolemæus in centiloquio ſuo, uerbis octauo & decimo ſatis admonuit.

Quid ſub quolibet aſpectu Lunæ ad planetas eligendum, fugiendumúe ſit, enarrare. Canon II.

Aſpectus Lunæ ad

	☌	⚹	□	△	☍
♄	Dies infortunata, iter ne facito, principibus, & ſenibus ne loquaris, uillic. & agricultores fugias.	Senibus & agricol. te iungito, ædifica, terram cole, arbores & uineas plantato, ab amore mulierum fugito.	Dies metuenda à colloquio ſenũ & principum abſtineas, itinera & medicamina fugito, deſiderium differ.	Senibus & agricolis, cõgredere, ruinoſa erige, in ueterata reſtaura, uineas & hortos cole.	Seruos ne conducas, lucra & cẽſus ne exigas, & nihil prorſus, ſi ſapis, incipias.
♃	Dies fortunata, nobiles, prælatos, iudices accedas, conſilia & ius expetas.	Iuriſperitis & perſonis Eccleſiaſticis te iungito, leges atq; decreta legito.	Studio & Philoſophiæ incumbas, iudicia atq; conſilia tractare poteris.	Omne opus honeſtum incipias, regibus & principib. prẹlatis atque iudicibus te obuium facias.	Iter carpe uiator, quadruuio operam des, iudicibus & perſonis eccleſiaſticis occurras.
♂	Dies infortunata, iter ne arripias, milites & uiros ſtrenuos uitabis.	Arma & equos pro bello emas, ire exercitum in bellum iubeas, pro alchimia ignes accende.	Dies timoris, contentiones fugias, pacem uel fœdus firmum ne facias.	Cuncta pro bello neceſſaria diſponas, animalia & alias beſtias eme, experiẽtiam in alchimia faci.	Iter ne facias, fuge conſortia, amicitias & mulierum amores, ſeruos quoq; minime conducas.
☉	Prorſus nihil incipias, niſi ea, quæ ſecreta atq; occulta fore deſideras.	Regum & principum ſeculariũ negocia cõmode tractes, dignitates atq; officia ex regib. uel principibus facile obtinebis.	Caue ab principibus & magnatibus, quia dies uitandus in omnibus.	Munera principibus & ſuperiorib. offeras, quid quid ab ipſis petieris facile impetrabis, fœdus inter principes facere optimũ eſt.	Iudicium ne ſubeas, à potentibus & diuitibus te retrahas, & in omni opere hũc diem uites.
♀	Dies uoluptatibus & delicijs aperta, ueſtes indue uel incide, mulierum amoribus te aſſocia, & quicquid amas pete.	Dies amoribus apta, & multis proſpera, coniugia facias, ſingula ornamenta perquiras.	Seruos & operarios conducas, ludis & cantilenis operam des, ueſtes induas nouas uel incidas, uxorem ſi placet ducas.	Capillos ornes amorem mulierum petas, filijs procreandis ſtudeas, ueſtes nouas indue, ſi Luna non fuerit in Leone.	Seruos & ancil. conducere optimum, iter facere conuenit, ſic & matrimonium contrahere & cũctis uoluptat. atque delicijs operam dare licebit.
☿	Scripta & calculum incipe, mercaturam exerce, nuncios uel tabellarios mittas.	Literis operam des, rationes de mercat. uel officio facias, adoleſcentes præceptori commit. cancella. & ingenioſis hominibus te aſſocia.	Legatos, oratores, reliquos etiã tabellarios mittere bonũ eſt, iter facias, emere & uendere ſingulariter ualet.	Carmina componas, quẹ ſunt ſubtilia excogita, in quadruuio te exerceas, filios diſciplinis trade.	Scribis & cãcellarijs te iungito, nuncios mittas, iter facias, eme, uende, & te in humanis & mathematicis literis exerceas.

Tempora

Tempora flebotomiæ, uentoſisꝗ apta eligere. Canon III.

PRo huius utilitatis uſu, primum neceſſe eſt, ut aſpectus, ſigna idonea, ipſa hominis cõplexio, ætasꝗ conſiderentur. Nam Luna ab impedimentis, quorum ſupra mentionem fecimus libera, Ioui, Veneri, Mercurioꝗ coniuncta, aut ſextili, trino, quarto, oppoſitoùe radio configurata in ſigno idoneo optimum dicimus, pro ſanguinis emiſsione. Signa autem ſanguineis congrua ſunt ea, quibus terreſtris natura eſt, ut ♉. ♍. & ♑. Flegmaticis uero ignea, ut ♈ & ♐, exceptis partibus uiæ combuſtæ, quæ tranſit per 8. uſꝗ in 13 gradum ♐ ut ſupra. Cholericis ea, quibus aquea natura eſt, ut ♋ & ♓, Melancholicis ſigna aëria, ut ♎ & ♒. Gemini autem Leo & Scorpius, ſigna non idonea ab aſtrologis reputantur. Quod uero hactenus de flebothomia relatum eſt, & ad uentoſas pari modo referendum. Nam nihil inter hæc diſcriminis facimus, niſi quòd uentoſæ poſt oppoſitionem, flebotomia uero ante eam rectius, commodiusꝗ locum habet. Præterea & hora ipſa obſeruanda eſt diligentiſsime, ita, quòd aſcendens ſit ex ſignis idoneis, dominusꝗ aſcendentis & Luna non ſint in quarta, aut in octaua, neꝗ ullum cum domino octauæ domus aſpectum habeant. Sint & maleficæ ab angulis remotæ. Septima autem præcipue & eius dominus non impediantur, alioquin in flebotomatorem facile cadet error. Super omnia uero cauendum, ne in eo membro flebotomia fiat, cum Luna id ſignum tenuerit, quod membro illi dominatur, ex Ptolomæi ſententia in uerbo 20. centiloquij ſui. Addunt alij ea quoꝗ membra flebotomo tangenda non eſſe, quæ uel à ſigno aſcendente, uel domini aſcendentis ſigno reſpiciuntur. Addo ad hæc, quod obſeruatione dignum eſt, Lunam quatuor habere quadras, quarum prima â coniunctione in quartam primam, iuuenili ætati ſanguinis miſsioni prodeſt. Secunda iuuenili & uirili. Tertia uirili & ſenili: Vltima ſenili tantum idonea. Illis deinde omnibus locus eſt, cum neceſsitas aliud non poſtulat, ſæpe enim pro morborum aut corporum qualitate, nihil horum animaduertere debet medicus. Poterit tamen ſapiens medicus, ſi dies ipſa apta non fuerit, horam ſaltem conuenientem ex iam dictis eligere. Si autem tibi nota fuerit natiuitas, ante omnia caueas, ne aſcendens inimicum radici natiuitatis accipias, ſicut illud, quod fuit in duodecima, octaua, uel ſexta, aut in quo fuerunt infortunæ, aut radij inimici earum.

Tempora pro pharmaco ſumendo ſalutaria eligere. Canon IIII.

CVM reliquorum cœleſtium natura, influxusꝗ pernoſcendus ſit, tum Lunæ maxime, in corpora noſtra, uis atꝗ poteſtas, ſtudioſo medico perquirenda erit, ut ſalutis gratia medicina exhibita, cum ſtellarum ad ſe habitudine, naturæꝗ conueniat: isꝗ qui corporum cœleſtium eſt influxus, cum rerum terra, mariꝗ naſcentium, uirtute & actione conſentiat. In ſignifero igitur tria ſigna ſunt humentia, à quibus humidæ triplicitatis appellatio orta eſt, ea ſunt, ♋, ♏, ♓. Quia uero, ſimilia ſimilibus addita, uires augent, contraria uero minuunt, humida ſigna plurimum adiumenti purgandis corporibus conferre uidentur, ſi Luna corporum huiuſmodi domina, his in ſignis collocatur, quod quidem ſolertem medicum (niſi maiora pericula cogant) obſeruare diligentiſsime oportet, ut Lunæ ſigniꝗ addito auxilio maiores uires habeant pharmaca pro educendis humoribus, & melancholicis præſertim minime incommoda, ea ſunt aëria illa, ſcilicet, Gemini, Libra, & Aquarius. Inter omnia tamen hactenus enume-

enumerata ♋ & ♊, minus ualent, quod quidem ex eo prouenit, quòd Luna non tantum ob congruam ſigni qualitatem magis magisq́ ſordes aluium citat, ſed etiam quòd agitatum, impulſumq́ eſt, ad loca inferiora, præſidentis ſigni beneficio eiectat. Et quia Leo cœleſtis ſtomachum tenet, ipſe præ cæteris ea in re eſt execrabilis. Addo quòd ſi uarij humores è corpore humano ſoluendi ſint, cholericos facilius ſubducemus, quum Luna ex aqueo aliquo ſigno cum Veneris placido aſpectu effulſerit. Flegma uero opportunius, ſi cum Sole eo modo locata fuerit. Sed melancholicos rectius ſi in aërio (exceptis ♊) cum Ioue Luna ipſa, citra tamen coniunctionem, conſtituta fuerit. Poſtremò nocentes ſordes aluo ſecurius ſubducuntur per enemata, dum luna ab impedimentis ante enumeratis libera Scorpionem, Libramúe peragrarit. Præterea haud parum contulerit, ſi hora ſumendi pharmaci idoneum ſignum aſcendens poſſederit, dominusq́ eius cum planeta ſub terra poſito benigna radiatione copulabitur. Quandoquidem ſigna ruminantia membraq́ ſuperiora reſpicientia, dominus quoq́ aſcendentis in aſpectu planetæ ſupra terram exiſtentis, nauſeam quandam, uel ſubuerſionem, aut uomitum prouocabunt, quod propoſitum euacuandi conſilium nonnihil impediet.

Pro balneis conuenientia tempora ſcrutari. Canon V.

INtroitus balnei his maxime diebus ualet, quibus minutio ſanguinis ſalutaris eſt, plurimum tamen refert ornamenti & mundiciæ, an ſanitatis gratia recuperandæ id fiat. Quòd ſi mundiciæ cauſa balneum quis ingredi uoluerit, Luna, Libram, aut Piſces occupante, & Veneri fauſto radio applicante, id faciat. Si uero ſanitatis recuperandæ gratia, obſeruandum eſt, an exſiccationem uel humectationem ſua infirmitas poſtulauerit. Nam ſi exſiccationem deſiderat, ut in paralyticis, Lunę locum in ſignis igneis & aſpectibus Martis & Solis fœlicibus maxime eligat. Si autem humectatio quæritur, ut in pthiſicis fieri ſolet, tunc Luna in aqueis ſignis & fortunatis configurationibus Veneris Iouisq́ quæſitum potiſsimum præſtabit.

Ad tondendos capillos idoneum tempus obſeruare. Canon VI.

QVanquam in hac materia authores cum recentiores, tum uetuſti nonnihil diſſentiunt, libuit tamen ea, quæ rationibus probabilibus magis accedunt, hoc in loco paucis afferre. Illis igitur, quæ in omni electione obſeruanda eſſe præcipimus præmiſsis, adijcimus: Si capillos cito & pro decore renaſci uoluerimus, id creſcēte Luna in ſigno piloſo, pręcipue uero Tauro, Virgine & Libra, Luna conſtituta, & in aſpectu Veneris & Iouis placido, rite agemus. Deteſtamurq́ aſpectus & fortitudines maleficarum, ſignumq́ Arietis, ſi in capite tondendum eſt, & Lunam decreſcentem in primis damnamus. Nam ea decreſcente, capilli tonſi caluos faciunt, authore Varrone. Si uero capillos non renaſci, aut ſaltem tardius creſcere uoluerimus, ſit Luna decreſcens in Cancro, Scorpione, Piſcibus & cauda Capricorni, in aſpectu Mercurij & Solis bono, hæc enim ſigna à pilis aliena ſunt. Quòd ſi forte alia quædam cædenda, uel carpenda, uel tondenda ſunt, ut à putrefactione conſeruentur, quemadmodum ligna in ſyluis cędere, uerres, iuuencos, arietes, hœdos caſtrare, ſues mactare &c. id totum, ut Plinius ait, innocentius decreſcente Luna, quàm creſcente fiet.

Tempus ad reſectionem unguium aptum edocere. Canon VII.

IN abſciſione unguium ſecluſis impedimentis ſupra annotatis, ſit Luna aucta lumine & motu, & in aliqua domorum Veneris, uel Ariete, aut Leone, Venerem aſpiciens, uel Solem radio amicabili. Geminos autem & Piſces præ cæteris ſignis, tum pro Lunæ loco, tum pro aſcendente reijcimus. In hora etiam ipſa Luna ſit in aliqua ſuccedente. Maleficæ uero ab angulis remotæ ſint, non inficientes aſcendens neq; dominum eius. Id autem obſeruari conuenit, quòd nonnulli ex improuida unguium ſectione, ungues difformes fieri, aut apoſtemata circa eos enaſci affirmant.

Diuerſa corporis membra, uirtutes, & operationes, ſub fœlici conſtellatione, medicaminibus appropriatis confortare. Canon VIII.

MEmbrum ægrum ſaluberrime confortatur, dum ſignum idem membrum ægrum reſpiciens à maleficis & radijs eorum infortunatis immune fuerit, & Luna ab impedimentis ſuis libera in bono aſpectu, uel coniunctione beneficarum, illud ſignum tenuerit. Habet & hæc res magnam ad confortandum uim, ſi planeta eius membri, & aſcendens horæ, in diſpoſitione laudabili, conſtituantur. Virtutes quoq; bonam recipiunt confortationem, dum ſignificatores eorum fœliciter ex cœleſti figura defluxerint, ſignaq; membrorum, in quibus uirtutum ipſarum eſt ſedes, ab omni infortuniorum genere libera fuerint. Inter uirtutes autem principales, autore Ptolemæo, uitalis Soli, naturalis Ioui cum Luna, animalis cum partibus ſuis & maxime appræhenſiua Mercurio debetur. Preterea illæ, quæ minus principales, partim miniſtrantes, partim miniſtratæ à medicis appellari ſolent, non æque uni, ſed diuerſis ſubſunt ſignificatoribus. Attractiua enim & iraſcibilis Marti, igneisq; ſignis: Retentiua Saturno cum terreis ſignis: Digeſtiua Ioui cum aëreis: Expulſiua Lunę cum aquaticis ſubditę ſunt. At generatiua & concupiſcibilis Veneri, & luxurioſis ſignis, & multam prolem ſignificantibus: Vegetatiua Lunæ & humidis ſignis attribuuntur. Virtutibus itaq; eo modo bene confortatis, operationes demum bonas atq; incolumes procedere rationabiliter coniectari licet.

Plantandi & ſeminandi tempora explorare. Canon IX.

TAmetſi Lunam ueteres agriculturæ ſcriptores pro tempore, ad ſeminandum & plantandum, idoneo, maxime obſeruare conſueuerunt: Eſt tamen ex eorundem ſententia, non minus terræ colendæ, ſeminumq; & ſurculorum inſerendorum, ac uniuerſalium temporum naturæ & qualitatis habenda ratio. Nam ſi in terram humidam, aut ſemen humidum ſeminare aut plantare uolueris, id teſte Plinio, ſub interlunio, decreſcente luna commodius facies. Si uero in terram aridam aut ſemen aridum ſerere animus eſt,

Luna creſcens, dum prope plenilunium eſt, obſeruabitur. Præter hæc autem omnia, frigida Saturni quo ſeſe ſtella receptet, diligenter proſpiciendum eſt. Ipſa enim naturalem ſuper agriculturam dominatum ſibi uſurpat, ob eamq́; rem in bona parte cœli fauſtaq́; configuratione ad Lunam, & beneficas, ſtella illa Saturni aptanda eſt. Præ cæteris autem Luna ipſa, citra impedimenta, ſua ſigna huic rei accommoda peruagetur. Sunt autem ea, ad plantandum Taurus & Aquarius: ad ſeminandum, Taurus, Cancer, Virgo, Libra & Capricornus. Poſtremò dignum eſt obſeruatione, rem illam totam fœlicius perfici, ſi aliquod ex præfatis ſignis aſcenderit, & Mars nullo prorſus aſpectu aſcendens, uel Lunam irradiauerit, & in debili figuræ loco, debilem ſitum tenuerit.

Tempus ad ablactandum infantes idoneum perquirere. Canon X.

IN iſta electione plurimum refert, utrum quis infantem ſuum delicatum, utrum carnium, uel leguminum, radicum, fructuumùe è terra naſcentium comeſtorem eſſe deſideret. Plerumq; enim pro natura ſigni Lunæ, & aſcendentis, & planetarum habentium participationem cum illis, ablactati infantis appetitus inclinabitur. Ideoq́; ſi delicatos infantes fore uoluerimus (omnibus præmemoratis impedimētis procul remotis) ſignum aſcendentis & Lunæ humanum, aut Veneris domum conſtituamus beneuolo Veneris aſpectu accedente. Si carnium auidos, Leonem Martemq́;. Si Piſcium, Cancrum, Piſcesq́;, & Capricorni caudam. Si leguminum, radicum, fructuum, ac ſimilium, è terra naſcentium, terrea ſigna, præcipue autem Capricornum & fœlicem Saturni affulſionem eligamus, neq; in hoc Arietem reijcimus. Ad hæc in uniuerſum commendatur, Luna à Sole remota & feralis, ita enim lactantis nutricis facilius infans obliuiſcetur.

Coniugia facere, & proli operam dare. Canon XI.

QVanquam hæc res non niſi ex coniugalium perſonarum genituris proprie depræhendi poſsit, generaliter tamen, pro fœlici deſponſatione mariti Luna Venusq́; aptandæ ſunt: pro fœmellæ connubio Sol cum Marte: pro utriſq; ſimul cum primis ualebunt Sol & Mars, in opportunis figuræ locis cum Luna & Venere amicabiliter. Iouis quoq; fauorabilis aſpectus ad prædictos ſignificatores non parum in ea re fœlicitatis tribuit. Præterea ſigna ſeptimæ domus, quæ coniugij eſt, deinde & aſcendentis & Lunæ ſigna, ſalua & immunia eſſe debent, & rei inſtitutæ naturali affectione annuere. Signa ea ſunt, Taurus, Libra, Sagittarius, Aquarius, Piſces, & uirgo pro uiduis. In uniuerſum uero pro aſſequenda prole, aſcendens & Luna ſint ex ſignis multorum filiorum, & in benignis aſpectibus, Iouis, Veneriſq́;. Melius autem, ſi cum hoc Luna fuerit in quinta, decima uel undecima, altera benefica in aſcendente, altera uero cum Luna, uel in aſpectu eius beneuolo exiſtente, ſitq́; ante omnia quinta bene diſpoſita, Mercurius etiam ſua placida affulſione procreandæ proli non eſt contrarius.

Tempus idoneum ad tradendum præceptoribus pueros, elicere. Canon XII.

Cum

CVM pueros præceptoribus ſtudiorum gratia commendare uolumus, idipſum eo potiſsimum tempore faciemus, quo Luna aucta lumine, & in ſigno humano cum Mercurio conſtituitur, aut ad eundem fortunato aſpectu reſpiciens. Mercurio forti ab omnibus impedimentis ſecluſo, inq; bono figuræ loco conſtituto, humano ſigno horoſcopum tenente, dominoq; eiuſdem medium cœli poſsidente, aut ipſum cœli medium conuenientiam habeat cum domino aſcendentis. Nec uero minus confert, ſi Mercurius cum domino aſcendentis in aliqua fortunata radiatione fuerit. Nec negligenda eſt domus nona, propterea, quòd ea unà cum decima, quæ magiſteriorum dicitur & ſtudiorum, domus ſapientiæ exiſtit. Qui uero aſpectus, & quæ ſigna, pro ſpe doctrinæ atq; eruditionis obſeruari conueniat, ex tabula canonis ſecundæ partis primi, ac ſecundi ſecundæ liquido intelliges.

Quando commodius ſerui conduci, aut emi beſtiæ poſsint, dinoſcere. Canon XIII.

QVi ſeruos conducturus eſt, id faciat cum Luna & aſcendens in ſigno fixo domeſtico uel humano, directę aſcenſionis exiſtant, unico Scorpione dempto, nec toto quidem, ſed poſtrema medietate tantum. Ad hæc duodecima domus, quæ ut Ptolemęus ſcribit, eſt ſeruorum, unà cum eius domino obſeruanda eſt. Et bonum admodum eſt, ut dominus duodecimę cum domino aſcendentis, aut cum Luna coniunctus ſit, aut bonis eorum radijs irradiatus. Quòd ſi luna in humano ſigno aſcenderit adiecta aliqua fortuna, mala non eſt, omni autem modo cauendum, ne Luna uel aſcendens illorum aliquod ſignorum, ſcilicet Arietem, Leonem, Scorpionem, Capricornum, & Piſces poſſederit. Pro iumentis uero emendis prouidendum eſt, ut Luna eo tempore fortunis directis & orientalibus exiſtentibus, & in latitudine aſcendentibus applicet. Præterea aut manſuefacta & domita eſt beſtia, aut fera & effrenis: Si manſuefacta, commodum erit Lunam eſſe in ſigno fixo, domeſtico uel humano, & aſcendens in ſigno communi ſexui conueniente, ſexu ſemper ad ſignum relato, ut ſi maſculus fuerit, ſignum maſculinum ſit: ſi fœmina, ſignum ipſum ſit fœmininum. Leo & Scorpio, ut non idonea ſigna, excipiuntur. Si uero effrenis ſit beſtia, conuenit ut ſignum aſcendens mobile ſit, & Luna in ſignis mobilibus exiſtat, fœlicibusq; radijs illuſtrentur. Sexta uero domus, quæ beſtiarum eſt, cum eius domino non eſt prætereunda, ita ut ab infortunis libera ſit. Nec illud quidem ſilentio pręteriri debet, ualde conuenire in beſtijs emendis, ſi eiuſdem proprietatis, aut effigiei ſignum Luna, aſcendens, ſexta, aut eius dominus fœliciter tenuerint.

Quod tempus pro parandis & induendis ueſtibus aptum ſit inueſtigare. Canon XIIII.

HOra emendarum & incidendarum ueſtium, Luna aucta lumine, & ſecunda domus eiusq; dominus in ſigno communi aut mobili obſeruentur, fœlicibus radijs illuſtrati, Sole in medio cœli exiſtente. Pro ipſis uero induendis Luna & aſcendens in ſignis mobilibus, cum fortunis aut earum radijs. Cauendum eſt autem à ſignis fixis, præq; omnibus à

Leone, ut 22. Ptolemęi uerbum admonet, niſi ubi paludamentum, aut arma pro bello induere uelimus, maxime cùm Luna cum Marte in beneuola radiatione fuerit. Fixa uero tametſi prohibeantur, tamen Taurus non uſq; adeo timendus eſt, ea gratia, quòd domus Veneris eſt, & Lunæ exaltatio.

Poſſeſsiones hæreditarias, & dignitatum inueſtituras, aut officia ſubire, aut de una domo in aliam opportuno ſe tempore transferre. Canon XV.

TEmpus ad hæreditarias poſſeſsiones obtinendas, illud eſt, in quo quarta domus & eius dominus ſunt ſalui, & fortunatorũ radijs illuſtrati. Luna non impedita in domo uel exaltatione ſua, aut in medio cœli conſtituta, aſpiciendo dominum aſcendentis aſpectu beneuolo. Præterea quarta domus ſignis fixis firmata & angulorũ domini Orientales eſſe debent. In uniuerſum autem proſpiciendum eſt, ut fortunæ in angulis quarta præſertim & aſcendente, dignitates habeant, luminaribus eadem loca beneuolis radijs aſpicientibus. Ad hæc uerbum Ptolemæi 84. diligenter conſideretur, ubi dicit: Mars cum eſt dominus aſcendentis tempore captæ poſſeſsionis, præeſtq; ſecundo loco, aut copulatur domino ſecundi, multum damni afferet. Pro inueſtitura autem dignitatum & officiorum ſubeundorum, loca luminarium ne ſint impedita á malis radiationibus, diligenter obſeruanda ſunt, fortunis directis in aſcendente uel medio cœli exiſtentibus. Optimum autem ut Iupiter in aſcendente, & in medio cœli Sol exiſtat. Quòd ſi contingeret, ut infortunæ fortiores eſſent fortunis, tunc cum infortunis eo modo agendum erit, quemadmodum de fortunis dictum eſt, tamen cum moderamine, & nihil oberunt. Sed afflictio undecimi (ut Ptolemæus refert 39 uerbo) in intronisatione Regis uel Principis detrimentum ſignificat, & domeſticorum eius & pecuniarum. Secundi autem loci afflictio ouilis eius detrimentum ſignificat. Nulla uero militaris dignitas obeunda eſt, niſi Marte fœliciter cum prioribus ſignificatoribus radiante, & in bono loco figuræ conſtituto. Sciendum autem, dignitatis ſucceſſum talem eſſe, qualis fortitudo aut debilitas ſignificatorum in natiuitate ſuſcipientis dignitatem. De una uero domo in aliam ſi migrare quis uolet, is curabit, ut aſcendens, ſeptima, & Luna creſcente lumine, ſint munda, & quòd Luna fortunis applicet, ita ut fortuna uel in aſcendente ſit, uel in quarta. Multum autem proderit, ſi domus ſecunda cum eius domino ſalua fuerit, domino tamen ſupra terrã, Luna uero aut in tertia, quinta, aut undecima exiſtente, in ſigno aliquo fixo, mobili, aut cõmuni, pro ut longius quis aut tardius manere eo in loco uoluerit. Eſt & quarta domus diligenter obſeruanda. Nam ſi ab infortunis ſalua erit, & idoneis ſignis in ea cõſtitutis, optimum erit. Inter omnia autem ſigna Scorpius cauendus eſt.

Struendis ædificijs fundamenta iacere. Canon XVI.

QVocunq; loco quis ædificaturus eſt, ſignum & dominũ eius loci, regionis aut ciuitatis obſeruabit, nec curabit an fortunę ſint nec ne. In operis igitur initio, planetam eius loci dominum applicabis ad Iouem, ut ſi fieri poteſt, ei coniungatur, aut fœlicibus radijs illuſtretur, eodem domino

mino ad medium cœli locato. Lunam uero optimam ſortietur, ſi lumine creſcens cum Ioue aut Venere coniuncta, aut ab illis uel radijs eorum beneficis circundata, à Saturno ſe ſeparando. Quòd ſi quiſpiam Iouis domum ad aſcendens aptare poterit, ita ut à Marte incolume ſit Marte cadente, & à Luna remoto optimum erit. Præterea conuenit, ut dominus termini aſcendentis ſit fortuna, motu creſcens, & dominus aſcendentis in exaltatione ſua. Solem autem in ſigno eſſe directæ aſcenſionis prodeſt. Sed & pars fortunæ, & dominus eius in ſignis fortunarum exiſtant, Lunam ipſam fœlici radio aſpicientes, haud quaquam uero inconueniens erit, Lunam & aſcendens in ſignis terreis conſtitui, ut ſunt Taurus aut Virgo. Nec prætereunda quarta domus eſt cum eius domino, quas pro tua uirili fortunabis. Adde, quæ Ptolemæus 36 uerbo ſui centiloquij in hac re obſeruauit in condendis ſcilicet urbibus, ſtellis fixis, quæ conferre habeant. In ædificandis uero domibus, erraticis utendum eſt. Reges etiam ac quarumcunꝗ urbium principes, quæ urbes Martem culminantem habuerint, gladio plerunꝗ perire, & uerbo 54. dominatores in ædificationibus, ubi copulantur ſtellæ ſubterraneæ ædificij erectionem impedire.

Emere & uendere, uel mutuo dare, & accipere, quando optimum ſit, depræhendere. Canon XVII.

QVi emendi, uendendi, aut mutuo dandi, aut accipiendi, animus eſt, ne id quidem ſine cœleſtium corporum ad inuicem habitudine facile inſtituet. Emptoris itaꝗ & debitoris ſignificatores ſunt aſcendens, eius dominus & planeta, cui applicat Luna. Venditoris & illius qui dat accommodato, domus ſeptima eius dominus, & planeta à quo Luna ſeparatur, ſignificatores erunt. Quantum ad precium attinet, iuſtum ne ſit an magnum nimis, ex decimo & eius domino, tum & loco Lunæ depræhendi poteſt. De re ipſa, quæ uenditur, quæuè mutuo data eſt, bona né an mala ſit iudicari poteſt ex domo quarta eiusꝗ domino. In uniuerſum igitur, quicunꝗ horum, ſua loca fortunata inuenerit, & nuſquam impedita, is melius habebit. Pro facilitate uero emendi & uendendi, mutuo dandi aut accipiendi facit fœlix radiatio domini aſcendentis cum ſeptima & eius domino, & Mercurio fortunato, inꝗ bono loco conſtituto. Quòd ſi tetragono oppoſitouè aſpectu ſeſe reſpexerint, magna diſſenſione illa peragentur. His omnibus, appendicis formula ſubnectendum duximus, quòd emptoris fortunam angebunt pars fortunæ in domo Iouis fœlici accendente afluxu illuſtrata, & Luna in quarta tertia ab oppoſitione uſꝗ ad ultimam quadram, aut in duabus quartis occidentalibus, Mercurio coniuncta, aut beneuolis eius radijs, domino aſcendentis exiſtente diminuto motus & domino medij cœli ſaluo exiſtente. Pro uenditore faciunt Luna in exaltatione aut triplicitate conſtituta in ſignis directe aſcendentibus, ſeparando ſe à fortunis, iungendo ſe radijs maleficarum non corporaliter aucta etiam lumine & motu, uel Luna exiſtente in ſecunda Solis quadratura, aut in quartis orientalibus. Pro utriſꝗ iunctim Mercurius fortunatus, à Marte nullo radio maligno impeditus, Luna etiam exiſtente in quadratura Solis prima, tunc enim res iuſto precio emitur & uenditur. Vltima uero quarta ualet emptori & commodo accipienti, ſi clanculum quicquam emere aut mutuo accipere uoluerint. At ſi quis forte aut caſu fortunæ expoſita pecunia, lucro intentus eſſe uelit, is

gradum partis fortunæ & Mercurium aptet, ſi retrogradus fuerit, cum Ioue & Venere iungatur. Præterea ut quorundam ſententia eſt, Luna in Leone, Scorpione, aut Sagittario exiſtente, bonum eſt ei qui mutuo accipit uel dat. Quòd ſi in principio iſtorum ſignorum fuerit, malum erit danti. In reſtitutione autem, Luna in Aquario, uel Piſcibus lumine deficiens, plurimum ualebit, ſeruatis conditionibus paulo ſupra poſitis.

Peregrinandi, legationesq; mittendi tempora opportuna ſeligere. Canon XVIII.

NVLla euidens electio ſuper rebus in propoſitione compræhenſis ſine notitia geniture aut reuolutionis anni eius, qui aliquid horum onerum ſubiturus eſt, fieri poteſt. Habita igitur genitura, aptabis locum Lunæ & aſcendens natiuitatis, aut reuolutionis, & domum ſignificantem rem, quam quis petiturus eſt. Nam ſi ea fortunata fuerint, propoſitum ſuum conſequetur, ſin minus, minus proſpere ipſi ſuccedet. Signũ autem eiuſdem domus tempore natiuitatis, aut reuolutionis in aſcendentis locum cõſtituetur. Præ omnibus autem nona domus & eius dominus ſint fortunati. Nec illud minus aduertendum, quòd applicatio Lunæ ad planetas, qui ſignificatores earum perſonarum ſunt, obſeruetur. Multum enim ex his fortunæ, infortunijq; deprӕhendi poteſt. Præterea refert per aquâs ne, an per terrã quiſquàm iturus ſit. Nam ſi terreſtre iter inſtituitur, ſigna terrea commodum locum habebunt, ſi per aquam, ſigna aquea. Fixa aut mobilia, prout quis citius tardius ùe rediturus, pro uoluntate eligẽtur. Inter hæc Lunam oportet fœlicibus radijs fortunari, & in bono loco, unà cum fortunis ſtatui, infortunis, quarum ante ſæpe mentio facta eſt, in locis deiectis conſtitutis. Adijcienda ſunt his, quæ Ptolemæus uerbis 41. & 55. annotauit. Cauere ſcilicet tempore diſceſſus, loci octaui dominiq; eius afflictionem, & ſecundi atq; eius domini tempore reditus. Martis etiam uim noxiam aduerſus naues imminui, cum neq; in cœli medio, neq; undecimo eſt loco. In his enim locis ſolet nauem corrumpere, prædonibus per uim occupantibus, incendi autem nauem, ſi aſcẽdens ab aliqua ſtella fixa, quę ex Martis mixtura ſit, affligetur. At ſi quis illa agere, quæ dicta ſunt, occulte uoluerit, id commode perficere poterit, ſi Luna & eius dominus, ſub radijs ſolaribus conſtituti fuerint fortunis applicantibus, & hoc ſi Luna ab impedimentis omnibus prius enumeratis libera fuerit.

Venari quando optimum ſit, reperire. Canon XIX.

QVi commodo & opportuno in tempore uenari uoluerit, obſeruare debet, ut aſcendens ſit ſignum mobile, & Luna ſit in medio cœli conſtituta, & à Ioue fortunata & illuſtrata, ea conditione, ut Iupiter aſcendẽs, Mars ſeptimam poſſideant, Saturnus uero cadens, aut, ut aſcendens nõ irradiet. Venus uero aut in aſcendente, aut cœli medio exiſtat, Luna ei applicante. Omnium autem eſt optimum, ſi Luna in Cancro fuerit, Ioue Piſces tenente, ea lege, ut Luna Ioui applicet. Præterea refert, an in aqua quis, an terra uenaturus ſit. Quòd ſi terreſtris uenatio in animo eſt, Luna in Ariete, Leone aut Sagittario locum habeat, Marti beneuola, radiatione applicando. Si uero in aqua uenari uoluerimus,

Luna in medio cœli in Cancro, uel piſcibus, applicans Veneri in ſeptima domo exiſtenti. Addo ad hæc, quòd beſtiæ, quibus ungulæ ſunt, commode petuntur, Marte aut Luna medium cœli poſsidentibus. De lupis, apris, urſisq́, cæterisq́ feris truculentiſsimis, illud unicum obſeruabis, ne Mars ſit in angulo, & aſcendens in ſignis quadrupedibus neue Luna aut ſexta â maleficis, aut earundem radijs ſint impeditę. Pro auibus ſigna aëria ualent & uolatilia, qualia ſunt Gemini, Virgo, Sagittarius, & Piſces, ſi Luna in ipſis fuerit applicando ad fortunatum, & in bono loco conſtitutum Mercurium. Pro aquaticis auibus uenandis, prope eadem ualent, illo unico addito, ut Luna planetæ in ſigno aquatico, Scorpione excepto, exiſtenti applicet. Poſtremò adnotandum eſt, planetis retrogradis in angulis exiſtentibus, & eiſdem Luna applicante, maxime ſi infortunata fuerit, uenatoribus non ſatis commode ſuccedet, nec cum multa præda reduces erunt.

Opera metallorum in igne perficere, ſiue alchimiæ artem exercere. Canon XX.

IN omni illo opere, quod igne ut inſtrumento perficitur, Lunæ locus & aſcendens ſint in ſignis communibus, & igneis conſtituti, ſaluis ambobus ab infortunarum radijs. Similiter ſignificator eius rei, quam igne præparare uolumus, & medium cœli, bene diſponantur, & in bono loco figuræ ſignificatore conſtituto, ut ſi aurum fuerit, Sol: ſi argentum Luna: ſi plumbum, Saturnus: ſi ſtannum, Iupiter: ſi ferrum, Mars: ſi cuprum, Venus: ſi argentum uiuum Mercurius. Hæc uniuerſa his maxime proderunt, qui metallorum metamorphoſim quandam ignis ope facere conantur. Quibus merito gaudendum eſt, quòd authore Auicenna, ſpecies rerum mutari non poſſunt. Nam ſi uotis ipſorũ ſucceſſus reſponderet, nullus egeſtate premeretur, cũ hodie uel ditiſsimos omnia igne illo abſumere, & in uniuerſum decoquere uideamus. Quotus enim quiſq́ eſt, quem hæc fallax nugarum aſſentatrix diuitem fecit? Aſſero igitur aſtrorum influxum ea iuuare, quæ natura duce in factum exire poſſunt, non ea, quæ impoſsibilia ex naturæ ſerie cognoſcuntur.

Arborum pro ædificijs cædendarum, idoneum tempus eligere. Canon XXI.

A Luna decimaquinta uſq́ ad uiceſimam ſecundam arbores excindi debent, ex quibus ædificia quæq́, aut opera publica fabricanda ſunt. His enim tantum octo diebus cæſa materies immunis ſeruatur â carie. Reliquis autem diebus præciſa, interna uermium quaſi ſcabie exeſa, in puluerem uertitur. Præterea hoc quoq́ ea in re obſeruandum eſt, ut poſt Solſtitiũ æſtiuum, uſq́ ad Calendas Ianuarij talis materia cædatur. His namq́ menſibus areſcente humore, ſicciora, & ideo robuſtiora ſolidioraq́ ſunt ligna.

ISAGOGES

QVARTA PARS DE NATIVITATIBVS.

Quæ ante iudicium natiuitatis humanæ conſideranda ſint, patefacere. Canon I.

IN primis uerificetur natiuitas circa gradum aſcendentis quantum fieri poteſt per Animodar, aut moram nati in utero. Deinde per accidentia nati, ſi ſaltem habeat ætatẽ. Quo facto, ſcias nati patriam, genus, pro iudicio particulari. Nam aliter & aliter cœleſtes influxus operantur in uno, quàm in alio. Siquidem actus actiuorum, fiunt in faciente prædiſpoſito. Vide tunc gradum aſcendentis, & anni dominum, cum reliquis angulis, tempore introitus Solis in Arietem proxime præcedentis natiuitatem, & conſidera an dominus natiuitatis, uel locus Solis, uel locus Lunæ, uel locus partis fortunæ, uel medium cœli, aut gradus aſcendentis ſit locus illius fortunæ, uel infortunæ illo anno dominantis, & ex eo auge uel minue bonitatem uel malitiam ſignificatoris, ex quinq; Hylegijs iam dictis. Conſidera etiam ſi eo anno, quo natus eſt, præceſſerit natiuitatem aliqua eclipſis luminarium, aut coniunctio ponderoſorum, uel non ponderoſorum, & aſpice an aliquod Hylegiorum, ſcilicet, aſcendens, locus Solis, locus Lunæ, pars fortunæ, & medium cœli, habeat gradum talis eclipſis pręcedentis, uel coniunctionis. Quòd ſi hoc contingat, pronunciabis nato magnum accidens futurum, ſecundum ſignificationem Hylegij, quod fuerit tali gradu illuſtratum, & hoc accidens poterit eſſe tam in bonum quàm in malum, ſecundum diſpoſitionem eclipſis, uel ipſius coniunctionis magnæ. Conſideretur etiam coniunctionis uel oppoſitionis gradus natiuitatem pręcedentis, ille enim gradus magnam uim habet. Et ſi contingat gradum illum conſtitui in aliquo forti loco figuræ natalis, tunc accidens futurum pronunciabis forte ſecundum naturam loci. Qui ſi fuerit in decima, in honore & magiſterio habebit excellentiam. Si in ſeptima, in cõiugio maximam fortunam, & ſic de alijs locis. Si cum parte fortunę, diuitiarum affluentiam præbebit, & talis gradus habet magnam uim, tam circa uitam, quàm circa corpus, ideo eſt dirigendus ad loca & ad aſpectus, tam fortunarum, quàm infortunarum. Verb. 46. centiloquij dicit: magnam in genituris fœlicitatẽ promitti, tum à ſtellis fixis, tum ab interluniorum cardinib. & loco ⊕ regni, ſi in hæc horoſcopus nati incidat.

An natus nutriendus ſit nec ne, & de Hylech electione iuxta mentem Ptolemæi enarrare. Canon II.

IN primis aſpice an natus ſit nutriendus nec ne, & prognoſticabis ſuper uita. Et licet multæ ſint diuerſitates, tamen rationi congrua hic uidebis. Loca enim idonea Hylegij hæc ſunt, domus prima, domus decima, undecima, nona & ſeptima, & quælibet domus ex eis habet 30 gradus, quinque ſcilicet ante initium domus, & 25 gradus proximè cuſpidem domus ſequentes (æquatoris non zodiaci) & id ſummè notandum uenit.

In diurna natiuitate Regulæ.

PRima, Si Sol in loco idoneo Hylegij repertus fuerit, erit Hylech.

Secunda, ſi Sol non fuerit in loco idoneo, uide Lunam, quæ ſi in idoneo reperta fuerit, erit Hylech.

Tertia,

Tertia, ſi neq; Sol, neq; Luna fuerit in idoneo loco, accipe planetã plures habentẽ dignitates eſſentiales, in his locis tribus, ſcilicet in loco cõiunctionis ante natiuitatẽ, in loco Solis, in aſcendente: Si talis planeta in loco idoneo fuerit, ipſe erit Hylech.

Quarta, ſi talem planetam non inueneris, qui in his dictis locis dignitatem habuerit, & poſſe, tunc uide alium planetam, qui in aliquo dictorum locorum habuerit ad minus tres dignitates eſſentiales, quia ipſe erit Hylech.

Quinta, ſi nullus eſſet planeta, qui in his locis tres dignitates eſſentiales ad minus haberet, tunc gradus aſcendentis eſſet accipiendus pro Hylech.

In nocturna natiuitate Regulæ.

PRima, Si Luna reperta fuerit in loco idoneo Hylegij, ipſa erit Hylech.

Secunda, ſi Luna non fuerit in loco idoneo, uide tunc Solem, qui ſi in aſcendente fuerit, ipſe erit Hylech.

Tertia, ſi neque Luna, neque Sol poteſt eſſe Hylech, conſiderandus eſt Planeta plures dignitates habens, in loco Lunę, oppoſitionis antecedentis natiuitatem, & in loco partis fortunę, & ſi talis planeta eſſet in loco apto pro Hylech, ipſe erit Hylech.

Quarta, ſi talem planetam non inueneris, qui in his locis dignitatem habuerit, inquire aliquem planetam ad minus in aliquo trium dictorum locorum tres dignitates eſſentiales habentem, Et ſi in loco idoneo fuerit, ipſe erit Hylech.

Quinta, ſi nullus eſſet planeta, qui in his locis tres dignitates eſſentiales haberet, conſidera ſi natiuitatem præceſsit proximius coniunctio, quia tunc accipe gradum aſcendentis pro Hylech: Si uero oppoſitio proximius præceſſerit, accipe partem fortunæ pro Hylech.

Cautelæ in Hylech accipiendo.

SI contingeret in Hylech electione, quòd ambo luminaria, uel etiam unum illorum, & planetæ gubernatores uel diſpoſitores dictorum locorum, forent in locis etiam idoneis pro Hylech, eligendus eſt ille planeta, qui eſt maioris uirtutis & poſſe, & in fortiori loco & aptiori pro Hylech, quod diſtinctius ſic accipe: ſi luminare eſſet aptum pro Hylech, & etiam planeta gubernator dictorum locorum, ſi tamen luminare fuerit debilius in teſtimonijs eſſentialibus, uel etiã in debiliori loco, & ipſe gubernator uel diſpoſitor dictorum locorum plura teſtimonia eſſentialia habuerit, & in fortiori loco, tunc talis planeta præferendus eſt ipſi luminari, in dominio Hylech.

Vtrum uita nati ſit longa, uel breuis, determinare. Canon III.

PLVrima in hoc ſunt conſideranda. Primo conſidera Hylech, an ſit fortis, ſcilicet in mundo, id eſt, in ſe, ſcilicet in domo & dignitate propria uel in figura, id eſt loco forti. Quòd ſi fuerit fortis, dic fortitudinem humidi radicalis illius: ſi debilis, è contra. Si diſpoſitor loci Hylech bene ſe habuerit ſecundum fortitudines, ſcilicet exiſtentiæ loci, & propriæ fortitudinis, dicas rurſus complexionem nati fortem & robuſtam. Si autem debilis fuerit diſpoſitor Hylech, natus erit debilis complexionis, citò alterabilis, nec longæ uitæ. Quòd ſi ambo & Hylech & eius diſpoſitor ſe male habuerint, omnium malorum oppugnatione, uitæ abſciſionem pronunciabis. Et nota, quòd & ſi nõ fuerit adhuc directio Hylech ad aliquem malorum, ſed diuiſio Hylech fuerit in fine ſigni, aut in termino malorum, concurrente mala reuolutione, & domino Alinthiæ, ac ſigno profectionis male ſe habentibus, etiam uitæ abſciſionem pronunciare poteris. Et nota, quòd cum Hylech & eius diſpoſitor fuerint fortes, ex ſola malorum directione ad ipſos, etiam admodum potenti, non debes pronunciare uitæ truncationem

tionem,ſed aliquod in corpus accidens,quod natum conducet quaſi ad mortem, ſe-cundum naturam infortunæ. Et in tali caſu fortitudinis, nequaquam iudicabis uitæ abſciſionem,niſi multa occurrerint,maxime nato adhuc iuuene exiſtente. Si uero in ſenio fuerit conſtitutus,eò quòd uirtus Hylegij quotidie remittitur, ex ſola directione,licet non ſit admodum potens,poteris uitę terminum enunciare.Item etiam conſiderandum eſt, utrum eclipſis aliqua gradum aſcendentem, aut aliquem angulum figuræ occupauerit. Nam in tali caſu niſi admodum fuerit potens uitæ ſignificator, uitæ truncationem enunciabis.

Complexionem corporis ac ſanitatem & ægritudinem nati prognoſticare. Canon IIII.

HAec demonſtranda ſunt,ex aſcendente,Luna et ſexta ac eius domino. Si autem in aſcendēte fuerit infortuna,aut radij eius,dic malam corporis futuram complexionem, & quòd natus multum aptus eſt ad ægritudines.Idem dicas ſi Lunam inueneris male diſpoſitam,& maxime ſi fuerit alligata ſextæ domui, uel domino ſextæ, quæ ſignificatio etiam augetur ex exiſtentia infortunæ in ſexta, præſertim Saturni, qui plurimas in iſto loco dat ægritudines.Et ſi unum ex his ſignificatoribus corporis reperies male diſpoſitum, dic non multas ægritudines futuras. Si autem omnes,aut maiorem partem malę diſpoſitionis reperies,dic ex communi mala reuolutione,aut ex quacunqꝫ cauſa,licet parua,natus ægritudinem incurret.Magnitudinem ægritudinis pronunciabis,quotieſcunqꝫ reperies ſignificatores malos in angulis, aſpicientibus loca prædicta,uel ſi luminaria fuerint,ab his malis ſic aſpicientibus loca ipſa,male aſpecta.Tūc enim magnas fore ægritudines pronunciabis,quæ quidem corpus aliquando ita male diſtemperabunt,quòd uix ad priſtinum ſtatum poterit redire.Naturam ęgritudinis cognoſces ab infortunis, & à ſignis,quæ ab eis aſpecta fuerint, loca & corporis membra,quæ ægrotabunt pronunciabis.

Subſtantiam atqꝫ diuitias nati dijudicare. Canon V.

COnſidera partem fortunæ,quæ ſemper proijcitur a Sole in Lunam,excepto cum anteceſſerit plenilunium, & in ipſo plenilunio Luna fuerit potentior Sole, tunc enim ècontra à Luna in Solem proijcito. Quòd ſi partem fortunæ in angulo reperies, ac dominum eius fortem ac potentem, dic quòd natus diuitias plurimas habebit. Si autem pars fortunæ fuerit in cadente,& dominus eius debilis,pauper futurus eſt.Et nota,ſi diſpoſitor partis fortunæ fuerit fortuna, largitatem & affluentiam diuitiarum pronunciabis,de quibus natus gaudebit,& bene ſibi faciet. Si autem infortuna fuerit fortis in figura, diuitias nato dabit, ſed per fas & nefas,& cum infamia. Quòd ſi talis fuerit Saturnus,nec ſibi nec alijs benefaciet, imò auarus theſauriſabit. Si Mars,ex uiolentijs & litibus diuitias aggregabit: quas tandem diſsipabit,& quæ in propria familia parum durabunt. Si Mercurius fuerit ſubſtantiæ ſignificator, diuitias quàm plurimas promittit ex mercibus,aut literis acquiſitis,ſed parum durant diuitiæ à Mercurio datæ. Venus autem affluentiam præbet ex donationibus,quas natus in laſciuijs, ueſtibus,cibo ac potu plurimum erogabit. Non poſtponas dominum ſecundæ, & ſecundam domum, quia ſecundum qualitatem, bonitatem & malitiam & fortitudinem ac debilitatē diuitiæ per partem fortunę ſignificatæ, augentur & diminuuntur.

Dignita-

Dignitatem atq; honorem nati declarare. Canon VI.

Dignitas principalis elicitur ex diſpoſitione Solis, qui ſi fortis fuerit, puta in aſcendente uel medio cœli in ſuis dignitatibus, aut eius diſpoſitor fuerit in angulo & dignitate, natus ad magnam dignitatem perueniet, ſecundũ menſuram geniturę. Quòd ſi contrariũ reperies, contrarium dicito. Item ſi Sol â pluribus et ijſdẽ matutinalibus planetis fuerit circundatus, & ipſi circundantes fortes extiterint, natus magnã dignitatẽ habebit. Præterea aſpice medium cœli & eius dominũ, an dominus aſcendentis illos aſpiciat bono aſpectu. Si eñ dominus aſcẽdentis fuerit in medio cœli aut in aſcẽdente, natus habebit dignitatem, & Principũ amicitiam, magiſtratus & officia. Quòd ſi dominus medij cœli fuerit alienus â domino aſcendentis, & male diſpoſitus reperitur, dic nato nullam futurã dignitatẽ. Et in hoc aduertas, quôd diſpoſitio medij cœli & domini eius, eſt debilior diſpoſitione Solis. Quare ſi Sol circũdatur à bonis planetis, etiam medio cœli et domino eius male diſpoſitis, promittas audacter dignitatẽ et honores, ſed nõ cũ tanta facilitate, nec tã magnas. Nã quo plures fuerint cõſtellationes cõſentientes, eò magis multiplicabũtur effectus. Pręterea cõſidera etiã ſtellas, pręſertim eas quę fuerint primæ aut ſecundę magnitudinis, & quæ paruã latitudinẽ ab ecliptica habuerint, nam dant maximas dignitates & honores, et tales, quas nunquam quiſquam exiſtimaſſet, etiam ſi natus ſit obſcuro genere ortus. Nam ſi ſtella fixa fuerit in aſcendente, aut decima, aut ſeptima, aut cum Sole de die, ſiue cum Luna de nocte, aut cum parte fortunæ, quia in his locis maximã habet influentiam, etiam ſi in cuſpide aliarũ domorum inueneris ſtellam fixã, dic accidens futurum eſſe illius naturæ, cuius fuerit influentia domus illius. Verbi gratia: Si reperiatur ſtella fixa in quinta domo, natus habebit pulchros filios, nobiles, bene fortunatos, & qui diu uiuent. Et ſic de alijs.

Mors nati, an ferro, igne, aqua, ruina, ſuſpendio, nece, incurſu ferarum, aut ægritudine fiat, edocere. Canon VII.

Conſidera hos ſignificatores, infortunas, angulos, luminaria, octauam & dominũ eius. Si eñ infortunæ fuerint potentes in angulis, et aſpexerint luminare temporis, aut ambo luminaria malo aſpectu, erit mors mala. Idem dic ſi fuerint in octaua, aut in malo aſpectu aſcendentis. Genus mortis cognoſcitur à ſignificatore malo, & à loco in quo fuerit, & à ſigno in quo moratur, & à commixtione cũ alijs, & à diſpoſitore. Nam ſi plura fuerint teſtimonia Martis, ferro, igne, aut trũcatione, aut membrorũ laceratione, aut caſu, malam mortem pronunciabis, ſecundum quod Martis diſpoſitio uidebitur magis ad unam, quàm alteram ſe conuertere. Verbi gratia: Si in humano ſigno extiterit, ab homine occidetur: ſi in igneo, combuſtione: ſi in terreo, ruina aut caſu, & ſic de alijs. Si uero in teſtimonio Saturni fuerit, hæc mala mors erit ſtrangulatione, ſuſpendio, aut ueneno, in locis ſecretis, aut in carcere, aut ſubmerſione, ſecundum naturam & commixtionem Saturni. Nam ſi in decima fuerit, & fuerint cum eo malæ mortis ſignificatores, in alto loco, uel ex alto morietur, puta ſuſpendio, maxime cum fuerit in ſigno aërio. Si uero in quarta, & in ſigno aqueo fuerit, in aquis uitam finiet. Tamen aſpice in hoc etiam regulas Ptolemæi & aliorum, quæ hic ob breuitatem obmittuntur. Tempus igitur in quo talis mors expectetur, erit, cum Hylech dirigitur ad prædicta loca infortunata, uel quando continget aliqua peſſima reuolutio, quę ſimilis eſſet natiuitati, & Hylech eſſet in termino illius infortunæ. Quòd ſi effectualiter non ſequeretur illa mors mala, foret tamen eo anno in maximo illius malæ mortis periculo, quemadmodum his contingit, qui ſubmerguntur & tandem euadunt. Et ſicut illi, qui damnantur morte publica, & tamẽ poſtea fit eis gratia. Si autem for-

tunæ aſpexerint bono aſpectu aſcendens & luminaria, aut octauam domum, morietur ex morbo diſſoluente uitam ipſius, qui à planeta abſcindente procedet, & ſigno in quo eſt, & diſpoſitoris. In hac materia etiam recurras ad regulas & canones authenticorum autorum. Reliquæ autem ſignificationes, quæ in natiuitatibus conſiderantur, & ſi debiliores eſſe cognoſcantur, tamen non ſunt ſpernendæ, eò quòd multi autores de eis determinauere, ueruntamen in eis non eſt multum inſiſtendum. Quia & ſi cœlum non mentiatur, attamen propter diuerſitatem conſtellationum, poſſent aliquandò accidere, ut conſtellationes, quæ ſubſecuntur, fraudabant eas, quæ in natiuitate aſpexeris. Verbi gratia: Si in natiuitate alicuius uideas filios morituros, poterit eſſe, quòd naſcetur ſibi filius, qui tempore ortus ſignificatorem uitæ ita potentem habebit, quòd uiuet longa uita, ubi tamen in natiuitate patris promittebas nullum ex filijs uicturum longo tempore, & ſic de cæteris locis. Attamen in pluribus eueniet iudicium uerum iſtarum rerum, licet non ita neceſſario, ut in alijs ſupradictis conſiderationibus.

An natus fratres habebit, & utrum ſint uicturi, & an fortunati, etiam an fiet amor inter eos, oſtendere. Canon VIII.

CONſidera tertiam domum & dominum eius, & planetas in ea ac eam aſpicientes. Qui ſi boni fuerint, fratres ſignificat plures, & eoſdem uitales & fortunatos. Si uero mali, paucitatem fratrum, & eorum infortunium. Item ſi dominus tertiæ aſpexerit aſcendens uel dominum eius aſpectu bono, ſignificat amicitiam, ſi malo, odium. Conſidera etiam partem fratrum, & eius diſpoſitorem, quia habet magnam in eſſe fratrum ſignificationem. Hoc modo iudicabis de reliquis domibus omnibus, conſiderando ſignificatores & eorum diſpoſitores, animaduertendo eorundem fortitudines, & debilitates, ac partes & eorum diſpoſitores. Et iudicabis bonum, ſi boni diſponant, & malum, ſi mali diſponant, & hæc in generali. Qui autem particularia uolunt, legant authores claros huius materiæ.

Tempora accidentium determinare. Canon IX.

PRimo oportet de unoquoq; Hylegio facere directionem ſecundum tabulas primi mobilis, & cum gradus Hylegiorum peruenerint ad corpora uel radios bonorum, eo anno bonum accidet nato, de natura illius ſignificatoris & promiſſoris. Verbi gratia: Si Sol dirigitur ad corpus uel radios Iouis, eo anno habebit honorem. Magnitudo aũt & excellentia honoris capitur, tam à ſignificatore, quàm à promiſſore. Vnde ſi Sol fuerit potens in exẽplo ſupra dicto, & Iupiter promiſſor, & ambo in angulis, aut ſuis dignitatibus, iudica eo anno prælaturam, aut iudicij dignitatem maximam, & adminiſtrationem alicuius magnæ rei, & cum aliquo principe amicitiam. Cum autem gradus Hylegiorum peruenerint ad corpora uel radios malorũ, eodem anno habebit accidẽs pernicioſum ſecundum naturam, tam ipſius ſignificatoris, quàm promiſſoris. Magnitudo aũt ſeu excellentia accidentis, capitur ſecundum fortitudinẽ, ſiue debilitatem promiſſoris tantum, quia ſi ſignificator fortis fuerit, & promiſſor debilis, tunc parũ nocebit illa mala directio. Si uero debilis fuerit ſignificator & fortis promiſſor malus, tunc accidentis magnitudo erit in eo genere, in quo demonſtratur ab ipſo ſignificatore. Sed non exiſtimes directiones nobis demonſtrare tẽpora limitata, uſq; ad menſem & diẽ, niſi te adiuues cum reuolutione illius anni, in quo contingere debet tale accidens, quare eriges figuram reuolutionis, & aſpicies, ſi ſignum profectionis concordat cum mala directione quòd ſignum fuerit ex ſignis, quæ erant in duodecima, ſexta, octaua, uel quòd in eis fuerint mali uel radij eorum, tunc iudicium habes certiſsimum de malo accidente.

Quare

Quare aſpice, quo tempore commiſcebitur, ſiue per corpus, ſiue per aſpectum, dominus profectionis cum gradu directionis, uel cum domino directionis, id eſt promiſſore. Et iudica, quòd erit tali tempore, uel cum profectio menſurna ueniet ad ipſum gradum directionis, & maxime illa die, qua Luna coniunget teſtimonia ſignificatorum per malum aſpectum, ſcilicet ſeparando ſe ab uno, & applicando alteri per tetragonum uel oppoſitum.

Durationem accidentis à directione prouenientem notam facere. Canon X.

MAla impreſsio facta in directione durat uſq; quo ſignificator ad aliũ dirigitur. Veruntamen accidentia eius maxime apparent anno, quo contingit talis directio, & maximè directiones, quæ contingunt ad ♄. Illæ uero, quę ad ♂ citius terminantur & uidentur terminari, eo anno, quo directio uadit ad ♂. Quando uero ad ♄, tunc uidetur infortunium à ♄ datum durare per multos annos, quemadmodum contingit quempiam infortunari ac incarcerari, & infirmari, & alia plura infortunia pati non ſolum eo anno, quo extat directio ad ♄, uerum etiam per decem annos aut duodecim patietur has tribulationes uiciſsim, modo uno anno infortunatur, modo alio incarceratur, modo alio patitur damnum in ſubſtantia, modo alio in filijs, & ſic uidetur tranſire de uno infortunio in aliud, quouſq; permutetur talis directio. Et licet ♂ uideatur, ut dictum eſt eo anno, quo fit ad ipſum directio, terminare accidentia, non tamen fit, quin etiam ulterius durent ipſius impreſsiones. Quemadmodum contingit, quòd quiſpiam pluribus annis ſtabit in litibus, rixis & controuerſijs. Et nota, quòd eo anno, quo teſtimonia reuolutionis magis erunt conuenientia ſignificationi directionis, eodem anno magis uigebunt ipſius directionis accidentia. Et quemadmodum dictum eſt in malis directionibus, ita ſimiliter eſt conſiderandum in bonis. Nam contingit, quòd quis proſperabitur uario genere fœlicitatum, & durabit pluribus annis.

Item de tempore. Canon XI.

COnſiderandum primo, ſub qua diuiſione unumquodq; Hylech reperiatur, & ipſius influentiam nota. Poſtquàm autem percepiſti, quis ſit dominus radij, id eſt, ad quem planetam fuit facta directio. Poſtea conſidera ſigna profectionum omnium Hylegiorũ, pręſertim aſcendentis, quia cęteris eſt potentior. Et cum uideris plura concordare adinuicem, ſiue in bonũ ſiue in malũ, iudica eodẽ anno accidens futurũ. Quod ſi uolueris ſcire quo tempore anni fiet, conſidera reuolutionem. Et quando dominus profectionis uenerit ad terminum uel gradum directionis, id eſt, diuiſionis uel profectionis, eo tempore uel ijſdem diebus apparebit accidens. Si uero ſignificator reuolutionis fuerit per commixtionem in aliquo loco cœli, ut puta, quia in reuolutione ponit ſe in locum quo fuerat alter in radice, tunc apparebit accidens, cum per proprium motum in anno reuolutionis iterum tales planetæ commiſcentur, id eſt, cum profectio ſignificatoris peruenit ad locum □ uel ☍ alterius, ſiue reuolutionis, ſiue radicis, ſiue etiam loci in quo eſt motus uel tranſitus illius diei. Verbi gratia: Profectio Lunæ in 12 gradu ♈, erat ad quintam, id eſt, ad locum Martis in 10. ♌. Quando igitur profectio Lunę peruenit ad ☍ Martis, qui per motum ſuum iam erat in 22 ♋, fuit uulneratio. Et ſi aliqua ſignificatio fuerit alicui planetæ, & non fuerit per cõmixtionem, & in caſu pręnarrato, tũc dic accidens appariturũ, quando ille planeta erit fortior & potentior. i. orientalis, uel intrans domũ ſuam in anno reuolutionis. Et nota quòd etiã tranſitus planetarũ multum operantur, cum ipſi tranſeunt per loca, quæ ſignificationem aliquam habent. Sed non, ut multi arbitrantur, tranſitus ſemper inducunt effectus ſuos, quia nõ inducũt effectus ſuos, niſi cũ ipſi planetæ tranſeuntes habent aliquam ſignificationẽ

uel teſtimonium in reuolutione, aut quôd ipſi ſint domini radij uel diuiſores. Genera accidentium ex multis eliciuntur, de hoc uide Hali Abenragelem in reuolutionibus natiuitatum, ubi dicit: Planeta habens poteſtatem in anno, maxime ſi fuerit diſpoſitor in radice, ſi fuerit in locis diſpoſitionis, id eſt, ſigno profectionis, uel eô aſpexerit, erit augmentum accidentis, ſi conuenienter aſpexerit, id eſt △ uel ⚹, concordans cum loco radicis, bonum ſignificat. Si inconuenienter, id eſt □ uel ☍, malum. In alijs ſtatibus nihil operatur.

Obſeruationem temporum futurorum accidentium natiuitatis ex directionibus, diuiſionibus, atq; profectionibus definire. Can. XII.

PRimo conſidera quinq; Hylegia, aſcendens, Solem, Lunam, partem fortunæ, medium cœli, & coniunctionem uel oppoſitionem, quæ præceſſit immediate natiuitatem. Deinde conſidera eorum directiones ad malos & ad bonos, quæ inducunt tunc affectum durantem, quo uſq; alteri loco applicabunt. Et iſtud appellatur tempus uniuerſale, quod obſerua in ſingulis ſupradictis ſignificatoribus dirigendis. Et ſub iſto tempore uniuerſali, conſtituitur aliud tẽpus particulare, quod eſt, quia ſignificatoris directio, quæ aliâs diuiſio appellatur, nunc in uno, nunc in alio ſigni termino reperitur, & hoc tẽpus auget uel minuit ab influentia primi temporis. Tempus tertium eſt profectio ſignificatoris, quæ ſingulis annis permutatur à ſigno in ſignum. Et in hoc tempore alia imprimitur diſpoſitio bona ſiue mala, quę diuerſimode conſiderata, ſiue fortis ſiue debilis fuerit, augebit uel minuet ſignificata annorum tempor℞ pręcedentiũ. Extat & tranſitus planetar℞ per loca neceſſaria, qui tranſitus etiam diuerſimodè cõſideratur. Nam in ♄ tranſitũ eius corporis conſideramus per loca temporũ uniuerſalium. In ♃ conſideratur tranſitus corporis eius per loca annorũ, hoc eſt, per ſignũ profectionis annuæ. Martis aũt Solis, Veneris & Mercurij, cõſiderantur tranſitus eorum per loca profectionis menſurnæ, & Lunæ per loca profectionis diurnæ. De bonitate aut malitia accidentis, conſideratur ex diſpoſitione illorum planetarum gubernantium talia tempora. Qui ſi boni, & cũ illa concordantes fuerint, bonũ ſignificant de natura illius planetæ. Si uero mali & diſcordantes, malũ ſignificant de natura illius mali planetę. Et magis apparebit accidens, cum planeta dominabitur diſpoſitioni temporis, qui fuerit illius rei diſpoſitor in radice natiuitatis. Verbi gratia: Dominabatur Saturnus in diſpoſitione temporis uniuerſalis, circa eſſe corporeæ diſpoſitionis, nam fuerat ob ſitum in aſcendente diſpoſitor corporis. Tunc enim apparebit magis accidens, quàm ſi fuiſſet ſimplex dominator temporis uniuerſalis, & tunc etiam apparebunt fortiora ſignificata, quando plures concordabunt uel concurrunt directiones uno tempore concordantes, ſiue in bonum, ſiue in malum.

Experimentum de tranſitu domini aſcendentis ſuper gradum infortunæ radicis natiuitatis. Canon XIII.

TRanſitus domini aſcendentis natiuitatis ſuper gradum infortunę radicis, illa die infortunat natum iuxta poſitionẽ infortunę in domo reuolutionis, maxime ſi illa infortuna dominũ habuerit in anno, Verbi gratia: ♄ fuit in radice in 19 gradu ♋ in domo decima, ♎ exiſtente aſcendens radicis, & in reuolutione poſuit ſe ♄ in 12. Quando igitur ♀ domina aſcendentis natiuitatis per tranſitum ad 19. Cancri peruenit, fuit natus captus &c.

Aliud experimentum de parte fortunæ. Canon XIIII.

PArs fortunæ quæ accipitur à ☉ in ☽ tempore reuolutionis natiuitatis in die, uel ecõtra in nocte, & proijcitur ab aſcendẽte reuolutionis, ſi eam aſpexerit aliquis ſuorum dominorum, lucrabitur natus illo anno &c.

F I N I S.

DE IVDICIIS NATIVITATVM CLARISSIMI MATHEMATICI IOANNIS SCHONERI CAROLOSTADII LIBER PRIMVS.


Prolegomena operis ante iudicium natiuitatis conſideranda.


SOLENT omnes in hoc eſſe concordes Aſtrologi, quòd ex figura & diſpoſitione cœli, quæ eſt hora exitus infantis de utero, poſſint ea quæ â natura futura ſunt, illi qui tunc naſcetur, præuideri. Quare pro uera figura inueniẽda, antiquiores uarias excogitauere regulas. Nam quidã uoluerunt, ut Ptolemæus & alij, quòd Almuten loci Coniunctionis uel Oppoſitionis immediate præcedentis natiuitatem, ſit tantæ fortitudinis & potentiæ, ut omnia quæ in eodem menſe fiunt, ad illius dominium referenda ſint. Quare & Meſſahala rerum cœleſtium antiquiſsimus ſcriptor, quando dominum Coniunctionis uel Oppoſitionis immediatè natiuitatem præcedentis, in figura quæſtionis alicuius propoſitæ, inueniebat in aliquo angulo, maximè cum aliqua dignitate, ipſum accipiebat pro ſignificatore, & nõ alium; nam hoc erat unum ex ſecretis eius. Eadem etiam in hoc caſu intentio Ptolemęi fuit, quòd ſi pręciſum Aſcendens natiuitatis haberi non poſsit, quôd illud per animodar inueſtigari rectè ac certò poſsit. Nam per illud inuenimus eum gradum aſcendentis, qui multum conformis erit partui naturali poſt uerũ gradum aſcendentis, ſi ipſe, ſcilicet per Animodar, non ſit ille, qui gradus inuentus habet ſimilitudinem cum numero Almuten regulatore, ratione motus. Inſuper alij, ut Hermes unus uoluit, quôd hora natiuitatis, quam uocat principium ſecundum, colligata ſit naturaliter cum hora conceptionis, quam uocat principium primum, propterea quòd natura cum ſecundum qualitates primi principij operando fœtum compleuerit, cogat infantem exire in ea hora, quæ ſit ſimilis, & cõueniens horę principij primi. Hinc dixit: Quôd locus Lunæ in hora caſus ſpermatis, ſit Aſcendens in natiuitate, & in eo loco, qui erat Aſcendens in conceptione, reperiatur Luna in natiuitate. Volenti igitur ordiri iudicium, neceſſe eſt horam adæquare. Sunt autem duo modi poſiti â Ptolomęo, primus per Animodar, ut in quadripartito. Secundus per Trutinam Hermetis, ut in Centiloquio uerbo 51. De quibus uide ſequentia.

Modus inueſtigandi uerum gradum Aſcendentis per Animodar.

OBLAtum tempus natiuitatis, uocamus æſtimatam natiuitatem, ſi per inſtrumenta correctiſsima non fuerit obſeruatum & inquiſitum. Si hoc tempus per Animodar Ptolemæi uerificari uolueris, erige primo figuram cœleſtem ad tempus oblatum, & ſi horam natiuitatis præceſſerit coniunctio luminarium, uide diligenter quis planetarum plures dignitates eſſentiales in gradu illius coniunctionis habuerit, & gradum & minutum eiuſdem planetæ, in quo inuenitur tempore natiuitatis, collocabis in Aſcendente, ſi ei proximior fuerit ſecundum quantitatem diſcretam, ſiue Arithmeticam. Aut in Medio cœli, ſi numerus graduum & minutorum illius planetæ propior fuerit gradibus Medij cœli quâm Aſcendentis. Deinde abſolue figuram ita rectificatam per Animodar. Si uero diem natiuitatis oblatum immediatè præcederet plenilunium, ſumito gradum luminaris tunc eminentis ſupra terram, & uide tum quis planetarum, potiores in eo loco habuerit dignitatés eſſentiales. Deinde ad inſtar planetæ habentis in loco Oppoſitionis plures pręrogatiuas, rectificato figuram cœleſtẽ, ueluti iam

didiceras, eritq́ per Animodar examinata. Nam iſto modo uerificauerunt Ptolemæus, Abrahamus Auenezre, Omar & alij, & non ſecundũ quantitatem continuam ſiue Geometricam, ut Alchabitius uoluit. Accipe huius hoc exemplum: Quidam magnificus dominus natus fuit anno Domini 1459. currente die 22 Martij à meridie horis 4. minutis 49, non æquatis diebus. Sed ęquatis diebus, à meridie horis 5. cuius figura æſtimatiua hic ponitur.





Hanc natiuitatem immediate præceſsit oppoſitio luminarium, quæ fuit anno fluente 1459, die 18 Martij, à meridie horis 18. min. 4. & fuit diurna, & locus Solis ſupra terram in 7. gra. 18. min. Arietis. Victor ſiue Almuten in loco Oppoſitionis fuit Sol. Quære igitur uerum locum Solis ad tempus natiuitatis oblatum, qui reperitur in gra. 10. min. 40 Arietis. Hic tamen notandum, quòd ſi contingeret Lunam eſſe uictricem, quęrendus erit locus eius uerus, diebus æquatis. Quocunq; autem reliquorum planetarum uictore exiſtente, non oportebit locum eius quærere æquatis diebus. Cauſa huius eſt tarditas motuum, quæ non ſinit in tempore 31. minut. (ſcilicet maximę ęquationis dierum) accidere errorem dignum emendatione. Numerus itaq; graduum Solis uictoris, ſimilior & uicinior eſt gradui Medij cœli æſtimatiuæ natiuitatis quàm Aſcendentis, quamobrem ſecundum pręceptum artis, Mediū cœli eſt conſtituendum ſimile gradibus & minutis Solis, hoc eſt, in medio cœli iubemur ponere 10 gra. 40 minu. Geminorum, & ſecundum hunc erigere figuram, & erit per Animodar iuſtificatū. Notandum tamen quòd uia animodar propter tantam diſsimilitudinem graduum hic locum non habet, eò quòd medium cœli deberet eſſe 10 gra. 40 min. Geminorum, quare exanimanda erit per Trutinam Hermetis.

Secunda uia indagandi uerum Aſcendens per Trutinam Hermetis.

Vide diligenter locum Lunæ hora æſtimatæ natiuitatis, & ſi tunc ante natiuitatem per aliquot dies Venus uel Mercurius, fuerint in tali loco Lunę, habueritq; tunc Luna in loco Veneris uel Mercurij poteſtatem, feceritq; cum aliquo eorum quadratum aſpectum: Scias tunc infantem egreſſum uterum matris per dies 7. ante moram ueram. Nam Venus & Mercurius maturant opus Lunæ. Vide etiam ad Martem, & ad locum Lunę hora conceptionis. Nā ſi fuerit Luna in Martis domo, termino uel exaltatione, et quod tunc Luna Marti coniungitur, tunc natus fuit egreſſus ante complementum moræ. Quòd ſi aliquem iſtorum modorum in aliqua genitura inueneris, tunc mora in tali genitura, erit omittenda, & recurrendum erit ad Animodar. Sed pro Trutina, uide primo locum Lunæ, per quem uide eius diſtantiam, uel ab angulo Orientis, uel occidentis, ut res ipſa poſtulabit, ſcilicet à gradu cum quo Luna oritur uel occidit. Nam ſi Luna tunc ſupra terram fuerit, eam diſtantiam quære in tabula Morarum ſequenti, & inuenies dies moræ, in priori quidem ordine numerorum, ſi Luna ſub terra fuerit, aut in ultima linea tabellæ, ſi tempore natiuitatis ſupra terram extiterit. Notandum tamen, quòd tales moræ, etiam ſi diuerſæ fuerint, nos ſolum ducunt ad propinquitatem diei, uel temporis remotæ conceptionis. Eam moram ſubduc à tempore natiuitatis, uel eandem numera à tempore natiuitatis retro, biſextum tamen præcauendo, & ubi numerus dierum terminatur, ibi erit dies conceptionis æſtimatæ, in qua ſi tunc Luna reperiatur in ſigno Aſcendentis natiuitatis æſtimatæ, uel in oppoſito eiuſdem cum numero tamen graduum maxime minori, ſcias te certo calculo uerum attigiſſe ſcopum, alioqui locus Lunæ ad diem ulteriorem quærendus erit. Nam in tali caſu per unum uel duos dies antecedere ne timeas, quouſq; locum Lunæ proxime minorem aſcendente natiuitatis æſtimatæ inueneris, quæ erit dies conceptionis, quoniam ſic uera natiuitas, æſtimatam pręcedet. Sunt tamen qui hoc idem etiam indifferenter de ſequentibus accipiunt diebus, & ſic ſecundum illum ſequentem locum Lunæ proximiorem, natiuitas uerificata, ſequeretur æſtimatam, quod uериſimile minime cenſebitur. Nam obſtetrices & aſsiſtentes partui, bona noua parenti demum nunciant poſt abruptionem cotilidonum, & perfectam infantium mundatio-

nem, & rarò in uera natiuitate, quæ eſt, dum fœtus eſt medius extra, & medius adhuc in utero materno. Quare ut cõmuniter uera natiuitas præcedit illam ab obſtetricibus datam.

Tabula moræ fœtus in utero matris.

S.	g.	dies		dies	
0	6	273	media	258	minor
0	12	274		259	
0	24	275		260	
1	6	276		261	
1	18	277		262	
2	0	278		263	
2	12	279		264	
2	24	280		265	
3	6	281		266	
3	18	282		267	
4	0	283		268	
4	12	284		269	
4	24	285		270	
5	6	286		271	
5	18	287		272	
5	29	288	maior	273	media

☽ Sub terra ab aſcendente. ☽ ſupra terram à ſeptima.

Horam autem conceptionis ita inuenies: Subtrahe aſcenſionem rectam Solis meridiei conceptionis à Capricorno inchoantem (quam habebis additis 90. gradib. aſcenſioni rectæ ab ♈) ab aſcenſione obliqua Lunæ natiuitatis æſtimatæ ab Ariete, & relictum conuerte in horas & minuta, & prodibunt horæ conceptionis. Ad illud tempus conceptionis ſic inuentum, quære uerũ locum Lunæ, qui erit gradus uerus aſcendentis natiuitatis, & gradus aſcendentis hora conceptionis, erit uerus locus Lunæ in genitura. Exemplo iſto clarius rem intelliges: In præcedẽti æſtimatiua natiuitate, inuẽta eſt Luna in 18 gradu Scorpionis, in tertia domo. Diſtantia eius ab angulo Orientis, ſub terra, iuxta eius longitudinem, fuit graduum 52 ferè, id eſt, Signũ 1. cum 22. gradibus, quare mora eius in utero materno fuit dierum 277, quæ retro numerata, ducit me ad diem 17 Iunij, Anni currentis 1458.

Pro hora conceptionis.

Locus Lunæ natiuitatis æſtimatæ eſt 18 Scorpionis, eius gradus aſcenſio obliqua ab Ariete 245.41.

Locus Solis meridiei conceptionis 3.17 Cancri, Aſcenſio recta eiuſdem loci à Capricorno numerat 183.35. Differentia harum Aſcenſionum rectarum grad. 62 minut. 6. faciunt horas 4. minut. 8.

Fuit igitur conceptio anno 1458 currente, die 17 Iunij, â meridie horis 4, min. 8 elapſis. Huius temporis fuit locus Lunæ uerus graduum 18. min. 4 Virginis, Aſcendens natiuitatis per Trutinam Hermetis examinatum. Illud quidem indicat Trutina Hermetis, uerum cum dixerunt obſtetrices in contactu quintæ natum fuiſſe, quid facias? an Trutinam ſequaris, an certam relationem? Item ſecundum uiam Animodar, Aſcendens deberet eſſe 15 Virginis, & medium cœli 10 gra. 40 min. Geminorum. Magis itaq; concordant Trutina & Animodar inter ſe, quàm cum relatione alterũ eorum. Sic ſecundum relationem natiuitas fuit hora 5. ſecundum Trutinam, hora 4. minut. 8. Secundum Animodar hora 3. minut. 59. Ecce Animodar ferè conuenit cum Trutina, quare neq; Trutinæ, neq; Animodar adhærebo, ſed potius relationi certæ. Si autem poſſes habere tempus præciſum, accipiendo altitudinem Solis, uel alicuius ſtellæ cum inſtrumento correctiſsimo, nihil eſſet melius. Quòd ſi hoc fieri nequit, habeas tempus æſtimatum propinquiſsimum, & quantò propinquius, tantò melius. Caueas etiam à principijs & finibus ſignorum, quando cadunt ad Aſcendens, quoniam hora æſtimata, poteſt eſſe poſt tempus uerum, & ſic aſcenderet forte principium ſigni, ubi tempore præciſo, aſcendebat finis alte-

rius

rius ſigni,& tamen Almuten oſtenderet tibi gradum aſcendentis æſtimatæ natiuitatis,ubi deberes ponere ſignum pręcedens,Et ſic in hoc caſu,poſſes errare. Ideo uolo te bene ac diligenter exploratum habere,& tempus natiuitatis uerum & ſignum aſcendens. Nam ſi errabis in 4 minutis temporis, errabis quoq; in directionibus ſignificatorum per annum unum integrum. Quia 4. minutis temporis in ſphęra recta coaſcendit 1. gradus æquatoris,qui in directionibus faciunt annum unum.

Tertius ac certior modus idem inueniendi,per accidentia nati.

Ego uerò cum non multum tribuam prędictis modis uerificandi genituras (nam eos plus inueni habere erroris quàm certitudinis) in hunc modum procedo,Cum mihi relatum fuerit tempus alicuius natiuitatis, primum conſtituo eiuſdem temporis figuram cœleſtẽ,cum impoſitione locorum planetarum.Deinde diligenter exploro annos & dies,quibus tali nato aduerſa in corpore ſuo acciderunt. Quibus cognitis, quæro in Ephemeridibus an aliqua ex fortunis tali die,quo illi accidit corporis aduerſitas,feriat gradum Aſcendentis talis erectæ figurę per tranſitum corporalem eius,uel per radium eius maleficum,uel propè. Quòd ſi hæc contigerint,dico gradum & minutum,talis infortunæ fore aſcendens uerum natiuitatis. Hoc tamen ſummè notabis, quòd Saturnus per tranſitum corporalem, uel per quadratum,uel oppoſitum ſuum, faciet ſecundum ſui naturam melancholicas tam mentis quàm corporis paſsiones,uel etiam infirmitates Saturninas. Si autem Mars tranſitum fecerit ſuper Aſcendens genituræ, facit iracundum animum, dat uulnera,combuſtiones,aut Martiales infirmitates &c. Examina etiam tranſitum domini Aſcendentis, atq; Almuten natiuitatis, quando meant per loca infortunarum,uel per eorꝝ radios maleuolos talis genituræ. Sunt tamẽ accidentia quædam corporis,quæ non per tranſitus ſuper aſcendens,ſed per profectiones,uel per directiones ſignificatorum ad promiſſores contingere poſſunt. Per ea enim quæ per profectiones annuas fiunt,tali uia ſoleo procedere:Primũ uideo diligenter an etiam profectio annua Aſcendentis genituræ propoſitæ, anno ſcilicet accidentis,poſſet pertingere ad corpus uel radios malignos alicuius infortunæ. Quòd ſi ſic euenerit,numerabo dies intermedios,inter diem natiuitatis & diem accidentis. Deinde hos dies intermedios extendo per ſex,id eſt,duco in ſex,& fient ſextæ dierum. Has ſextas dierum diuido demum per 73. (nam 73 ſextæ dierum, faciunt unum gradum in annuis profectionibus) & prouenien s,oſtendit gradus,& remanentia minuta. Hos gradus & minuta, ſubtraho à loco promiſſoris accidentis, & remanebit uerus gradus,& minutum aſcendentis genituræ propoſitæ.

Exemplum meæ genituræ: Ego fui natus Anno 1477 labente, die 16 Ianuarij,à meridie 11 horis, in latitudine 50 graduum, iuxta annotationem ſcripti pij mei genitoris,ac rationem chariſsimæ matris,anno autem ætatis meæ 53 completo, die prima Ianuarij, feci caſum lœtalem ab alto, cuius caſus cauſa fuit Saturnus retrogradus in Leone in decima domo meæ genituræ. Per hunc caſum notabilem(qui ita ex radice proceſsit)uolui examinare gradum Aſcendentis natiuitatis meæ. Vidi enim quòd tali anno fuit profectio annua Aſcendentis ad Cancrum,& antea quàm compleretur annus, pertingebat profectio talis ad ſignum Leonis, in quo fuit Saturnus in radice natiuitatis meæ. Numeraui ergo primo dies intermedios à die natiuitatis meæ in diem primum Ianuarij,ſcilicet accidentis, & reperi dies 349 qui per ſenarium aucti,faciunt 2094 ſextas ſcilicet dierum. Hos diuiſi per 73 ſextas,& uenerunt gradus 28. minuta 50. quos ſubduxi à loco promiſſoris accidentis genituræ meæ, ſcilicet à S.4.gra.20.min.32, loci Saturni, in reſiduo fuère gradus 21.min.42.ferè, qui ſunt gradus ueri aſcendentis ſcilicet Libræ natiuitatis meæ.

Pro uerificatione uero natiuitatis meæ per directionem Aſcendentis ad infor-tunia, uel radios eorum malignos, tali ordine procedo. Quæro primo Aſcenſionem obliquam promiſſoris accidentis pro latitudine regionis, & ab ea detraho gradus & minuta, qui debentur annis & diebus completis à natiuitate, uſq; ad annum & diem accidentis (nam quilibet annus ualet gradum unum, & ſex dies, minutum unum in directionibus) & id quod remanſerit, erit aſcenſio obliqua aſcendentis ueri. Eam aſcenſionem obliquam, mitto in tabulam aſcenſionum obliquarum eiuſdem regio-nis & inuenio uerum gradum aſcendentis natiuitatis talis. Exemplo accipe: Anno ætatis meæ 40 completo cum diebus 192. completis, fui ualde ſcabioſus, ulceroſus, & apoſtematibus, ac uarijs turbationibus melancholicis moleſtatus, quod erat nota-bile accidens de ſignificatis Saturni. Circa hoc etiam tempus paſſus fui febres peri-culoſas, quare diligenter examinaui directionem gradus aſcendentis natiuitatis meę ad infortunas illo eodē anno, & reperi, quòd circa hos dies, applicuit directio aſcen-dentis ad quadraturam Saturni, quæ fuit 28 gra. 32. min. Scorpionis. Huius aſcenſio obliqua 250. gra. 46. m̄. Ab hac ſubtraxi propter 40 annos & 192 dies, grad. 40. min. 32. & relinquebantur 210. grad. 14. m̄. Aſcenſio obliqua ueri aſcendentis, quæ oſtendebat mihi 21. gra. 40. min. ferè Libræ Aſcendens uerum natiuitatis. Sic quo-que age cum alijs ſignificatoribus & promiſſoribus pro ſuis accidentibus.

De proiectione partium natiuitatis.

PRO faciliori partium natiuitatis proiectione, reſolue loca, à quibus partes iubentur proijci, etiam loca ad quæ partes hæ proijciuntur ad numeros ſignorum, graduum, & minutorum, ut in prius propoſita na-tiuitate fuit Saturnus in 8 gradu, & 31. minut. Capricorni. Reſolue ſic 9 Signa, 8 grad. 31 minu. Sic etiam reſolue ſingula hic appoſita loca. Quibus ita reſolutis: ſubtrahe locum à quo fit proiectio ab eo, in quem facienda eſt, ut exem pli cauſa: Pars uitæ proijcitur in hac diurna genitura à Ioue in Saturnum, id eſt, locus Io-uis ſubtrahitur à loco Saturni, & proijcitur ab aſcendente, ut ſic:

Loca reſoluta.

Diurna genitura

	S.	G.	M.
♄	9	8	31 ♑
♃	5	22	10
♂	4	11	14
☉	0	10	40
♀	0	28	0
☿	0	17	45
☽	7	18	8
☊	0	0	0
☋	0	7	18
⊕	1	3	28
Ᵽ	0	18	32
♈	4	23	50
Aſcendens	5	26	0
Secunda	6	26	0
Octaua	0	26	0
Nona	1	26	0
Med. cœli.	2	25	0
Duodeci.	4	26	0
15 ♋	3	15	0

		S.	G.	M.	
Locus	♄	9	8	31	in quem
Locus	♃	5	22	10	à quo
Diffe. & diſt. inter ♃ & ♄		3	16	21	
		5	26	0	gra. aſcē.
A principio ♍ ſig. aſcen.		9	12	21	
Fuit igitur pars uitæ in			12	21	♑

Sequuntur partes ſiue ſortes huius propoſitæ natiuitatis.

Partes primæ domus.

Pars uitæ, ſumitur in diurna genitura à Ioue in Saturnum. Nocte econtra, & proijcitur ab aſcendente 12 21 ♑

Pars Hylech, à gradu Coniunctionis uel Op-poſitionis præcedentis in gradum & minutum Lunæ, & proijcitur ab aſcen-dente 6 50 ♉

Pars

Pars futurorum ☽, Celati uel Solis, die à Luna in Solem. Nocte econtra ab aſcendente 18 32 ♒

Pars dilectionis, concordiæ, ſtabilitatis, fiduciæ, amoris, Veneris. Die à ⊕ in ☽. Nocte econtra, & proijcitur ab aſcendente 11 4 ♋

Pars audaciæ, ualetudinis, animoſitatis, Martis. Die à Marte in ⊕. Nocte econtra, & proijcitur ab aſcendente. 17 48 ♊

Secundæ domus partes.

Pars fortunæ ⊕. Die à Sole in Lunam. Nocte econtra, proijciturq́ ab aſcendente, Ptolemæus ſumit partem hanc ſemper à Sole in Lunam 3 28 ♉

Pars ſubſtantiæ, ſumitur die ac nocte à domino domus ſubſtantiæ in cuſpidem ſecundæ domus, & proijcitur ab aſcendente. 17 0 ♓

Tertiæ domus partes.

Pars fratrum, die à Saturno in Iouem. Nocte econtra ab aſcendente 9 39 ♊

Pars beneuolentiæ fratrum, proijcitur in die à Sole in Saturnum. Nocte econtra ab aſcendente. Sed ſi Saturnus fuerit ſub radijs Solis, die à Sole in Iouem. Nocte econtra, ab aſcendente reſiduum numerando 23 51 ♊

Quartæ domus partes.

Pars patris, die à Sole in Saturnum. Nocte econtra, & proijcitur ab Aſcendente 23 51 ♊

Pars mortis patris, eadem eſt cum parte fratrum 9 39 ♊

Pars hæreditatum, poſſeſsionum. Die & nocte à Saturno in Lunam, & proijcitur ab aſcendente 5 37 ♌

Quintæ domus partes.

Pars filiorum, eſt etiam pars uitæ 12 21 ♑

Pars temporis filij, quando fieri debeat, & numeri eorum utriuſq́ ſexus, accipitur die ac nocte à Marte in Iouem, & proijcitur ab aſcendente 6 30 ♏

Sextæ domus partes.

Pars Azemene, infirmitatis inſeparabilis. Die à Saturno in Martem. Nocte econtra, & proijcitur ab aſcendente 29 9 ♈

Pars ſeruorum, legis. Die à Mercurio in Lunam, Nocte econtra ab aſcendente proiecta 26 23 ♈

Pars beſtiarum equitandarum à domino duodecimæ in domum duodecimam, ab aſcendente 11 15 ♒

Septimæ domus partes.

Pars coniugij uirorum, die ac nocte à Sole in Venerem ab aſcendente proiecta 13 20 ♎

Pars coniugij mulierum ſecundum Hermetem, die ac nocte à Venere in Saturnum ab aſcendente, 0 0 0

Pars

Pars laſciuiæ, die à Venere in caudam draconis. Nocte econtra, & proijcitur à Sole. 6 50 ♒

Octauæ domus partes.

Pars mortis, die nocte à Luna in gradum & minutum octauæ domus, & proijcitur à Saturno 9 23 ♊

Pars planetæ interficientis, die à domino gradus aſcendentis in Lunam. Nocte econtra, ab aſcendente proijcitur. 26 23 ♈

Pars anni quo timetur mors aut impedimentum paupertatis, deſtructionis. Die ac nocte à Saturno in gradum domini domus coniunctionis uel oppoſitionis præcedentis natiuitatem, & proijcitur ab aſcendente. 29 9 ♈

Nonæ domus partes.

Pars religionis, die à Luna in Mercurium. Nocte econtra ab aſcendente 25 37 ♒

Pars itinerum per terram, die ac nocte à domino domus nonæ, in gradum & minutum nonæ, ab aſcendente 15 0 ♎

Pars itinerum per aquam, die à Saturno in decimum quintum gradum Cancri. Nocte econtra, ab aſcendente 2 29 ♈

Decimæ domus partes.

Pars regni uel regis, eſt eadem cum parte hæreditatum 5 37 ♌

Pars operis & magiſterij, die ac nocte à Sole in gradum Medij cœli, & ab aſcendente proiecta 10 20 ♐

Pars fœlicitatis & profectus, die à ⊕ in Iouem. Nocte econtra ab aſcendente 14 42 ♒

Pars matris, die à Venere in Lunam. Nocte econtra, ab aſcendente 16 8 ♈

Vndecimæ domus partes.

Pars amicorum, die ac nocte à Luna in Mercurium, & proiecta ab aſcendente 25 37 ♒

Duodecimæ domus partes.

Pars inimicorum, die & nocte à domino domus inimicorum, in gradum & minutum domus duodecimæ, & proijcitur ab aſcendente 11 15 ♒

Pars contentionis & inuidiæ, die à Marte in Solem. Nocte econtra, ab aſcendente 25 0 ♉

Dodecatemorion planetæ alicuius inuenire.

INtra tabulam ſequentem cum gradu planetæ, & ex eius directo accipe ſigna & gradus, quæ extra ſcribe ad partem. Deinde intra etiam cũ minutis planetæ ad tabulam minutorum, & ex directo eorum accipe gradus & minuta, quæ ſub alijs ſcribe, quodlibet ſub ſuo genere. Deinde adde etiam illis ſigna, gradus, & minuta ipſius planetæ, cuius Dodecatemorion quæris, quodlibet ſuo generi, ſicut fit in medijs motibus colligen-

dis

dis. Deinde ſigna & gradus ſic collecta, proijce à principio ſigni Arietis, & ubi numerus finitur, ibi erit Dodecatemorion illius planetæ. Vel ſi placet, uide quantum tranſiuit planeta de ſigno in quo eſt, & numerum graduum & minutorum illorum multiplica per 12. & ſuper numerum productum, adde numerum graduum & minutorum, quos in 12 multiplicaſti, & collectum proijce ab initio ſigni, in quo eſt planeta, dando unicuiq; ſigno 30 gradus. Et ubi finitus fuerit numerus, ibi erit Dodecatemorion planetæ. Exemplo accipe: Volo Dodecatemorion Saturni propoſitæ natiuitatis, cuius locus eſt 8 grad. 31 min. Capricorni.

Tabula graduum.

G. pl.	S.	gr	G. pl.	S.	gr
1	0	12	16	6	12
2	0	24	17	6	24
3	1	6	18	7	6
4	1	81	19	7	18
5	2	0	20	8	0
6	2	12	21	8	12
7	2	24	22	8	24
8	3	6	23	9	6
9	3	18	24	9	18
10	4	0	23	10	0
11	4	12	26	10	12
12	4	24	27	10	24
13	5	6	28	11	6
14	5	18	29	11	18
15	6	0	30	12	0

Tabula minutorum.

M. Pla.	g.	m.	M. Pla.	g.	m.	M. Pla.	g.	m.	M. Pla.	g.	m.
1	0	12	16	3	12	31	6	12	46	9	12
2	0	24	17	3	24	32	6	24	47	9	24
3	0	36	18	3	36	33	6	36	48	9	36
4	0	48	19	3	48	34	6	48	49	9	48
5	1	0	20	4	0	35	7	0	50	10	0
6	1	12	21	4	12	36	7	12	51	10	12
7	1	24	22	4	24	37	7	24	52	10	24
8	1	36	23	4	36	38	7	36	53	10	36
9	1	48	24	4	48	39	7	48	54	10	48
10	2	0	25	5	0	40	8	0	55	11	0
11	2	12	26	5	12	41	8	12	56	11	12
12	2	24	27	5	24	42	8	24	57	11	24
13	2	36	28	5	36	43	8	36	58	11	36
14	2	48	29	5	48	44	8	48	59	11	48
15	3	0	30	6	0	45	9	0	60	12	0

Sig.	grad.	minut.	
3	6	0	Ex 8 gradibus Saturni.
	6	12	Ex 31 minutis Saturni.
9	8	31	Locus Saturni radicis.
0	20	43	Dodecatemorion Saturni, fuit igitur Dodecatemorion Saturni in grad. 20. min. 43 Arietis.

Dodecatemoria planetarum natiuitatis propoſitæ ita fuere

	Gr.	Min.	
♄	20	43	♈
♃	18	10	♊
♂	1	40	♑
☉	18	40	♌
♀	4	0	♈
☿	20	45	♏
☽	25	44	♊

Nouenarias planetarum extrahere.

Quære ſignum planetæ ad leuam huius tabulæ, gradus uerò & minuta eius in capite tabulæ, & in angulo communi inuenies, in cuius planetæ Nouenaria eſt talis planeta.

Gradus / Minuta	0 0 – 3 20	6 40	10 0	13 20	16 40	20 0	23 20	26 40	30 0
♈ ♌ ♐	♂	♀	☿	☽	☉	☿	♀	♂	♃
♑ ♉ ♍	♄	♄	♃	♂	♀	☿	☽	☉	☿
♎ ♒ ♊	♀	♂	♃	♄	♄	♃	♂	♀	☿
♋ ♏ ♓	☽	☉	☿	♀	♂	♃	♄	♄	♃

Dominus Nouenæ.

	Huius genituræ eſt
♄	♃
♃	☽
♂	☽
☉	☽
♀	♃
☿	☿
☽	♃

ἀντίσκια planetarum determinare.

HANc quem quære apud Iulium Firmicum, uel in Iſagogis Aſtrologiæ iudiciariæ noſtræ. Fuerunt autem iſta ἀντίσκια noſtræ geniturae propoſitæ.

Saturnus	21	29	Sagittarij.
Iupiter	7	50	Arietis.
Mars	18	20	Tauri.
Sol	9	20	Virginis.
Venus	2	0	Virginis.
Mercurius	12	15	Virginis.
Luna	11	52	Aquarij.

His ſic rite examinatis, deprome iam ex tabulis Directionum M. Ioannis de Monte regio, radiationes planetarum iuxta præceptum problematis triceſsimi primi & ultimi. Vel etiam & conſule Canonem noſtrum ultimum in Globum ſtelliferū. Et adiunge prædictis tabulam Radiationum atq; aſpectuum omnium locorum natiuitatis propoſitæ, in hunc qui ſequitur ordinem, & uidebis in ea, tanquam in ſpeculo, omnes radiationes ac aſpectus omnium locorum huius geniture.

Tabula

Tabula Radiationum atq; aſpectuum locorum geniturę propoſitæ.

	Longitud. S	G	M		Latit. G	M
Horoſcopus	♍	26	0		0	0
□ ♄ dexter	♎	8	31		0	0
☍ ☉	♎	10	40		0	0
⚹ ♂ ſiniſter	♎	11	39	S	1	13
P. Coniugη	♎	13	20		0	0
P. itinerum terræ	♎	15	0		0	0
☍ ☿	♎	17	45	M	2	0
ecunda domus	♎	19	0		0	0
☍ ♀	♎	28	0	M	6	0
. temporis filiorum	♏	6	30		0	0
⚹ ♄ dexter	♏	8	31	S	0	26
□ ♂ ſiniſter	♏	11	40		0	0
ertia domus	♏	17	0		0	0
☽	♏	18	8	S	4	58
⚹ ♃ ſiniſter	♏	22	9	S	0	58
P. operis	♐	10	20		0	0
△ ☉ dexter	♐	10	40		0	0
△ ♂ ſiniſter	♐	11	41	M	1	13
△ ☿ dexter	♐	17	46	M	1	0
□ ♃ ſiniſter	♐	22	10		0	0
Quarta domus	♐	25	0		0	0
△ ♀ dexter	♐	28	8	M	3	0
♄	♑	8	31	S	0	51
□ ☉ dexter	♑	10	40		0	0
P. uitæ, filiorum	♑	12	21		0	0
□ ☿ dexter	♑	17	45		0	0
⚹ ☽ ſiniſter	♑	18	2	S	2	29
△ ♃ ſiniſter	♑	22	11	M	0	58
□ ♀ dexter	♑	28	0		0	0
Quinta domus	♒	4	0		0	0
Pars laſciuiæ	♒	6	30		0	0
⚹ ☉ dexter	♒	10	40		0	0

Tabula Radiationum atq; aſpectuum locorum genituræ propoſitæ.

	Longitud. S	G	M		Latit. G	M
Pars beſtiarum equitandarum, inimicorum	♒	11	15		0	0
☍ ♂	♒	11	40	M	2	25
Pars fœlicitatis	♒	14	42		0	0
⚹ ☿ dexter	♒	17	44	S	1	0
□ ☽ ſiniſter	♒	18	8		0	0
☊	♒	18	32		0	0
☋	♒	23	50		0	0
Pars religionis & amicorum	♒	25	37		0	0
⚹ ♀ dexter	♒	27	52	S	3	0
Sexta domus	♓	3	0		0	0
⚹ ♄ ſiniſter	♓	8	31	S	0	26
Pars Subſtantiæ	♓	17	0		0	0
△ ☽ ſiniſter	♓	18	14	M	2	29
☍ ♃	♓	22	10	M	1	56
Septima domus	♓	26	0		0	0
Pars itinerum aquæ	♈	2	29		0	0
□ ♄ ſiniſter	♈	8	31		0	0
☉	♈	10	40		0	0
△ ♂ dexter	♈	11	41	M	1	13
Pars matris	♈	16	8		0	0
☿	♈	17	45	S	2	0
Octaua domus	♈	19	0		0	0
Pars ſeruorum legis & planetæ interficientis	♈	26	23		0	0
♀	♈	28	0	S	6	0
Pars anni quo timetur mors & Azemene	♈	29	9		0	0
⊕	♉	3	28		0	0
Pars Hylech	♉	6	50		0	0
△ ♄ ſiniſter	♉	8	31	M	0	26
□ ♂ dexter	♉	11	40		0	0
Nona domus	♉	17	0		0	0
☍ ☽	♉	18	8	M	4	58
△ ♃ dexter	♉	22	11	M	0	58

Tabula Radiationum atq; aſpectuum locorum genituræ propoſitæ.

	Longitud. S	G	M		Latit. G	M
Pars contentionis	♉	25	0		0	0
Pars mortis	♊	9	23		0	0
Pars fratrum, & mortis patris	♊	9	39		0	0
✱ ☉ ſiniſter	♊	10	40		0	0
✱ ♂ dexter	♊	11	39	S	1	13
✱ ☿ ſiniſter	♊	17	44	S	1	0
Pars audaciæ	♊	17	48		0	0
□ ♃ dexter	♊	22	16		0	0
Pars patris & beneuolentiæ fratrum	♊	23	51		0	0
Decima domus	♊	25	0		0	0
✱ ♀ ſiniſter	♊	27	52	S	3	0
☍ ♄	♋	8	31	M	0	51
□ ☉ ſiniſter	♋	10	40		0	0
Pars Stabilitatis	♋	11	4		0	0
□ ☿ ſiniſter	♋	17	45		0	0
△ ☽ dexter	♋	18	15	M	2	29
✱ ♃ dexter	♋	22	9	S	0	58
□ ♀ ſiniſter	♋	26	0		0	0
Vndecima domus	♌	4	0		0	0
Pars hæreditatum & regni	♌	5	37		0	0
△ ☉ ſiniſter	♌	10	40		0	0
♂	♌	11	40	S	2	25
△ ☿ ſiniſter	♌	17	46	M	1	0
□ ☽ dexter	♌	18	8		0	0
☋	♌	23	50		0	0
△ ♀ ſiniſter	♌	28	8	M	3	0
Duodecima domus	♍	3	0		0	0
△ ♄ dexter	♍	8	31	M	0	26
△ ☽ dexter	♍	18	2	S	2	29
♃	♍	22	10	S	1	56

Tabula dignitatum in locis planetarum propoſitę natiuitatis.

	do	ex	triplici.	ter.	fa.	dñs	alm
♄ 9 ♑	♄	♂	☽ ♀ ♄	♃	♃	♄	♄
♃ 23 ♍	☿	☿	☽ ♀ ♄	♂	☿	☿	☿
♂ 12 ♌	☉	.	☉ ♃ ♂	♄	♃	☉	☉
☉ 11 ♈	♂	☉	☉ ♃ ♂	♀	☉	♂	☉
♀ 28 ♈	♂	☉	☉ ♃ ♂	♄	♀	♂	☉
☿ 18 ♈	♂	☉	☉ ♃ ♂	☿	☉	♂	☉
☽ 19 ♏	♂	.	♀ ♂ ☽	☿	☉	♂	♂
☊ 24 ♌	☉	.	☉ ♃ ♂	☿	♂	☉	☉
☋ 24 ♒	♄	.	♄ ☿ ♃	♂	☽	♄	♄

Tabula dignitatum eſſentialium in cuſpidibus duodecim domorum cœli.

							dñs	alm
Aſcendens	26 ♍	☿	☿	☽ ♀ ♄	♂	☿	☿	☿
Secunda	19 ♎	♀	♄	♄ ☿ ♃	♃	♄	♀	♄
Tertia	17 ♏	♂	.	♀ ♂ ☽	☿	☉	♂	♂
Quarta	25 ♐	♃	.	☉ ♃ ♂	♄	♄	♃	♃
Quinta	4 ♒	♄	.	♄ ☿ ♃	☿	♀	♄	♄
Sexta	3 ♓	♃	♀	♀ ♂ ☽	♀	♄	♃	♀
Septima	26 ♓	♃	♀	♀ ♂ ☽	♂	♂	♃	♀
Octaua	19 ♈	♂	☉	☉ ♃ ♂	☿	☉	♂	♂
Nona	17 ♉	♀	☽	☽ ♀ ♄	♃	☽	♀	♀
Decima	25 ♊	☿	.	♄ ☿ ♃	♄	☉	☿	☿
Vndecima	4 ♌	☉		☉ ♃ ♂	♃	♄	☉	☉
Duodecima	3 ♍	☿	☿	☽ ♀ ♄	☿	☉	☿	☿

De fortitudine uel fortunio, ac debilitate uel infortunio planetarum.

ORdo nunc exigit, ut diligenter examines qui ex planetis in radice natiuitatis fortes uel debiles ſint. In hac re Ioannem Hiſpalenſem ſequendo quinqꝫ conſiderabis. Primum an planeta ſit combuſtus, an non. Secundum, an ſit directus, an non, ſeu uelox aut tardus. Tertium, an ſit in aliqua ſuarum dignitatum, ut Domicilio, Exaltatione, Triplicitate, Termino uel facie. Quartum, an ſit in malo aſpectu infortunarum, uel in bono aſpectu fortunarum, an non. Quintum & ultimum, quomodo ſit collocatus in figura cœli, an ſit in Angulo, Succedente uel Cadente.

 Fortitudines

Fortitudines & debilitates planetarum propoſitæ natiuitatis.

Saturnus — In angulo, in domicilio ſuo directus — fortunatus & fortis
In quadrato Solis — debilis & infortunatus.

Iupiter — In angulo — fortunatus & fortis
Peregrinus, retrogradus — debilis & infortunatus.

Mars — In ſuccedente, directus, in trino Solis receptus — fortunatus
Peregrinus

Sol in angulo, in exaltatione, à Marte receptus, fortis eſt.

Venus — In facie ſua
Retrograda, in octaua — debilis eſt.

Mercurius — In angulo, & termino ſuo
Combuſtus, retrogradus — debilis iudicatur.

Luna — In ſuccedente, in Triplicitate ſua, extra combuſtionem, In ſextili Iouis
Tarda curſu — ſalua dicitur.

Cuſpides domorum omnes ſaluę cenſentur remotis maleficarum ſtellarum radijs ab earum initijs.

De Hylech & Alchocoden ſecundum Ptolemæum.

LOca in quibus & non alijs contingit electio Hylech, ſunt Medium cœli, Aſcendens, Vndecima, Septima, Nona, quarum ſingulæ tricenos habent gradus quinq; ante initium domus, & XXV mox ſequentes.
(Andreas Schonerus: intelligo æquatoris non zodiaci.)

Diurna genitura exiſtente, uide
Primo Solem
Secundo Lunam
Tertio Planetam qui in Coniunctione pręcedēte / Sole / Aſcendente
Quarto Aſcendens
habuerit plures dignitates eſſentiales uel qui habuerit ad mi. 3. dignitat. in his — Quicūq; ex his repertus fuerit in aliquo quinq; locorum prædictorū, in quibus contingit fieri Hylech, ipſe erit Hylech.

Nocturna genitura exiſtēte, uide
Primo Lunam
Secundo Solem
Tertio Planetam qui in oppoſitione pręcedente / Luna / ⊕
habuerit plures dignitates eſsētiales uel qui habuerit ad mi. 3. dignitat. in his
Quarto Aſcendens, ſi natiuitatem coniunctio præceſſerit. / ⊕, ſi natiuitatem oppoſitio præceſſerit.

Diſpoſitor Hylech eſt Alchocoden ſiue aſpiciat ſiue non.

Cautela.

Si contingeret in Hylech electione, quòd ambo luminaria, uel etiam unum illorum, & planetæ gubernatores uel diſpoſitores dictorum locorum, In diurna ſcilicet coniunctionis Solis & Aſcendentis; In nocturna oppoſitionis, Lunæ, ac ⊕, eſſent in locis

In locis etiam idoneis pro Hylech, eligendus erit planeta, qui eſt maioris uirtutis, & poſſe, & in fortiori loco & aptiori pro Hylech, quod diſtinctius ſic accipe. Si luminare eſſet aptum pro Hylech, & etiam planeta gubernator dictorũ locorũ. Si tamen luminare fuerit debilius in teſtimonijs eſſentialibus, uel etiam in debiliori loco, & ipſe gubernator uel diſpoſitor dictorum locorũ plura teſtimonia eſſentialia habuerit, & in fortiori loco, tunc talis planeta pręferẽdus eſt ipſi luminari in dominio Hylech.

In noſtra propoſita natiuitate Sol eſt Hylech, eo quòd natiuitas fuit diurna, & Sol repertus in ſeptima domo in 25 gradibus mox cuſpidem ſequentibus. Mars autem gubernator ſiue diſpoſitor Hylech, Alchocoden eſt.

Aliorum in Hylech eligendo opinio.

- Pro Hylech in diurna natiuitate uide
  - Primo Solem, qui ſi fuerit in
    - Aſcendẽte, Decima, Vndecima — in quouis ſigno, numerando 5. grad. ante & 25 poſt cuſpidem eiuſdem domus, ut ſupra
    - Septima, Octaua, Nona — in ſigno maſculino tantum.
  - Secundo Lunã quæ ſi fuerit in
    - Aſcendẽte, Secunda, Tertia, Septima, Octaua — in quocũq; ſigno, ut ſupra numerando. Si extra hęc loca fuerit, & inueniatur in aliquo ex 5 illis gradibus ante gradum
      - Aſcendentis, Decimæ, Quartæ, Quin. — in ſigno fœminino
  - Erit Hylech.
- Pro Hylech in nocturna natiuitate uide
  - Primo Lunam, quę ſi fuerit in
    - Aſcendẽte, Decima, Vndecima — in quouis ſigno
    - Septima, Octaua, Nona — in ſigno fœminino tantum
  - Secũdo Solem, qui ſi fuerit in
    - Septima, Quarta, Quinta — in q̃uis ſigno. Si extra hæc loca fuerit & inueniẽ in aliquo ex 5 grad. ante gradũ
      - Septimæ, Quartæ, Quintæ — in quocunq; ſigno
    - Aſcendẽte, Secunda — in maſculino. Si extra hæc loca fuerit & inueniẽ in aliquo ex 5 grad. ante gradũ
      - Aſcendentis, Quintæ — in ſigno maſculin.
  - Erit Hylech.

Si neutrum luminare aptum fuerit & præceſſerit natiuitatem Coniunctio / Oppoſitio accipe gradum Coniunctionis / Oppoſitionis ſi in angulo uel ſuccedente fuerit. Si non, accipe gradum Aſcendentis. Sed in hoc genera ſignorum non erunt conſideranda.

Cautelæ.

Luna combuſta non erit Hylech. (Tum enim ☉ ſuas uires tribuit) Hylech nullatenus poteſt eſſe, niſi concurrat quoq; Alchocoden, ita quòd aſpectum aliquẽ cum

Hylech habeat, accedente dignitate Alchocoden in loco Hylech. Quincunꝗ enim planeta dignitatem habuerit in loco Hylech & eundem aſpexerit, is dicitur Alchocoden, ubi ſemperpræferendus erit potior in utroꝗ, aſpectu ſcilicet & dignitate, ſi quando contigerit plures atteſtari.

Sol } cum fuerit Hylech, & fuerit in domicilio proprio, aut exaltatione, erit Hylech & Alchocoden.
Luna }

De annis Alchocoden & de augentibus & minuentibus.

HAbitis itaꝗ Hylech & Alchocoden, operæ precium eſt ſubiungere, quo pacto ſecundum communem illam opinionem Aſtrologorum, eliciendi ſunt anni ipſius Alchocoden. Eſt ergo uniuerſaliter ſciendum, quôd ſi dictus Alchocoden fuerit in angulo non impeditus dat annos ſuos maiores. In ſuccedente, mediocres, & in cadēte, minores. Addunt autē & minuunt cęteri planetę pro configurationibus eorū ad Alchocoden bonis uel malis. Nam ſi Saturnus, Mars, Sol, Mercurius & Luna infortunati, Alchocoden quadrato uel oppoſitione inficiant, minuunt ſinguli annorum ſuorum minorum quantitatem. Bonis uerò aſpectibus, Saturnus quidem & Mars nihil addunt. Sol uerò Mercurius & Luna fortunati, annos quos malo ſurripiebant aſpectu, bono cōtribuunt. Iupiter autem & Venus quocunꝗ aſpectu, addunt annos ſuos minores, & hoc maxime, ſi nō ſunt male affecti. Sed & Caudam draconis infra 12 gradus circa Alchocoden, aſſerunt adijcere quartam annorum partem, quos Alchocoden per ſe præſtiterit. Verum & hic non ſomniculoſe inſpectandum fuerit, ſiquidem Alchocoden combuſtus, aut Solis radios iniens, uirtutem quam prius dandi habebat, ferē prorſus amittit. Nam ubi antea potis erat præbere annos, ita malè affectus, annorum loco, dies, horasꝗ concedet.

Anni planetarum.

♄	57	43 ½	30
♃	79	45 ½	12
♂	66	40 ½	15
☉	120	69 ½	19
♀	82	45	8
☿	76	48	20
☽	108	66 ½	25
Ma	iores	Med.	Min.

Tabellam dictorum annorum hic ſtatuere libuit, quo facilius intelligas diſtributionem uniuſcuiuſꝗ planetę, cuius ſupra fecimus mentionem. Sit exemplum propoſitæ natiuitatis, Sol eſt huius Hylech, & Mars Alchocoden ſecundum utramꝗ opinionem, nam reſpiciunt ſe Trino cum receptione. Sed cum Mars ſit in undecima domo in ſuccedente, in domicilio Solis, tribuit annos ſuos medios ſcilicet 40. Verū quia in Trino Solis eſt, addit Sol annos ſuos minores, ſcilicet 19, qui additi annis medijs Martis, ſcilicet 40 component annos 59 datum Alchocoden, &c.

Aliorum item de Alchocodeo ſententia.

Alchocoden cum in optimis geniture locis inuenitur, maxime in Decima, Prima, Vndecima uel Quinta, in ſigno proprię naturæ, Orientalis, Directus, à combuſtione

buſtione liber, ſiue Diurnus ſiue nocturnus fuerit, dat annos ſuos maiores. In ſeptima, Quarta, Nona uel Secunda, cum poteſtatibus prædictis, dat annos medios. In Tertia, Octaua, Sexta, uel Duodecima, dat annos minores &c.

Iupiter & Venus in omni aſpectu ad Alchocoden, addunt annos ſuos minores. Hoc idē facit Mercurius, dummodo fortificatur, & aſpicit Alchocoden ex ſextili uel Trino, liber ab infortunis exiſtens.

Luminaria ſi aſpiciunt Alchocoden ex Sextili uel Trino, addunt annos ſuos minores.

Alchocoden in caſu ſuo, uel retrogradus, aufert medium dati. Combuſtus, aufert totum datum annorum, & pro annis dat menſes uel dies. Luminaria ex Coniunctione, Oppoſitione, uel Quadrato, minuunt annos ſuos minores. Coniunctio, Oppoſitio, uel Quadratus Saturni uel Martis ad Alchocoden, minuunt annos ſuos minores. Infortunarum aſpectus Trinus uel Sextilis, neq; addunt, neq; minuunt.

Et licet multi ex diſpoſitione Alchocoden, terminos uitæ pronunciant, uidetur tamen à præciſione aliquando diſcedere, quare potius ſtandum eſt cum Ptolemæo, qui dirigit Hylech ad interfectores, pro extrahendo tempore uitæ hominis contrario &c.

Victorem ſeu Dominum genituræ extrahere.

Vide locum Solis, Lunæ, Aſcendentis, Partis fortunæ, Coniunctionis uel Oppoſitionis luminarium mox præcedentis natiuitatem, quibus appone Dominum Domus, Exaltationis, Triplicitatis, Termini & Faciei, ex tabula dignitatum eſſentialium planetarum, & quicunq; ex planetis maiorem numerum dignitatum ſimul collectarum obtinuerit, is erit uictor ſiue Dominus. Genituræ propoſitæ natiuitatis hoc uide exemplum.

	Dom.	Exal.	Trip.	Term	Faci.	♄	♃	♂	☉	♀	☿	☽
☉ 11 ♈	♂	☉	☉ ♂	♀	☉			8	8	2		
☽ 19 ♏	♂		♀ ☽	☿	☉			5	1	3	2	3
Aſcendens 26 ♍	☿	☿	☽ ♄	♂	☿	3		2			10	3
⊕ 4 ♉	♀	☽	☽ ♄	♀	☿	3				7	1	7
☍ præc. 8 ♈	♂	☉	☉ ♂	♀	♂			9	7	2		
						Digni. plane. eſſentiales collectæ.						
						6	0	24	16	14	13	13
	5	4	3	2	1	♄	♃	♂	☉	♀	☿	☽

Victorem igitur huius natiuitatis ſupra 5 loca Hylegialia Martem cum participatione

cipatione Solis inuenio. Nam numero dignitatum in dictis locis, Mars habet 24. Sol uero 16, cæteros in hoc uincendo, ut hic appoſita tabella dignitatum eorundem oſtendit. Principem itaq; natiuitatis huius propoſitæ Martem eſſe cenſeo, Solem ipſi adiungendo, qui præter dictas dignitates, quarum ſedecim obtinet in quinq; præcipuis locis etiam in perfecta amicabili cum Marte commixtione reperitur.

Significatores ſpiritus potentiæ intellectiuæ explorare.

Significatores potentiæ intellectiuæ, ſunt Mercurius & Luna, iuxta mentem Ptolemæi, ſed nunc addunt Aſcendens. Hos in ordinem pone, & adſcribe cuilibet eorum ſeorſim dominum domus, exaltationis &c. ut ſupra per omnia. Huius rei accipe exemplum propoſitæ natiuitatis.

	Dom.	Exal.	Trip.	Term	Faci.	Sign.
☿ 18 ♈	♂	☉	☉ ♂	☿	☉	♂
☽ 19 ♏	♂	.	♀ ☽	☿	☉	♂
Aſcendens 26 ♍	☿	☿	☽ ♄	♂	☿	☿

Mars igitur cum Mercurio eſt Almuten ſpiritus.

Almuten ſignificatorum alicuius rei excipere.

Cribe in ordinem ſignificatores alicuius rei, Deinde adiunge illis, cuilibet tamen eorum ſeorſim Dominum domus, exaltationis, ut ſupra. Exemplum iſtius noſtræ propoſitæ natiuitatis, accipe in re fratrum.

		Dom.	Exal.	Trip.	Term	Facies
Cuſpis tertiæ	17 ♏	♂	.	♀ ☽	☿	♀
Dominus eius	♂ 12 ♌	☉	.	☉ ♂	♄	♃
Conſignificat.	♂ 12 ♌	☉	.	☉ ♂	♄	♃
Dominus eius	☉ 11 ♈	♂	☉	☉ ♂	♀	☉
Pars fratrum	10 ♊	☿	.	♄ ♃	♃	♃
Dominus eius	☿ 18 ♈	♂	☉	☉ ♂	☿	☉
1 dom. tri. tertiæ	♀ 28 ♈	♂	☉	☉ ♂	♄	♀
2	♂ 12 ♌	☉	.	☉ ♂	♄	♃
3	☽ 19 ♏	♂	.	♀ ☽	☿	☉

♄ 11
♃ 9
♂ 43
☉ 49
♀ 10
☿ 11
☽ 6
dignitates eſſentiales planetarum ſimul collectæ.

Igitur Almuten ſignificatorum fratrum ſunt Sol & Mars, ut patet. Sic quoq; extrahe reliquos Almuten ſignificatorum.

Cæteri


Cæteri uero Almuten huius propoſitæ geniture iſti fuere, Almuten ſubſtantiæ Mercurius. Fratrum Sol & Mars. Patris, Mars. Matris, Sol. Filiorum, Saturnus & Mars. Azemene ſiue infirmitatis inſeparabilis, Sol. Seruorum, Sol. Coniugij, Mars. Mortis, Sol & Mars. Itinerum Mars & Sol. Operis & Magiſterij, Mars. Regni, Sol. Amicorum, Sol & Mars. Inimicorum, Saturnus.

Omnibus his in ordinem ſic diſpoſitis, uide tum an dominus quartæ anni natiuitatem mox pręcedentis, etiam fuerit dominus ſiue uictor genituræ, uel loci Solis, Lunę, partis fortunæ, Medij cœli, aut Aſcendentis natiuitatis. Quoniam ſi ſic, ſignificat bonum uel malum notabile de natura domini illius quartæ, ac loci Hylegij huius, cuius etiam dominus fuerit. Vide etiam diligenter an gradus loci eclipſis tunc graſſantis, aut gradus coniunctionis ſuperiorum planetarum præcedentis natiuitatem fuerit etiam gradus loci domini aſcendentis Solis, Lunæ, Partis fortunæ, Medij cœli, uel Aſcendentis. Quòd ſi ſic fuerit, ſignificat accidens notabile, bonum uel malum futurum, ſecundum ſignificatum Hylegij et diſpoſitorem eclipſis uel coniunctionis magnæ.

Nota etiam diligenter gradum Coniunctionis uel Oppoſitionis luminarium immediate præcedentis natiuitatem, qui ſi ceciderit in locum fortem figuræ natiuitatis, ſignificabit etiam accidens notabile, ſecundum naturam loci. Nam ſi ceciderit in cuſpidem Medij cœli, ſignificat in magiſterio & honore excellentiam. Si in ſeptimam, in coniugio fortunam. Si in locum ⊕, ſignificat diuitiarum affluentiam, ſic etiam de alijs. Nam talis gradus habet ſignificationē magnam in uita & corpore hominis, ideo dirigendus erit ad loca, & aſpectus tam fortunarum quàm infortunarum &c.

Vide etiam nati patriam, ſiue locum eius natiuum. Nam nati in Aethiopia, continue naſcuntur nigri. Econtra uero in Germania, & plus in Anglia albi.

Vide etiam genus, nam de filio regis longe aliud erit iudicium, quâm de Cerdonis filio. Hæc omnia præmiſſa, ſunt fundamenta atq; radices natiuitatis.



Dicitur

Dicitur fuiſſe natus, Anno Chriſti labente 1415, die 21 Septembris à meridie horis 8. minut. 24. Aſcendente 16 Geminorum, & fuiſſe Solem in 6. 35 Libræ, &c.

Anno Chriſti 1440. currente, die 2 Februarij, poſt 23 horam ante meridiem eiuſdem diei, principio Tauri oriente, electus eſt ſereniſsimus princeps Fridericus in Imperatorem.

Coronatus eſt in Aquiſgrano, anno domini 1442 currente, die 17 Iunij, horis quaſi tribus ante meridiem, principio Virginis oriente, Venere in corde Solis tunc exiſtente.

Anno 1452 currente biſextili, die 19 Martij, die & hora Solis, Coronatus eſt in Cæſarem Romæ, Aſcendente 6 gradu Leonis.

Anno Chriſti currente 1439, die 9 Auguſti circa meridiem obijt in Lintz Auſtriæ.



Latitudines planetarum.

♄	0	8	M	A
♃	0	13	M	D
♂	0	29	S	A
♀	0	3	M	D
☿	3	17	S	D

Latitudines



Latitudines planetarum.

♄	2	39	M	A
♃	1	6	S	D
♂	0	7	S	A
♀	2	47	M	D
☿	2	38	M	A
☿	0	25	S	A

Nata in noua ciuitate prope Liſibonam Portugalliæ.

Quomodo ſeptem Planetæ gubernent conceptum iam fœtum, à die conceptionis, uſq; ad horam natiuitatis.

DVo ſunt principia hominis, Conceptio & Partus. Per primum hoc principium conceptionis, poſſumus ſcire ea quæ accidunt creaturę ante quàm naſcatur. Per ſecundum uerò, ea quę uentura ſunt nato poſt partum. Nam infans tunc adipiſcitur ea, quæ dum in utero clauderetur, non habebat. De primo igitur principio, uide quomodo ſeptem Planetæ gubernent conceptum fœtum à die conceptionis, uſq; ad horam natiuitatis.

Saturnus ſupremus planetarum dirigit conceptum, per primum menſem à die conceptionis, qui materiam coagulat, conſtringit, & exiccat. Sicut enim ipſe altior eſt cæteris Planetis, & primus, ita eius regimen primo creaturam humanam ambit & gubernat. Si itaq; ipſe tunc bene diſpoſitus fuerit, erit conceptio bene diſpoſita, & ſalua &c.

Iupiter diſponit conceptum in utero ſecundo menſe, qui facit uentos congelatiuos, & mouet materiam, ut fiat mollis, dirigitq; uentus eius calorem naturalem, & com-

& commiſcetur materia cum tali uento, & erit quaſi dormiens, qui ſemper mouetur ad uigiliam, nec ceſſabit moueri, donec in hunc mundum generetur.

Mars diſponit conceptum tertio menſe, qui materiam illam, ad ſui naturam & colorem mutat, in formam ſanguinis deducendo, & uentus Iouis tunc latitat & quieſcit. Hinc fit, quòd fœmellæ in ſecundo menſe, magnam habent nauſeam, propter uentum Iouis mouentem matricem cum materia in ea. Sed in hoc tertio menſe ceſſat nauſea propter Martem, qui ipſum menſem tertium dirigit. Si itaque ipſe Mars illo menſe bene diſponitur, erit ſanguis nati purus, & uix ac rariſsime ſuperabundans, niſi forte propter uitam inordinatam. Si uero Mars male diſponitur, ſignificat contrarium.

Sol diſponit quartum menſem, qui humiditates ſuperfluas ſiccat, membra principalia conformat, caloremque rectificat. Illo etenim menſe, largitor omnium formarum proijcit fortitudinem in conceptum, dando animam rationalem ei. Si igitur in menſe quarto Sol fuerit aſcendens ad Augem, & fuerit fortis in ſuis dignitatibus, ſignificat perfectionem & formoſitatem uultus, quoniam tunc etiam natus erit ualde robuſtus.

Venus diſponit quintum menſem. Illo enim menſe apparet forma membrorum, & figuratur ſexus, eriguntur que capilli, & excreſcunt crines. Si ipſa fuerit tunc bene diſpoſita, fortis in dignitate ſua, erit natus pulcher in facie, amicabilis, & plenus dulcedine, completus in facie & membris. Si uero fuerit deſcendens, uel in domicilio Saturni, erit natus deformis & turpis.

Mercurius diſponit ſextum menſem. Sed quia ipſe eſt planeta eloquentiæ, ſapientiæ, & doctrinæ, ſenſus ac nutritionis, facit diſcretionem, ut fœtus ſe nutriat, & extendit membrum linguæ, & uocalem arteriam, ea ratione illo menſe puer percutit manibus & pedibus in matrice, & eius motus fortificatur, appetitque exire de tenebris, ſed nondum eſt tempus. Si ipſe fuerit Aſcendens in circulo ſuo fortis, & bene diſpoſitus illo menſe, erit natus bonæ eloquentiæ, placebunt hominibus eius ſermones, fietque natus magnorum Principum ſecretarius. Si tunc ♃ aſpicit ☿, erit eloquentiſsimus & ſapiens compoſitor librorum, & concionator mirabilis. Si uero male diſpoſitus fuerit Mercurius, ut retrogradus, combuſtus, uel aliàs infortunatus, erit oppoſitum eius quod diximus, ut linguæ impeditæ, uel uocis titubantis.

Luna dirigit conceptum menſe ſeptimo. Tunc enim fœtus, formam completam adeptus in utero materno, habebit tunc fiduciam uitæ & generationis. Si iſto menſe puer naſcitur, erit bona ſpes de uita nati, propter complementum ſignificationum planetarum.

Saturnus dirigit ſecundario conceptum puerum octauo menſe, cuius uirtute fœtus infrigidatur in matrice, debilitato frigore etiam uitali ſpiritu, ita quòd uix in eo apparebit motus. Et ſi puer illo menſe exibit, eo quòd ſiccus & congelatus quaſi eſt, ſæpiſsimè mortuus exit.

Iupiter ſecundario conceptum puerum dirigit in nono menſe, qui facit uentum & motum, & tunc exit puer de tenebris & anguſtia uentris in hunc mundum, erigitque tunc oculos ad lumen Solis, ſi eſt in die, uel ad lumē candelæ, ſi fuerit de nocte, miraturque de non uiſis, & propter anguſtiam loci, per quem exit, quoniam conſtringitur & arctatur, incipit flere, & deflet miſeriam huius terreſtris uitæ &c.

Generalis Methodus in iudicijs obſeruanda.

PRimum eſt, ut perpendas locum (ſignificatorem) qui habet cōcordantiam, uel ſignificatum cum re illa: Vt ſi uelimus iudicare de patre nati, uidebimus locum Solis in diurna genitura, in nocturna uero locum Saturni. Si de magiſterio, Medium cœli &c.

Secundum, ut conſideres naturam diſpoſitoris talis loci, qui plures dignitates eſſentiales habuerit in tali loco. (Memineris Ptolemeum has quinqꝫ dignitates conſiderare, domum ſcilicet, trigonum, altitudinem, fines & configurationes, cũ ad Solem tum ad cæteros. Diſpoſitorem itaqꝫ intelligit, qui ſit in domo ſua, trigono, altitudine, fine, orientalis & ratione figuræ & Solis, auctus curſu, in ſuarum dignitatum antiſcio, eleuatus ſuper cæteros, non configuratus aut ſuperatus à contrarijs eleuatis)

Tertium, ut uideas naturam loci in quo eſt talis locus dominans ſignificato, & eius diſpoſitor, ſiue gubernator. Quibus diligenter penſitatis, commiſce unum cum alio, extrahendo inde compoſitionem eius accidentis. Nam ſi hæ tres conſiderationes in una natura conueniunt, id eſt, ſi concordauerint, non erit amplius aſpiciendum. Si uero fuerint diuerſæ, erit accidens ſecundum pluralitatem conſiderationum concordantium in una natura. Tempora euentuum colligit ex poſitu ſignificatoris, & eius diſpoſitoris ad Solem & figuram. Orientales enim, hoc eſt, conſtituti in quadrantibus præcedentibus locum Solis & Horoſcopum, ac his oppoſitis, aut in angulis accelerant ſuos euentus. Occcidentales, hoc eſt, in cæteris quadrantibus poſiti, in ſuccedentibus tardius ſuos euentus producunt.

Alij, ut Arabes, primo conſiderant cuſpidem domus cœli. Deinde dominum cuſpidis, ultimo conſignificatorem talis domus, ut pro ſecunda domo geniture, ubi cuſpis ſecundæ domus fuerit Tauri gradus 6, qui ſi ſaluus ab infortunis, & earum aſpectibus fuerit inuentus, & domina eius Venus fuerit ſalua, & huius domus conſignificator Iupiter ſaluus ab infortunis & earum radijs extiterit, dicunt natum hunc ualde fortunatum in ſignificatis ſecundæ domus. Deinde conſiderant etiam aphoriſmos Authenticorum, & ex illis componunt ſignificata illarũ domorum &c. Nam ſi maior pars uel omnes fortunati uel ſalui fuerint, pronũciant quòd natus generaliter fortunatus fiet, in ſignificatis illius domus. Si autem maior pars, uel omnes infortunati uel impediti fuerint, contrarium erit.

An natus in generali fortunabitur, nec ne?

Vide quatuor: ſcilicet Aſcendens, Dominũ eius, Almuten figuræ natiuitatis, & Lunam, quoniam ſi maior pars eorum fortunati fuerint, iudicandũ eſt, natũ magis fortunatum quàm infortunatũ, pro maiori parte uitę ſuę, & hoc ſecundum maius & minus &c. Hac ergo generali noticia ſic habita, ut inde poſtea ipſa noticia ſpecialius habeatur, per ordinem capitũ pręcedentiũ procedẽdũ eſt, quid boni uel mali de earũ ſignificatis nato indicẽt. Vnde à capite de parentibus nati incipiendũ cenſeo, deinde de fratribus nati, iuxta ordinẽ Capitum.

CAPVT SECVNDVM.

De parentibus nati & eſſe eorum.

Status parentum nati noſcitur ex figura cuiuslibet nati, ſed uerius ex figura primogeniti.

Primo conſidera quatuor loca, ſcilicet Solis in diurna genitura, Saturni in nocturna, pro ſtatu patris. Locum Veneris in diurna genitura, Lunæ uero in nocturna, pro ſtatu matris.

Secundo, conſidera gubernatores horum locorum. Si prędicta loca fuerint apta, & eorũ gubernatores ſalui et nõ impediti, fuerintqꝫ luminaria circũdata fortunatis ſtellis erraticis, quæ ſunt in eorũ Alhayz, & qui cũ luminaribus mutuã habuerint cõmixtionẽ, et maxime cum ſtellę circumdantes Solẽ matutinales, Lunã uero circumdantes, ueſpertinales extiterint, ſignificant ſtatum parentum egregium & fortunatum.

Saturnus ac Venus in angulis, uel in Almugea propria orientales, decernunt manifeſtũ fortunium parentũ, ſi uero contrarium horũ fuerit, ita quòd luminaria ſint curſu uacua, & à nullis ſtellis circundata, ſignificãt abiectionẽ, humilitatem & uilitatem parentum, maxime ſi Saturni & Veneris locus fuerit inconueniens, uel malus.

Planetæ circundantes luminaria, ſi non fuerint ex eorum Alhayz, quemadmodum contingit cum Mars poſt Solem, & Saturnus poſt Lunam aſcenderit, nec loca fortunarum reſpectu luminarium conuenientia fuerint, & fortunata, nec in eorũ Alhayz, uitam parentum inæqualem & mediocreum oſtendunt.

Si pars fortunæ fuerit in conuenienti loco, & cum ſtellis Solem ac Venerem interdiu, Saturnum & Lunam noctu circundantibus conuenientem ſocietatem habuerit, ſignificat ſubſtantiam parentum longo tempore ſine quouis periculo duraturam. Si horum contrarium fuerit, & fortunatæ ſtellæ luminaria non circundederint, uel circundantes fuerint infortunæ uel infortunati, non augebitur parentum poſſeſſio, ſed erit cum iactura & damno.

De uita patris poſt genituram filij, & de qualitate mortis eius.

IVpiter & Venus ſi in figura quocunq; modo, & ex quacunq; applicatione uel aſpectu Soli aut Saturno aſſocientur, aut cum Iupiter aſſocietur Veneri, aut fuerit inter Solem & Saturnum apta ſocietas, ſic ut aut coniuncti ſint, aut aſpiciant ſe trino uel ſextili, utroq; exiſtente forti, longam, fortunatamq; uitam patri annunciat. Si uero fortes non fuerint, penuriam quidem patri portendunt, attamen longæuam uitam. Sed ſi non ut dictum eſt, congruant, & ſi ſuper Solem uel Saturnum fuerit eleuatus Mars, aut ſequatur eos, id eſt, quando applicat ſe coniunctioni eius, nec Soli Saturnus fuerit conueniens, ſed aſpiciat Solem ex tetragono uel oppoſito, utroq; tam Sole quàm Saturno ab angulo remotis, patri debilitatem ſignificat. At ſi in angulis, uel in locis ad angulos aſcendentibus fuerint, breuem uitam parentum, aut nocumentum ſignificabunt. Cum enim in duobus primis angulis, ſcilicet Medij cœli & Aſcendentis, & locis ſuccedentibus ſteterint, uitæ breuitatem indicabunt. Cum autem in duobus alijs extiterint, ſcilicet occidentis & anguli terræ, uel in locis ad ipſos aſcendentibus, ſtatum parentum impedire dicuntur. Cum Mars Solem etiam prædicto modo aſpexerit, pater ſubitanea morte peribit, aut in ipſius oculis impedimentum continget. Si uero Mars aſpexerit Saturnum, aut mortem patris, aut febrem cum tremore, uel impedimentum ex mutilatione uel combuſtione futurum ſignificabit. Rurſum ſi Saturni figura reſpectu Solis inconueniens fuerit, occaſione morborum ex humoribus nociuis accidentium, mors patri adueniet.

De uita matris.

IVpiter ſi habuerit participationem cum Luna & Venere conuenientem, & concors fuerit Venus cum Luna ex trigono uel ſextili, aut coniunctione, & ambo potentes, uitam matris prolongabunt.

Si Mars Lunam tetragono uel oppoſito aſpexerit, uel Venerem ſecutus fuerit, uel ſi Saturnus hoc ipſum cum Lunæ loco fecerit, ſintq; ambo diminuti curſu, & ab angulo remoti, in morbos, ægritudinesq; ſolummodo coniectam iri matrem deſignabunt. Sed ſi aucti curſu fuerint, uel in angulis, uitam matri abbreuiabunt, ſi ſunt in angulis orientalibus uel ſuccedentibus eorum. Impedimentum ſolummodo inducent, ſi fuerint in angulis occidentalibus uel ſuccedentibus eorum. Si enim modo prædicto Mars Lunam uiderit, fueritq; Luna orientalis, ratione figuræ, repentina mors matri, uel oculorum impedimentum eueniet. Si uero fuerit occidentalis, mors matri ex abortibus aut ſimilibus accidet, uel occaſione combuſtionis uel inciſionis impedimentũ continget. Si Mars Venerẽ aſpexerit, erit mors matris per febres & infirmitates, ex uiſus obfuſcatione, & per humores ſubito decurrentes.

Si Saturnus Lunam aſpexerit, mortem uel ægritudinem generabit.

Si Luna orientalis fuerit à Saturno aſpecta, per febres putridas mortẽ cum tremore

more ſignificat. Luna uero occidentalis, occaſione corrodentium apoſtematum, uel comeſtionum in muliebribus membris contingentium, mors ueniet.

Reſiduas res particulares parentum prognoſticare.

ERige figuras parentum ex natiuitate primogeniti, Primò patris, quam ex duobus locis, Solis uidelicet & Saturni depræhendes. Si enim natiuitas fuerit diurna, Solem, ſi nocturna, Saturnum principaliter conſidera, & hunc locum pone in Horoſcopo patris. Deinde reliquas domos conſtitue ſecundum doctrinam in tabulis directionum Ioannis Regiomontani, problemate 24, & impone loca planetarum nati, qui ſi in gradu Aſcendentis fuerit, figura primogeniti eſt eadem cum figura patris. Si autem Sol meridianum occupauerit, adde Aſcenſioni rectę Solis 30 gradus, & habebis aſcenſionem rectam principio ſecundæ domus debitam in figura patris, ſicq; per additionem continuam 30. graduum, habebis aſcenſiones reliquarum domorũ, & per gradus oppoſitos, ſingularum domorum principia cognoſces, intrando cum aſcenſionibus rectis in tabulam circuli directi, & patebit propoſitum. Sole uero in occidente conſtituto, Cuſpides in figura patris non different à cuſpidibus figuræ nati, uerum aliud erit numerationis principium alijs domibus. Si Sol in genitura filij imum cœli occupauerit, non aliter quàm ſi eſſet in medio cœli operare. Quòd ſi ſignificator patris, nullum angulum tenuerit, quære Aſcenſiones eius obliquas, aut deſcenſiones ut prius. Ad inſtar harum Aſcenſionum erige figuram.

Eodem modo figuram matris facias, Lunam & Venerem conſiderando. Cum ad dictas parentum figuras, ſtellæ maleuolæ acceſſerint, uictoriáq; ſupra ſignificatores obtinent, mortem parentum decernunt. Beneuolæ autem ſtellæ uitam & fortunam augent. At ſi ſignificatores ex applicatione uel tetragono uel oppoſito infortunas aſpexerint, ipſis ſignificatoribus exiſtentibus in locis conuenientibus, ac radiationibus fortunarum confirmatis, uictoriamq; ſupra infortunas obtinentibus, decernunt uitam parentum prolongari. Eadem de ſequentibus intellige, ut in capite de directionibus accipies. Huc uſq; Ptolemæus.

Ex Arabibus ac alijs ſententiæ & aphoriſmi.

		Die	Nocte
Pro patre nati conſidera	Significatorem patris	qui eſt Sol	Saturnus
	Quartam domum		
	Dominum eius		
	Almuten ſignificatorum patris		
	Conſignificatorem quartæ domus, qui ſemper eſt Sol		
	Tres dominos triplicitatis quartæ domus		
	Tres dominos triplicitatis Solis		
	Tertium dominum triplicitatis domus octauæ		
	Partem patris		
	Dominum eius		

		Die	Nocte
Pro matre conſidera	Significatorem matris	qui eſt Venus	Luna
	Decimam domum		
	Dominum eius		
	Almuten ſignificatorum matris		
	Conſignificatorem matris, qui ſemper eſt Venus		
	Partem matris		
	Dominum eius		

PAtris qualitas cognoſcitur in diurna genitura à Sole. In nocturna uero à Saturno, ſed tam in nocte quàm in die à parte patris & domino eius, & ambobus parentibus à quarta domo & eius domino. In re autem matris in diurna genitura filij, aſpicitur à Venere, & in nocturna à Luna, & tam in diurna quàm nocturna à parte matris & eius domino. Si igitur inueneris in quarta domo ſtellas fortunatas, & dominos eorum in angulis uel ſuccedentibus, & bene diſpoſitos, ſine aſpectu infortunarum, iudica parentum eſſe laudabile ac bonum. Quòd ſi in cadentibus fuerint, aut infortunati, aut fuerint in quarta domo infortunatæ, Vel domini locorum prædictorum ab infortunis malè affecti, uel in malis locis, iudica parentes in miſeriam deuenturos, & hęc omnia ſecundum eorum fortitudinem & debilitatem penſando, & pro menſura genituræ.

Almuten patris trahitur ex his ſignificatoribus patris, ſcilicet à	Cuſpide quartæ domus Domino eius Cōſignificatore quartę domus, qui eſt Sol Domino eius Primo domino triplicitatis quartę domus Parte patris Domino eius.	Si Almuten ſuper hæc loca concordauerit cum Aſcendente, uel eius domino, erit concordia inter patrem & natum.

Si Almuten dictorum locorum à Marte impeditus fuerit in diurna genitura, aut à Saturno in nocturna per tetragonum uel oppoſitum, ſine aſpectu fortunarum, & abſque receptione, grauiſsimum erit, & ſi ipſe impediens fuerit dominus aſcendentis, uel Almuten ſuper aſcendens, fortaſſe natus interficiet patrem, aut erit occaſio mortis patris.

Almuten matris extrahitur à	Cuſpide decimæ domus Domino eius Cōſignificatore matris ſcilicet Venere Parte matris Domino eius	Si Almuten ſuper hæc loca cum Aſcendente concordauerit, uel cum domino eius, erit concordia inter matrem & natum.

Dirige Almuten patris & matris ad fortunas & infortunas pro accidentibus eorum.

Sol in loco laudabili, & domini triplicitatis eius in locis malis, dic tempore natiuitatis filij, patrem eius bene fortunatum fore, ſed poſtea uenturum in miſeriam.

Sol in malo loco hora natalis, & domini triplicitatis eius in laudabili loco & boni eſſe, dic patrem natalis hora, male diſpoſitum, ſed poſtea magis proſperos ſucceſſus habiturum.

Idem fiet iudicium de matre, ſumpto iudicio à Luna & Venere.

Sol in meliori ſtatu quàm Luna, patrem nobiliorē matre ſignificat, & econtra.

Sol cum capite draconis, ac Luna in quarta domo, dat nobilitatem patri, & nato modicam uitam.

Sol & Luna coniuncti in quarta, parentibus malam minantur mortem.

Sol aut Iupiter (Fortè Saturnus) in quarta, ſignificant patris magnitudinem. Idem ſi quartam domum aſpexerit.

Si Sol & Iupiter (Fortaſſe Saturnus) in locis deiectis fuerint, pariter uel diuiſim, uel unus in duodecima, alter in ſexta, dic patrem nati fuiſſe ſeruum.

Sol & Saturnus in cadentibus, aduerſas patris ualetudines, & eius debilitatem oſtendunt.

Sol & Saturnus in cardine uel eius tetragono, dic patrem nati humore aqueo uel ueneno periturum, aut profluente ſubito catharro.

Sol in domo Saturni in ſexta, patrem nati indicat ſeruum.

Si Sol in ſecunda, & Mars in ipſius quadrato fuerit, pater nati peribit ſanguine ſubito erumpente.

Si Sol in ſecunda in tetragono Saturni, uel illi iunctus fuerit, pater nati, aut pthiſi, aut diſſenteria, aut ex occultis humoribus morietur.

Solis quadratus aſpectus ad Martem, malæ mortis periculum patri minatur, idem erit, ſi ex cardinibus ſe aſpexerint.

Sol in natali diurno in finibus Martis, aut in natali nocturno in finibus Saturni, ſi per diem Mars Solem, uel in nocte Saturnus aſpexerit malo aſpectu, ſine fœlicium ſtellarum teſtimonio, filius patrem necabit. Si uero Luna ſic inuenta fuerit, matrem occidet.

Si Sol in ſeptima, Mars uero & Saturnus in quarta fuerint, niſi fœlicium ſtellarum mitigentur aſpectu, pater nati tabe, aut conſumptione morietur.

Si Sol in figura male locatus inuenitur, etiam in omni genitura, uel ſigni dominus, in quo Sol eſt, pater prior interibit. Si Luna, mater.

Sol in quadrato uel oppoſito Martis aſpectu, utroque eorum cadente, uitæ parentum breuitatem pronunciat.

Si cum Sole Iupiter & Venus participauerit, uel cum Saturno in quauis figura, uel ſi Iupiter cum Venere participauerit, & participatio Saturni fuerit cum Sole concors, & ambo potentes, ſciamus parentum uitam fore longiorem, & maxime ſi aliquis eorum fuerit angularis.

Sol in termino fortunæ, in diurna genitura, ſignificat bonitatem uitæ patris, adhuc melius, ſi Sol eſſet cum Ioue in termino ſuo.

Si Sol cum Saturno, Marte, & Mercurio in quarta extiterit, pater morietur cito.

Luna aut Venus in quarta, aut ſi illam aſpexerit, matris magnitudinem & exaltationem oſtendunt. Sed infortunæ contrarium operantur, ſi in quarta fuerint, uel male illam aſpexerint, niſi bonorum teſtimonijs mitigentur.

Luna à Marte ex oppoſito irradiata, ſi ipſe Mars orientalis fuerit, morte repentina mater occumbet, uel aduerſa inſeparabili ualetudine laborabit.

Luna à Marte ex oppoſito aſpecta, & ipſa occidentalis, erit matris mors per febres, aut uiſus debilitate, aut filiorum amiſsionem, mutilationem aut combuſtionem.

Si Luna in Saturni oppoſito fuerit, erit mors per aduerſam ualetudinem à uentre matris.

Luna inter duas infortunas natalis hora diſcurrens, ſine beneuolarum aſpectu, matrem periculo uitæ exponit, & filium nutriri ſignificat.

Luna orientalis in Martis oppoſito, erit mors per febres cum tremore.

Luna cum Marte in aſcendente, ſi in ſignis fuerit alienis, matrem talis nati ancillam fuiſſe ſignificat.

Luna in ſeptima impedita, mater nati inopia laborabit.

Luna cum Marte & Saturno exiſtente, mater nati infirmabitur.

Luna coniuncta Saturno, mater nati ſiccitate debilitatur.

Luna cũ Saturno, Marte & Mercurio in 4 uel 10 exiſtente, mater morietur cito.

Luna coniuncta Soli in ſigno maſculino, ſignificat altitudinem patris, ſed mortem matris ante patrem.

Luna cum Venere in loco deiecto inuenta, pariter uel ſeparatim, uel ſi altera in duodecima & altera in ſexta fuerit, dic nati matrem fuiſſe ancillam.

Si Luna cum Venere & Mercurio fuerit, bonum eſt pro nato, malum autem pro patre & fratribus. Et ſi cum hoc fuerit Mercurius peregrinus in aſpectu Martis, natus ducet uxorem necromanticam.

Dominus ſigni, in quo Luna fuerit, ſi ſit in ſuo caſu, aut in locis deiectis, dic matrem nati ancillam fuiſſe.

Saturnus in decima retrogradus in Geminis, coniunctus Marti, matrem nati, ex ruina morituram ſignificat. Expertum eſt, matrem ex ruina mortuam, cum tribus paruulis filijs, quia fuit prope oppoſitum Saturni & Mercurij.

Saturnus patris ſignificator, ſi fuerit in Leone, meliorationem ſtatus, & ipſius proſperitatem ſignificat.

Saturnus aſcendens poſt Lunam, damnat matris uirtutem.

Saturni radius ſi prius peruenerit ad partem patris quàm matris, pater prius interibit. Si ad partem matris, mater prior obibit mortem. Similiter præmorietur illi alter parentum, cuius pars fuerit ſub terra.

Si Saturnus in quarta, in domo uel exaltatione Iouis reperiatur, ſeparabit ſe natus à parentibus.

Saturnus infortunans Solem, mortem patri ex febre, melancholia, uel ex malis nociuis humoribus adfert. Si uero Mars Solem infortunauerit, morietur pater morte ſubitanea. Sed natus erit morboſus in oculis.

Saturnus in medio cœli in nocturna genitura, uel in loco patris fortunæ, uel in aliquo bono loco, ſignificat patrem nati fortunatum & diuitem.

Saturnus in termino et aſpectu bono Solis, parẽtes nati inueniẽt bonũ & proficiẽt.

Saturnus & Mars poſt Solem euntes, uel aſpicientes eum quadrato uel oppoſito, pater nati habebit ægritudines chronicas & fortes.

Infortunæ ambæ ſi aſpexerint locum coniunctionis uel oppoſitionis, & ipſum fortunæ non aſpexerint, ſignificat malam mortem parentibus. Et quando erit aſpectus coniunctionis, ſignificat mortem patris. Si præuentionis, mortem matris.

Saturnꝰ & Mars in quarta uel ipſã aſpiciẽtes, ſignificãt mortẽ patris ab apoſtemate.

Si Sol in undecima ſolus collocetur, parentes habebunt magnam fortunam, ipſe autem habebit nomen magnum in terris longinquis, & erit fœlix in operibus ſuis.

Vnus malorum in domo Solis in diurna uel nocturna natiuitate, damnabit patrem in oculis, uel in quantitate uitæ. Expertum eſt.

Si Iupiter aut Saturnus in quarta, & ſol in eorum quadrato extiterit, dic nati patrem ſeruum fuiſſe. Idem erit, ſi Venus in quarta fuerit, & Sol & Mars in tertia.

Mars aſcendens poſt ſolẽ, damnat uirtutem patris & malę mortis facit indicium.

Si Mars ſupra patris ſignificatorem eleuatus fuerit, uel quod ſignificatorem ſequatur, pronuncia paucitatem uitæ parentum.

Si Mars ex diametro Venerem aſpexerit in occidente (ſeptima) locatam, id eſt, occidentalem, erit matris mors per febres, aut uiſus debilitatem.

Mars in die, & Saturnus in nocte, ſi luminaria aſpexerint ex ſignis eorum naturæ contrarijs, ſine beneuolarum ſtellarum aſpectu, parentes filium abhorrebunt. Si Solem, pater. Si Lunam, mater.

Mars in tertia, ſexta, octaua, aut duodecima cum Saturni aſpectu, patri malæ mortis notat exitum.

Si Mars aſpicit Solem & Mercurium inimicè, timeat pater, ne fulmine moriatur. Eodem modo iudica de matre per ſignificatores eius.

Mars in angulo aſpiciens malignè Venerem aut Lunam, aut ambos, malam fortunam, & breuem uitam matri minatur.

Si Mars in domo Solis fuerit, mors ſubita patris ſignificatur, & ſi fuerit de nocte, uiuet parum.

Mars in domo Lunæ, mors matris.

Si Mars aſpicit Solem de Aſcendente in diurna genitura, non aſpicientibus fortunis Solem, mala morte parentes peribunt.

Venus in octaua in Tauro uel Libra, & Mars cum Luna in occaſu in ſuis finibus uel domicilio, matrem nati gladio perimit.

Si Ve-

Si Venus in quarta in aſpectu infortunæ fuerit, uxor patris morietur prius quam pater ipſe. Et ſi ſignum fuerit mobile, pater habebit alias uxores, & ſepeliet eas.

Signum coniunctionis præcedentis natale, patris etiam eſſe oſtendit. Signum uero præuentionis, oſtendit matris accidentia.

Domini domorum, ſcilicet Solis in die, & Saturni in nocte, ſignificant futura patris accidentia. Vide etiam conuenientiam quam habent in hora genethliaca, planetæ diurni cum Sole, & in natali nocturno planetæ nocturni cum Saturno.

Vitæ parentum ſignificatores ſunt tres, primus eſt locus diſpoſitoris, ſecundus dominus eius loci, tertius locus ipſius domini, quorum potentior eſt locus diſpoſitoris, & conſequenter locus ipſius domini. Verbi gratia, pro patris uita. Si natiuitas diurna fuerit, primò conſiderandus eſt Sol. Sed ſi nocturna, Saturnus in quo loco ſit. Vt in diurna, ſi Sol fuerit in Aquario. Deinde conſiderandus dominus loci Solis, qui eſt Saturnus. Tertiò locus Saturni, id eſt, ſignum in quo eſt. Vnde ſi fortuna habuerit participationem cum loco ſignificatoris fœlici aſpectu, uel ſi Saturnus & Sol fuerint in ſextili uel trino, nam ambo ſunt ſignificatores patris, prolongabitur uita patris poſt natiuitatem filij. Et ſi Sol fuerit in angulo, & fuerit participatio fortunarum, prorogabitur per multa tempora uita patris poſt natiuitatem filij. Si uero ſignificatores patris non eſſent potentes, aut forte eſſent in caſu, aut detrimento & debiles, & infortuna, ut puta Mars eos aſpexerit, aut forte Mars Solem quadrato, uel oppoſito, incurret pater magnam debilitatem poſt natiuitatem filij, & erit uita damnoſa, & timeat de morte ſubitanea, uel accidet ei damnum in oculis. Et ſi Saturnus aſpexerit Solem quadrato uel oppoſito, uel eleuabitur ſuper eum, accident patri febres cum tremore, uel apoſtemata in gutture, & plures infirmitates uix aut nunquam curabiles, & debilitatem corporis eius denotabunt.

In longitudine autem & breuitate uitæ matris, aſpici debent Venus & Luna. Venus ſi natiuitas fuerit diurna, Luna ſi nocturna. Vnde ſi Luna fuerit fortunata, puta in ſuo domicilio, exaltatione, uel triplicitate, & locis fortibus, & ſi Venus aſpexerit eam ſextili uel trino, uel ei coniungitur, prolongabitur uita matris. Si uero Luna non fuerit fortunata, nec in dignitatibus ſuis, & Mars ipſam quadrato uel oppoſito aſpexerit, timendum eſt de morte matris ſubitanea poſt partum. Et ſi Mars aſpiceret Venerem, accideret matri mors ex febribus, & obſcuritas oculorum. Si Saturnus aſpexerit Lunam quadrato uel oppoſito, accident matri infirmitates longæ, & conſumptio corporis ex pthiſi. Quòd ſi Saturnus aſpiciet Lunam, & inueniet eam orientalem, mors matri ueniet per febrem & tremorem. Si Luna fuerit occidētalis, habebit apoſtema in matrice, uel Cancrum in pudendis. Si Mars aſpexerit Lunam, & Luna fuerit occidentalis, accidet mors matri, uel amiſsio filiorum.

Si Sol in diurna uel Saturnus in nocturna, & pars patris aſpexerint aſcendens, uel dominum eius quadrato uel oppoſito, pater filium auerſabitur, & odio habebit, & curabit ut interficiatur. Et ſi ☽ in nocturna, uel ♀ in diurna, & pars matris aſcendētem de quadrato uel oppoſito &c. ut ſupra aſpexerit, erit hoc idem ſignificatū de matre.

Si pars fortunæ infortunata in ſigno maſculino extiterit, pater prius morietur. Si in fœminino, mater.

Tempus mortis parentum ſcies per directiones ſignificatorum ad malos & ipſorum radios.

Cuiuſcunque parentis pars in figura nati infortunata fuerit, is prior morietur. Si patris, pater: Si matris, mater.

Si natalitia hora, dominus primæ in octaua fuerit, periculum erit ne mater nati ex partu moriatur, idque maxime continget, ſi fuerit impeditus.

Si quartæ dominus fuerit à domino primæ corruptus, timebitur idem de patre, & nota quòd in hoc primogenitus eſt magna ſignificatio in re patris.

Dominus duodecimæ male locatus, ſi infortunatus fuerit, matrem nati conſtituit in mortis periculo, quod forte erit letale.

Si Aries fuerit in prima, Saturnus in piſcibus, & Sol in Aquario, uel in quadrato Piſcium, pater nati prius interibit, hoc ſi Lunæ contingeret, mater. Si uero his ſic ordinatis, Mars uel Saturnus ex quadrato eos aſpexerit, iuſſu regis mortem denunciat, niſi fœlix Iouis teſtimonium interceſſerit.

Si pars fortunæ infortunata & combuſta fuerit in ſigno maſculino, pater prius morietur quàm mater. Si in fœminino, econtra.

Si dominus partis patris ſupra terram, & dominus partis matris ſub terra fuerit, mater prius morietur.

Dodecatemorion Iouis in Aſcendente, ſignificat nobilitatem parentum eius, & potentiam ipſorum.

Dodecatemorion Solis aut Lunæ in Medio cœli, ſignificat nobilitatem patris & matris. Sed in duodecima, ſignificat depreſsionem parentum, & negociorum ipſorum, & quòd ſint uilis progeniei.

Pars patris & matris in angulo occidentis, ſignificant paupertatem & ſeruitutem parentum. Idem ſignificant in octaua. In ſecunda, ſexta, aut duodecima, ſignificant etiam modicam durabilitatem parentum, uel quòd cito morientur.

Si Venerē & Lunam in ſeptima Mars malignè aſpexerit, mater repentina aut uiolenta morte decedet, ſignificatq́ nato malum in oculis, & tandē uiolentam mortem.


Si Mercurius orientalis in quarta fuerit, nato detegentur multa ſecreta.

Pars fortunę et luminaria fortunata, ſignificant patrē & matrē diuites et longęuos.

Si ſignificatores patris & matris infortunati exiſtunt, pater & mater erunt infortunati ac breuioris uitæ.

Quarta domus ſi fuerit Scorpius, & ibi Luna, ſignificat matrem fuiſſe ſeruam & ipſam moriturā mala morte. Si Sol in eodē ſitu fuerit, patrem ſeruilis conditionis fuiſſe iudicabis. Quòd ſi Saturnus cum aliquo eorum fuerit, natus nunquam habebit filios. Si Venus ibi ſola fuerit, natus infœlices contrahet nuptias, uerſus finem uitæ habebit quietem, fortunam & ſocietatem nobilium, multas diuitias. Et ſi fuerit in ſignis ſterilibus, & Luna in eius oppoſito, natus erit ſterilis, & aget cum maſculis.

Exemplum prædictorum propoſitæ geniture.



Concluſio prima. Patrem nati, ſtatum bonum, altitudinem, nobilitatem, ac poſſe magnum & proſperitatem habuiſſe, probatur ex Sole ſignificatore patris, cum ſit in exaltatione ſua, & in angulo fortis, & ex primo domino triplicitatis quartæ domus, qui eſt Sol, maſculinus in ſigno maſculino. Hoc idem teſtatur Almuten ſignificatorum patris Mars aſpiciens dominum aſcendentis Mercurium trino. Item Iupiter dominus quartæ domus in aſcendente, Sol conſignificator quartæ domus in ſeptima, & pars patris in decima, omnes in angulis, quod etiam confirmant tres domini triplicitatis quartæ domus Sol, Iupiter, Mars.

Concluſio ſecunda. Hunc natum eſſe in commodum & utilitatem patris ſui, trahitur ex domino quartæ, & parte patris in angulis, & quod Sol ſignificator patris dominum aſcendentis recipit.

Concluſio tertia. Tam patri quàm nato utilitatem & lucrum ex terris, atq; inuentionem rei occultæ, de natura auri & gemmarum, deſignant Iupiter ſecundus dominus triplicitatis quartæ domus in aſcendente, & tertius ſcilicet Mars, fortis in undecima in mutua receptione cum Sole.

Concluſio quarta. Erit etiam mutuus amor inter patrem & matrem huius nati, idq; oſtendit Mars Almuten patris, qui trino ex perfecta receptione aſpicit Solem Almuten matris.

Concluſio quinta. Turbationes quaſdam animi atq; impedimenta, denunciat radius quadratus Saturnus ad Solem.

Concluſio ſexta. Pater nati damnum & amiſsionem aliquarum rerum ſentiet, id elicitur à domino quartæ domus Ioue peregrino & retrogrado.

Concluſio ſeptima. Sed in his per homines Martiales, recuperationem habebit. Nam Mars Solem ex trino perfecte recipit.

Concluſio octaua. Parens uterq; nobilitate decoratur, id indicat Dodecatemorion Lunæ in decima domo.

Concluſio nona. Natus erit parentum ſuorum honorator, mutuaq; inter eum & parentes concordia, eritq; melior omnibus ſuæ progeniei, altiorq; in dominijs. Probatur ex præſentia Iouis domini quartæ in aſcendente.

Concluſio decima. Infortunium quoddam poſt natiuitatem præſentem, Sol patris ſignificator, circundatus tetragono Saturni & trino Martis, inſinuat. Quare fac Solem aſcendens, & dirige. Nam ex directione Solis, trahes tempora commodi & damni patris, ab hac natiuitate filij computando.

Concluſio undecima. Breuem uitam, uel occaſionem morborum ex humoribus nociuis accerſentium mortem, patri denunciat inconueniens poſitio Saturni cum Sole in angulis.

Concluſio duodecima. Pro matre aſpicias cuſpidem decimæ domus, Mercurium & Venerem, quæ omnia debilitatem ſignificant.

Concluſio decima tertia. Dolorem oculorum matri poſt natiuitatem præſentem, indicat quadratus Martis ad Lunam.

Concluſio decimaquarta. Debilitatem corporis matris, uel mortem ex febre, aut ægritudine per humores ſubito decurrentes, oſtendunt debilitas Veneris & radij quadrati Martis, & trini Saturni poſt Venerem cadentes. Similiter pars matris in angulo occidentis ſub radijs.

Concluſio decimaquinta. Matrem nati huius præmorituram patri, denotant radij Saturni, qui prius applicant parti matris quàm patris, & quòd in hac figura, omnes ſignificatores patris melius ſtant quàm ſignificatores matris, & pars matris in angulo occidentis ſub radijs.

Hæ res de parentibus certius iudicantur ex proprijs eorum natiuitatibus, quia illæ ſunt radices durationis eorum.

Capus

CAPVT TERTIVM.

De fratribus & ſororibus nati.

FRatres eiuſdem matris ſcies ex Medio cœli, ex undecima domo, & ex loco matris. Eſt autem locus matris in natiuitate diurna Venus, in nocturna Luna.

Fratrum numerum poſt natum primogenitum ſcies, cum planetæ fortunati loca prædicta occupauerint, & diſpoſitores illorum locorum fortunati fuerint, uel ſi cum fortunis commixtionem habuerint in locis fortunatis. Nam per numerum planetarum fortunatorum prædicta loca occupantium, & aſpicientium numerus fratrum oſtendetur. Vide etiam an ſint in ſignis unius uel duorum corporum, ut ſi tres planetæ fortunati occupauerint prædicta loca, & fuerint omnes in ſigno unius formę, tres fratres nato naſcentur. Si duo planetæ occuparint ſigna bicorporea, & unus ſignum unius formæ, naſcentur ei quinq; fratres. Si autem infortunæ ſuper hæc loca fuerint eleuatæ ex applicatione, uel ſi prædicta loca per oppoſitum uel quadratum aſpectum aſpexerint, paucitatem fratrum indicabunt, & maxime ſi Sol cum eis extiterit. Infortunæ ſi angulum aliquem occupauerint, præcipue Aſcendens, damnantes locum fratrum inimico aſpectu, & ſi Saturnus fuerit talis infortuna damnans, tunc nocumentum fratribus maioribus inducet. Si Mars, minoribus. Si orientales ratione figuræ fuerint planetæ, fratres maiores, Occidentales uero minores ſignificant. Infortunæ ſi ſuper datores fratrum eleuantur, uel ſi eis coniunguntur (ſuccedant) erunt fratres breuis uitæ.

Maſculorum datores, ſunt planetæ maſculini in ſuis qualitatibus & opportuno ſitu mundi.

Fœmellarum datores, ſunt planetæ fœminei in ſuis qualitatibus & opportuno ſitu mundi.

Orientales datores fratrũ primos fratres ſignificant: Occidentales poſtremos.

Fortunæ dantes fratres, ſi habuerint concordantiam cum Medio cœli, uel cum loco matris, & patre fortunæ, ſignificant amorem & amicitiam fratrum in uita, & in ſubſtantia. Si autem in prædictis locis infortunæ fuerint repertæ, aut ſi prædicta loca ex oppoſito uel quadrato aſpexerint, nullam concordiam cum prędictis locis habentibus, ſignificant diſcordiam, inuidiam & deceptiones fratrum.

Datores fratrum ſi in fortunato & laudabili ſtatu fuerint, fratres nobiles, potentes, & magnæ laudis decernunt. Si uero fuerint debiles ac infœlices, fratres quoque uilis, ac paruæ reputationis ſignificant.

Si talium rerum de fratribus ulterius examen habere uis, erige figuram cœli ad inſtar (cuiusuis ſtellæ datricis pro ſingulis fratribus) gubernatoris fratrum, & extrahe Hylech & Almuten, & iudica in eſſe fratrum particulariter, ſicut fit in natiuitatibus. Huc uſq; Ptolemæus.

Sententiæ & Aphoriſmi aliorum.

Pro fratribus conſidera:
- Saturnum, Solem / Iouem, Martem / Venerem, Mercurium & primum / ſecundũ / tertium dominum triplicitatis tertię domus pro fratribus maioribus, medijs, minoribus.
- Tertiam domum
- Dominum eius
- Almuten ſignificatorum fratrum
- Conſignificatorem tertiæ, qui ſemper eſt Mars
- Primum dominum triplicitatis tertiæ domus
- Partem fratrum
- Dominum eius.

Alij

ALij dicunt, aſpiciendum eſſe ad ſignum tertiæ domus, & ad eius dominum, & qui ibi ſint planetæ, & quomodo eam domum aſpiciant. Nam ſi fortunantes ibi fuerint, uel eam bene aſpexerint, dic bonum & multitudinem proſperitatis eorum. Et ſi mali ibi fuerint, uel eorum aſpectus, dic contrarium.

Almuten ſignificatorum fratrum ſumitur à	Cuſpide tertiæ domus Domino eius Conſignificatore Marte Domino eius Primo dño triplicitatis tertiæ Secundo Tertio Parte fratrum Domino eius	Qui habuerit plures dignitates eſſentiales in his locis, hic erit generalis Almuten fratrum. Si ſunt in ſignis paucorum aut multorum, ſecundum hoc ſignificant fratres.

Saturnus & Sol ſignificant fratres maiores, Mars & Iupiter medios, Venus & Mercurius minores. Si fuerint in loco potente & fortunati, ſignificant fratres potentes & fortunatos, ac longę uitæ. Si fuerit contrarium, ſignificatur contrarium, ſcilicet paupertas & breuis uita fratrum. Si fuerint in ſigno maſculino, ſignificant fratres: Si in fœminino, ſorores.

Saturnus & Mars orientales, ſignificant maiores & præcipuos fratres. Occidentales, minores & infimos.

Dominus aſcendentis ſi aſpexerit Saturnum aut Martem, aut ambos malo aſpectu, ſignificat paucam pacem inter fratres. Si aſpexerit bono aſpectu, ſignificat bonam amicitiam inter eos.

Planetæ qui habent dignitatem in loco Solis, Lunæ, & Aſcendentis, ſi fuerint in ſignis maſculinis, aut maior pars eorum, habebit natus fratres longæuos ac fortunatos. Si fuerint in ſignis fœmininis, habebit plures ſorores quàm fratres. Si dicti planetæ fuerint orientales, erunt fortunati fratres: ſi occidentales, infortunati.

Boni planetæ in tertia domo, & dominus tertiæ fortunatus in ſigno maſculino fratres denotant fortunatos. Sed in ſigno fœminino, ſorores.

Quot planetæ aſpiciunt tertiam domum, uel dominum tertiæ, qui in maſculinis ſignis fuerint, tot fratres habebit. Et ſi fuerint in ſignis fœmininis, tot ſorores. Et ſi aſpexerint ſe bono aſpectu, uiuent. Si malo, morientur cito.

Numerus fratrum ſcitur à diſtantia domini triplicitatis domus tertiæ ab aſcendente ad aſcendens, ſi fuerit ſupra terram, aut ab aſcendente ad ipſum dominum triplicitatis, ſi fuerit ſub terra, dando cuilibet ſigno unum, & ſi aliquod eorum fuerit commune, numerum duplicabis.

Numerum fratrum ſcies à ſigno tertiæ domus, nam ſi fuerit ex ſignis plurium filiorum, & dominus eius ſimiliter, dic plures fratres futuros. Si paucorum, & dominus eius ſimiliter, dic paucos.

Numerus fratrum ſcitur ex numero ſignorum inter partem fratrum & eius dominum, commune ſignum duos, & quilibet planeta inter eos, unum dabit.

Cancer, Piſces, Scorpius, plurimorum ſunt.

Leo, Virgo, Capricornus, & principium Aquarij, paucorum uel nullorum. Cætera ſigna ſunt mediocria in multitudine & paucitate.

Aſpice planetas qui fuerint inter Aſcendens & quartam, Nam ſi ſint fortunæ, pariet mater iterum filios. Et ſi fuerint mali, abortum faciet mater, uel qui naſcetur primò morietur, hoc expertum habeo.

Dominus ſigni tertiæ domus, ſi combuſtionem intrauerit, ſignificat paucitatem fratrum.

Mars

Mars & dominus loci eius, in quo fuerit, ſi fuerint in ſigno plurium filiorum, & dominus ſui loci orientalis, ſignificat multitudinem fratrum, maxime ſi aſcendens non fuerit Leo uel Sagittarius, & Luna in eiſdem.

Si ſignum tertiæ domus fuerit commune, & eius dominus in ſigno communi, ſignificat natum habere fratres de patre tantum, ſed non ex matre.

Aſcendens nati ſi fuerit tertius gradus Scorpionis, ex ſua matre natus non habebit fratres.

Mars ſi intrauerit combuſtionem, ſignificat mortem minorum fratrum, & ſimiliter paucitatem fratrum.

Si planeta malus, peregrinus in tertia extiterit, prædic fratrum paucitatem.

Mars fortunatus, & domini triplicitatis eius in bono & apto loco, & eſſe Solis, ſignificant fortitudinem fratrum, & multitudinem fœlicitatis eorum. At ſi fuerit mali eſſe, & ſimiliter domini ſuæ triplicitatis, iudica infœlicitatem & malum.

Domini triplicitatis aſcendentis cadentes, paucitatem fratrum denunciant, qui ſi fuerint in ſignis mediocriter fortunatis, mediocritatem fratrum denotant.

Vide in quem locum cadit pars fratrum, & ubi fuerit eius dominus. Nam de his erit iudicium, ſicut de ſigno tertiæ domus, quia ſi teſtimonia eius erunt æqualia, erit certius & fortius iudicium. Et ſi diuerſa fuerint, erit teſtimonium ſigni tertiæ, & eius domini certius & fortius, nam partes ſunt ultimæ in teſtimonijs.

Dominus tertiæ domus, iunctus malis corporaliter, uel etiam malo aſpectu, ſignificat mortem fratrum, & deſtructionem eorum. At ſi fuerit iunctus fœlicibus ſtellis, uel eorum aſpectui, gaudium ipſorum & fœlicitatem pronuncia.

Dominus primus triplicitatis tertiæ in aſcendente, ſignificat natum eſſe primogenitum matris ſuæ. Et ſi fuerit in decima uel quarta, erit ſimiliter primus uel quartus. Et ſi in ſeptima, erit primus uel ſeptimus.

Si dominus domus fratrum fuerit in aſcendente, ſignificat natum illum (cui iudicium facis) eſſe primogenitum, aut ſolum. Et quando inter Aſcendens & Medium cœli, non fuerit aliquis planeta, ſignificat ſimiliter quòd natus eſt primogenitus, & ſi aliqui fratres naſcentur poſt eum, deſtruentur, aut ipſe ſemper erit maior & melior.

Saturnus uel Sol in aliquo angulorum in ſua dignitate, Vel ſi dominus aſcendentis eſt aliquis trium ſuperiorum, & eſt in tertia, uel dominus tertiæ domus aliquis inferiorum in aſcendente, ſignificat primogenitum.

Dominus tertiæ & pars fratrum, uel Iupiter, ſi fuerint in ſignis communibus, uel multorum filiorum, & fortunæ aſpexerint eos amicè cum receptione, ſignificat primogenitum, & habebit fratres bonos ac potentes.

Dominus domus fratrum combuſtus, aut pars fratrum combuſta, uel Sol in domo fratrum, aut in oppoſito Iouis, ſignificat paucos fratres, & quòd deſtruentur & diſpergentur.

Dominus domus fratrum in aſcendente, ſignificat primogenitum, uel erit ſolus.

Si dominus triplicitatis aſcendentis primus iungitur cum tertio in ſecunda, ſexta, nona uel undecima, & aſpexerit eos aliqua infortuna, uel non aſpexerit, natus non habebit fratres, aut ſi habebit, morientur, & ipſe ſolus reſtabit, aut exulabunt in alienis locis, eo ſolo manente domi.

Si fuerint Dominus domus fratrum & pars fratrum fortes in angulis, & in bonis locis non combuſti, natus habebit multos fratres.

Natus habebit utilitatem à fratribus, & econtra, ſi dominus tertię corporaliter iungitur parti fortunæ, uel eius domino in locis bonis.

Si Iupiter & Saturnus ſint in domo fratrum cum Cauda, & Venus aſpicit de quadrato, uel oppoſito, natus habebit anxietates pro fratribus ſuis.

Si Saturnus fuerit in oppoſito partis fratrum, uel in oppoſito domini tertię, uel fuerit iunctus ambobus, aut uni eorum, uel ambo, aut unus eorum fuerit in tertia domo, maxime ſi Mars illuc aſpexerit, & fuerit tardi curſus, fratres nati interficient eum, & habebunt damna multa.

Conuenientia fratrum erga natum ſcitur ex fœlici aſpectu Domini tertiæ ad dominum Aſcendentis, aut ex aſpectu domini partis fratrum ad ipſam partem.

Mercurius iunctus Marti, uel ei oppoſitus, facit diſcordiam inter fratres.

Si Dominus triplicitatis aſcendentis fortior eſt domino Triplicitatis domus tertiæ, natus erit dignior fratribus ſuis.

Quod eſt inter medium cœli & aſcendens, ſignificat fratres maiores, & quod eſt inter aſcendens, & angulum terræ, fratres minores.

Si Luna fuerit domina aſcendentis, aut pars fortunæ in tertia aucta lumine, fortunata, natus erit religioſus obſeruator legis, lucrabitur ex rebus ſpiritualibus.

Dominus triplicitatis aſcendentis primus in duodecima uel undecima ſi non ſit fortuna, & fuerit aliquis planeta in ijs domibus, qui ſit fortuna, ſignificat eum habere fratres uiuos. Et ſi fuerint mali, ſignificat eum habuiſſe, ſed eſſe mortuos.

Separatio Lunę à Sole uel Saturno, denotat natum non eſſe primogenitum patris ſui. Si uero ſeparatur à Ioue, Marte, Mercurio, uel Venere, ſignificat eum non habere fratrem, qui ſit ſe maior. Et ſi fuerit curſu uacua, ſignificat malum eſſe fratrum maiorum. Et ſi ſeparatur à malis, celeriter morientur priores fratres, uel eorum deſtructionem ſignificat.

Si Luna ſeparatur à planeta exiſtente in domo uel exaltatione ſua, fratres maiores bene habebūt. Si Luna applicat planetæ in domo uel exaltatione ſua exiſtenti, natus habebit dignitatem, & fratres eius qui poſt eum uenient.

Si fuerit in tertia domo Leo, & Sol combuſſerit dominum ſecundæ, ſignificat natum cauſa ſuorum fratrum diuitias amiſſurum. Idem dic ſi dominum partis fortunæ combuſſerit.

Si dominus aſcendentis non aſpexerit dominum tertiæ, fratres qui poſt eum naſcentur, fugient à conſpectu ipſius, & erunt ſuis damno, & ſibi.

Tertiæ dominus ſi ſupra terram infortunatur, maioribus fratribus impedimenta decernit. Si uero ſub terra, his qui poſt eum naſcentur.

Dominus tertiæ in prima, primum eſſe interficiendum, uel ſolum ſuperſtitem fore ſignificat. Si in tertia ſit ſignum commune, denotat natum alios habiturum fratres, & forte ex alia matre.

Mars in die in aſcendente, uel in quarta, aut Saturnus in nocte, facit natum humanum erga conſanguineos ſuos.

Quando ſigna tertiæ & octauæ domorum fuerint unius planetæ, nati fratres ipſo uiuente è uita diſcedent.

Venus prima domina triplicitatis tertiæ retrograda & mali eſſe, ſignificat paucitatem fratrum, & diſcordiam inter illos.

Dominus ſecundæ in ſecunda, ſi eum dominus tertiæ uiderit, natus à fratribus anguſtias habebit, aut propter eos.

Cancer uel Capricornus aſcendens, ſignificat fratres inimicos eſſe nato, uel litigaturum cum fratribus, & tamen peruenient fratres eius ad potentiam.

Aries uel Libra aſcendens, denotant quòd fratres eum aduerſis proſequentur odijs, uel erunt in uili ſtatu.

Virgo uel Piſces aſcendens, ſignificant quòd fratres nati erunt cauſa ſuarum ægritudinum, uiuetque diutius illis.

Leo uel Aquarius aſcendens denotat quòd fratres nati morientur, uel habebunt inter ſe mutuas ſimultates ac diſſenſiones.

Applicatio bona domini aſcendentis cum domino tertiæ, fratrum concordiam & amorem ſignificat. Si ex oppoſito, prædic odij inter eos multitudinem. Si coniuncti fuerint, dicito amicitiæ & concordiæ ſtabilitatem. Idem de domino partis fratrum iudica.

Quando pars fratrum fuerit cum domino partis fortunæ, ſignificat diſcordiam fratrum, & quòd alter alteri tendet inſidias, & ſeſe mutuo decipient. Sed quando iſti duo domini bene ſe aſpiciunt, pacificè res eorum componentur.

Si dominus aſcendentis aſpicit Martem dominum tertiæ ex trino cum receptione, ſignificat quòd natus conſentiet cum fratribus, quamuis inter eius fratres fuerit diſcordia, quod bene notabis. Nam dominus aſcendentis ſignificat natum cui facis iudicium, & ea ratione ipſe cum fratribus concordiam & mutuam beneuolentiam conſeruabit.

Pars fratrum & eius dominus ſignificant eſſe fratrum & concordiam eorum. Si fuerint in ſignis multorum filiorum, ſignificant multos fratres: in paucorum, paucos.


Alij dicunt Mercurium & Martem eſſe ſignificatores fratrum, & Lunam ſororum, de quibus iudicant ſecundum ipſorum conuenientiam & fortitudinem.

Primus dominus triplicitatis domus tertiæ, ſignificat fratres maiores.

Secundus medios.

Tertius minores. Ex ipſorum igitur eſſe, fratrum qualitas & fortuna dinoſcitur, hoc eſt, ex eorum applicatione ad planetas exiſtentes in bonis locis, prout fœlicibus uel infœlicibus ſtellis adiuncti fuerint.

Exemplum genituræ propoſitæ.



Concluſio

Concluſio prima. Natus non erit ſine fratribus, id arguit cuſpis domus tertiæ ſalua, & ſignum multorum filiorum, & dominus eius Mars, ac pars quoq; fratrum ſalua.

Concluſio ſecunda. Paucitatem tamen eorum arguunt ſigna ſterilia, in quibus Mars, Iupiter, & pars fratrum collocantur. Item Mercurius dominus partis & loci Iouis, & Sol horum almuten in ſignis paucorum. Idem quoq; atteſtantur oppoſitus Saturni, & quadratus Solis ad decimam domum.

Concluſio tertia. Credo duos fratres habiturum, quia duo planetæ, ſcilicet Mars & Sol ex ſignis maſculinis, partem fratrum in ſigno maſculino aſpiciunt. Huic rei quoq; teſtimonium adiungitur, quòd Iupiter & Luna radios ſuos in cuſpidem tertiæ domus proijciunt. Item inter partem & dominum ſuum, ſunt duo ſigna & unus planeta. Deniq; Iupiter maſculinus radio quadrato medium cœli pulſans, unum poterit fratrem adijcere, uerum hoc nato minus potentem, quòd ex quadrato fiat applicatio. Idem quoq; raram innuit inter eos concordiam. Huic etiam Venus prima domina triplicitatis huius domus retrograda concordare uidetur.

Concluſio quarta. Fratribus ante ipſum genitis, breuem ac debilem uitam portendit debilitas & retrogradatio Veneris primę dominę triplicitatis huius domus.

Concluſio quinta. Reliqui, & eo minores, melioris ſtatus atq; fortitudinis erunt. Id declaratur per Martem & Lunam, ac reliquos dominos triplicitatis, qui melioris eſſe ſunt in figura.

Concluſio ſexta. Inter hos quoq; diſcordia incidet. Nam ſignificatores eorum Luna & Mars quadrato ſe aſpiciunt, Veruntamen receptio Lunæ & Martis, faciet hoc ſignificatum remiſsius.

Concluſio ſeptima. Natus uidebit mortem ſuorum fratrum. Nam ſignum tertiæ & octauæ domorum, ſunt domus unius planetæ.

Figuras pro fratribus erige ex ♂ & ☽ loco: Item ex ♃ & ♀ poſitu, ſed hi duo, præſertim qui ex ♀ peſsime affecta eſt, non fuit longæuus.

De natis maſculis uel fœminis.

EX duabus figuris, conceptionis ſcilicet & natiuitatis poſſumus cognoſcere ſexum nati, & hoc ex tribus locis, ſcilicet Solis, Lunę & aſcendentis, & ex planetis gubernatoribus illorum locorum. Nam ſi maior pars illorum fuerint maſculini, natus erit maſculus. Certum enim eſt, quòd hi, uel maior pars eorum tempore cōceptionis dominium obtinentes, fuerint maſculini. Nam tempus conceptionis habet conuenientiam cum tempore natiuitatis. Si uero prædicta loca & gubernatores eorum, uel maior pars eorum fuerint ſigna fœminina, erit fœmella. Si autem tot fuerint maſculini quot fœminini, & Venus dominium obtinuerit, erit hermaphroditus. Hæc Ptolemæus.

Si plures planetæ, præſertim luminaria & aſcendens fuerint in ſignis & gradibus maſculinis, natus erit maſculus. In fœmininis uero, fœmella. Vel fœmella habens plures planetas in ſignis maſculinis, erit uirago. Maſculus uero habens planetas in fœmininis ſignis, erit effœminatus.

Exemplum propoſitæ genituræ.

Natum futurum maſculum oſtendebant Sol in maſculino ſigno. Luna à Sole orientalis, Iupiter in aſcendente orientalis, Mars Almuten illorum locorum in maſculino ſigno. Et quia hæc omnia ſunt in ſignis unius figuræ, ſignificant natum ſolum ſine alio.

Aries	o	7	12	16	22	30	o	o	o
Taurus	o	7	19	30	o	o	o	o	o
Gemini	o	17	23	30	o	o	o	o	o
Cancer	o	2	7	10	12	18	20	27	30
Leo	o	5	7	15	26	30	o	o	o
Virgo	o	7	22	24	30	o	o	o	o
Libra	o	5	10	21	28	30	o	o	o
Scorpius	o	4	10	12	19	27	30	o	o
Sagittarius	o	2	5	12	23	30	o	o	o
Capricor.	o	8	12	19	30	o	o	o	o
Aquarius	o	9	12	19	30	o	o	o	o
Piſces	o	10	20	23	30	o	o	o	o
		M	F	M	F	M	F	M	F

De Gemellis.

Similiter hic quoq; de gemellis tria prædicta loca Solis, Lunæ, & aſcendentis, conſiderare oportet, Nam ſi hæc loca omnia, & eorum domini, uel eorum maior pars ſigna bicorporea uel communia poſſederint, naſcentur gemelli, & ſecundum quod maior pars de ſignis prædictorum trium locorum fuerint bicorporea, & plures planetæ, qui ibi habuerint dominium, maxime cum Mercurius fuerit diſpoſitor dictorum locorum, & habuerit aſpectum cum pluribus, ſecundum hoc etiam plures pueros generabit.

Genus autem natorum ex loco Solis Lunæ & Horoſcopi colligimus. Nam ſi loca tria prędicta in maſculinis ſignis reperta fuerint, & maſculinarum ſtellarum teſtimonia acceſſerint, ſcilicet Saturni, Iouis, Martis, maſculi naſcuntur.

Si autem Venus fuerit in fœminino ſigno conſtituta, & luminaribus & horoſcopo iungitur, fœminini ſexus gemini procreantur, dummodo prædicta loca duorum corporum ſigna poſſederint.

Cum autem prædicta tria loca, non ſunt bicorporea, ſed tantum duo, quoniam tunc oportet inſpicere gradum medij cœli, ſi fuerit ſignum bicorporeum, tunc generabit plures duobus, ſecundum diſpoſitionem planetarum, cum quibus prædicta loca iuncta fuerint.

Cum Saturnus & Mars in præfatis locis in ſignis bicorporeis fuerint inuenti, tres maſculi naſcuntur. In genitura autem trium fœmellarum, oportet ut Luna, Venus & Mercurius fœminini in prædictis locis permaneant.

In duorum maſculorum, ac unius fœmellæ genitura conuenit, ut Saturnus, Iupiter, ac Venus in illis ſint locis. Parturiet etiam duas fœmellas, & unum maſculum, cum Venus, Luna, & Mars in illis locis exiſtunt. Sed hæc ex figura conceptionis facilius ſciri poſſunt.

Secundum ergo hunc modum quo mulier parturit plures duobus, contingit frequenter ut illi qui naſcantur, non euadant à morte, uel impedimento corporis uel damnatione membrorum. Hæc Ptolemæus.

Aliorum ſententiæ & Aphoriſmi.

QVando Saturnus & Mars fuerint in ſigno communi mater ædet uno partu duos maſculos aut tres, uel duos maſculos, & unam fœmellam.

Quando Luna, Venus & Mercurius fuerint in bicorporeis ſignis fœmininis, mater pariet tres fœmellas, uel duas fœmellas, & unũ maſculum.

Si Sol, Luna & aſcendens, ac ipſorum domini in ſignis bicorporeis extiterint, aut eorum maior pars, habebit gemellos fratres uno partu.

Dominus ſigni partis filiorum in ſigno duplici, ſi in quinta ſit ſignum duplex & Luna in duplici ſigno, ſi Lunam & Mercurium aliqua radiatione reſpexerint, uel cum ea fuerint, gemini naſcentur.

Luna in ſigno duplici, & Sol in aliquo cardine, ſi ſecundum à Luna poſſederit ſignum, aut in duplice cum Ioue poſitus, aut cum Mercurio fuerit, gemini naſcentur.

Luna in domibus Iouis uel Mercurij, & ipſorum alter in aſcendente uel ſeptima domo, gemini naſcentur.

Si ſit Luna cum Mercurio aut Ioue, & Sol ſibi aliam applicet ſtellam, ſi ſeſe duplicibus ex ſignis uiderint, uel ſi aſcendens ſit ſignum duplex cum aliquo planeta, gemini naſcentur infantes.

Iupiter & Mercurius in prima in ſigno duplici, Luna in quouis cardine, ſi Sol iungatur alicui ſtellæ in eo ſigno in quo fuerit, aut duabus in genituris, ſemper gemini, aut una tantummodo naſcentur, dummodo maleuolarum aliqua ex loco ſuperiore non aſpiciat. Quòd ſi altera infortunantium ex medio cœli aſpiciat, prior conceptus in partu morietur, aut non perficietur eius nutritio. Si autem Luna in cardine non fuerit, nec in ſigno duplici, Iupiter uero & Mercurius in duplici in prima domo, & Luna cum aliqua ſtella iungatur aut Sol, gemini naſcentur infantes.

De monſtris.

CVm duo luminaria ab angulis cadunt, & non habuerint conuenientiam cum loco aſcendentis, & infortunæ fuerint in angulis, talis qui naſcitur erit uilis, pauper, exilis, & ſtaturæ permutatæ.

Quando gubernator coniunctionis uel oppoſitionis præcedentis natiuitatem, & gubernatores locorum luminarium natiuitatis, & locus Lunæ ac aſcendentis natiuitatis, uel maior pars eorum non aſpexerint locum coniunctionis uel oppoſitionis natiuitatem præcedentis, & cum hoc ſint infortunæ potentes in angulis, & ambo luminaria ab aſcendente cadentia, uel ipſum non aſpicientia, natus erit facturæ permutatæ. Hęc autem ſi ſic fuerint, & luminaria in ſignis quadrupedum uel ferarum inuenta fuerint, & infortunæ in angulis, natus non erit ex hominibus, maxime ſi fortunæ cum luminaribus non habuerint teſtimonium ex aſpectu. Sed ſi eis infortunæ teſtificatæ fuerint, natus non erit domeſticus, ſed erit de natura & effigie illius animalis, in cuius ſigno luminaria & infortunæ fuerint. Vt in ſigno Piſcium, naſcetur forma piſcis. Iupiter autem cum Venere, ſi luminaribus teſtificantur, erit natus ſimilis animalibus domeſticis, ut ſunt canes, & his ſimilia.

Mercurius ſi illis teſtificatus fuerit, erit natus ſimilis animalibus, quibus homines utuntur: Gallinis, Bobus, Porcis &c. Si autem fuerint luminaria in ſignis humanis cæteris omnibus, ut prius diſpoſitis, natum ſimilem hominibus, uel ex ijs animalibus, quæ cum hominibus uerſantur, forma tamen inuſitata futurum ſignificant.

Si fuerit infortuna in angulis, in ſignis quadrupedum, naſcetur natus cum pluribus pedibus quàm duobus, uel habebit pedes alterius formæ quàm pedes hominis, & corpus ipſius immutabitur. Si autem prædictis locis, ſcilicet luminarium, & aſcendenti, nulla fortuna teſtificata fuerit, natus non loquetur, erit irrationalis, ſine aliquo intellectu, eiusq; factura ueraciter et perfecte immutabitur. Si prędictis locis Iupiter & Venus teſtificati fuerint, natus erit honoratus, loquetur multa in legibus, & uaticinabitur, & erit hermaphroditus, id eſt, figura ex Venere & Mercurio denominata. Si Mercurius in factura permutata teſtimonium contulerit, erit natus ſomniorum interpes, & ex his erit eius uictus infœliciter poſitus, ſurdos ac mutos facit, item ſubdolos, & deceptores hominum. Hæc Ptolemæus.

Aliorum ſententiæ & Aphoriſmi.

SAturnus, Sol, Luna, & Caput draconis Lunæ, in eodem gradu in aſcendente, natus erit hermaphroditus.

Si tres domini triplicitatis aſcendentis cadentes, luminaria etiam cadentia, item domini locorum luminarium, & locus coniunctionis uel oppoſitionis præcedentis natiuitatem, & dominus eius cadentes fuerint, natus non guſtabit aliquid, aut non erit homo, ſed erit monſtrum, ita quòd habebit aliquod ſignum ultra naturam humanam.

Si luminare, cuius fuerit auctoritas, infortunatum fuerit in angulo occidentis, uel ſi infortunantes illud ab angulo occidentis aſpexerint ex quadrato uel oppoſitione, naſcetur ſemiuiuus (uel quod ego expertus ſum) ut fruſtrum carnis, quod Medici Molam appellant, Philoſophi autem maſſam carneam.


CAPVT QVARTVM.

De his qui non creuerunt.

SI aliquod luminarium fuerit in angulo, & illi aſſocietur altera infortunarum in eodem gradu in longitudine tantum, uel longitudine & latitudine, uel aſpiciat illud in figura æquicruria, nec ulla fortunarum ei ſocietur in figura, fueritq; diſpoſitor luminarium in locis infortunarum, natus non uiuet, ſed ſtatim morietur. Figura æquicruria fit, exempli gratia, Sit Sol in aſcendente, Luna in angulo terræ, infortuna in angulo ſeptimæ, quæ aſpicit Solem oppoſito, & Lunam ex quadrato aſpectu partiali in iiſdem gradibus.

Item colligo ex uerbis Ptolemæi, figuram æquicruriam eſſe, quoties malefica aſpicit utrumq; luminare, ita, ut quantum ab uno, tantum etiam ab alio diſtet longitudine, uel etiam longitudine & latitudine, uel hac ratione luminare utramq; maleficam aſpicit.

Cum



Cum infortuna non fuerit in figura æquicruria,ſed ſint loca luminarium in proiectione radiorum ſeu aſpectu infortunarum,uel quòd infortunæ aſcendant & applicent ad ea,fuerintq́ duæ infortunæ impedientes unum luminare uel ambo luminaria, aſcendentes ad ambo luminaria, uel ad unum eorum,uel exiſtentes in oppoſito unius,uel amborum,uel quia una infortunarum ſit in oppoſito luminarium, & alia aſcendens ad locum luminarium, natus uitam non habebit. Aſcendere ad locum luminaris, eſt ſe ponere ad angulum in quo erat luminare. Sed proiectio radiorum, id eſt,non coniuncta gradu per gradum,ita tamen quòd ſint pauci gradus inter eos quo ad orbem luminis.

Cum infortunæ locum aſcendentis,& luminaria damnauerint,fuerintq́ luminaria cum infortunis in cardinibus adinuicem applicantia ex coniunctione Sol Marti,Luna Saturno,uel ex diametro,Saturnus Soli, Mars Lunæ, fuerintq́ infortunæ gubernatores horũ locorum,maxime ſi ambæ infortunæ ſcilicet Saturnus & Mars ambo luminaria oppoſito radio,aut graduali coniunctione infecerint, ipſis exiſtentibus in angulis, mortui uel ſemiuiui naſcentur infantes.

Cum ad prædicta loca fortuna uenerit,aut radios proiecerit,peruenerintq́ radij fortunæ ad præcedentes partes,uiuet natus ſecundum graduum quantitatem, qui ſunt inter luminare ſeu Hylech,& infortunam propiorem. Si enim nocumentum infortunæ erit forte,gradus diſtantiæ illorum erit horæ,ſi mediocre,erunt dies, & ſi debilius,erunt menſes. Si uero radij infortunarum ad præcedentes, fortunarum uero ad ſequentes partes peruenerint,creſcet natus,& uiuet. Præcedentes autem partes,ſunt quæ prius oriuntur per motum primi mobilis.

Cum infortunæ eleuabuntur ſuper fortunas, mutuam ſocietatem habentes in figura,erit natus imbecillis,& miſeræ complexionis. Si autem fortunæ eleuabuntur, natus à parentibus ſuis non nutrietur,ſed ab alienis. At ſi altera infortunarum cum Luna pariter oriatur aut ei applicuerit, & altera infortunarum occidat, natus à parentibus nutrietur, ea ratione Luna ſuper infortunam uictoriam obtinente. Cum

autem

autem aliquod luminarium occidentem occupauerit, faciens figuram cum infortu-nis duobus pluribusúe modis, infantes ſemiuiui oriuntur, aut quaſi carnis fruſtum, aut imperfectę creationis, quare ſi altera infortunarum, luminari exiſtente in occidente eleuetur, natus non nutrietur, neq; uitam habebit, ſecundum regulas prædictas. Hæc Ptolemæus.

Aliorum ſententiæ & aphoriſmi.

Pro nutritione conſidera:
- Aſcendentem.
- Dominum eius.
- Dominos triplicitatis aſcendentis.
- Partem fortunæ.
- Dominum eius.
- Solem.
- Diſpoſitorem eius.
- Tres dominos triplicitatis Solis.
- Locum coniunctionis uel oppoſitionis præcedentis.

HABEAS etiam reſpectum ad gradus qui ſunt inter Hylech & infortunam, ad gradus nimirum eiusdem longitudinis & latitudinis, qui ſi fuerint æquales, & de eadem parte cœli cum luminaribus, uel una earum Hylech exiſtente, natus ſpacium uiginti quatuor horarum non ſuperabit. Si autem gradus latitudinis fuerint inæquales, ac inforturnæ extra eclipticam poſiti: fortunæ uero in ecliptica in eadem longitudinis parte cum infortunis, nocumentum eorum erit mediocre. Si autem longitudo et latitudo utrorumq; fuerit diuerſorum graduum, erit debilius. Si autem fuerit in diuerſis partibus cœli, in eodem tamen ſigno diuerſorum graduum, fortuna medium tenente, natus accipiet annos nutritionis & uitam, dummodo infortunarum radij ad pręcedentes partes luminarium, fortunarum uero ad ſequentes proijciantur.

Significatores nutritionis ſunt Aſcendens, Dominus eius, domini triplicitatis eius. Pars fortunæ, dominus eius. Sol, dominus eius, domini triplicitatis eius. Locus coniunctionis uel Oppoſitionis præcedentis natiuitatem.

A dominis triplicitatis aſcendentis, tanquam ex radice, ſcitur de nutritione. Primus enim habet primam tertiam. Secundus ſecundam. Tertius tertiam, ac ultimam nutritionis partem.

A dominis triplicitatis luminaris conditionarij, tanquam ex radice, ſcies uictum nati.

Præſentata natiuitate, conſidera principaliter dominos triplicitatis aſcendentis & ſecundum eos, dic bonam uel malam nutritionem, & hoc in illa parte nutritionis quæ ſignificatur à tali domino triplicitatis.

Domini triplicitatis luminaris tēporis in prima, decima, undecima, uel quinta, nutritionē leuem ac bonam ſignificant. Si in ſeptima, malam, anxiam, ac laborioſam.

Si gradus aſcendentis & luminare temporis damnati fuerint, non nutrietur, niſi domini triplicitatis fuerint ſalui & firmi in angulis.

Si Luna infortunata in aſcendente fuerit, non nutrietur.

Si Luna in quarta domo coniuncta infortunæ uel in quadrato uel oppoſito extiterit, non nutrietur, eritq; mater in periculo, aut forte morietur.

Si Dominus aſcendentis combuſtus fuerit, natus non uiuet octo diebus.

Coniunctio planetarum plurium in aſcendente, nutritionem non ſignificat.

De natis qui naſcuntur mortui.

DOMI-

DOMINI triplicitatis aſcendentis,& Solis cadentes ab angulis & infortuna in aſcendente,ita quòd eius fortitudo ad malum intenditur.

Luna in occidente poſita,non habens aſpectum fortunæ,& quòd in uno angulo ſit infortuna,naſcetur quidem,ſed non uiuet una hora.

Si Luna in quadrato infortunarum fuerit,& alia infortuna aſpicit aſcendens,natus non habebit uitam.

Quando ſignum in quo fuit coniunctio uel oppoſitio præcedens,& Alchocoden,& dominus termini Solis & Lunæ, & Aſcendentis,& domini triplicitatis Solis de die,& Lunæ de nocte,etiam pars fortunæ,omnia hæc infortunata fuerint,natus ex utero matris uiuus non egredietur.

Omnes planetæ in ſexta uel duodecima exiſtentes, ſi eos dominus aſcendentis non aſpexerit,natus non fruetur uitalibus auris.

Luna cum Marte in Medio cœli cum quibuſdam conditionibus ſupradictis, & maxime ſi infortunæ fuerint domini triplicitatis aſcendentis & Solis, natus egredietur mortuus & fruſtatim.

Si fuerit Luna & Mars in aſcendente,& Saturnus in occidente,natus egredietur mortuus,hoc tamen ſi fortuna non aſpexerit Lunam.

Luna in occidente cum Marte,& Saturno in occidente collocatis, & in conditionibus quibuſdam ſupradictis,non uiuet natus per diem integrum.

De natis qui uiuunt,ſed non nutriuntur.

VBI maior pars dominorum triplicitatum hæc ſignificantium,reperitur infortunata in cadentibus ab angulis. Item ſi Luna coniuncta Saturno in eius triplicitate fuerit, uel aſpiciat ipſum ex quadrato,natus uiuet parum,& erit malæ nutritionis.

Eadem uero coniuncta cum Sole & Marte, breuem nato decernit uitam.

Si Luna inter duas infortunas poſita,fortuna non aſpexerit ipſam, parum uiuet natus,idq́ intellige etiam de infortunis ſtellis fixis.

Luna exiſtente cum Sole in uno gradu,Saturnus aſpexerit eos ex quadrato uel oppoſito,non nutrietur.

Si Sol & Luna in uno gradu fuerint,natus non uiuet duabus horis.

Applicatio domini aſcendentis ad dominum octauæ, abbreuiat uitam & impedit nutritionem.

Luna in Ariete in oppoſito Martis exiſtente, ſi non aſpiciat eam fortuna,erit natus debilis nutritionis,& uitæ breuis.

Domino aſcendentis & domino loci Solis & Lunæ, & parte fortunæ ſub radijs Solaribus occultatis,natus erit paruæ uitæ.

Si caput draconis Lunæ,& ambo infortunæ in quarta ab aſcendente fuerint, natus non nutrietur.

Si fuerit Saturnus in aſcendente, Mars in ſeptima, natus uiuet parum,& malum habebit,donec uiuet.

Quando infortunæ ſeſe aſpiciunt ex oppoſito,ita quòd una ſit in aſcendente, & altera in occidente,& Luna in Medio cœli,uel in occidente,natus non diu uiuet.

Saturnus in oriente,& Luna in occidente,natus parum uiuet,& erit turpis.

Si fuerit Saturnus in oriente,& Venus in occidente,natus parum uiuet, additis alijs quibuſdam ſupradictis teſtimonijs.

Nota quòd magna uis nutritionis,eſt per dominos triplicitatis aſcendentis & Solis in his quæ dicta ſunt.

De his

De his qui naſcuntur & nutriuntur, ſed non perueniunt ad ſenectutem.

HI ſunt habentes partim prædictos ſignificatores in proſperitate ac fœlicitate ad uitam, & partim cadentes & infœlices, quare iudex ſit diſcretus & ſolers.

Aſpice ultra hæc quæ dicta ſunt, diuiſorem uitæ, ſi eſt in bono loco, ſignificat moram nati in hoc mundo, & bonitatem nutritionis.

Iupiter in aſcendente poſitus, uel ſi Aſcendens aſpiciat trigono, natus bene nutrietur.

Si fuerit Iupiter in angulis uel ſuccedentibus, & Venus libera ab infortunis, & à retrogradatione & combuſtione Iouem aſpiciens, natus uiuet & nutrietur.

Si Luna & Mercurius in aſcendente, & Iupiter in quarta extiterit, natus uiuet.

Venus in Medio cœli in loco fortunæ, uel in quarta ab aſcendente, ſignificat pulchritudinem nutritionis.

De his qui uiuunt, nutriuntur & ad ſenium perueniunt.

HI habent ſignificatores quos diximus fortes & fixos in angulis, & liberos, non cadentes ab angulis, adde quòd Alchocodan ſit fortis & ſtabilis, non implicatus cum malis, ſed ab ipſis ſeparatus, quoniam ſi ſic, dabit nato annos maiores.

Luna in Medio cœli in aſpectu fortunarum collocata, ſi infortunæ ab ea cadentes reperiantur, natus uiuet multum.

Fortunæ in quarta ab Aſcendente, natus perueniet ad ſenectutem, & erit mors eius in magno ſtatu.

Si Sol in aſcendente, uel Medio cœli fuerit, ita quòd infortunæ ipſum non aſpiciant, natus diu uiuet.

Venus in aſcendente bene fortunata, & infortunis cadentibus ab ipſa, ita quòd Iupiter ipſam aſpiciat laudabili aſpectu, exiſtentibus etiam dominis triplicitatis aſcendentis bene fortunatis, natus erit bonæ uitæ & iucundæ.

Si inueniantur Mercurius, Venus & Sol, aſpicientes Lunam, natus erit longæ uitæ & ſanus.

Si fuerit pars fortunæ, uel eius dominus in aſcendente orientalis extra radios, ſi non aſpiciat ipſum infortuna, erit longæ uitæ, & dominus nominatus.

Sunt qui ſolummodo conſiderant gradum aſcendentis, & dominum eius, dominos triplicitatis aſcendentis, luminare temporis & dominos triplicitatis luminaris.

Vt in noſtra propoſita genitura diurna. Saluus eſt gradus aſcendentis & in eo fortuna ſcilicet Iupiter, licet retrogradus, & ibidem ſextiles radij Lunæ. Sol ſaluus & fortis, Luna & Mars ſalui, illa omnia ſignificant nutritionem. Luna prima domina triplicitatis aſcendentis ſalua, ſignificat primam tertiam nutritionis ſaluam. Venus uero ſecunda infirma & debilis, ſignificat ſecundam tertiam nutritionis debilem. Saturnus tertius dominus triplicitatis fortunatus, fortunatam tertiam nutritionis partem ſignificat. Iterum domini triplicitatis loci Solis, Sol, Iupiter, Mars, uictum mediocrem ſignificant.

Cætera de ſpatio uitæ uide in tractatu reuolutionum.

CAPVT QVINTVM.

De forma, figura, & conſtitutione corporis.

IN hac re uniuerſaliter obſeruandus erit orientalis Horizon, & diſpoſitor eius ac planetæ in prima exiſtentes. Luna quoq; & diſpoſitor loci eius obſeruandi particulariter. Similiter ſtellæ fixæ quæ una cum imagine cœli oriente, & Lunæ loco aſcendunt. Nam ex commixtione illorum ſolet conſiderari omnis formatio effigiesq; corporum: Sic quidem ut primas teneant dominantes ſtellæ, accommodenturq; illis ſingulorum locorum proprietates. Quæ quidem res generaliter ſic ſe habet. Nam ſtellarum natura talis eſt.

Vt Saturnus ſi orientalis, inficiat natos colore ſubnigro uel flauo, ſed corpus faciat bene compoſitum, nigros capillos & criſpos, oculos ingentes, ſtaturas autem mediocres, conſtitutionem maxime humidam & frigidam. Idem occidentalis traditur efficere nigros, compreſſos, paruos, planum capillum & ſimplicem, & caluiciem, non incompoſitos, oculos nigellos, conſtitutionem maxime frigidam & ſiccam.

Iupiter dominus memoratorum locorũ, ſi orientalis ſit, candidulos reddit beneq; coloratos, mediocri capillo, oculisq; nigellis præditos, eleganti ſtaturę magnitudine uenerabiles: In quorum conſtitutione uincat caliditas & humor. Occidentalis uero candorem quidem attribuit, ſed indecentius, capillum laxum, tempora aut etiam ſinciput recaluum, ſtaturas mediocres, in conſtitutione abundantibus humoribus.

Mars orientalis colorem candidum cum rutilo coufundit, facit longos & bene compoſitos, oculos cæruleos, craſſulos, hirſutos, mediocrem capillum, conſtitutionem maxime calidam & ſiccam. Occidentalis uero, burrhos, rubicundos efficit, ſtatura mediocres, paruis capitibus, tenui ruffoq; capillo ac laxo: In quorum conſtitutione uincit ſiccitas.

Venus effectus eoſdem habet cum Ioue, niſi quod corpus hæc magis exornat formoſitate & gratia, & muliebri quodam decore, redditq; magis ſuccidum & delicatum. Peculiariter autem uiſum cum decentia quadam intentiuſculum facit.

Mercurius orientalis pallidiuſculos facit, ſtatura mediocres & compoſitos, oculis paruis, capillo mediocri: In quorum conſtitutione caliditas uincat. Occidentalis colorem itidem pallidum attribuit, ſed & humiditatē inſuper & macilentiam, & cauos orbes oculorum & caprinum uiſum, ſubrufos. In quorũ conſtitutione uincit ariditas.

Horum ſingulorum uires naturamq; adiuuant in configurationibus: Sol quidem ad pleniorem dignitatis & bonæ compoſitionis modum, Luna autem maxime, hæ cum ſtellæ ab ipſa defluunt. In uniuerſum quidem ad elegantiam & ualetudinem aliquid adijcit, redditq; conſtitutionem humidiuſculam, Particulatim uero pro ratione luminis ſui. Præterea cum hæ ſtellæ matutinę ſunt, cumq; apparent, corpora reddunt ingentia. In prima ſtatione robuſta & ualida. Retrogradæ, incongrua: In ſtatione ſecunda, imbecillia. Cum uero occultantur, tum ad ultimam deijciunt humilitatem, ferendisq; malis & miſerijs exponunt. Inter hæc illud quoq; teneatur, cum ad formam, tum ad conſtitutionem corporis, momenti plurimum afferre ipſorum etiam locorum proprietates.

Nam quadrans ab æquinoctio uerno uſq; ad æſtiuum Solſtitium, reddit bene coloratos, magnos, compoſitos, eleganti uiſu, in quorum conſtitutione uincit humidum & calidum. Sequens ab æſtiuo Solſtitio uſq; ad æquinoctium autumnale, tolerabili colore, congrua ſtatura, compoſitos, nigris oculis, aliquantum craſſos, hirſutos, criſpulos, maxime calidæ & ſiccæ conſtitutionis. Quadrans ab hoc æquinoctio uſq; ad

hybernum

hybernum ſolſtitium, pallidos facit, macilentos, compreſſos, humiles, capillo mediocri, decoris oculis. Maxime frigidæ & ſiccæ conſtitutionis. Hinc quod ſupereſt circuli uſqꝫ ad uernum æquinoctium, pallidiuſculos reddit non incongrua ſtatura, laxo capillo & tenui, non incompoſitos, in quorum conſtitutione uincit frigidum & humidum.

Particulatim autem ea ſigna ſiue in Zodiaco ſiue extra ſint, quæ humanam effigiem habent, elegantia corpora & congruas figuras efficiunt. Quæ uero ab hac aliena ſunt, corpora pro ſuæ formæ proprietate effingunt. Et ut à quodam traditur, ſuis partibus ſimiles reddunt eaſdem corporis partes, magnitudine, paruitate, robore, infirmitate, elegantia: Magnitudine quidem, ut uerbi gratia, Leo, Virgo, Sagittarius: Paruitate, Piſces, Cancer, Capricornus. Item ſuperiores partes, prioresqꝫ magis compoſitas, poſteriores minus concinnas facit Aries, Taurus, Leo. Contra, Sagittarius, Scorpio, Gemini, magis poſteriores, priores minus. Eodem modo congrua & elegantia corpora reddũt Virgo, Libra, Sagittarius. Incongrua & elegantia parum Scorpio, Piſces, Taurus. Atqꝫ de alijs ſimilis ratio dicatur. Quibus quidem uniuerſis conſideratis & perpenſis, coniecturam facere conuenit de collecta proprietate cum formæ tum conſtitutionis corporis. Hæc Ptolemæus.

Aliorum ſententiæ & aphoriſmi.

Pro forma corporis conſidera
- Aſcendentem.
- Almuten aſcendentis.
- Locum Lunæ.
- Planetam in aſcendente uel radios eius.
- Imaginem cœli.
- Quartam anni.
- Partem Stabilitatis.
- Partem futurorum.

FORMA nati difficulter dijudicatur propter multimodas cauſas concurrentes, ſcilicet ex parte progenitorum. Nam parẽtum ſimilitudo uſqꝫ ad ſeptimam generationem attendenda eſt. Item propter clima, propter prouinciam, propter loca natiuitatum. Patriæ etiam colores atqꝫ educationem. Item propter cibum & potum, ac conſuetudines.

Primò uide gradum aſcendentis natiuitatis. Nam ipſe eſt ſignificator corporis nati. Huius formam & conſtitutionem ad partem notabis.

Secundò conſidera Almuten aſcendentis, nam ipſe eſt ſignificator faciei. Vide etiam ſignum, in quo ipſe eſt, & quicquid unumquodqꝫ de formis & conſtitutione corporis ſignificet, etiam ad partem notabis.

Tertiò uide locum Lunæ natiuitatis, nam ipſa eſt etiam ſignificatrix corporis nati: & huius ſigni formam & conſtitutionem ad partem nota.

Quartò uide an aliquis planetarum fuerit partiliter in gradu aſcendentis, maxime ſi ibi habuerit dignitatem. Et ſi non fuerit ibi partiliter, ſed ſit ibi per medietatem ſui orbis, uel quòd proijciat radios illuc ex medietate ſui orbis, quoniam ſi ſic fuerit, erit ipſe principalis ſignificator formæ nati, permiſcendo tamen formam Almuten aſcendentis, & loci eius in quo eſt. Conſidera etiam principaliter aſcendens, maxime ſi Almuten aſcendentis, aſpexerit aſcendens, & iudicabis â planeta principales qui habuerit prærogatiuas in ſignificatione formæ corporis, permiſcendo locum Lunæ, & aliorum planetarum, qui dicta loca aſpexerint.

Quintò conſidera imaginem cœli cum ſtellis fixis orientibus cum gradu aſcendentis,

dentis, uel etiam ſtellas fixas quę fuerint cum Almuten aſcendentis, augendo & remittendo formas eorum, ſicut decet.

Sexto uide etiam quartam anni, in qua quis natus ſit. Nam ſi fuerit quarta Veris, Aries, Taurus, Gemini, adiuuabunt pulchritudinem formæ, & ipſius decentiam, & inclinabunt ad conſtitutionem ſanguineam. Et ſi ſignificatores formæ in his ſignis reperti fuerint, uel etiam in ſequentibus quartarum ſignis, ſignificant ſecundum formam ipſorum. Sic in quarta æſtiuali Cancer, Leo, Virgo, faciunt oculos magnos, capillos multos, membra groſſa, & inclinant ad complexionem cholericam. Si in quarta autumnali, Libra, Scorpio, Sagittarius, dant formæ decentiam, mediocrem ſtaturam, colorem melli aſsimilem, macilentos, modeſtos, amplis humeris, capillatura mediocri, uincet in his complexio melancholica. Si in quarta hyemali, Capricornus, Aquarius, Piſces, faciunt ad bonitatem & decentiam formę, natiq́ꝫ color uergit ad nigredinem, Corporis uero qualitas temperata, capilli rari & plani, bona membrorum aptitudo. Vincet in his complexio Flegmatica. Et quoniam unumquodq́ꝫ ſignum & unuſquiſq́ꝫ Planeta certas & determinatas habent formarum deſcriptiones, de ſingulis differemus in Aphoriſmis ſequentibus.

De formis duodecim ſignorum.

QAndo aliquis prędictorum ſignificatorum uel locorum fuerit in Ariete, ſignificat de figura longum collum, parua crura, inclinatum aſpectum, multos capillos & criſpos, tendentes ad album.

Taurus, dat amplam, longam, & eleuatam frontem, ad modum Tauri, nares amplorum foraminum, magnorũ oculorum, collum groſſum & pingue, capillos erectos, ſupercilia magna, uocem mediam cum quadam raucedine. Eius principium facit natum tendere ad craſsitudinem, in harmonia membrorum adinuicem non proportionabilem, & finis ad macredinem non proportionalem, in proportione membrorum adinuicem.

Gemini, faciunt bene proportionatos in membris & ipſorum ſitu, mediocris ſtaturæ & temperatæ, forma faciei humana, ampli pectoris, in brachijs bona diſpoſitio, debilis corporis, ſubtilis ingenij. Principium eius facit corpus tendere ad maciem. Finis uero ad pinguedinem, bonæ uocis & pulchræ.

Cancer, facit natos ſtaturæ humilis, ſuperiora membra craſsiora inferioribus, magni uentris, dentaturæ obliquæ, paruos oculos, magna ſupercilia, capillos diuerſos, & criſpos ad nigrum tendentes, amplos humeros, remiſſam uocem.

Leo, dat corpus magnum, flauum, amplum pectus, membra ſuperiora craſsiora inferioribus, leuem in motu, fortem, magnæ iræ, crura ſubtilia, acuto aſpectu, uocem ſonoram, multorum capillorum, citrini coloris.

Virgo dat longiuſculos, mediocres in craſsitudine & macie, in proportione membrorum inconcinnos.

Libra, facit homines pulchrę formę, temperatos in proportione membrorum, mediocres in carne & ſtatura, alba facie, in reliqua parte corporis nigros.

Scorpius, paruos oculos, paruam faciem, multos capillos, magna crura, magnos pedes, agiles in motu, membra male proportionata.

Sagittarius, corpus magnum, debile, flaui coloris in facie, longæ barbæ, ſubtilium capillorum, à parte poſteriori erit pulchrior quàm ante, magnus uenter. Eius prima medietas, facit corpus proportionatum, pulchram uocem.

Capricornus, ſignificat corpus paruum, crura ſubtilia, debilis corporis & ſicci, longam faciem ad ſimilitudinem capræ, uultum ſubtilem & acutum, multos capillos, uocem mediam.

Aquarius ſi fuerit formæ ſignificator, erit una pars corporis longior alia, uel ſaltem crus longius, natus ipſe erit bene temperatus in proportione membrorum, pulchræ uocis.

Piſces, dant rotundos oculos, magnam faciem, coloris albi, macula inerit formæ, uox modica, diſproportionatus in membris, paruum corpus.

De formis ſeptem planetarum.

SAturnus ſolus principalis ſignificator in diſpoſitione corporis nati, facit ſtrabonem uel maculam in oculo habentem, magnos oculos, longam faciem, turpis aſpectus, pedes habentes curuaturam & fiſſuras. Qui ſi orientalis fuerit, facit natum frigidum & humidum. Si occidentalis, facit natum frigidum & ſiccum. Saturnus itaq; ſolus diſpoſitor orientalis, tam à Sole quàm in figura, uel à Sole tantum, ſignificat natum mellini coloris, mediocriter craſſum, pilorum nigrorum in capite, corpus mediocre, oculos mediocres, pilos ſpiſſos in pectore, erit humidæ complexionis. Si fuetit occidentalis, ſignificat nigrum, paruum corpus & macilentum, planorum, rarorum, ac nigrorum capillorum, & erit melancholicus, maxime ſi fuerit Saturnus bene diſpoſitus. Si autem fuerit male diſpoſitus, ſignificat deteriorem formam.

Iupiter ſolus diſpoſitor corporis ſignificat album hominem, ſed aliquantulum flauum, magnorum oculorum, ſed paruarum pupillarum, æqualium capillorum, & bonæ apparentiæ, mediocris diſpoſitionis in carne, pomellorum faciei altorum, erit temperatæ ſtaturæ. Si fuerit orientalis, erit ſanguineus. Si autem fuerit occidentalis erit pulchrior, habebit oculos mediocres, erit ex anteriori parte corporis caluus, habebit capillos planos, corpus mediocre, uincet in eo humiditas. Et ſi fuerit orientalis, habebit in pede dextro ſignum. Si uero occidentalis, habebit in ſiniſtro pede ſignum, quod raro fallit. At ſi Mars cum Ioue participauerit aliquo modo, inerit illi candori aliqua rubedo, & erunt oculi paulò groſsiores. Si Sol cum Ioue participauerit, detrahet aliquantulum albedini Iouis, & erit ſtatura decens, & aliquid turpitudinis in capillis, & in oculis paululum crocei. Venus ſi cum Ioue participauerit, declinabit color ad nigredinem, ſtatura pulchra, facies rotunda, oculi pulchriores. Mercurius cum Ioue ſi participauerit, parum diſcrepabit color nati ab eo quem Iupiter indiderat, facie ſemileuata & ſemilõga, naſum, & oculos, dentes, nec ex toto nigros, barba nigra & rara, digitos ſemilongos, corpus gracile, ſtaturam mediocrem, & labia ſubtilia. Luna ſi cum Ioue participauerit, erit color nati non uere albus, ſed quadam permixtus rubedine, ſupercilia decentia, oculi non ex toto nigri, & unus altero maior, facies rotunda, & ſtatura mediocris. Et ſi in omnibus ſupradictis Iupiter impeditus fuerit, erit contrarium eius quod diximus. Et quantò planetarum infortunium maius fuerit, tantò nati forma inconuenientior erit.

Mars ſolus diſpoſitor corporis, orientalis tam à Sole quàm in figura, maxime à Sole, facit natum mediocris corporis, oculis uarijs, color faciei medius erit inter album & rubeum, multorum capillorum, in eo uincet cholera. Et ſi occidentalis fuerit, facit corpus ſimpliciter rubeum, ſtaturam mediocrem, oculos paruos, capillos raros cum quadam flauedine, faciem rotundam, uincet in eius complexione ſiccitas, habebit ſignum in facie, uel per ipſam maculas, dentes longos, ferocem uultum, carnem modicam, magnos nares. Aliqui habent oculos croceos, habebit ſignum in pede, uel læſionem aliquam. Aliqui habent grana rubea in facie, raros in barba pilos.

Sol ſolus diſpoſitor corporis & formæ in parte orientis ſupra terram, ſignificat bonum colorem, uel colorem croceum, corpus mediocris ſtaturæ. Et ſi fuerit

in aſcen-

in aſcendente in ſigno aqueo, erit temperatæ complexionis, quaſi de complexione Iouis. Si autem fuerit in dicto loco in ſigno igneo, erit modicæ carnis, quaſi tabeſcentis, ſed procedente ætate, habebit incrementa, tamen ex ſe ſignificat corpus mediocre, uocem raucam.

Venus ſola diſpoſitrix formæ, dat formam formoſitatis muliebris, cum uagis oculis & placabilibus, corpus laſſum, in colore permixtum cum rubedine, labiorum ſubtilium ac ſuperciliorum, multæ carnis in facie, ſtricti pectoris, & craſſorum crurium, habet capillos aliquantulum ſpiſſos & criſpos, blandum aſpectum.

Mercurius ſolus diſpoſitor corporis, orientalis tam à Sole, quàm in figura ſupra terram, maxime à Sole, ſignificat quòd erit mellini coloris, mediocris corporis, paruorum oculorum, mediocrium capillorum, uincet in eo caliditas. Si fuerit occidentalis, erit coloris ſubnigri, ac coloris crocei, macilentus, uocem ſubtilem habebit cum oculis profunde collocatis infra orbes, & ipſorum pupilla erit qualis eſt capræ, ad rubedinem declinans, uincet in eo ſiccitas, habebit etiam longos digitos.

Luna ſola ſignificatrix corporis, facit natum album, pulchræ faciei, & aſpectus pulchri. Alij uero dicunt, quòd ſignificat hominem album, rubore permixtum, iunctis ſuperciliis, oculis non in toto nigris, rotunda facie.

Hic tamen ſumme notandum, quòd omnes prædicti ſignificatores diſpoſitionis formæ, ſignificant formas ſuas, quando ſunt bene diſpoſiti. Sed quando male fuerint diſpoſiti, tunc remittunt de forma & figura ipſorum, ſecundum infortunium ipſorum, maxime illorum membrorum, quorum ipſi ſunt ſignificatores, & etiam ſignorum eorum, in quibus fuerint.

Vide etiam an ſignificatores, principales præſertim, fuerint in gradibus luminoſis, fumoſis, uel tenebroſis, quoniam gradus lucidi multum iuuant ad claritatem faciei, & ad eius pulchritudinem. Fumoſi adiuuant ad obſcuritatem & turpitudinem faciei. Tenebroſi, faciunt faciem obſcuram, turpem, & deformem.

Quando ſignificatores fuerint Matutini, faciunt corpora magna, quoniam augent & remittunt à prædictis, ſecundum poſitus ſuos.

Si fuerint ſignificatores retrogradi, faciunt deformitatem corporis, ita quòd membra debitam proportionem, & harmoniam non ſeruant.

Scorpio, Sagittarius, Piſces, mediocrem notant corporis pulchritudinem, idq́ magis ſi Venus in horum aliquo fuerit uel aſpexerit.

Pars ſtabilitatis & dominus eius boni eſſe, ſignificant, quòd natus erit pulcher, perfectus in membris, ſani corporis in omni uita ſua: Si mali eſſe, dic contrarium.

Longitudinem, paruitatem, ſiue breuitatem corporis examinare.

PRimo conſidera ſignum aſcendens, an formam longam uel breuem ſignificet.

Secundo uide principalem ſignificatorem quid ſignificet de ſtatura longa uel breui.

Tertio conſidera etiam ſignum in quo principalis ſignificator formæ fuerit, quid ſignificet de ſtatura longa uel breui, & permiſce ſignificata ad inuicem.

Principaliter autem conſiderabis almuten aſcendentis, an fuerit in longitudine longiori uel breuiori, uel in medijs longitudinibus. Nec minus centrũ epicycli, quoniam ſi fuerit ſignificator in longitudine longiori, erit corpus longum. Si in longitudine propiori, erit ſtatura breuis. In media uero mediocris. Sic enim proportionaliter iudicabis ſtaturam corporis nati, omnes ſignificatores adinuicem

permiſcendo, ut dictum eſt ſupra. Sed hæc magis intelligenda ſunt de longitudine longiori & breuiori eccentrici tam in augendo quàm remittendo ſignificata prædicta. Similiter ſigna quæ augent ſuas aſcenſiones, id eſt ſigna longarum aſcenſionum, faciunt ad magnitudinem corporis, quando fuerint aſcendētia, & etiam ſignificatorum loca. Sic econuerſo dic de breuitate corporis, quando horum ſigna breuium aſcenſionum extiterint.

Initia ſignorum augent longitudinem, ſed fines diminuunt.

Gemini, Virgo, Libra, Sagittarius, Aquarius, ſigna humana, faciunt corpora bene compoſita, & proportionata: Non humana, diuerſa & uaria.

Luna in ſignis longioribus longitudinem corporis adiuuat, & econtra in breuibus.

Sol in occidente, longitudinem corporis denotat, capillumꝗ; criſpū & flauum.

Planetæ orientales in mundo, & â Sole addunt aliquid ad formæ longitudinem, præcipue ſi cum Saturno participauerint.

Planetæ exiſtentes in prima ſtatione, addunt uigorem corpori, & ſi tranſeunt primam ſtationem, minora erunt, temperabunturꝗ; prædicta.

Planetæ combuſti detrahunt pulchritudini formæ, & faciunt corpora grauia uel impedita, In ſecunda uero ſtatione, debilitatem.

Si Venus, Iupiter & Luna in prima domo fuerint, dant membrorum fortitudinem, ſi alij quoꝗ; planetæ bene aſpiciant aſcendentis gradum.

In ſumma conſiderabis etiam quid quiuis ſignificator formæ de ſtatura ſignificet, & per tuam induſtriam omnia permiſce. Conſiderabis etiam ſtaturas parentum.

Mercurius in Scorpione, facit caſum capillorum uel in capite uel in genitalib.

Saturnus uel Mars in aſcendente peregrinus, natus in capite uel facie notam uel ſignum habebit. Quôd ſi fuerit impeditus, retrogradus uel combuſtus, erit nota illa turpis.

Qui habuerit Saturnum uel Martem in Leone & in aſcendente, erit caluus, homo crudelis & occidetur.

Saturnus almuten natiuitatis in Cancro, ſignificat turpiſsimum uultum & monſtroſam formam.

Craſsitudinem & maciem, ac quantitatem corporis dinoſcere.

COnſidera aſcendens, an ſit ſignum groſſum uel macilentum, almuten etiam aſcendentis & ſignum eius in quo fuerit. Vide etiam latitudinem almuten aſcendentis, quoniam ſi caret latitudine, cæteris tamen paribus, ſignificat natum macilentum. Si uero eius latitudo fuerit magna, cæteris paribus, ſignificat natum pinguem. Et ſi latitudo eius fuerit meridionalis, erit carnoſus, tamen leuis in motu. Si ſeptentrionalis, erit grauis cum carnoſitate multa. Simili prorſus ratione eadem de re coniecturam capere potes ex motu eius in epicyclo. Quoniam ſi fuerit retrogradus, ſignificat natum pinguem. In ſtatione prima ſignificat pinguedinem aliquanto tenuiorem. Si fuerit directus, ſignificat natum macilentum. Sed in ſtatione ſecunda, minus macilentos facit. Atꝗ; ita iudicabis ſecundum rationem ſitus eius in epicyclo. Nam ſtatio prima ſignificat corpora fortia & patientia. Retrogradatio facit corpora pinguia & male proportionata in membris. Statio uero ſecunda, facit corpora debilia.

Quando ſignificator fuerit occultatus, ſub radijs ſolaribus, facit corpora uilia & diſpoſita ad recipiendum omnes diuerſitates.

Leonis, Arietis, Tauri, prima medietas, facit corpora tendere ad craſsitudinem. Finis uero ad maciem.

Sagittarij, Geminorum, Scorpij, prima medietas, facit corpus tendere ad maciem & debilitatem. Finis ad craſsitudinem & fortitudinem.

Virgo, Libra, Sagittarius, trahunt corpora ad æqualem & bonam complexionem & proportionem.

Nota quòd quandò ſignificatores fuerint in aliquo prædictorum ſignorum, uel quando aliquod eorum fuerit aſcendens, iudicabis omnia proportionaliter per miſcendo, prout decet, fortiores tamen ſignificatores alijs præferendos moneo.

Cui aſsimiletur natus, patri ſcilicet an matri.

Vide faciem aſcendentis cuius planetæ ſit. Si fuerit Solis, eſt ſimilis patri. Si fuerit Lunæ, eſt ſimilis matri.

Dominus faciei aſcendentis, ſi etiã eſt dominus quartæ domus, & fuerit maſculinus, eſt ſimilis patri. Et ſi eſt fœmininus, eſt ſimilis matri.


Si Dominus faciei aſcendentis eſt etiam dominus domus Solis, eſt ſimilis patri. Si autem eſt dominus domus Lunæ, eſt ſimilis auunculo. *Videtur matri legẽdum.*

Pars ſtabilitatis ſi declinauerit ad ſignificatorem patris, natus erit ſimilis patri. Si ad ſignificatorem matris, erit ſimilis matri.

Conſtitutionem ſiue complexionem corporis alij extrahunt à:
- Signo aſcendentis
- Almuten eius
- Signo Almuten aſcendentis
- Planeta in aſcendente uel radijs eius
- Planetis aſcendens aſpicientibus
- Quarta menſis Lunæ
- Signo in quo eſt Luna
- Planeta aſpiciente Lunam
- Quarta anni Solis
- Almuten geniture

Ex quatuor qualitatibus illorum colliges complexionem.

Exemplum genituræ propoſitæ.



Concluſio prima. Quia Iupiter planeta peregrinus eſt in aſcendente ſolus, item Mercurius dominus aſcendentis & faciei aſcendentis, dat uim & dignitatem ſuam Soli. Dico itaq; formam corporis ſui debere trahi à Ioue cum participatione Solis & Mercurij.

Concluſio ſecunda. A Ioue quidem habebit formoſitatem membrorum omnium in debita proportione.

Concluſio tertia. A Sole autem claritatem, lucem atq; colorem pulchrum. Huic rei conducit quòd diurna fuit natiuitas, atq; in quarta uernali.

Concluſio quarta. Erit igitur corpore albus ad flauedinem tendens, oculorum mediocrium, paruarum tamen pupillarum, capillorum mediocrium, non ualde criſporum nec prolixorum, barbæ criſpę & decoræ, genarum altarum, corporis mediocris, non admodum craſsi, nec nimis macilenti, decenti longitudine ſua, aliquanto tamen longiore, hæc eliciuntur ex Ioue & Virgine aſcendente.

Concluſio quinta. Veruntamen quòd magis ad pinguedinem atq; longitudinem tendat eius corpus, demonſtratur ex ſignificatoribus latitudinem habẽtibus, & retrogradationibus Iouis & Mercurij.

Concluſio ſexta. Sol uero quia uim Mercurij domini aſcendentis recipit in Ariete, faciem ei rotundam atq; aſpectum uenerabilem cum quadam maieſtate largietur, atq; capillorum etiam copiam, ad criſpitudinem & albedinem tendentium.

Concluſio ſeptima. Caluiciem quoq; ab anteriori parte capitis, dum tempus fuerit, & ruborem in facie, ſignum in pede ſiniſtro, oculos deniq; ad nigredinem accedentes, portendit Iupiter à Sole occidentalis in aſcendente.

Concluſio octaua. Ipſe in incedendo paſſus maiores faciet, atq; in motu aliquantulum tardior erit, hoc ſignificatur ab omnibus ſex planetis in latitudine Septentrionali exiſtentibus.

Concluſio nona. Corpus eius erit ſine maculis deformantibus, ſanum & compoſitionis decentis, id ſignificat pars ſtabilitatis in nona domo, ſextilibus radijs Solis & Martis illuminata; Item ſaluatio aſcendentis, ſextæ & ſeptimæ cuſpidum. Deniq; pars Azemene Veneri coniuncta.

Concluſio decima. Membra eius ualida & fortia, indicat pars Celati in Capricorno cum domino ſuo forti. Prima tertia uitę ipſius duabus ultimis debilior erit eius rei argumentum ſumitur ex habitudine triũ dominorũ triplicitatis aſcẽdentis.

Concluſio undecima. Status uitæ eius frequentius in ſanitate uerſabitur, & in ægritudinibus rarò, probatur ex parte uitæ in termino Iouis, in angulo iuncta domino ſuo forti & fortunato.

Concluſio duodecima. Faciem uero ipſius magis reſpondere formæ matris quàm patris, declarat pars ſtabilitatis, magis Veneri quàm Soli conueniens. Item aſcendens eius aſcendenti matris magis conuenit quàm aſcendenti patris.

Concluſio decimatertia. Conſtitutio corporis ex calido, & ſicco temperato componitur, quæ Cholerica dicitur, id colligitur ex ſignificatoribus corporeæ conſtitutionis &c.

CAPVT SEXTVM.

De impedimentis & infirmitatibus accidentibus corpori nati.

INfirmitates corporis ex quatuor locis cognoſcimus. Ab aſcendente, ſeptima, ſexta, & à locis luminariũ. Nam ſi in prædictis locis, præſertim in cuſpidibus aliqua infortunarum extiterit, aut eadem loca ex quadrato uel oppoſito aſpexerit, infirmitates nato uenturas decernit, maxime ſi ſupra luminaria infortunæ fuerint eleuatæ, ipſis luminaribus in angulis exiſtentibus, aut ſi ſint ambo in uno angulo, & dicta luminaria ſtellæ maleficæ aſpexerint, uel applicent, aut ab eis ſeparentur, aut in oriente, uel occidente infortunæ ſteterint, infirmitates uarias ſignificabunt.

Satur-

Saturnus igitur prædictorum locorum in quibus infirmitates certæ ſignificantur, ſi uictor extiterit, inducet nocumentum in aure dextra, ſplene, ueſica, flegmate & oſsibus, & hoc maxime ſi ſimul extiterit in ſigno membrum illud reſpiciente.

Iupiter in tactu, pulmone, coſtis, pulſu, ſpermate, & cartilaginibus, uitia ac paſsiones nato decernit.

Mars habet ſiniſtram aurem, renes, uenas, teſticulos.

Sol dirigit uiſum, cor, cerebrum, neruos, & omnia dextræ patris membra.

Venus odoratiua, epar, carnem.

Mercurius, locutionem, imaginationem, deliberationem, memoriam, linguam, fel, nares.

Luna, guſtum, guttur, ſtomachum, uentrem, pudenda mulierum, & omnia ſiniſtræ partis membra.

Infirmitates fient generaliter, cum planetæ infauſti ac morborum ſignificatores, pro maiori parte occidentales inuenti fuerint.

Impedimenta autem & læſiones, cum orientales fuerint. Infirmitates namque in tempore ueniunt & recedunt. Læſiones autem quando accidunt corpori, perpetuo membra occupantes deſtruunt, ſicut cæcitas oculorum, ſurditas, amiſsio membrorum.

Modum læſionum particulariter corpori humano uenientium ex quatuor cauſis ſciemus.

PRimo. Luna cum ſola fuerit in prędictis angulis, Aſcendente uel ſeptima, & fuerit in hora coniunctionis uel oppoſitionis, & Luna ſe applicet Soli ex angulo Aſcēdentis uel Occidentis ipſa infortunata exiſtens & applicans ſtellæ alicui nebuloſæ in Zodiaco uel prope, ut Cancri, Pleiadum, Cuſpidis Sagittarij, aculei Scorpij, Comę Berenices, aut urnę Aquarij, decernit nato amiſsionem unius oculi. Similiter quando Luna fuerit in aliquo angulorum occidentalis à Sole, fueritque Mars ſolus, aut Mars & Saturnus orientales, euntes ad Lunam à longe, uel ſi Sol fuerit in aliquo angulorum, aut ad eum duæ ſtellæ ſcilicet Mars & Saturnus aſcenderint, aut duobus luminaribus aſſocientur in figura, & utrumque luminare in uno eodemque ſigno uel in oppoſitis fuerint, & reſpectu Solis matutinales extiterint planetæ prædicti, reſpectu Lunæ ueſpertinales, in utroque oculo ſignificant caliginem. Per Martem enim ex ictu, ferro, uel combuſtione eueniet. Si autem Mercurius eidem applicuerit, uel aſſociatus fuerit, ex luctatione uel ludo. Saturnus oculorum caliginem, ex frigiditate, iaculatione, alijs'ue ſimilibus cauſis dare ſolet.

Secundo. Venus in aliquo prædictorum angulorum exiſtens, præcipue in ſeptima, ibidem Saturno exiſtente, uel aſpiciente eam de locis commutatis, ſi fuerit Mars eleuatus ſuper ambos, uel ſolam Venerem, aut eos ex oppoſito aſpexerit, continget ex hoc uiris, filios non habere, ſed mulieribus abortum, & partus intempeſtiuos denunciat, quandoque puerorum mutilationes & lacerationes contingent, maxime cum Venus in Cancro, Virgine, uel Capricorno extiterit, & Luna ex parte orientis Marti applicuerit.

Tertio. Venus hoc modo conſtituta cū Saturno & Mercurio aſſociabitur, eleuabiturque ſupra Venerem Mars, uel ſi Venus ei per diametrū opponetur, naſcetur natus hermaphroditus, uel erit clauſus ſine teſticulis. Et cum fuerit Venus in prædicto ſtatu cū Saturno aut Marte, & aſpexerit Solē, fuerintque ambo luminaria cū Venere maſculina, ☽ exiſtente occidētali, & ſi ſint infortunę in ſequētibus gradibus, naſcetur natus, ſi filius fuerit, ſine membris uirilibus, aut impedimēta ſentiet in eis ex læſione futura, maxime ſi ſupradicta cōſtellatio in Ariete, Leone, Scorpione, Capricorno, uel

Aquario fuerit. Si fœmina naſcetur ſub eiuſmodi conſtellatione, erit ſterilis & forſan impedimenta oculorum ſentiet.

Quarta. Mercurius cum Saturno ſi prædicta loca occupauerit, ſcilicet aſcendens, ſeptimam uel ſextam, Sole cum eis exiſtente, maxime cum Mercurius Occidentalis fuerit, & uterq; Lunę in figura per coniunctionem uel aſpectum aſſocietur, pueros balbutientes & impeditæ linguę faciet. Quôd ſi Mars cum his duobus fuerit, & applicet Lunæ, illud malum minuet, & diſſoluet linguæ impedimenta, & hoc eo tempore cum Lunæ per directionem occurrerit.

Infirmitates toto corpore inhærentes quatuor regulis ſequentibus cognoſces.

PRima regula. Cum luminaria infortunis applicuerint, ipſis in angulis exiſtentibus, uel cum in oppoſito infortunarum fuerint, maxime Luna cum aliquo nodorum exiſtente, uel in ſignis infirmantibus ut Aries, Taurus, Cancer, Scorpio, Capricornus, contingent corpori gibboſitatis impedimenta, uel alicuius membri deſtructio, ut claudicatio aut diſiunctio membrorum. Si autem cum luminaribus fuerint infortunæ, ab hora partus, id eſt, quando naſcuntur, hæc impedimenta contingent. Si in medio cœlo fuerint, & ſupra luminaria eleuatæ, fuerintq; loca earum cum eis in longitudine applicantia, aduenient hæc impedimēta per accidētia maxima, plena timoris, ut per pręcipitationem, uel caſus in manus latronum, ſeu per quadrupedia. Et ſi fuerit Mars eleuatus ſuper luminaria & dominetur, tale periculum ex combuſtione ignis eueniet, uel ex plagis maximis, uel quia in manus latronum incidet. Et ſi Saturnus dominetur, eleueturq;, hæc eadem accident impedimenta ex præcipitatione & caſu, uel ſubmerſione, aut paralyſi.

Secunda. Si Luna fuerit in ſignis æquinoctialibus uel ſolſtitialibus infeſtata, decernit ſpeciales infirmitates. Cum in Ariete fuerit, morpheam inducet: In Cancro, impetiginem: In Libra, alboram uel lepram: In Capricorno lentiginem. Accident autem prædictæ infirmitates, cum infortunæ modo prædicto aſſociabuntur Soli, uel Lunæ, modo tamen contrario, ſic, ut qui Soli aſſociantur, ſint ueſpertini, & qui Lunæ, ſint matutini.

Tertia. Cum infortunæ luminaria damnauerint pro natura ſua, uarias infirmitates ſolent inducere. Saturnus enim facit complexionem uentris nati frigidam, & ualde flegmaticam, aut ex humoribus ad membra diſcurrentibus, macilentum, morbidum, dyſenteriam, ictericiam quoq; & cruciatus in inteſtinis inducens propter tuſſim, uomitum, lepram, & cum his omnibus, accidet mulieribus dolor matricis. Mars autem facit ſanguinis ſputum, & atram bilem & apoſtemata in pulmone, atq; ſcabiem. Præterea accedent etiam impedimenta ex inciſionibus aut aduſtionibus in eo factis propter infirmitates, quas in occultis locis patietur, ut ſunt ulcera calida, ficus, atq; fiſtulæ, quæ in corpore naſcuntur atq; augentur, & creſcunt corrodendo. In mulieribus autem cum his accidet puerorum abortus, maxime cum Saturnus damnans luminaria, fuerit in domo aut termino Martis. Mercurius quidem cum prædictis ſcilicet Saturno aut Marti ſi aſſociatus fuerit, maliciam, & infortunium auget. Saturnum enim iuuabit in ægritudinibus infrigidando, & proprie in decurſu humorum ad membra, & in eorum nocumentis, maxime autem in his quæ ad palatum & ad pectus atq; ad ſtomachum deſcendunt. Mars autem iuuabit in deſiccando, & in his quæ ex deſiccatione eueniunt, ut ſunt cruſtulæ ulcerum, impetigines iniquæ, atra bile, phreneſis, epilepſia, & his ſimilia.

Quarta. Infirmitatis proprietates ſunt aliquando ſecundum naturam ſignorum, in quibus ſunt infortunæ in figura prædicta, uidelicet in aſcendente, & ſeptima. Nam Cancer, Capricornus & Piſces & omnia ſigna, quorum figuræ terreſtribus animalibus, aut piſcibus aſsimilantur, infirmitates proprie generant, quæ corrodendo augmentantur, ſicuti impetigines, excoriationes, fiſtulæ, lepra &c.

Sagittarius & Gemini, faciunt caſum, epilepſiam & his ſimilia.

Infortunæ damnantes ea loca in extremis partibus ſignorum, ſignificant quòd in extremitatibus membrorum infirmitates accident, ut podagra, cheragra. In principijs uero ſignorum erunt infirmitates & læſiones in membris principalibus & extremis, ut in facie, uel alio in loco, & accident illæ propter damnum eueniens ex decurſu humorum, ut ſunt lepra, podagra, cheragra. Quòd ſi fortunæ non aſſocientur in figura ſtellis infortunantibus, quę ſunt horum occaſio, uel cum luminaribus ſi ſint in angulis, uel etiam ſi teſtificantur eis, & ſint tamen debiliores infortunis ſuper eas eleuatis, erunt infirmitates nati graues multæ, & nullis remedijs medicabiles. Verum ſi fortunæ eleuatæ fuerint ſuper infortunas, quæ ſunt occaſio prædictorum, uel his teſtificatæ fuerint, & ſimul fortes in dignitatibus proprijs, & orientales, decernunt quidem impedimenta, ſed non diſtubantia corpora mortaliter, ſed leuia erunt. Iupiter etiam occultat impedimenta, & ægritudines, & occurrit morbis aliorum auxilijs. Nam ſi fuerit cum Mercurio, delebit medicaminibus infirmitates. Venus autem decorabit impedimenta quadam parte uenuſtatis, utputa diuinis quibuſdam dotibus, prophetijs, per quas extollentur nati ſub iſta conſtellatione. At ſi cum Venere fuerit Saturnus, erunt infirmitates patefactæ & detectæ. Si Mercurius cum Venere fuerit, has cum utilitate & lucro patietur, quia ſola fide ab infirmitate liberabitur. Hæc Ptolemæus.

Aliorum ſententiæ & Aphoriſmi.

Pro infirmitatibus, conſidera
- Aſcendentem.
- Sextam domum.
- Dominum eius.
- Septimam.
- Almuten ſignificatorum infirmitatum.
- Primum dominum triplicitatis ſextæ domus.
- Partem Azemene.
- Dominum eius.
- Partem anni quo timetur mors.

PRo infirmitatibus corporis & cauſis earum uide domum ſextam & dominum eius, partem Azemene & dominum eius, planetas in ſexta, ſimiliter Lunam & eius dominum, Et ſi plurimi ex his fortunati fuerint, uel fortiſsimus ex eis cum domino aſcendentis beneuole coniunctus, ſignificant nato ſanitatem, & paucos morbos, præſertim ſi talis coniunctio in angulis uel ſuccedentibus contingit. Si uero plurimi, uel fortiſsimus ex eis infortunati ſunt, & coniuncti domino aſcendentis, ſignificant multos morbos.

Almuten ſignificatorum infirmitatũ trahitur à
- Cuſpide ſextæ domus
- Domino eius.
- Parte azemene.
- Domino eius.
- Primo domino triplicitatis ſextæ

Almuten illorum. Si impedit aſcendens, dabit nato ægritudines de ſua natura. Quia ſi fortis fuerit & damnauerit aſcendens, aut eius dominum, ſignificat infirmitates. Si debilis, nec aſpiciens aſcendens, nullas dabit.

Plane

Planeta morbos ſuos portendit, cum in genitura morborum dominus eſt.

Planeta ſignificans infirmitatem, ſi fuerit in aſcendente, infirmitas erit in principio uitæ: In Medio cœli, in medio uitæ: In occidente in ſenio: In angulo terrę circa finem uitæ.

Sol in diurnis natiuitatibus, ſignificat oculum dextrum, in nocturnis ſiniſtrũ.

Luna in nocturnis dextrum, in diurnis ſiniſtrum.

Stellæ nebuloſæ in zodiaco, nocent oculis. Sunt autem hę nebuloſæ in zodiaco, una eſt in Cancro, quæ Præſepe nebuloſa dicitur, & eſt prima Cancri. Sunt & nebuloſæ Pleiades in Tauro, Item octaua Sagitarij. Item Caput caudæ Scorpionis, quæ nebuloſa Scorpionis dicitur. Item ſtella in iuba Leonis, quæ alias coma Berences dicitur. Item in unda, quæ fluit ex urna Aquarij.

Si Luna infortunata fuerit, in primo gradu ſigni, natus erit cœcus aut contractus. Cancer, Leo, Scorpius, Sagittarius, Capricornus, Aquarius, ſi Luna in his fuerit, ex oculis natus laborabit.

Si luminaria fuerint in oppoſitione uel coniunctione, & mali in quadrato eorum, natus amittet à Sole oculum dextrum, à Luna ſiniſtrum.

Luminaria impedita à malis ex quadrato uel oppoſito, nocebunt oculis.

Luminaria ambo in ſexta, præſertim infortunata, natus abſq; dubio excæcabitur, & ſi unum tantum eo in loco fuerit, in uno damnum patietur oculo. Similiter erit ſi aliquod luminare ſortietur dominium ſextæ, & infortunatum fuerit, & uniuerſaliter, non poterunt oculi eius euadere graue periculum damnumúe, in cuius natiuitate fuerint luminaria impedita.

Luminare temporis iunctum corporaliter cum infortuna, uel ſi poſt luminare temporis aſcenderit aliqua infortuna, natus uiſum amittet. Et ſi hoc infortunium in angulo fuerit, uel ſi cum eo fuerit dominus aſcendentis, accidet hoc ei in pueritia. Si non fuerit in angulo, nec cum domino aſcendentis, in ſenio excæcabitur.

Vbi aſcendentis gradus infortunatus, aut luminaria obſeſſa inter duas infortunas fuerint, aut Sol in aliquo angulorum in quadrato Saturni, uel Luna eclipſata, & combuſta in aſcendente, uel medio cœli fuerit, is qui in tali naſcitur ſtellarum poſitu, ex oculis periclitabitur.

Saturnus in prima in nocturna genitura, & in diurna Mars ibidem coniunctus Soli & Lunæ, debilitationem uiſus, & oculi deſtructionem indicat.

Saturnus in ſecunda, ſi à Sole, Luna, & Marte aſpicietur, ex trigono cęcitatem indicat.

Si Saturnus in undecima, Mars in decima, Luna in ſecunda uel octaua, collocabitur, periculum erit cæcitatis in altero oculorum.

Si Saturnus in ſeptima in oppoſito Martis, ac Sol in ſecunda, Luna uero in ſexta fuerint, indicant proceſſu temporis cæcitatem ex fluxu capitis.

Saturnus cum Luna in decima, Sole & Marte in octaua poſitis, cęcitatẽ ſignificãt.

Saturnus cum luna in tropico ſigno, & in eorum oppoſito Mars cum Sole, nato minantur cæcitatem.

Saturnus uel Mars in aſcendente, uel ſeptima partiliter, ſi Solem uel lunam per quadratum uel oppoſitum uiderit, natus capietur altero oculo. Si uero ambæ maleficæ ſimul iunctæ, uel ſeorſim collocatæ utrumq; luminare uiderint, uterq; oculus caligine obfuſcabitur.

Saturnus & Mars ante Solem aſcendens, uel poſt Lunam, præſertim ſi unus in oppoſito alterius fuerit, Sol dextro, Luna ſiniſtro oculo mala protendit.

Sol in prima, Saturnus & Mars in ſecunda, in dextro oculo uicium nato decernunt.

Sol in prima, Luna in medio cœli, Saturnus in nona, Mars in ſecunda, ſi Lunam

nam

nam reſpiciat,uel Saturnus cum Sole in octaua,Luna in quarta,Sol & Mars in octaua,ſignificant cæcitatem,& corporis debilitatem.

Sol & Mars in octaua,Saturnus & Luna in ſecunda, in humano ſigno,cæcitatem,& corporis imbecillitatem indicant.

Sol in prima, Saturnus in quarta,ſi dextrum ab horoſcopo Luna poſsidebit trigonum,periculum cæcitatis ſignificat.

Sol in prima,Saturnus in ſecunda, Luna uero in decima,& Mars in undecima cæcitatem minantur.

Sol in ſigno tropico coniunctus Lunæ, priuat luminibus, & ſi cum his Mercurius fuerit, maximam ſapientiam & doctrinam elargitur, & ingenium optimum multarumq; rerum ſcientiam,ſed cum oculorum cæcitate, atq; corporis debilitate.

Mercurius cum Luna ſi in quadrato ſiniſtro Martem habuerit, & Venerem, aut corpus deformat,aut oculorum aciem obtundit.

Si fuerit Luna in aſcendente uel ſeptima,aut ſexta partiliter,& Sol in oppoſito loco, qui ſic natus fuerit, altero capietur oculo,hoc tamen ſi Saturnus uel Mars ſua præſentia alteri eorum aſtiterit,uel quadrato aſpexerit.Idem quoq; continget,ſi Sol in eorundem locorum aliquo partiliter inuentus fuerit.

Luna in coniunctione, oppoſitione uel quadrato Solis in aliquo angulo ſtellis nebuloſis mixta, morbos immedicabiles in oculis ſignificat. Et ſi Luna in eodem ſigno cum Sole, aut in ſigno oppoſito fuerit, & in aliquo angulo, & infortunæ eam maleficis radijs aſpexerint, ueſpertinales quidem à Luna, matutinales uero à Sole, amittet natus utrumq; oculum. Si uero tantum unum luminare ab infortunis hæc patitur,alterum tantum amittet oculum, & deteriores ex angulis ſunt aſcendens & ſeptima,& oppoſitus de aſpectibus.

Libra in ſexta præſente Marte,dolores oculorum notat.

Si Luna occidentalis in angulo fuerit,& ambæ infortunæ occidentales poſt Lunam aſcenderint:Aut ſi ſit Sol in angulo,& ambæ infortunæ ante Solem aſcendentes,oppoſitis concurrant radijs,perdet natus utrumq; oculum.

Mars in octaua, notat maculam in oculo uel corpore, maxime ſi Sol & Luna fuerint in aſcendente uel ſeptima.

Si Cauda draconis Lunæ in aſcendente inueniatur, & luminare conditionarium impeditum,nec aliqua fortuna per corpus uel radium caudæ iungatur,excæcabitur natus. Et ſi fuerit in eodem gradu,eodem anno id malum ſentiet.

Luna infortunata in aliquo angulorum cum Marte,uel cum Saturno & Marte, ipſis orientalibus exiſtentibus, ſi Luna eat ad eorum applicationem,oculorum impedimenta adducit.

Sol infortunatus in angulo à Saturno & Marte, & accedens applicando ſe eis oculorum impedimenta minatur.

Sol & Luna coniuncti uel oppoſiti, & ambo infortunati à Saturno & Marte, ſi planeta Solem infeſtans,ſit matutinalis, & Lunam infortunans ueſpertinalis. His tribus cauſis ita concurrentibus,ſic læſio aliqua oculorum nato acciderit,eruentur ei oculi. Si infirmitas, fiet id ſcabie,uel uulneribus, uel ſimilibus. Mars impedit igne, ferro,febri,ſi ſit in ſigno igneo uel calido. Et ſi fuerit in terminis Saturni,ac eidem participauerit Mercurius,erit cauſa mali luctatio, uel curſus equorum. Saturnus autem impedit per deſcenſum humorum ad oculos,uel ui frigoris,uel per ſimile quiddam pro ſua natura, uiſum lædit, aut obſcura caligine obducit. Et iudica in principio,medio & fine uitæ, ſecundum infortunij augmentum.

Luna in prima,Saturnus & Mars in ſecunda in nocte,uicium in oculo ſiniſtro conciliare ſolent.

Sole ſupra terram in diurna natiuitate conſtituto, ac damnato ab infortunis, uel à

uel à domino domus infirmitatis, uel Luna in tali damnatione ſub terra in nocturna genitura exiſtente, accidet cæcitas in oculo dextro. Et ſi hoc infortunium Solis fuerit ſub terra in natiuitate nocturna, uel ſupra terram in natiuitate diurna, erit idem periculum in ſiniſtro oculo.

Sol in gradu Azemene, debilitationem in oculo dextro, Luna uero, in ſiniſtro ſignificat.

Sol uel Luna male affecti in gradibus ſequentibus, oculorum aciem hebetare conſueuerunt. Tauri gradus 6.7.8.9.10. Cancri, 9.10.11.12.13.14.15. Leonis, 18. 27. 18. Scorpionis, 19.29. Sagittarij, 1.7.8.18.19. Capricorni 26.27.28. 29. Aquarij, 18.19. Piſcium, 28.29.30.

Luna in Geminis, & eorum triplicitate à Marte impedita, putredinem & lepram infligit, ſi fortuna eam non aſpexerit.

Luna in Cancro & eius triplicitate à Saturno impedita, ſine aſpectu fortunæ lepram albam, podagram, Cancrum ſignificat.

Infortunæ & Luna in ſignis aqueis, decernunt morpheã, ſcabiem, uel allopiciam.

Saturnus, Iupiter, Luna, & Cauda draconis Lunæ in undecima, lepram denotant.

Saturnus in ſexta in aqueo ſigno, à Sole combuſtus, leproſos efficit. Huius rei habeo multa experimenta.

Cancer, Capricornus, Scorpio, Piſces, infirmitates generant, quæ corrodendo incedunt, ut impetigines, excoriationes, ſcrophulas, fiſtulas, cancros, lepram, & his ſimilia.

Luna ſi à Sole ſeparatur, & Saturno coniungitur, ſine aſpectu fortunæ, Vel Luna in aſcendente cum Saturno & Marte in ſigno aqueo. Aut Iupiter uel Venus dominus ſextæ, & ab aliqua infortuna damnatus. Similiter etiam ſi Luna fuerit infortunata in aliquo punctorum æquinoctialium, aut ſolſtitialium, hæc faciunt morpheaticos, leproſos, cancroſos.

Infortunantes ſtellæ in duodecima, cancrinas indicant ægritudines, aut dolores in abſconditis partibus corporis euenire, laborare matres ex partu, & nato impedimenta, & matri ex inciſione aliqua ferro futura.

Saturnus in ſeptima, uel Mars ibidem in die hæmorroides notat.

Saturnus peregrinus in ſeptima, infirmitates in natibus ſignificat.

Saturnus uel Mars in ſexta uel duodecima, infortunans dominum ſextæ, maxime ſi in ſexto loco fuerit Capricornus, Aquarius, uel Piſces, & uniuerſaliter quando Saturnus & Mars in aliquo prædictorum ſignorum fuerit, debilitatem uel aliquos morbos in partibus inferioribus ab inguinibus ſignificat, uel facit artheticos, podagricos, uel qui dolore iuncturarum cruciantur.

Si Saturnus uel Mars in ſeptima, aut dominus aſcendentis in ſeptima cum Marte, uel in eiuſdem infauſtis radijs poſitus fuerit, Aut ſi ipſe Dominus aſcendentis infortuna fuerit, quæ in ſeptima ſine radio fortunæ inueniatur. Aut Saturnus in aſcendente in oppoſito Martis, aut Mars in Scorpione ſine aſpectu fortunæ, aut Luna domina ſextæ in ſeptima, maxime infortunata, hæmorrhoides, uel morbos ani ſignificat.

Saturnus cum Luna, facit epilepſiam, atram bilem, lepram, fiſtulam, morpheam, podagram, & frequenter paſsiones chronicas.

Mercurius occidentalis in nocte in octaua, ſignificat infirmitatem manuum, forſitan hæreditariam.

♂ dñs octauæ in ♎ repertus, minatur rupturam uentris uel uulnus femoris.

Saturnus & Mars in duodecima in nocturna geneſi, dant azemenam in manibus, malum ſtatum patris, & amiſsionem famæ bonæ.

Mars

Mars in natali diurno, in quarta domo, ſignificat ualetudinem & puſtulas, quæ dicuntur porcelli, & quæ candenti ferro ſecantur. Et ſi Luna ibi fuerit, natus morietur occulta ægritudine, & filijs quoq; ipſius fatale malum minatur, pro beneficijs ſuis non habebit gratias. Si uero in nocte naſcetur, erit heremita, aut gladiator.

Luna in quadrato Solis, aut cum eo in uno ſigno, aut in quadrato uel oppoſito Martis, natum comburendum igne ſignificat.

Infortuna in ſexta, dat morbum in pedibus, uel artheticam.

Mars exiſtens ibidem, dat combuſtionem ignis, uel morſum canis.

Luna in Ariete in octaua, indicat calidam infirmitatem in capite, & in pectore non medicabilem.

Luna in oppoſito Martis, morbos uenenatos inducit, ſicut in ſignis igneis, terminanturq; cito, ſed raro ad uitam.

Luna iuncta marti in ſignis aëreis, potiſsimum in Geminis, inciſionem ferri, ſiue percuſsionem demonſtrat.

Mars in Ariete, uel ſua triplicitate, facit cholericos, quibus ut plurimum imminent calidæ febres ex abundantia choleræ, phreneſis, puſtulæ ſanguineæ, impetigo, anthrax, quæq; carnem abſorbent & abſumunt, ut ſacer ignis.

Mercurius perperam locatus in domicilio Martis, ciet febres calidas, uomicas ſanguineas, Cancrum, morbum regium, ignem ſacrum, caliginem oculorum præmaturam, præterea cogitationes & conturbationes horrendas, niſi Lunæ addiderit temperamentum, uel Veneris in dictis locis, uel ſignis, idq; in cholericis potiſſimum contingit.

Saturnus per noctem in quarta domo, ſignificat paralyſim, uel aliquod ſimile malum.

Pars Azemene cum luna in nona, & Mars in octaua in ſigno membrorum abſciſſorum, ſcilicet Ariete, Tauro, Leone, Piſcibus, ſignificat quòd nato abſcindetur aliquod membrum.

Si Venus impedita fuerit à Saturno, Marte & Mercurio, & ſola abſq; aſpectu fortunæ, abſcindentur nato teſticuli, quòd ſi tunc domini triplicitatis Veneris fuerint fortes, natus ex hoc honorabitur. Si debiles, erit contrarium. Si fuerit fœmina, abſcindentur ei mammæ.

Si Luna diminuta lumine & numero in ſignis membrorum abſciſſorum fuerit, & Mars in oppoſito eius orientalis, egreſſus radios ſolares, natus uulnerabitur aut mutilabitur, & ſi non aderit aſpectus fortunæ liberantis, ex uulnere morietur.

Si Mercurius ſub radijs in angulo, in aſpectu infortunarum fuerit, natus ſpoliabitur, aut incarcerabitur.

Venus et Mercurius coniuncti ſub radijs, caſtrabunt natum.

Saturnus in finibus Martis, ignem ſacrum inducit, maxime ſi fuerit coniunctus illi, & damnatus à luminaribus, uel ab uno eorum. Et ſi etiam prædicto modo Mercurius cum Saturno participauerit, adiuuat humorum fluxum à capite ad pectus, ex qua forte pthiſis generabitur. Et adiuuat Martem in deſiccando puſtulas, & dat calida apoſtemata, epilepſiam &c.

Mercurius & Saturnus, aut Sol in ſeptima, & Luna in octaua cum Marte, claudos aut mancos manibus efficiunt, aut inſanos.

Infortunæ in angulis ſi eis luminaria applicuerint corporaliter, aut ex eorum oppoſito, ſignificant gibbos uel claudos, aut alicuius membri deſtructionem, maxime ſi Luna in altero duorum nodorum fuerit, aut in ſignis infirmantibus: Ariete, Tauro, Cancro, Scorpione, uel Capricorno, & adhuc magis in initio, uel fine ſigni.

Si fuerit Luna in Scorpione in quarta in aſpectu infortunarum, natus habebit

infirmitates abſconditas, uxor & filij eius præmorientur. Si autem fortunæ aſpexerint, habebit bonum de rebus abſconditis.

Luna in angulo cum Saturno, & Saturnus ſub radijs combuſtus, uel ſi ſexta & dominus eius á Saturno infortunentur, ſine radio fortunæ, facit paralyticos, & qui ſe mouere non poſſunt, aut fient tremuli.

Si Sol & Luna coniuncti in natiuitate fuerint, hæc natiuitas ſemper cenſetur eſſe mala. Nam in ſenio efficit infœlices, ualetudinarios, caducos, aut mentis inſania, aut eiuſmodi ægritudinibus laborantes, quæ à Medicis difficulter curari poſſunt.

Mercurius dominus ſextæ domus oppoſitus Saturno, facit ſurdum. Similiter faciunt Saturnus & Iupiter infortunati ſupra terram.

Saturnus & Mercurius cum Sole in angulo orientis uel occidentis, & maxime ſi Mercurius fuerit occidentalis à Sole, aut ambo fuerint in participatione eiuſdem cum Luna, uel quòd eos aſpiciat, ſignificat detentionem linguæ. Si uero Mars his duobus iungatur, diſſoluentur linguæ impedimenta tempore ſecundum gradus, qui ſunt inter Martem & lunam, uel inter Martem & iſtos planetas. Quare impedimentum Mercurij à Saturno, impedit linguam nati. Si uero corporaliter coniungatur, ei peius erit. Idem fiet ſi cadens ab angulis fuerit, aut infortunatus, combuſtus uel retrogradus, aut peregrinus, & in ſigno muto. Nam tunc natus erit ſurdus & mutus.

Dominus aſcendentis, & dominus ſuæ exaltationis, & dominus triplicitatis eius Mercurius & Luna ſi fuerint in ſignis mutis, ſcilicet Piſcibus, Scorpione uel Cancro, ſunt magnæ ſignificationes τῆς κωφώσιος

Si uero Mercurius fuerit coniunctus Saturno, uel in eius quadrato uel oppoſito, aut fuerit cadens ab angulo in uili loco & infortunato, aut combuſtus uel retrogradus, aut peregrinus in ſigno muto, erit ex quacunq; harum ſignificationum impedimentum in lingua.

Saturnus coniunctus Lunæ, impedit linguam, & facit celatorem ſuæ maliciæ, erit ſectator philoſophiæ, & Sodomita.

Mercurius in Piſcibus in gradibus puteoſis, facit natum inſipientem uel mutũ.

Mercurius combuſtus, mouebit linguam balbutientem.

Coniunctio Mercurij, & Saturni in aſcendente natus erit inſipiens, linguoſus, uult reputari ſapiens, male loquetur de omnibus, mendax, & turpis linguæ.

Luna corporaliter iuncta Saturno in aſpectu Martis, facit contractum, ita quòd ire non poterit.

Quinq; planetæ retrogradi in aliqua natiuitate, ſignificant quòd erit caducus,

Sol & Luna damnati, infortunis ſuper eas eleuatis, damnum & debilitatem totius corporis faciunt.

Sol dominus ſextæ, aut dominus partis infirmitatis ipſe infortunatus exiſtens, ſignificat cor debile.

Mars in aſcendente, & in Scorpione abſq; aſpectu fortunæ, aut Mars de die cum cauda Draconis Lunæ, in quarta uel ſeptima, aut Saturnus cum cauda in ſeptima dyſenteriam & dolorem inteſtinorum ex uentoſitate indicat.

Cancer reſpicit pulmonem, & ex ægritudinibus facit tuſsim, pthiſim pleuriſim.

Leo facit apoſtemata, icteritiam, febres, peſtilentiam.

Virgo tumorem uentris, ydropiſin, lienteriam, cholicam.

Libra dyſenteriam, dolorem uentris, & circa ſpinam dorſi. Idq; ſi prędicta ſigna inciderint in ſextam, octauam, uel duodecimam domum.

Si fuerit Taurus aſcendens alicuius, hi ut plurimum ueneno ſuccumbunt, maleficio, uel cholica paſſione, idq; in annis fatalibus, 6. 8. 18. 20. Excitat idem

ſignum

ſignum etiam ſquinantiam,& omnia apoſtemata uel ulcera, quæ in gutture contingunt.

Qui habuerint Solem in Ariete uel Geminis, communiter ſtranguria, uel calculo uexabuntur.

Piſcibus aſcendentibus nati, timeant infirmitates calidas, utpura febres calentes, torſiones uentris, uenena imminebunt ijſdem plurimum. Quibus & tales ægritudines partim ab ſcortis, uel malis mulieribus, uel aliunde accident, maxime in annis ætatis ipſorũ 44. 56. 68. quibus non longe etiam aberunt ab extremo uitæ limite.

Qui Capricornum aſcendentem habuerit, patietur dolores ſtomachi, pleureſim, tuſſim, epatis intenſionem, apoſtemata ſtomachi.

Cancer aſcendens facit etiam peripneumoniam, & hoc Sole exiſtente in Sagittario, ſimiliter & ethicam, & inflationem pulmonis. Et ſi Saturnus in Sagittario repertus fuerit, pedum inflationes, podagramq́ conciliabit.

Saturnus in Cancro ſignificat dolorem mentulæ, teſticulorum ac genitalium.

Scorpio in aſcendente Chiragram, ſciaticam, & dolorem capitis minatur. Si Saturnus in eodem fuerit in cauillis cruciatum nato infliget.

Virgo aſcendens, frequenter naturalem infirmitatem habet crurium, aut purẽ repletos pedes, aut crura ſanie profluentia, aut genas uomicis obſitas, uel maxillas, ſimiliter & uehementes capitis dolores, humoribus ex pedibus exhalantibus ad caput, qui tamen mox ſedantur, inciſo tumore, & hoc tanto uehementius à nato ſentietur, Saturno in Virgine natiuitatis tempore exiſtente.

Vbi Saturnus fuerit in ſexta ab aſcendente, aut in ſexta à Luna, aut in quadrato uel oppoſito eorum, infirmitates erunt à cauſa frigida, quæ tarde curabuntur. Si Mars ſit in ſexta, ut de Saturno, erunt ex caliditate acutæ, & tales, ut uel cito curentur, uel cito interficiant.

Luna cum malis, uel eorum malo aſpectu in ſigno humido, ſignificat aduerſas ualetudines ex frigido & humido. Et ſi in ſicco, erunt ex cholera & ſiccitate.

Aquarius aſcendens, & Sol cum Saturno in Capricorno in duodecima domo, Iupiter in ſecunda, Mars cum Luna in libra in nona, Mercurius cum Venere in Aquario, ſignificat debiles, imbecilles, aut ridiculos.

Sol in octaua, Saturnus in duodecima, cum Luna & cum Marte debiles, & paralyticos notant.

Dominus ſextæ, ſi applicuerit domino aſcendentis, accident nato aduerſæ ualetudines ſecundum ſigni naturam in quo fuerit ſextæ dominus, intellige ex calido, frigido, ſicco, humido.

Aries in octaua ſignificat infirmitates capitis.

Si Taurus uel Scorpio in aſcendente fuerint, natus erit cauſa ſuarum infirmitatum. Et ſi Taurus fuerit aſcendens, & Venus bene diſpoſita, & ⊕ in ſexta erit natus fortunatus in his quæ ſignificantur per ſextam domum. Similiter intellige de Scorpione aſcendente, & Marte bene diſpoſito, uel parte fortunæ in ſexta.

Venus in ſexta uel ſeptima à malis infecta, uicia & ægritudines & diuerſa malorum genera ſignificat.

Dominus aſcendentis applicans domino ſextæ domus, ſignificat infirmitates ratione multæ comeſtionis. Idem euenit ſi dominus harum domorum fuerit unus planeta.

Mars ſuper Saturnum eleuatus, ſignificat natum ægrum & debilem. Super Martem autem eleuatus Saturnus, pinguem & fortem.

Iupiter & Saturnus damnati ſupra terram in locis malis combuſti uel retrogradi, damnant auditum.

Si Iupiter & Sol damnati uel cadentes fuerint, natus deficiet ſenſu.

Mars & Venus ſupra terram impediti, damnant olfactum, & generant morbum in naribus.

Saturnus & Mars in ſexta uel duodecima infortunantes Lunam, uel dominum aſcendentis, maxime ſi ſignum ſextum fuerit Cancer: Similiter quando Sol fuerit ſub terra infortunatus, & Luna de nocte, maxime uero in ſexta, qui ſic naſcuntur, paſſiones ſtomachi habebunt.

Iupiter dominus ſextæ ab infortunarum malignis pulſatus radijs, aut Luna domina ſextæ infortunata à Marte: Similiter ſi dominus aſcendentis & Luna ambo infortunentur à Marte, aut cum Mars ſub terra fuerit infortunatus, natus in epate dolores ſentiet.

Luna domina ſextæ à Saturno infortunata, aut dominus aſcendentis in ſeptima infortunatus, aut Saturnus dominus aſcendentis à Marte infortunatus, aut quomodocunque Saturnus infortunatus ſub terra fuerit, in ſplene cruciatus luet.

Luna in angulo terræ coniuncta Marti uel Saturno, aut ab eis infortunata. Similiter ſi Venus fuerit domina ſextæ infortunata in ſigno igneo, in pulmone dolores, aut circa, uel phtiſim, uel ſuffocationem anhelitus dabit.

Venus à Saturno infortunata, ſignificat dolores teſticulorum, maxime ſi fuerit in aſcendente. Similiter Venus cum Marte in octaua, aut Luna, Venus, & Mars coniuncti in malo aſpectu Saturni.

Sol damnatus ſub terra debilitat ſtomachum. Luna damnata ſub terra debilitat pulmonem. Mars hoc modo damnat epar. Saturnus ſplenem. Mercurius fel.

Dominus aſcendentis applicans domino ſextæ, facit natos ſuæ ualetudinis negligentiſſimos.

Applicatio domini ſextæ ad dominum aſcendentis, ſignificat ægritudines, ſeparatio autem, liberationem ab infirmitatibus.

Si Luna & dominus eius ab infortunis liberi extiterint, & ſi in ſexta non fuerit infortuna, natus non habebit infirmitates.

Pars infirmitatis & dominus eius, ab infortunis liberi, natos dabunt incolumes, ſi contrarium, dic diuerſum.

Pars infirmitatis ſi coniungitur ſtellæ Bebeniæ de natura infortunæ, natus habebit infirmitatem turpem & manifeſtam.

Aſcendens & Luna, ſunt ſignificatores corporis.

Dominus primæ, & dominus domus Lunæ, ſignificatores ſunt animæ. Quare ſi aſcendens & Luna ſunt impediti, & eorum domini liberi à malis, ſignificant infirmitatem corporis, ſed animæ ſanitatem. Et ſi fuerint aſcendens & Luna liberi à malis, & domini eorum impediti, ſignificant corporis ſanitatem & triſtitiam animi.

Significatores ſextæ domus, uel pars Azemene, & dominus eius, fortunati, uel fortes & fœlices, ſignificant ſanitatem corporis. Si uero fuerint infortunæ uel debiles, dic contrarium.

Almuten infirmitatis fortunatus, modicas notat infirmitates.

Impedimentum erit circa illam partem corporis, quam ſignificat ſignum quod fuerit tempore natiuitatis impeditum.

Pars Azemene ſi in partibus aſcendentis fuerit, & Luna cum ea coniuncta uel dominus aſcendentis, erit Azemene in membro illius ſigni, dando aſcendens capiti &c. Si hæc pars fuerit ſupra terram, erit manifeſta, ſub terra occulta.

Leo, Virgo, Scorpio, uel Sagittarius aſcendens, ſignificant ſignalia ante & poſt.

Significator infirmitatis in aſcendente, dat infirmitates in principio uitæ. In

medio cœli, in medio uitæ. In occidente, in ſenectute. In angulo terræ, circa, finem uitæ.

Gradus qui recipit nocumentum ab infortunis, ſiue ſit de gradibus primæ uel ſeptimæ domus, ſignificat membrum in quo accidit læſio, uel ægritudo, uel utrunq;, quia erit ſemper in termino alicuius planetæ, & propterea læſio illa uel morbus conueniet naturæ eius planetæ, in cuius termino talis gradus fuerit inuentus.

Luna male affecta in genitura, ſentiet natus incomoda corporis magis in ſiniſtra quàm dextra parte. Sole uero impedito in dextra plus.

Membrum planetę impediti uel combuſti patietur, & erit infirmitas de ſignificatis & natura eiuſdem planetæ impediti.

Si aſcendens & Luna impediti fuerint ab infortuna, natus patietur in membro ſigni, in quo Luna fuerit, præſertim ſi Luna fuerit in mala domo, & in ſigno infirmante, Ariete, Tauro, Cancro, Scorpione, uel Capricorno.

Si pars anni in quo timetur mors, uel dominus domus eius fuerit coniunctus domino aſcendentis, natus habebit multas infirmitates & impedimēta in corpore, nec minora in ſubſtantia.

Si Saturnus & Mars in aſcendente in Scorpione fuerint, natus amittet omnes dentes grandes, & maxime ſuperiores.

Sextum ſignum ab aſcendente, uel à Sole in diurna natiuitate, uel à Luna in nocturna, infortunatum per præſentiam, quadratum uel oppoſitum infortunæ, patietur membrum illius ſigni detrimentum iuxta naturam ſigni & planetæ infortunantis eum Zodiaci locum.

Prima domus, habet faciem & caput.
Secunda, collum, ceruicem, nodum, guttur.
Tertia, brachia, humeros, manus.
Quarta, pectus, cor.
Quinta, ſtomachum, latus.
Sexta, uentrem.
Septima, uiſcera, pudibunda, femur.
Octaua, uuluam, ueſicam, teſticulos, penem.
Nona, podicem, nates.
Decima, genua, poplitem.
Vndecima, crura inferiora.
Duodecima, pedes.

Maleficæ ergo, inficientes partes corporum iſtis domicilijs cœli deputatas, ſi in eis reperiuntur, præſertim malæ affectæ, nato inſignia damna decernunt. Ideo Mars in aſcendente peregrinus inſignem in facie cicatricem infligit. Et ſicut planetæ noxij illas partes corporis dedecorant, quibus præſunt, ita & ſtellæ ſalutares decorant &c.

Tabula infirmitatum, quas Planetæ in ſingulis Zodiaci ſignis diuerſis humani corporis membris, ac partibus ſignificant.

	♄	♃	♂	☉	♀	☿	☾
♈	Pectus	Ventrem	Caput	Femora	Pedes	Crura	Caput Genua
♉	Ventrem	Dorſum	Collum	Genua	Caput	Pedes	Collum Crura
♊	Ventrem	Verenda & ſuccedentia	Pectus & ſuccedentia	Crura Talos Cauillos	Collum	Caput	Brachia Humeros Femora
♋	Virilia & ſuccedentia	Femora	Pectus	Pedes	Brachia Humeros	Oculos Guttur	Caput Pectus Stomachũ
♌	Verenda & ſuccedentia	Genua Femora	Ventrem	Caput	Cor	Guttur Humeros	Collum Cor Stomachũ
♍	Pedes	Genua & ſucceden.	Ventrem	Collum	Ventrem Stomachũ	Cor	Humeros diaphragma
♎	Genua & ſuccedentia	Caput Oculos	Verenda & ſuccedentia	Humeros	Caput	Ventrem	Cor Ilia Nates
♏	Cauillos & ſuccedẽtia	Pedes	Caput Brachia Femora	Cor	Verenda & ſuccedentia	Dorſum	Ventrem Verenda
♐	Pedes	Caput Crura	Manus Pedes	Ventrem	Brachia Femora	Cor Verenda	Dorſum Femora
♑	Caput Pedes	Oculos Genua	Humeros Crura	Dorſum	Cor Femora	Verenda & ſucce.	Femora Genua
♒	Caput Collum	Humeros Pectus Pedes	Cor Cauillos	Verenda & ſuccedentia	Genua & ſuccedentia	Cor Femora	Verenda Tibias
♓	Collum Humeros Brachia	Caput Cor	Ventrem Cauillos	Femora & ſuccedentia	Collum Dorſum	Verenda Crura	Femora Pedes

Saturnus ſignificator infirmitatis ſi in Ariete fuerit erit infirmitas in pectore, ut in hac tabula uidere licebit.

De ſeruis, & ſeruabus.

Sententiam Ptolemæi inuenies infra folio. 118.

Pro ſeruis conſidera:
- Sextam domum
- Dominum eius
- Conſignificatorem ſextæ qui ſemper eſt Mercurius
- Almuten ſignificatorum ſeruorum
- Partem ſeruorum
- Dominum eius
- Secundum dominum triplicitatis domus ſextæ.

Almuten ſignificatorum ſeruorum colligitur à:
- Cuſpide ſextæ domus
- Domino eius.
- Planetis in ſexta uel eam aſpicientibus
- Parte ſeruorum.
- Domino eius.
- Mercurio.

Almuten horum ſi habuerit conuenientiam cum domino aſcendentis, ſignificat concordiam ſeruorum cum domino, ſi non, contrarium erit.

Mercurius orientalis in aſcendente uel Medio cœli, & præſertim Ioui applicans in communi uel mobili ſigno, fœlicem ſtatum nati & fortunatum, ex ſuis ſeruis ſignificat, habebit enim utilitatem ex eis, eruntq́ ei fideles. Si autem fuerit infortunatus, retrogradus, combuſtus, uel ſtationarius, erunt ſerui inobedientes, plus nato nocebũt quàm proderunt, infideles & fures, & patietur natus ex eis damna, eo magis ſi Mercurius fuerit ſub radijs, aut applicans infortunæ in ſigno fixo.

Fortuna in ſexta aut duodecima domo, ſignificat utiles ſeruos & ancillas. Si infortuna ibi fuerit, incommodum & malum, à ſeruis & ancillis habebit ac grauamina, & anxietates ab eis, inſurgent contra eum, & forte captiuabitur ab eis.

Dominus ſextæ domus fortuna, uel aliâs fortunatus, multos ſeruos & ancillas ſignificat, & commodum ab eis. Si infortuna fuerit, contrarium erit.

Medium cœli alicuius geniturę, ſi fuerit aſcendens [a] ſerui, aut dominatores eorum beneuola figura configurati, ſeruus ille cum ſumma obſeruantia domino ſuo miniſtrabit. Vel etiam ſi dominatores bene ſeſe aſpiciunt, aut ſi id ſignificator amborum fuerit, uel cũ ſextus locus [b] ſerui, inuentus fuerit aſcendens domini, uel ſi utriuſq́ dominatores concorditer collocati, ac ſibi inuicem conuenientes fuerint.

Pars ſeruorum & eius dominus, in bonis locis fortunati, ſignificant ſeruorum multitudinem & fidelitatem. Si contrarium fuerit, dic contrarium.

[a] *Domini uidetur legendum.*

[b] *Ita legõ: domini, inuentus fuerit aſcendens ſerui.*

De Animalibus & beſtijs.

Pro animalibus conſidera:
- Sextam domum.
- Dominum eius.
- Duodecimam domum.
- Dominum eius.
- Tertium dominum triplicitatis ſextæ domus.
- Partem beſtiarum equitandarum.

Pro animalibus minoribus uide cuſpidem ſextæ domus, dominum eius, & dominum tertium triplicitatis ſextæ domus. Si maior pars illorum ſalui & fortunati fuerint, cenſebitur natus fortunatus in minoribus animalibus.

Mars

Mars in tauro, Scorpione, uel Virgine orientalis, bene diſpoſitus, facit natum fortunatum in animalibus, præcipue de uaccarum ſorte, uel caprarum, uel ſimilium,

Pro animalibus magnis quæ equitantur, ut ſunt Cameli, equi, mulus &c. uide cuſpidem duodecimæ, dominum eius, dominum tertium triplicitatis domus duodecimæ & Martem. Nam ſi maior pars illorum fortunati & ſalui fuerint, erit natus fortunatus in maioribus animalibus.

Mars orientalis in quadrupede, maxime in ſigno regali, & in aſcendente, uel Medio cœli, uel in undecima. Et ſi cum hoc Sol aut Iupiter eum aſpexerit, natus erit equorum & uenationis amator, maxime ſi Luna fuerit cum eo. Vel ſi Mars fuerit dominus aſcendentis, uel dominus coniunctionis, uel oppoſitionis præcedentis natiuitatem.

Mars orientalis in Ariete, Leone uel Sagittario, ſi ipſe fuerit dominus ſextę uel duodecimæ, natus habebit multas beſtias, equos & animalia magnorum corporum, maxime ſi eum aſpexerit Iupiter.


Sagittarius aſcendens, uel ſignum beſtiale in aſcendente, & dominus eius iunctus cum Marte, uel in eius bono aſpectu, de bono loco, natus amabit beſtias. Similiter etiam ſi Luna fuerit uice domini aſcendentis.

Si Mars in quadrupede fœlix coniunctus parti fortunæ fuerit, uel alias bene fortunatus, erit natus equorum, armorum, & uenationis amator.

Tertius dominus triplicitatis ſextæ domus fortunatus, ſignificat quòd natus equitabit beſtias, & habebit commodum ex eis.

Fortunæ in duodecima, uel boni aſpectus ad eam, proſunt in re animalium. Infortunæ damnum dant, & malum.

Exemplum geniture propoſitæ.



Concluſio

Concluſio prima. Nullam in corpore maculam habiturum exiſtimo, propter ſaluationem aſcendentis ſextæ & ſeptimæ cuſpidum.

Concluſio ſecunda. Denique puritatem atque limpiditatem in membris, affirmat pars Azemene Veneri coniuncta.

Concluſio tertia. Paucarum infirmitatum erit natus iſte, id trahitur ex diſpoſitione bona & forti ſignificatorum infirmitatum. Nam Cuſpis ſextæ, ſeptimæ, & aſcendentis, domini eorum etiam, fortunati ſunt, & pars Azemene coniuncta Veneri.

Concluſio quarta. Viſus & auditus dextræ partis debiliores erunt in ipſo, id efficit Saturni quadratus, Solem attingens ex angulis.

Concluſio quinta. Tumorem uentris, lienteriam, colicam, ſignum Virginis denotat, quod etiam Mars in Leone ſignificat.

Concluſio ſexta. Debilitatem pulmonis Luna ſub terra damnata inſinuat.

Concluſio ſeptima. Alias etiam infirmitates ex cauſis calidis prouenturas, ſed tamen cito tranſeuntes, uelut febres ephimeras, minatur Mars in ſigno calido, Lunam quadrato inficiens. Has autem in principio uitæ accidere, ſumitur ex loco Martis inter aſcendens & Medium cœli.

Concluſio octaua. Natus iſte magis moleſtabitur infirmitatibus in ſiniſtra quàm dextra corporis parte, quod patet ex Luna infortunata in natiuitate.

Concluſio nona. Multitudinem ſeruientium ei denotat pars ſeruorum iuncta Veneri.

Concluſio decima. Multos etiam ratione ſeruientium feret labores, id iudicatur ex Mercurio naturali ſeruorum ſignificatore, combuſtionem intrante.

CAPVT SEPTIMVM.
De qualitatibus animæ nati.

EX animarum qualitatibus, id quod proprie ad intellectum, & rationem pertinet, per qualitates loci Mercurij cognoſcimus. Sed diſpoſitionem animæ irrationalis, ſcilicet uegetatiuæ & ſenſitiuæ ex loco Lunæ, nec non ex ſtellis, quæ in figura ei aſſociantur, uel ad eam applicant, uel ab ea ſeparantur, deprænhendimus. *Si* prædicta loca Mercurij ſcilicet & Lunæ adinuicem applicuerint, & fuerit inter ea concordia, factum animæ ordinatum & concors erit. Si Mercurius fortior fuerit quàm Luna, tunc natus uiuet ſecundum intellectum, nec ſequetur uoluptates & ſolatia ſenſuum. Si uero Luna fortior Mercurio fuerit, dic contrarium.

Conſidera locum Mercurij & Lunæ, quæ ſigna occupent. Nam ſi occupant ſigna mobilia, inclinant natum, quòd amabit unionem & pacem ciuitatum, caſtrorum, uillarum, exercituum, & communitatum, & ſtudium quoque ſuum conferet ad gubernationem Reipublicæ, operam ſuam reipublicæ oblaturus, cogitabit de rebus diuinis, erit acuti ingenij, bonæ opinionis, liberalis, maxime cupidus honoris & famæ, ab alijs laudari deſiderabit, appetet iudicia Aſtronomica.

Communia ſigna faciunt animam multiformem, leuis mutationis, diuerſorum morum, difficilem ad cognoſcendum quid appetat, agilem, lætum, amantem, inſtabilem, doloſum, malicioſum, multa optantem quę conſequi non poterit, muſicę amatorem, habilem, perſpicacis ingenij, pœnitebit ipſum de re mala, quam ſine deliberatione commiſerit.

Fixa faciunt hominem iuſtum, non fallacem, nec leuem, ſed ſtabilem, & pro re modica ſe non mouentem, boni ingenij, quietum, aliorum obſeruantiſſimum, obe-

dientem

dientem, amantem honoris, conſtantem, & firmi propoſiti in ſuis opinionibus, ueracem, bonam, diuturnam, & longam rerum actarum apud ſe memoriam conſeruantem, confidentem maxime in ſuo conſilio, nec ceſſantem in ſententijs, & rebus ſuis obtinendis, donec obtinuerit, & ſi quid ſimultatis, uel odij contra quempiam ceperit, difficulter relinquentem, tolerantem fatigationum, refrenantem uoluptates, contentioſum, legum tranſgreſſorem.

Planeta Saturnus, Iupiter, uel Mars orientalis ſtationis, in prima domo, maxime quando fuerit cum conditionibus ſibi conuenientibus, uidelicet in ſigno conuenientis naturæ, & bona luminarium habitudine, & in aſpectu planetarum ſibi cõuenientium, & à conuenienti ſeparetur, & iungatur bono conuenienti, & ſimiliter lumen deferat, facit natum animo liberum, bonum, ſimplicem, & confidentem in ſuo conſilio, fortem, acuti ingenij, largum, apertum, & ſe non leuiter mutantem.

Planeta occidentalis ſtationis, in ſeptima domo, maxime quando fuerit cum omnibus contrarijs conditionibus, facit natum contrariorũ morum his quos diximus.

Planeta autem orientalis ſtationis in decima, maxime cum conditionibus congruentibus, facit natum magnę & pulchrę cogitationis, fixum in propoſito, fortem, memorem, quietum, intelligentem, magnanimum, immobilem, ſine fraude, induſtrium, laborioſum, inquiſitorem, nobilem animo, & in ſcientijs ſapientem.

Poſitio uero planetæ in occidentali ſtatione, in quarta domo cum conditionibus ſibi contrarijs, facit natum contrarios mores habere prædictis.

Sed conſtitutio planetæ in orientali ſtatione, in domo quæ ſuccedit primæ, ſignificant mediocriter de bonis moribus, quos in prima ſignant. Eadem in domo quæ ſuccedit decimę mediocriter reſpectu decimæ. Si autem fuerint in cadentibus, multũ minuitur de bonis moribus. Et ſi in candenti primæ de moribus quos prima ſignat, & ſic de alijs. Vice uerſa de uicijs quę ſignificantur, per poſitionem planetarum in occidentali ſtatione ſeptimæ & primæ domus, minuuntur uicia plus in cadentibus, quàm in ſuccedentibus, quia ſi habebit peſſimos mores, propter negligentiam multos non exequetur. Quando etiam fuerint in oppoſito Solis, in prima domo planetæ orientalis, faciunt natum leuem, ſtultum, debilem, non ſufferentem laborem, leuiter mutabilem, uilem, infœlicem, dubitantem, puſillanimem, tardum, feſſum, mobilem, inconſtantem, & ſolitarium. Quando fuerint in contraria conditione erunt hæc contraria.

Sed Veneris & Mercurij, occidentalis ſtatio in quarta domo, ac etiam in ſeptima, in natiuitate diurna, uel eorum occidentalis ſtatio in prima domo, uel in decima in natiuitate nocturna, cum bonis conditionibus, ſicut diximus in tribus ſuperioribus, facit natum ſubtilis ingenij, ſimplicem & ſenſatum, malæ memoriæ, fugientem labores et fatigationes, tamen erit inquiſitor ſecretarum artium, ut ſunt necromanticæ & aliæ, ac etiam artis inſtrumentorum & machinarum, in quibus ſit aliquid ſecreti & extranei, & artis ſculpturæ, artis etiam iudiciorum Aſtrologiæ, interpretem ſomniorum, aruſpicem, & his ſimilia recondita appetentem.

Mediocritas & diminutio, & bonorum & malorum morum penes ſuccedentia & cadentia, iudicantur eodem modo, quo dictum fuit in tribus ſuperioribus.

Similiter cum planetæ qui diſponunt mores nati, erunt in locis ſuis proprijs, & conuenientibus cum eorum natura, ut ſuperius dictum eſt, faciunt proprie mores in bonitate durabiles, & quòd nõ leuiter mutentur, nec perturbentur, quoniam proſperabitur natus in ſua operatione, ut quæcunq; facere deliberet, ſuo Marte faciat, & imperabit ſibijpſi, maxime autem ſi una eademq; ſtella duorum locorum Mercurij ſcilicet & Lunæ domina fuerit. Ac etiam qualitercunq; cum Mercurio in figura participet, & à Luna ſeparetur, uel cum ea conuenientiam habuerit. Quod ſi

ita

ita fuerit, & dicti planetæ fuerint in locis non conuenientibus eis, & etiam contrariæ naturæ, faciet contrarium eius, quod diximus. Sin illa mediocriter ſe habuerint, mediocria hæc quoqꝫ fore pronunciabis.

Si autem planetæ diſpoſitores Mercurij & Lunæ infortunæ fuerint, & eleuati ſuper eos, faciunt natum rigidum, damnis & offenſionibus aliorum gaudentem, iniquum, ſuperbum, malum, & iniuſtum, quod continget ex natura infortunarum. Si tamen fuerint infortunæ diſpoſitores dictorum locorum, faciunt natum agilem, & ad malefaciendum promptum, ſine impedimento, & cum facilitate, & aperte. Et quando alter planeta qui fuerit ex natura contraria ipſis, dominatur ſuper eos, facit natum malæ famæ, unde infortunia aſſequetur, & forte dedecus, uel pœnas etiam feret. Ac ſicut iuſti homines & boni efficiuntur, per fœlices & benignas fortunarum applicationes, ſi ſuper eas nullus ex maleficis eleuetur, atqꝫ qui alijs benefacere gaudebunt, nec aliquod damnum ex eo ipſis continget, imò eorum bonitas erit cauſa fœlicitatis & honoris ipſorum. Cum uero ſtellæ contrariæ eis ſuper ipſas fuerint eleuatæ, tunc contrarium eueniet prædictis, quòd propter ſuam lenitatem & tranquillitatem, dilectionem hominum, & pietatem, paruipendentur ab hominibus, & incuſabuntur, & iniuriam ferent, & uiolentiam.

Si Saturnus ſolus diſpoſitor in moribus nati, id eſt, dominus loci Mercurij & Lunæ fuerit bonæ conditionis, reſpectu angulorum loci mundi, ac etiam Solis & Lunæ, & in ſuis dignitatibus, natus iuſtos homines amabit, amator etiam agriculturæ, boni & magni conſilij, laborioſus & magnarum & ſecretarum, diuinarumqꝫ rerum inquiſitor, cupiens regni. Sed quandoqꝫ aliquantulum declinabit, erit locupies, & uiolator alieni ſumptus, congregator pecuniarum ac inuidus. Si autem Saturnus fuerit contrariæ conditionis eius quam diximus, uidelicet malæ, natum facit habere turpes mores, erit uilis, puſillanimis, ignarus & imperitus rerum, & in ſuo tantum conſilio permanẽs, inuidus, timidus, ſolitarius. Itaqꝫ nõ gaudebit hominũ ſocietate, mendax, deceptor, occultator falſitatis, diligẽs tenebras & planctus, inuerecundus, infortunatus, laboris mali patiens, neminem diliget, deceptor amicorũ, ſemper triſtis & dolens, & abhorrebit à bonis.

Saturnus diſpoſitor qualitatum animæ, ſimul cum Ioue, uel cum Iupiter fuerit unus de dominis loci Mercurij & Lunę, Ioue bene diſpoſito & Saturno, ſi eorum ad ſe inuicem bona habitudo fuerit, tunc natus erit iuſtus & ſenes honorabit, erit ſalutaris conſilij, adiutor & fautor factorum regis, & ab eo amatus, bonæ conditionis, magnanimus, amator amicorum & conſanguineorum ſuorum, manſuetus, pacificus & doctus Philoſophus. Quòd ſi iſtorum planetarum conditio, tum in ſe, tum adinuicem erit contraria, eorum quæ diximus contraria euenient, neſciet natus bene facere, male morigeratus, circa diabolica & mala uerſabitur, ſemper diliget ſtare in mala oratione, futura prædicet, abhorrebit habere filios & amicos, morabitur in ſpeluncis, cum hominibus non conuerſabitur, infidelis, malum hominibus ſemper quęrens, mali animi, debilis, tędioſus, honores non diliget, erit inſipiens, amabit ploratus & iniurias, erit malus, abhorrebit à procreatione filiorum.

Saturnus dene diſpoſitus, coniunctus uel aſpectu copulatus Marti, uel cum eo particeps in dominio bene etiam diſpoſito, uel alicui ſtellę primæ uel ſecundę magnitudinis corporaliter iunctus, ſignificat quòd natus erit magnæ intelligentiæ, audax, ſubito uolens in omnibus uictoriam obtinere, retinebit inimicitias, nunquàm alicui obediet, non excuſabit ſe de peccato quod fecit, ita pertinax erit in malitia, crudelis abſqꝫ aliqua pietate, ingeret ſe in omnia, ubi fuerit plurimum timoris, omnia uilipendens, ſeminator diſcordiarum, amabit rixas & eas mouebit, proditor, libenter facit baratarias, plenus mendacijs, peſſimæ inuidiæ, odio habebit reges & principes ac nobiles, totus ruſticus & iniquus, nocebit hominibus nec timebit de aliquo caſu,

multa

multa temere ſuſcipit & nihil exequitur, feſtinus & ſubitus in factis ſuis, nec poteſt aliquid tolerare, & in his omnibus mirificos habebit ſucceſſus, delectabitur in hypocriſi, & uult uideri bonus. Ambo male diſpoſiti, & in locis contrarijs & diſconuenientibus, natus erit homo appetens rerum alienarum, deprædator, maledicus, ſpoliator uiatorum, non uerebitur ex quouis lucro malo ſibi rem opesq́ parare, nec deum timebit, erit blaſphemator, non amabit quenquam amicorum, deceptor, proditor, fur atq; latro, effuſor humani ſanguinis, deprædabitur eccleſias, imò expoliabit ſepultos, ut ueſtes habeat, adorabit dæmones, & hac de cauſa exercebit ſe in necromantia, committet incæſtus & adulteria, nec aliud ſomniabit, nec cogitabit, niſi nocere hominibus quouis malo, ex omni genere iniuriarum & maleficiorum uoluptatem peculiarem capiens, delectabitur ludo cum omni iniquitate, & omni malicia, quæ excogitari poſſet, ita quòd talis natus erit peſſimus. Si unus eorum fuerit bene diſpoſitus, & alter infortunatus, augebit maliciam primi ſignificati, & remittet maliciam ſecundi ſignificati, Sic proportionaliter iudicabis.

Saturnus fortunatus & adiunctus ſtellæ Veneris aut fœliciter ac conuenienter poſitæ, aut dominium loci Lunæ, uel Mercurij obtinenti: Natos quidem tabido inuidiæ morbo laborantes, & ab humanitate ac ſuauitate uitæ communis, & conſuetudine ciuili alienos, in ęthereas auras producit, hominesq́ ſuis cōſilijs plus ęquo confidentes, ac quiddam μισάνθρωπον, ſubtriſte & auſtrum præ ſe ferentes progenerat: Pectora tamen egregijs ornata dotibus, ac plena prudentis, acuti, & occulti conſilij, & prædita ſingulari in Deum pietate ac reuerentia largitur, animosq́ occulta legum ſecreta magna aſſiduitate, ſumma induſtria ſcrutantes, ac mentes quodam diuinitatis quaſi lumine illuſtratas, & rerum futurarum uaticinatrices minime uanas ſignificat: Virtutum quoq; modeſtiæ, uerecundiæ, & tranquillitatis ſtudioſiſſimas. Iidem omnes uiciorum illecebras ac ſordes, non minus quàm ſapiens ille Vlyſſes Syrenum cantus ſurdis auribus, & auerſis animis prætereunt, magnaq́ ſeueritate & contemnunt, & damnant. Hi tamen & zelotypiæ ſtimulis non raro exagitantur.

Si ambo fuerint infortunati, natus erit fornicator turpiſſimus, & omnem actum luxuriæ contra legem & naturæ regulam exercebit, erit Sodomita, potius diligens agere cum ſenibus & turpibus, quàm cum pulchris, rem habebit cum ſuis conſanguineis, & ab ipſis decipietur, erit miſer, committens adulteria, magisq́ amabit fœminas turpes ac uetulas, quàm formoſas iuuenculas, deſiderabit etiam fornicari cum beſtijs, Deum in reuerentia non habebit, uilipendet eccleſias & facta dei, & ſe referet ad Necromantiæ ſtudia, obtrectator & maledicus nebulo.

Saturnus fortunatus, coniunctus Mercurio fortunato, uel cum Mercurius fuerit dominus unius locorum dictorum, natus erit ſubtilis & acuti intellectus, perquiſitor rerum ſubtilium, & in ipſis multum delectabitur, perquiret leges & chronicas ac geſta, erit Sophiſta, omnes ſubtilitates amplectetur, & præſertim eas, in quibus plus eſt difficultatis, amabit Medicinam, & in talibus omnibus erit fortunatiſsimus. Si ambo fuerint infortunati, natus erit triſtis, inuidus, ac deceptor & latro, & ſui conſanguinei eum habebunt abominabilem, erit ſolitarius, faciet incantationes dæmonum, & res diabolicas continue perquiret.

Iupiter fortunatus ſolus diſpoſitor animæ nati, & dominus loci Mercurij & Lunę facit natum honeſtum, bonum, pium, manſuetum, amatorem uirtutis ac nobilitatis, magnanimum, Dei cultorem, amicos ex bonis & nobilibus acquiret, diliget ac defendet illos, ipſiq́ eum diligent, omnis eius cogitatio in bonis erit, tacitus, & quietus erit, & aliquando ſolitarius, ut poſsit cogitare, elaborare in bonis operibus, dicet & faciet facta bona, erit liberalis, ornatæ ac honeſtæ uitæ, hilaris. Si infortunatus fuerit, erunt mores ſimiles ſuperioribus, ſed multo demiſſiores, nam loco magna

nimitatis, dic quòd erit ſuperbus, & loco liberalitatis, dic quòd erit prodigus. Et ſic dices, remittendo omnes actus optimos ſupradictos.

Iupiter bene diſpoſitus, ſi fuerit Marti bene diſpoſito coniunctus per corpus uel aſpectum, uel quòd Mars fuerit particeps in locis, à quibus quæritur diſpoſitor animæ, tunc natus erit ſapiens, & bonus conſul in armis & diſceptationibus, & inde habebit magnam famam, reputabitur iuſtus & fortis bellator, & audax, erit dominus armigerorum conſilio, ac animoſitate, & potius conſilio, & iuſto more faciet ſe dominum, nec alicui ſe ſubmittet, nec obediet, erit iracundus, cupidus uindictæ & uictoriæ, magnæ ſuperbiæ, amator honoris, prodigus, & magnanimus, faciet facta magna, ſumma ſibi promittet, maxima appetet, bonus rerum iudex, præcipiet & prohibebit multa, quæ ſibi omnia fœliciter ſuccedent. Ambo ſi infortunati fuerint, natus erit hypocrita, blaſphemator, non habens uerecundiam, nullum negocium tenebit cælatum, nullum ſecretum tacebit, ſed reuelabit, dignum operæ ſuæ ſtatuet præmium, nulli uolet obedire, erit deprædator, & latro, loquax, inſtabilis, infidelis, uilis, & ipſum ſubito facti pœnitebit, erit diſsipator bonorum, officium ſibi factum non habebit gratum, pauci ſenſus in factis ſuis, mendicus, ſuperbus, nullius doctrinę & conſilij, diſcordiarum ſeminator, & inuerecundus, nemini parcens, mutabilis in omnibus ſuis factis.

Iupiter ſi bene diſpoſitus fuerit, aſſociatus Veneri fortunatæ, natus erit hilaris, amans iocos, & cantus, pius, ſani cordis, nitidus, & uenuſtatem amabit ac pulchritudinem contentus de rebus benefactis, & bonis moribus, bonæ uoluntatis, manſuetus, gratum habebit quod ei fiet in bono, deum amabit, bonæ uitæ, cum bona fide, deſiderabit mulieres cum honeſtate, amabit libros, & lectiones, diliget ſuos conſanguineos, iuſtitiam, ornatum, & honores: omnia facta eius erunt cum iuſtitia, & probitate. Si ambo infortunati fuerint, erit natus uitioſæ uitæ, imbecilli animo, effœminatus, eius ira erit ut fœminæ ſubita, intentionis pertinacis, multum philocaptus, ultra modum prodigus, libidinoſus, amabit ornatus capillorum, extollet ſeipſum, habebit mentem muliebrem, gaudebit ſe oſtentare hominibus de bonis moribus, delectabit ſe in rebus eccleſiaſticis, erit tamen fidelis ſuorum negociorum occultator, commendabilis & liberalis in omnibus ſuis factis, uoluptatem habet aſſociandi ſe hominibus, dolebit & habebit ſolicitudinem magnam de re parua male facta, ingeret ſeſe etiam in conſilia & iudicia in rebus conuenientibus, & maxime in negocijs mulierum, uel in delectationibus rerum eccleſiaſticarum, & hoc ſecundũ quod unus eorum fuerit magis prædominans quàm alter. Atq; ita proportionaliter prædominanti ſignificata attribues. Nam ſi Iupiter fuerit minus debilis quàm Venus, tunc ſignificata Veneris à prædominio obtinebit, & ſic econuerſo de Ioue. Et hoc proportionaliter tenebis in omnibus planetis aſſociantibus ſe in aliquo negocio, continue ſeruando dominium fortioris.

Si Iupiter diſpoſitor animæ fortunatus, aſſociatus fuerit Mercurio fortunato, natus multum ſe delectabit in lectione Geometriæ, erit Arithmeticus, Logicus, Philoſophus, in quadruuio doctus, uerſificator, legis profeſſor, acuti ingenij, manſuetus, dabit bona conſilia pro ſe & pro alijs, bonorum morum, benefaciet alijs, amabit homines, & ab ipſis diligetur mutuò, amator conſanguineorum, bonæ fidei & uitæ morum probitate & ſuauitate conditæ, phyſicus regis, amabit deum, amator ſcientiarum, & laudis, fortunatus in factis ſuis, totus ſubtilis intelligẽtiæ, morigerus, bonę indolis. Ambo ſi fuerint infortunati, erit miſer, & contemptus, loquax, non adhærebit rebus diuinis, credit ſe ſapientem, cum tamen ſit fatuus, & nebulo, multis erroribus deditus, ſuperbus, ſeruilis, uerboſus, ſubitus, & impetuoſus, profert uoluntatem ſuam, nec eam cælare poteſt, erit nouarum reuelator, bonæ memoriæ, forte erit magiſter puerorum.

Mars fortunatus ſolus diſpoſitor animæ, erit natus audax, potens, fortiſsimus & iracundus, appetens arma, auctor bellorum, & turbarum, animoſus pericula mortis incurret abſq; timore, nullum timebit, nulli ſe ſubijciet, primus erit in bello, & rixis, uiribus ſuis nimium confidet, animoſus, deſtructor rerum, omnia uilipendet, hominibus uim iniuſtam inferet, homo maximæ autoritatis & potentiæ, capitaneus militum, amabit lites & prælia, nouas ſubinde ferens rixas, in omnibus factis armorum acutus erit, ſemper iratus, erit tamen bonis moribus præditus, & in his omnibus fortunatus. Si Mars fuerit infortunatus diſpoſitor animæ, erit effuſor humani ſanguinis, amabit rixas, & diſcordias omnis generis, tædioſus hominibus, blaſphemator, deprædator, crudelis, ſtultus, ſuperbus, conſumptor rerum, malefactor inordinatus, odio proſequetur conſanguineos ſuos, inuerecundus, garrulus, alta uoce loquetur, inconſtans, Deum non uerebitur, ſed totus diabolicus & malefactor, omnia illi ſuccedent ad malum.

Si Mars diſpoſitor ſpiritus, fortunatus fuerit, & aſſociatus Veneri fortunatæ, natus amabit ſocios ſuos, amabit uoluptates, gaudia, & tripudia, & iocos moderatos, parcus, quietus, uerecundus & ſapiens, appetet coitum cum uiris & mulieribus, zelotypus, leuis deceptor amicorum, aget cum mulieribus contra regulam naturæ, erit tamen bonæ diſcretionis, ſubitæ iræ, bonæ fidei. Ambo ſi fuerint infortunati, natus erit ſuperflui coitus, mendax, proditor, omnes decipiet, blaſphemator, ſubitæ uoluntatis, committet adulteria & inceſtus cum uirginibus & coniugatis, impetuoſus, aſtutus in deceptionibus, omnes uilipendet, uult ſubito complere ſuas uoluptates, omnes fornicationes inhoneſtas committet, eritq; mutabilis in ſuis negocijs.

Mars diſpoſitor, ſi fortunatus fuerit, Mercurio aſſociatus fortunato, natus erit homo capitaneus militum, rector exercitus, ſubtilis in armis, & perſpicax, ſubitus, inconſtans, proditor, malefaciens, hypocrita, amabit deceptores, rixas ſuſcitabit, diliget illos qui faciunt conſimiliter ſicut ipſe, auxiliabitur ſuis amicis, & inimicis nocebit, eloquens, ſubtilis in malignitatibus, & in omnibus his proſperabitur. Ambo ſi fuerint infortunati, natus erit mendax, fur, diſsipator, deceptor dando & recipiendo, faciet iuramenta falſa, Deum non cognoſcet, amator rixarum, magni clamoris, proditor, hominum interfector, nulli obediet, fatuus iniquus, incantator dæmonum, ſuorum negociorum eum cito pœnitebit, uult uideri ſapiens cum ſit fatuus, homo diuerſi eſſe.

Venus ſola diſponens pro anima nati, ſi fuerit fortunata, facit animam nati totam hilarem & iucundam, deſiderantem cantus & tripudia, erit quietus, pius, amabilis, Deum habebit in reuerentia, benefaciet alijs, iuſtus pacificus, bonæ diſcretionis, amabit nitiditatem & ornamenta, bona & ueridica ſomnia habebit, ſubtilis in operibus & artificijs, diliget mulieres, & tota quaſi eius intentio erit in negocijs mulierum, faciet ſe diligi ab omnibus, erit zelotypus. Si fuerit infortunata, natus nullius animoſitatis erit, nullius noticiæ, parui nominis, procus, piger, opera eius erunt muliebria, totus muliebris, uagabundus, contemptus, malæ famæ, multum zelotypus

Venus domina animæ fortunata, aſſociata Mercurio fortunato, natus erit boni intellectus, diligens Muſicam, ſonos & cantus, & gaudens in ipſis ſpeculari, hilaris, bonæ fidei, amicorum dilector, in ſuis factis recte procedens, bonæ exiſtimationis, amabit ſcientias, & poſtquam ſciuerit, augebitur in illo uigore ſuæ exiſtimationis, loquetur polite, pulchre, ac blande, & uerba ſua cum alacritate proferet, erit magnanimus, ſodomita, deſiderans potius pueros quàm mulieres. Ambo ſi fuerint infortunati, natus erit aſtutus in malicia, deceptor, dicens modo unam rem tibi, & eandem rem per oppoſitum dicet mihi, mendax, deceptor amicorum, inconſtans, dele-

ctabit ſe multum decipiendo fœminas, ſodomita magnus, autor mali, tam loquendo quàm agendo, uult multa facere, & multis ſe negocijs obtrudere, & forte non perficiet, magni clamoris, mali conſilij, faciet Sacramenta falſa, proditor, uituperans alios, duplex in facie & corde, quoniam aliquando facies aliud oſtendit quàm eius cor uult, conſilia eius cum proditione fient.

Mercurius ſi ſolus fuerit diſpoſitor animæ, id eſt, ſi fuerit dominus loci Lunæ, & dominus ſuimet loci, nec alicui ſtellæ permixtus, niſi fuerit ſtella fixa de ſui natura, & fuerit fortunatus, facit natum acuti intellectus & optimi ingenij, bonæ memoriæ, imaginationis ſubtiliſsimæ, profundæ opinionis, delectabitur in quadruuijs ſcientijs, & erit ſubtilis in Aſtronomia, & excellet in his ſcientijs, rimabit ſecreta naturæ, bonæ deliberationis, uerſificator, benefaciet alijs, faciliter credet, ſeruator ſecretorum, bene retinebit geſta & facta aliorum, diliget mercimonia, erit acutus, oſtendet ſe illum qui non eſt, ſed tamen de his omnibus proſperabitur. Si fuerit Mercurius infortunatus, natus erit mutabilis in opinione, quoniam nunc uertetur ad unum, deinde ad aliud, facit mendacia & fallacias, ignarus, loquax, non credet in Deum, nec ei obediet, nemini ſeruabit fidem, ſequetur conſilia ſua, fraudulentus & ſtultus.

Luminaria quoq; in qualitatibus animæ adiuuant, dummodo in locis aptis figuræ, & in ſignis naturæ ipſorum conuenientibus reperta fuerint.

Sol enim quando conuenientiam habuerit cum planeta ſtatum ſpiritus ſignificante, & fuerit bonæ qualitatis, erunt etiam animæ qualitates magis directæ, & erit natus remotior ab aliquo extremorum, hoc eſt, uel omino malorum uel bonorum morum, & temperatus magis, nec non potentior & largus magis, fidelior, legisq; melioris, ac ſine ſuperbia. Cum autem Sol nullam habuerit participationem cum planeta ſpiritum ſignificante, & ipſe planeta eſt in malo ſtatu, erit anima qualitatis deterioris, eritq; miſer ac infirmus, maiorisq; laboris, in ſuis conſilijs plurimum confidet, ſtultus erit, ſeueræ uoluntatis, & ualde difficilis emendatu.

Luna autem cum fuerit in fine Septentrionis & Meridiei, hoc eſt, in fine ſuæ latitudinis, uariationes qualitatis animæ iuuabit, & eas ſubito alterari faciet. Cum autem in aliquo duorum nodorum, id eſt, in Capite uel Cauda draconis extiterit, acumen qualitatum animæ iuuabit, facietq; natus opera ſua uelociter. Cum autem Luna fuerit aſcendens, lumine aucta, id eſt, quando uadit ad oppoſitionem, & quando eſt in plenilunio, tunc ſignificationes augmentabit, eruntq; aptiores, ac magis neceſſariæ. At ſi Luna minuta fuerit lumine, uel quando ſub radijs Solis extiterit, eos faciet magis eſſe abſconſos, & ut non ita fortiter propoſitum ſcopum contingant operabitur. Hæc Ptolemæus.

Sententiæ & aphoriſmi aliorum.

Pro qualitatibus animæ conſidera
- Mercurium.
- Almuten loci Mercurij.
- Lunam.
- Almuten loci Lunæ.
- Aſcendentem.
- Almuten Aſcendentis.
- Secundum dominum triplicitatis duodecimæ domus.
- Tertium dominum triplicitatis duodecimæ domus.
- Tertium dominum triplicitatis ſeptimæ domus.

STatus rationis & intellectus, ac ſenſus, generaliter à Mercurio inquiritur, qui eſt planeta prudentiæ, ratiocinationis & diſciplinæ, nam ex eo dependent uirtutes intellectuales nati, ut ſunt ingenium, diligentia & facilitas in diſcendo & intelligendo. Status uero naturalis & morum nati, generaliter à Luna accipitur, & à planetis commixtis cum ea ſiue fortunæ ſiue infortunæ fuerint: quoniam ex ea uirtutes naturales dependent. Si prædicta duo loca Mercurij ſcilicet & Lunæ ad inuicem applicuerint, uel fuerit inter ea concordia, animæ factum ordinatum, & concors erit. Quare etiam cum unus & idem planeta fuerit Almuten loci Mercurij & Lunæ, erit ſignificatum fortius, & factum animæ ordinatum & concors. Si autem fuerint diuerſi, concordes tamen & in ſuis dignitatibus, bonum erit ſignificatum, licet non tantum. Et ad hoc præceptum te in alijs quoq; referes.

Ad iudicandum igitur de ſtatu ſpiritus, quantum eſt ex parte ſenſus & rationis, Vide primo Almuten loci Mercurij, & Almuten loci Lunæ. Nam ſi Almuten loci Mercurij fortunatior & potentior fuerit quâm Almuten loci Lunæ, & maxime quando locus Mercurij fuerit melius diſpoſitus quâm locus Lunæ, dicito quòd natus uiuet ſecundum intellectum, nec ſequetur uoluptates & ſolatia ſenſuum. Si uero fuerit contrarium, ita quòd Almuten loci Lunæ, & maxime locus Lunæ fuerit melioris diſpoſitionis quâm locus Mercurij, modo conuerſo, ſignificat potentiæ ſenſitiuæ magnum dominium, & quòd plerunq; uoluptates, & ſenſuum illecebras proſequetur, & firma eius in his erit intentio, nec ceſſabit, donec aſſequetur. Si uero dicti Almuten coniuncti fuerint, uide quis eorum ſuper alterum eleuetur. Nam potentia per eum ſignificata, ſubijciet ſibi aliam. Si autem Almuten loci Lunæ, & Almuten loci Mercurij fuerint in diuerſis ſignis æque potentes, tunc uide an aliquis eorum fuerit in ſigno imperante, quoniam qui eorum in ſigno imperante fuerit, erit fortior eo, qui in obediente repertus fuerit. Si etiam ſic non fuerit, uide ultimo, quis eorum in ſigno maioris aſcenſionis fuerit, quoniam is fortior erit eo, qui in ſigno paucarum aſcenſionum repertus fuerit, atq; ita tunc aſſumet dominium potentiæ animæ ſibi ſubiectæ.

Vide etiam in quibus ſignis fuerint ſignificatores animæ, & in quibus domibus, & permiſce operationes illius ſignificatoris cum operationibus ſignorum & domorum. Exempli gratia. Si Mercurius eſſet in Ariete, & ſignificator in Scorpione, ſignificaret quòd natus delectaretur in mẽdacijs, proditionibus & deceptionibus, & præſertim in rebus illis ſignificatis per domos in quas inciderit ſignificator. Iſto & conſimili modo dices etiam in alijs, nam ſignificata ſignorum potes perpendere ex te, quoniam eorum ſignificationes ſunt ſimiles ſignificatoribus domorum ſuarum.

Almuten locorum Mercurij, & Lunæ in ſuis Hayz, faciunt animam fortem, temerariam, quicquid incipit uult perficere, ſiue bonum ſiue malum fuerit. Si oppoſitum horum fuerit, faciunt animam leuem, & maxime ſi loca planetarum non aſpiciunt loca Mercurij & Lunæ.

Si fuerint planetæ infortunæ gubernatores locorum Mercurij & Lunæ, fortes in cardine, erit natus ſuperbus, malus, ſed fortunatus. Planetæ infortunæ gubernatores locorum Mercurij & Lunæ non exiſtentes in ſuis Hayz, nec in cardine fortes, faciunt natum leuem, uilem, anxium, contemptum, ad pœnas debitum, nullius conſilij & ſapientiæ.

Iupiter & Venus ſi exaltati fuerint ſupra Mercurium, & fuerint in loco apto, etiam in forti cardine, natus erit bonus, lætus, proſper, multi eum diligent, & quicquid fecerit, bono fine perficiet. Si uero ſuper eos infortunæ eleuentur, ut uerbi gratia; Si Iupiter dominetur in loco Mercurij, & Saturnus eſſet eleuatus ſupra Iouem.

Aut ſi fortunæ non eſſent in bono cardine, natus erit manſuetus, bonus, humilis, ſed infortunatus, & ſi quid boni alicui fecerit, in malum ei conuertetur, & pro amando & dando, multi ei iniuriam facient.

Si fuerit Saturnus in domo Mercurij, Geminis ſcilicet uel Virgine, uel in loco Lunæ, ut Cancro uel Tauro, in bono ſtatu mundi, puta in cardine bono, natus erit amator bonorum, ſummi conſilij, laborioſus, ſecretarum rerum perquiſitor, magnarum diuitiarum, amator & uiolator gregum & theſaurorum.

Si uero Saturnus fuerit in locis Mercurij & Lunæ, & non fuerit boni ſtatus, forte retrogradus uel combuſtus, nec fuerit in angulo bono, faciet natum uilem, turpem, parui cordis, diliget ſolitarius ſedere, mendax, deceptor ſine diſcretione, malæ cogitationis, reget ſe ſuo conſilio, immunda diliget, nullum bonũ amabit, dolebit de proſpero cuiuslibet ſucceſſu & flebit, & gaudebit de malis, abhorrebit à bonis.

Saturnus in locis Mercurij, uel Lunæ, & habens concordantiam cum Ioue per aſpectum amicum, uel quòd ſit in domo uel exaltatione, uel triplicitate Iouis, natus erit naturaliter liber, gaudebit in hominibus, & cum ipſis conuerſationem habebit, erit boni conſilij, amator bonorum, diliget parentes, intelligens & ſapiens. Et ſi Iupiter non aſpicit Saturnum amico aſpectu, & ambo ſint deiecti à bonis cardinibus, erit natus malæ memoriæ, mali ſenſus, adiunget ſe rebus diabolicis & necromanticis, & omnibus rebus malis, diliget artem oratoriam & mendacium, diffamator omnium, nullum habebit amicum, ab omnibus ſeparatus, infœlix, malum quæret hominibus, malus corde, tædioſus, oneroſus, malæ receptionis, de omni re mala gaudebit.

Saturnus gubernator loci Mercurij, ſi concors fuerit cum Marte, fueritq́ Mars boni ſtatus, natus erit communicationis malæ, aliquando audax, aliquando non, malus in ſocietate, ſine pietate, contumelia afficiet quemlibet bonum, durus, & rixator, ponet ſe in periculo magno, naturaliter amabit rixas, falſus, infidelis, de occiſione gaudebit, retinens iram longo tempore, iracundus in factis, amator blanditiei, ſuperbus, crudelis, auſterus hominibus, factor omnis mali. Si uero Mars fuerit mali ſtatus, erit fur, inſidiator uiarum, deprædator, laudabit ſe in multis, erit malæ uitæ.

Saturnus gubernator loci Mercurij, concors cum Venere, natus amabit ſenes, odio habebit mulieres, ſpernet honores, omnes res pulchras, naturaliter inuidus, & malę ſocietatis, ab hominibus ſeparari gaudebit, nullius conſilij, ſectam nouam inueniet, & ſciet ſecreta legum, profectus eius erit in amore Dei, & lege ſua quam faciet.

Saturnus in locis Mercurij, uel Lunæ, & ſi ambo fuerint in bono ſtatu, amabit natus Philoſophiam, Medicinam, erit ſecretus, prudens, gaudebit in naturali philoſophia, erit Sophiſta, gubernator ſuæ gentis, ſciet bella regere, inquiret ex ſe omnes artes, diliget omne quòd aliquando eſt fabricatus in rebus, erit perquiſitor Chronicarum & hiſtoriarum. Et ſi fuerit mali ſtatus, natus erit retentor iræ, inſidiator, tentator, deceptor, latro, interfector ſuorum ſociorum, fœdifragus, necromanticus.

Iupiter cum Venere in Geminis, Cancro, Virgine uel Tauro, uel in aſpectu amico, & boni eſſe, ſignificat quòd anima amabit clara & honeſta. Sed non oportet quòd ambo ſint in locis Mercurij & Lunæ, ſed ſufficit unus, & alius habeat aſpectum amicum.

Humana ſigna, faciunt natum modeſtum, ingenioſum, & rationis capacem, mitem, & bonorum morum, & hominum ſocietate gaudentem.

Domeſtica ſigna, faciunt natum mediocris ingenij, non multum rationabilem, neq́ aptum ad diſciplinas, ſed aliquantum iracundum, & non nimium appetentem bonos mores, erit natus domeſticus & amabilis.

Syluestrium ſignorum formam tenentia, faciunt natum deterioris ingenij, & maioris iræ, & ea ratione magis alienum à bonis moribus, diſciplinæ parum participem & urbanitatis, ſed ad omne uiolentum & ruſticum magis inclinatum.

Aſcendentis ſignum ſi non fuerit humanum, neq; Almuten aſcendentis, neq; Almuten natiuitatis in humanis ſignis, ut ſunt Gemini, Virgo, Libra, & Aquarius, & maxime in termino Mercurij, erit natus ex hominibus, qui nullam cum alijs ſanctam ſocietatem, aut fœdera amicitiæ ineunt.

Mercurius occidentalis extra radios, non retrogradus, in domo Solis, ſignificat ſtudium Aſtronomiæ.

Iupiter & Sol damnati, uel cadentes, ſignificant quòd natus deficiet ſenſu.

Iupiter in domibus Martis, & gradibus puteoſis, ſordidos & egenos, & à perſonis militaribus læſos ſignificat. In domibus autem Saturni, & ſpecialiter in Capricorno, & in gradibus puteis, facit rigidos, & omnibus odioſos.

Cui Saturnus in natiuitate præfuerit, erit ſordidus. Et cui Mars, fœtidus.

Si Venus ſub radijs fuerit, in ſigno luxurioſo, & infortuna aliqua ſuper eam eleuata, natus erit effœminatus & Sodomita.

Appetitus nati à Venere dinoſcitur, nam ipſa facit natum delectari in operationibus illius membri, tali ſigno (in quo ipſa fuerit) ſubiecto. Nam ſi in Leone extiterit, erit natus philocaptus, nam Leo habet prædominium in corde, & Venus eſt planeta amoris & gaudij, ac pulchritudinis, quare effectus ille Veneris, in illo membro ſignificatur. Item Taurus, quę eſt domus Veneris, ſignificat collum, quod eſt inſtrumentum quo perficitur cantus, quare Venus in Tauro, facit maiorem aptitudinem & dulcedinem uocis, & non ſolum in cantu, uerumetiam in commeſſationibus & potu, quoniã collum eſt etiam inſtrumentum receptionis cibi & potus. Item Scorpius domus Martis reſpicit pudenda, quare Venus in Scorpione, mouet operationem & naturam illius membri. Natura autem & operatio ſiue delectatio iſtius membri eſt coitus. Item Piſces domus Iouis, reſpiciunt pedes, inclinant ad operationem, quæ fit per pedes, ita quòd tales querant delectationem deambulando, eundo, choreas ducendo, ſaltando, pedes pulchre ornando. In Geminis, ſignificat delectationem & appetitum ad ea, quæ manus reſpiciunt, ut ornare manus annulis precioſis, formare digitis pulchros labores, in quibus homines gaudebunt, & qui hominibus bene placent. Hoc autem ſemper intellige, ſi ipſa Venus in debita fuerit diſpoſitione, quoniam ſi indiſpoſita eſſet, corrumperetur illud, ac diminueretur iuxta infortunium eius.

Saturni in natiuitate diſpoſitio, ſignificat ſolicitudinem & tolerantiam laboris.

Iupiter fidem firmam, & appetitum pecuniæ.

Mars uim iræ denotat, nam eo exiſtente in ſigno igneo, maioris iræ erit natus, quàm eo exiſtente in aqueo.

Sol appetitum honoris & honeſtatis ſignificat.

Venus appetitum mulierum, ludi, & conuiuij, potationis, & ſimilium.

Mercurius, ſapientiam, & hoc magis cum fuerit occidentalis à Sole.

Luna uirtutes naturales, & complexionem corporis ſignificat.

Si Mercurius in natiuitate fuerit in aliqua domorum Saturni, in ſua propria diſpoſitione, ab alijs non uiciatus, natus fiet optimi intellectus, & profundi conſilij in rebus, occulti animi, intelliget res perfectiſsime. Si autem fuerit infortunatus, diminuetur ſignificatum proportionaliter.

Mercurius in Tauro uel Scorpione deprauatus, ſignificat ingenium rude, & ad ſtudia literarum minime aptum.

Si Mercurius fuerit in aliqua domorum Martis, maxime in Ariete, natus erit ſubitæ mutationis, ſuſpectus in omnibus factis ſuis, perfidus & crudelis, abundabit ſtul-

bit ſtultitia. Si fuerit in eius quadrato uel oppoſito in Ariete, non credet in Deum, erit homicida, proditor, non amabit aliquem, imò quemuis occideret & deprædaretur.

Cuicunque planetæ iungitur Mercurius in illius planetæ naturam conuertitur, nam ſi Saturno iungitur, natus erit linguæ impeditæ, inuidus, occultator ſuæ inimicitiæ, Chirurgicus, Philoſophus, contra naturam luxuriam exercens. Si Ioui per coniunctionem uel aſpectum, ſignificat prouidum, ueracem, diſcretum, honeſtorum uerborum, cancellarium, conſulem primum. Si Marti, mendacem, deceptorem etiam mulierum & uirginum. Si Soli, Regibus aſſociabitur & ſcriptoribus. Si Veneri, amator omnium ſcientiarum, bonus, & ſuauis rethor, bonus iudex, arbiter & procurator. Hæc prædicta ſignificat etiam Mercurius cum fuerit in domibus uel terminis illorum planetarum, ſicut quando eis iungeretur, quoniam planetarum ſignificationes ſunt ſimiles ſignificationibus ſuorum dominorum.

Mercurius ſub radijs, natus peraget negocia ſua ſecrete, nec detegentur facta eius.

Aſcendens cum fuerit boni eſſe, & dominus eius mali, ſanitatem quidem corporis indicat, anxietatem uero & triſtitiam animi, ſi fuerit econuerſo, definias contrarium.

Cancer in aſcendente, Luna nec in ſignis fixis nec in angulo, facit hominem credentem omnia quæ audit, erit mobilis animi in omnibus.

Si fuerit Leo aſcendens & in eo Mars, in ſuis aut Mercurij finibus, natus ualde iracundus erit, & ad rixas & contentiones procliuior, & eo plus ſi Sol Martem quadrato uiderit.

Verum ſi fuerit Mars in Leone, in trino Iouis, temperabitur ira Martis, & inerit nato illi animi quædam magnitudo, uisque naturalis, ad res gerendas magnas & præclaras.

Saturnus coniunctus Mercurio in aſcendente, ſignificat inſipientem, linguoſum, uult tamen ſapiens reputari, male loquitur de omnibus, tam de uiris quàm de mulieribus, inuentor multorum mendaciorum, ualde turpis in lingua.

Dominus anguli terræ in ſexta facit mendacem, proditorem.

Si dominus aſcendentis natiuitatis peregrinus fuerit, natus erit callidus, aſtutus, malicioſus, ſcit facere bonum & malum, & ingenioſe incedere in omnibus actibus quibus uoluerit, erit tamen eius intentio pronior ad malum quàm ad bonum.

Pars fortunæ in octaua domo iuncta domino aſcendentis, ſignificat magnam iram, tardum in rebus agendis, & ſi eam aſpexerint infortunæ, erit diffamatus in tota uita ſua.

Pars legis in ariete, ſignificat iracundiam, & quòd erit fortis, ac uelocis iræ, & ab alijs ſæpe diſsidens. Si talis pars cum Venere fuerit, ſignificat amatorem gaudiorum, iocorum, & lætitiarum, erit pulchræ formæ.

Iupiter in aſcendente in domo Mercurij, ſignificat bonitatem intellectus.

Si fuerit Almuten aſcendentis ſub radijs, occultabit natus intentiones ſuas.

Pars fortunæ in bono loco, in angulo radijs Iouialibus illuſtrata, ſignificat ſanitatem corporis, & hilaritatem ſpiritus.

Si fuerint Venus & Mercurius coniuncti, uel ſeſe aſpicientes bono aſpectu, natus diliget ſymphonias muſicales, & ornatus ueſtium.

Si fuerit Sol in prima cum Mercurio, tenaces dicito, & ad Poëſim inclinatos.

Dodecatemoria planetarum.

Dodecatemorion Saturni in domo Martis, dat anxietates & triſticias ac indigentiam. In domo Iouis, dat officium iudicis, In domo Lunę, miſerias & labores, In domo Solis, malum ſtatum, & malos mores.

Dodecatemorion Martis cum Mercurio & unus eorum commixtus aſcendenti, uel habens teſtimonium in aſcendente, ſignificat quòd natus erit audax, & animoſus.

Dodecatemorion Mercurij in domo Iouis, Mercurio habente in aſcendente aliquam dignitatem, ſignificat natum diligere iuſtitiam.

Dodecatemorion Veneris in domo Iouis lætitiam, & caſtitatem ſignificat, In domo Martis fornicationem, maxime, ſi fuerit in angulo.

Dodecatemorion Iouis in domo Veneris, dat coitum cum mulieribus, moderatum tamen & legitimum.

Nunc de imaginibus cœli: Et primo de ijs quæ in Zodiaco ſunt.

Arietis ſignum cum ſuis ſtellis, facit natum ſuperbum, & ſuis conſilijs confidentem, parui tamen ingenij, & ſimplicis animi, amatorem filiorum, ſuis bonis non contentum, inuerecundum, inhoneſtum, comeſſationibus & potationibus omnino debitum, præcipitem, mutantem ſæpius ſedem, & qui ſoleat delectari etiam in ocio, laſciuijs, uagus ſemper per orbem, ignotus, cupidusq́ ſcrutari nouum ſemper pelagus.

Tauri uero ſignum, facit natos tacitæ mentis, & parui ingenij, ſed ſi quando excitentur miranda faciunt, cupidos etiam uetera innouandi, amatores puellarum, libidinoſos, & ſimplices, ſuos amores libenter celantes. Sed pars ſuæ conſtellationes in qua ſunt Pleiades, facit natum laſciuum & occupatum ſemper circa uoluptates, petulantem, temulentum, guloſum, & mordacem dictis, curam habentē corpora pingendi, poliendo pilos pumice, & tangere capillos, & diligere dicta probra factaq́, & gaudet in ambitione audaciam fingendo. Sed pars illa in qua ſunt ſtellæ Hyades, maxime clara Hyadum quæ dicitur Aldebaran, facit natum inquietum, & turbulentum, & ſeditione populari, gaudentem, interdum fidum ſed amantem bella propter pacem.

Geminorum autem ſignum, inclinat natum ad bonas artes, & facit eum muſicæ ſtudioſum, boni ingenij, mutabilem, rationabilem, honeſtum.

Cancri ſignum facit natum amatorem commutationum, mercimoniorum, mobilem.

Leonis ſignum præſertim pars oris, facit natum crudelem, fortem, rapacem, auarum, & minacem, & cupidum uiuendi ex rapinis, & illas quandoq́ retinere, quandoq́ profundere, & adeo cupidum facit, ut nullo cenſu poſsit animum replere, gaudentem commeſſationibus, & guloſum. Sed ſtella eius regia, quę dicitur cor Leonis, natum facit imperij deſiderio æſtuare, ſuperbum & magnanimum.

Virginis aſtrum facit natum iuſtum, rationabilem, uerecundum, ſtudioſum, colentem diuina, cupidum dare diuinas leges. Sed clara eius ſtella ſupra ſiniſtram palmam ſtans, quę Spica dicitur, inclinat natum ad amorem agriculturę, & ad parandum ex ea alimenta, ac etiam magnarum artium cognitionem præbet, maxime ſi à Mercurio bene diſpoſito reſpicitur.

Libræ ſignum cum ſuis ſtellis, facit natum iuſtum, & omnia æquitate conſiderantem, & ſibimet mortis cauſam inferentem, & credentem plurimum ſuę imaginationi, ſtudioſum in reperiendo bonas artes, bonum & rationabilem.

Scorpio-

Scorpionis ſignum facit natum acris ingenij & pugnacis, ſubdolum & ſub ſpecie amicitię fallentem, cupidum arces & loca Martialia ædificare, & diruta reſarcire, & urbes ornare ædificijs. Sed clara ſtella quæ dicitur cor Scorpij, facit natum rapacem, uiolentum, & regnare cupientem.

Sagittarij ſignum cum ſuis ſtellis, maxime prima eius pars humanam habens formam, facit natum mitem, rationabilem, aſtutum & prudentem, cupidum gloriæ ac etiam facit natum gaudere reſtauratione dirutarum urbium, & bonos mores in eis renouandi. Sed eius ſecunda pars quæ eſt Equina, natum facit irrationabilem, minoris ingenij, & euerſorem urbium.

Capricorni aſtrum, facit natum cupidum bellandi, & omnia euertendi ac deſolandi ſtudioſum. Cuius prima pars facit natum amatorem terreſtris militiæ.

Aquarij ſignum facit natum bonum, iuſtum, rationabilem, caſtum, ſanctum, & fidelem, pium, ſed non multum aſtutum, & in damna ſua facile labentem, & ſolitarium.

Piſcium ſignum natum facit mente uarium, fidefragum & maledicum, conuiuatorem lætum, nunc ad iſtas nunc ad illas aures crimina aliorum ſuſurrantem, & palàm uenenoſa uerba dicentem, audacem in malis, & inuidia flagrantem.

De imaginibus Septentrionalibus.

VRSAE maioris imago cum ſuis ſtellis, facit natum animoſum, gaudentem ingentes & terribiles feras ſubiugare atq; domare.

Draconis conſtellatio, facit natum malum, inuidum, ſeductorem, ſeminatorem diſcordiarum, uagabundum, non quærentem diuitias.

Cephei imaginis conſtellatio, facit natum grauem, auſterum, non ſeuerum, ſtudet uenari, gaudet fingere multum, cum grauitate morum, tranquiliæ uitæ, & uere ſtoicus, interdum tragico, & aliquando comico lętatur carmine.

Arcturi ſiue Bootis imaginis conſtellatio, maxime clara in Boote quæ dicitur arctophylax, facit natum fidelem, qui amicorū ſecreta fido pectore, & taciturnitate ſeruabit, & cui propter ſuam integritatem, publicę uel regiæ opes quandoq; credantur, & regnandi cupidum.

Coronæ Septentrionalis imaginis conſtellatio, facit natum nitidum, mundum, amatorem adulteriorū, & unguentis & odoribus ſe demulcentem, ut ſit maior gratia adulteriorum, gaudentem in artibus uoluptuarijs.

Herculis, ſiue Engonaſis conſtellatio facit natum ſubdolum, callidum, & multis dolis inſtructum, mendacem, & effrœnata animoſitate graſſantem, ſed audacem & fortem, & perſecutorem.

Vulturis cadentis conſtellatio facit natum gaudere inquiſitione bonarum artium. Clara ſtella quæ Vultur cadens, uel Lyra dicitur, facit natum muſicum & uoluptuarium.

Cygni conſtellatio, facit natum gaudere aucupio, & ingenioſum, & ſolitum docere aues loquelas humanas, erit etiam uagus, & qui errando uiuet, ſed cum laſciuia. Clara ſtella in eo quæ dicitur Cauda gallinæ, inclinatum ad bonas artes.

Caſsiopeæ imaginis conſtellatio, facit natum laſciuum, & qui magnopere delectetur gemmis & margaritis, & ſculptura in auro uel argento, auarum, & cui ſit magna auri cupido.

Perſei imago facit natum appetentem diutias, honores, & uictoriam. Sed lucida ſtella, quę dicitur caput Gorgonis, facit natum talia patrare, quorum cauſa caput ei amputabitur.

Eniochi ſiue Aurigæ conſtelatio, faciat natum, ſuperbia elatum, cupidum illud

efficere

efficere quod penè impoſſibile ſit fieri. Clara ſtella in eius humero, quæ dicitur Capra, facit natum ſollicitum, & nimia trepidatione curioſum, & omnes res deſiderantem impatienti cupiditate, appetentem noua dicta, & timidum ex leuibus occaſionibus, ex quibus non deberet timere. Stellæ in eo quæ dicuntur hœdi, faciunt laſciuum, uino & epulis deditum, aptum omnibus ludis, ſolertem, & uarium antequàm quieſcat, timentem ſuæ ſaluti.

Serpentarij uel Ophiuchi imago, facit natum induſtrium, quærentem ſibi uictum cum magno labore.

Sagittæ conſtellatio, natum facit uagabundum, & luſtrantem multas regiones, gaudebit armis miſsilibus, uel arte ſagittandi.

Aquilæ conſtellatio facit natum peregrinantem, iniuſtum. Sed clara ſtella, quæ dicitur Aquila uolans, facit natum rapacem, militarem, animoſum, fortem, & ſpolijs inimicorum gaudentem.

Delphini conſtellatio facit natum iocoſum, hilarem, & magnopere gaudentem arte natandi, ut nunc ſub aqua nunc ſuper aquas natet, ac etiam gaudet muſica, in qua ſaltatur, geſtitur corpore, ſeductorem etiam facit, libenter etiam audiet nouitates, & erit ſemiſtultus.

Pegaſi imaginis conſtellatio natum faciet curioſum inquiſitorem, & gaudentem in arte Medicinæ.

Andromadæ conſtellatio, natum facit contra alios homines crudeli ferocitate graſſantem, & affectantem eſſe miniſtrum publicarum pœnarum, & deſiderantem mortem ſuorum, alacrem, iocoſum, luxurioſum, & in periculis facile labentem.

Trianguli conſtellatio, natum facit uacillantis & difficilis uitæ, ſed ſtudioſum mathematicarum artium.

De imaginibus meridionalibus.

CEti imago cum ſuis ſtellis, inclinat natum ad gguloſitatem & ebrietatem, gaudet rapina, ac etiam uenatione magnorum piſcium.

Orionis imago, facit natum uarijs ſolicitudinibus implicatum, ita quòd ſemper æſtuet peruigili cogitatione, cupidus mutare domicilia, ſed miſeria afflictus, clara eius ſtella quę dicitur Orion uel Iugulę, facit natum irreligioſum, perfidum, & ad omne uenationis ſtudiũ inclinatũ, & rapacem.

Leporis conſtellatio, natum facit induſtrium, uigilem, timidumq́ꝫ, qui ſua ſponte nihil boni faciat, uagabundum.

Canis maioris conſtellatio, & maxime clara eius ſtella, quæ dicitur Canicula, in lingua natum facit effrenatum, & ad omne ſtudium cuiuſcunqꝫ facinoris facile applicantem, inhumanum, uiolentum, iracundum, terribilem, minacem, ſuperbum, & ſuperbo ſermone elatum, ſed incauti ſermonis.

Procion uel minor Canis, maxime clara ſtella, quæ dicitur Algomeyſa, facit natum gaudere nectendis dolis, ſed non exequitur, faciet etiam fidelem ſuis amicis, blandum, officioſum, inquiſitorem elienorum negociorum.

Crateris conſtellatio, facit natum guloſum, gaudentem multo mero, & totam mentem in poculis habentem.

Centauri imaginis conſtellatio inclinat natum ad amandos equos, domandos docendosq́ꝫ, & ad armorum ſtudium ac tractationem. Et ita erit eius affectus, ut in omnibus infirmitatibus iuuent, & non expectent, quod gemant neqꝫ langeſcant, ſed ſtatim remedium ſibi afferant.

Aræ uel putei ardentis conſtellatio, facit natum gaudere adminiſtratione officiorum diuinorum in templo, & uatem futuri, tamen erit maleficus incantator, & multa mala faciet per ſpiritus & incantationes.

Piſcis

Piſcis auſtralis, natum facit gaudere in mercimonijs & piſcatione. Si quis harum imaginum proprietates melius ſcire uoluerit, ea quæ de ipſis in fabulis ſunt, diligenter repetat.

Exemplum geniture propoſitæ.



Concluſio prima. Significatores ſpiritus exiſtimaui Martem cum participatione Solis atque Mercurij. Nam Mars dominus eſt locorum Mercurij & Lunæ. Mercurius autem Almuten aſcendentis. Sol uero Almuten loci Mercurij, eidem atque Marti permixtus eſt.

Concluſio ſecunda. Significatur itaque ratione Martis, natum futurum audacem, potentem, fortem, iracundum, armorum cupidum, bellorum autorem, animoſum, ſine pauore mortis pericula aggredientem, qui neminē ſibi præferat, nec cuiquam ſe unquam ſubmittat, plurimum de ſuis uiribus confidat, impetum in aduerſarios ſuos frequenter faciat, rebelles deſtruat, prælijs intereſſe deſideret. Omnia tamen hæc cum honore, & fama maxima faciet, auxilia amicis præſtabit, inimicis nocebit, legitime tamen in cunctis ſe geret, eritque ipſius delectatio in rebus ad bellicam uirtutem pertinentibus, et in exercitibus ordinandis atque ducendis. Id ſumitur ex loco Mercurij, & Almuten eius, ſimiliter ex loco Lunæ in domibus Martis.

Concluſio tertia. Delectabitur quoque plurimum in rebus pulchris & formoſis uidendis, quia Venus eſt in Ariete.

Concluſio quarta. Conſtantiam & firmitatem in propoſitis ſuis, animum patientem in laboribus ferendis, ueridicum, rigidumque contra uicia, memoria tenacem honoris amatorem, inimicitiarum diuturnum retentorem, uinci dolentem, nec facile à proprijs conſilijs cedentem, denotant luna & Almuten eius in ſignis fixis.

Conclu-

Concluſio quinta. Bonitate intellectus ſui, optimarum quoq; diſciplinarum capax erit, & plurimum in inueſtigatione ueri atq; iuſti ſolicitabitur, uolet quoq; ut cuiq; iuſtitia fiat. Id apparet ex aſcendente, Ioue, atq; Marte iuxta regulam Ptolemæi, uerbo 95. Centiloquij.

Concluſio ſexta. Erit Philoſophorum amator, legis ſeruator, intendet ſapientię, & in rebus occultis cogitabundus erit. Id accipitur à Marte ſecundo domino triplicitatis domus tertiæ, qui eſt fortis & potens à Sole receptus ex trino.

Concluſio ſeptima. Quandam turbationem animi incidet, in qua ad auxilia armatorum confugiet, quorum opera liberabitur, probatur ex domino aſcendentis in ſeptima Marti per retrogradationem applicanti, à quo tamen recipitur.

Concluſio octaua. Velocis & fortis iracundiæ uirum ſæpeq; ab alijs diſsidentem, denotat pars legis in Ariete.

Concluſio nona. Amatorem quoq; gaudiorum, iocorum, & lætitiarum, portendit pars legis iuncta Veneri.

CAPVT OCTAVVM.

De impedimentis animæ.

IN iudicio læſionum animæ generaliter inſpiciendus eſt Mercurius & Luna, quam conuenientiam ad inuicem habeant, & ad infortunas, tum etiam ratione locorum figuræ cœli.

Epilepticos, id eſt, qui morbo caduco laborant, ex quatuor cauſis dinoſcimus.

Prima, quando Mercurius & Luna non habent aſpectum adinuicem.

Secunda, quando neq; Mercurius neq; Luna aſcendens aſpiciunt, maxime ipſis exiſtentibus in Capricorno & Piſcibus in ſexta, octaua uel duodecima domo.

Tertia, ſi natiuitas eſt diurna, & quòd Saturnus ſit in angulo fortis, & in nocturna Mars, reſpicientes Mercurium & Lunam.

Quarta, ſi etiam Saturnus & Mars impediunt Mercurium & Lunam, per aſpectum inimicum, uel per dominium in teſtimonijs, hoc eſt, ut ſint domini locorum Mercurij & lunæ. Cum hæc prædicta quatuor in aliqua genitura reperta fuerint, talis natus patietur morbum caducum, qui à Medico non curabitur. Si uero duo, aut tria ex his inuenta fuerint in aliqua genitura, poterit talis natus curari per uiſcus quercinum, quod collectum fuerit, Ioue in aliqua ſuarum dignitatum exiſtente. Si prædicta quatuor in aliqua natiuitate reperta fuerint, dummodo tamen aliqua fortuna Mercurium aut Lunam aſpexerit, adhuc poterit liberari.

Inſani & furioſi etiam ex quatuor cauſis dinoſcuntur.

Prima, quando Mercurius & Luna non habent aſpectum adinuicem.

Secunda, quando non aſpiciunt aſcendens.

Tertia, ſi in diurna natiuitate ſit mars in angulo fortis, ſed in nocturna Saturnus.

Quarta, quando Mars uel Saturnus aſpiciunt Mercurium uel Lunam, uel habent dignitatem in eorum locis. Cum hæc quatuor in alicuius natiuitate inuenta fuerint, erit talis homo fatuus in omni uita ſua, maxime cum infortunæ in Cancro, Virgine, uel Piſcibus fuerint.

Dæmoniaci etiam quatuor ex cauſis iudicantur.

Prima, quando Mercurius & Luna non habent aſpectum adinuicem.

Secunda, quando non aſpiciunt aſcendens.

Tertia, quando Luna ſit aſcendens ſub radijs Solis uel in eius oppoſito,

Quarta.

Quarta, quando Saturnus fuerit dominus coniunctionis, uel Mars dominus oppoſitionis, id eſt, ut coniunctio & oppoſitio fiant in eorū domibus, maxime ipſis exiſtentibus in Sagittario uel piſcibus, quoniam ſi prædicta quatuor loca in alicuius natiuitate ita fuerint, erit talis natus naturaliter dæmoniacus, & à nullo poteſt curari. Si autem contingeret, quòd duæ cauſæ, uel una ſic inuentæ fuerint in natiuitate, erit dæmoniacus per dies, menſes, uel annos, talis etenim poterit redire ad ſaniorem mentem.

Notandum, Si utræq; infortunæ Saturnus ſcilicet & Mars fuerint in hac qualitate, erunt animæ infirmitates immedicabiles, non tamen feroces, & ignorabuntur, & occultæ erunt. Si autem utræq; fortunæ Iupiter & Venus, ſimiles eis extiterint, & utræq; infortunæ Saturnus & Mars in angulo occidentis, fortunæ uero in angulo orientis manſerint, licet ferociſsimas, ſanabiles tamen ſignificant ægritudines. At ſi Iupiter fuerit ille, qui eis aſsimilabitur, infirmitates medicaminibus moderabuntur, ſiue per dietas, ſiue per antidota. Si in orientali angulo infortunæ, & in occidentali fortunæ fuerint, inſanabiles ac feroces erunt infirmitates, minime manifeſtæ.

Locus Solis & Martis, iuuant ad inſaniam.

Locus Iouis & Mercurij, infirmitates epilepſiæ.

Locus Veneris per prophetias, ut occulta dicantur.

Locus Saturni & Lunæ adiuuabit dæmoniacos, & humorum impedimenta.

Animæ appetitiuæ impedimenta ita colliges.

Si fuerint luminaria ſola in ſignis maſculinis, in genitura maſculi, ea quæ ſibi naturalia ſunt operabuntur. In mulieris uero genitura ſic, erunt uiriles, & ea quæ contra naturam ſunt operabuntur, ut fricando ſe cum alia.

Si fuerint Mars & Venus, uel eorum alter maſculinus, uiri in naturalibus rebus Venereis multum conuerſabuntur, & ex rebus coitus turpia contra legem deſiderabunt. In mulieris genitura ſic poſiti actus cupidinis innaturales, plus æquo perpetrabunt inuicem cum alijs mulieribus.

Si Venus ſola maſculina fuerit, id quod perpetrabunt, erit occultum. Si autem ſolus Mars maſculinus extiterit, erit manifeſtum.

Luminaria ſola in fœmininis ſignis in genitura maſculi, ea quæ ſibi contra naturam ſunt committent cum mollicie, laſciuia, & mulieroſitate. Sed mulieres, ea quæ ſibi naturalia ſunt, operabuntur.

Sola Venus fœminina in mulieris genitura illegitimos actus uenereos exercebit, adeo quòd nulli coitum denegabit. Sed uiri ſic poſitam ſortiti Venerē, erunt effœminati, molles, & ad innaturales actus uenereos procliuiores, ſed ea occulte perpetrabunt.

Mars ſolus fœmininus, hæc publicari ſignificat, & ea perfici abſq; uerecundia.

Veneris & Martis orientalitas in genituris maſculinis, adiuuat detectionem operis uenerei. Sed eorum occidentalitas iuuat feminis occultationem. Saturnus ſi cum eis fuerit, iuuabit in pollutione turpi, plus alijs. Iupiter autem cum eis, dat uerecundiam. Mercurius cum eis, detegit rem & in augmento adiuuat. Hæc Ptolemæus.

Sententiæ & aphoriſmi aliorum.

LVna ſi non fuerit coniuncta uel irradiata à Mercurio, nec aliquis planetarum inter eos transferat lumen, nec fuerit aſcendens ſignum de natura Mercurij uel Lunæ, fueritq́ cum hoc Saturnus in diurnis & Mars in nocturnis natiuitatibus in angulo, natus erit amens, furioſus epilepticus, fatuus, uel ad minus obliuioſus, niſi fortuna tũc fortis aſcendens aſpexerit, aut Mercurium, aut Lunam, & eô fortius, ſi angulus in quo fuerit aliquis prædictorum malorum, fuerit Cancer, Virgo, aut Piſces. S. autem fuerit ei iuncta, uel ad eum iuerit, erit ſapiens.

Luna & Mercurius, ſi ſe non aſpiciunt, neq́ ullus eorum aſcendens, & fuerit Saturnus in diurna ſignificator qualitatis animæ in angulo, & in nocturna Mars, ſignificat epilepſiam. Signa facientia epilepſiam ſunt Sagittarius, Gemini. Eodem modo ſunt amentes, quibus Saturnus eſt in angulo in nocturna, & Mars in diurna natiuitate, maxime uero ſi in Cancro, Virgine, uel Piſcibus fuerit. Si cum hoc quod modo dictum eſt, fuerit Saturnus dominus loci Lunæ, & Luna ſub radijs: Aut Mars dominus loci Lunæ, & Luna in oppoſito Solis, maxime autem in Sagittario aut Piſcibus, ſignificat dæmoniacos.

Mars in angulo terræ in maleuolo Solis aſpectu, aut Mercurius cum Saturno, in aſcendente in oppoſito Martis, aut Luna cum Marte in aſcendente in oppoſito Saturni. Aut Luna & dominus aſcendentis cum Mercurio infortunati à Marte, aut Luna in aſcendente in quadrato Saturni à medio cœli, & oppoſito Mercurij, aut Luna ſeparata à Saturno & coniuncta Marti, uel ſeparata à Marte & coniuncta Soli, Aut Mars inter Solem & Lunam in eodem ſigno, Aut Luna aucta lumine, infortunata à Marte in Sagittario uel Piſcibus, Aut Sol in oppoſito aſcendentis in termino infortunę ab ambabus infortunis impeditus, & nõ uiſus à domino domus ſuę. Aut Luna & Sol infortunati in ſexta uel ſeptima in eodem gradu, Aut ambæ infortunæ in aſcendente in oppoſito Mercurij. Et in omnibus his, ſi fortunæ ſint abſentes, ſignificant Lunaticos, fatuos, uel homines leuis cerebri.

Luna in decima, in ſigno communi oppoſita Marti, & Saturnus in ſeptima, ſi Luna fuerit in quadrato Solis, & in matutino ortu locata, inſanos facit.

Dominus octauæ ſi aſcendentem uel ipſius dominum male aſpexerit, timor & anguſtia affliget natum. At ſi aliter aſpexerit, timorem tantum inijciet nato.

Auerte oculos cum Mars fuerit angularis, maxime ſi Scorpius fuerit aſcendens.

CAPVT NONVM.

De fortuna nati & ſubſtantia.

FOrtunam ac proſperitatem nati conſidera ex loco partis fortunæ, & ex planetis diſpoſitoribus, loci partis fortunæ. Cum enim locus partis fortunæ in loco conuenienti figuræ repertus fuerit, pollicetur nato magnam fortunam, maxime ſi luminare temporis prædictum locum aſpexerit, aut ſi prædictus locus in partibus fortunarum repertus fuerit radiationibus eorum fortificatus.

Gubernatores etiam partis fortunæ diligenti ratione inueſtiga, quam uim obtineant, & quomodo in figura ponantur, ſcilicet an ſint in ſignis proprię naturæ uel alienæ. Si enim diſpoſitores partis fortunæ fuerint in loco conuenienti, fortes, non impediti, in proprijs domicilijs aut exaltationibus conſtituti, maxime ſi etiam luminaria eis teſtificentur ratione ſimilitudinis, aut aſpiciant benigno aſpectu, genituram admodum fœlicem, & nato multas diuitias decernit.

Saturnus gubernator partis fortunæ, dat diuitias ex ædificationibus, uel ex terrarum cultibus, aut ex nauigationibus.

Iupiter, ex commendationibus, bonis moribus, nec non eccleſiaſticis dignitatibus, aut ex alijs honeſtis actionibus.

Mars ex exercitu, rerumq; dominio, & imperio dabit.

Venus ex amicorum donationibus, uel ex mulieribus.

Mercurius, ex mercimonijs, & propria induſtria.

Quòd ſi Iupiter in gubernatione cum Saturno participauerit, uel Saturnum dominum partis Iupiter aſpexerit, diuitiæ nati erunt ex hæreditate, & bonis mortuorum, maxime ſi Iupiter ſimul ſit in ſigno communi, uel habeat aſpectum cum Luna, tunc enim ſignificat, quòd natus etiam extraneorum hæreditates lucrabitur. Verum ſi planetæ qui fuerint de hayz planetarum gubernatorum partis fortunæ, eis teſtificati fuerint, aut eos aſpexerint, nati poſſeſſionem durabilem eſſe, & apud domum remanere, & fortunari deſignabunt. At ſi planetæ contrarij hayz & naturæ, prædictis ſignificatorum partis fortunæ locis, teſtificati fuerint, eleuati ſuper ea, aut ijs aſſociati: aut aſpicientes in figura, amiſsionem ſubſtantiæ demonſtrabunt. Hæc Ptolemæus.

Sententiæ & aphoriſmi aliorum.

Pro ſubſtantia nati conſidera:
- Secundam domum.
- Almuten eius.
- Partem fortunæ.
- Dominum eius.
- Partem ſubſtantiæ.
- Dominum eius.
- Conſignificatorem ſecundæ, qui ſemper eſt Iupiter.
- Almuten ſignificatorum ſubſtantiæ.
- Tres dominos triplicitatis ſecundæ domus.
- Tres dominos triplicitatis luminaris conditionarij.
- Secundum dominum triplicitatis octauæ domus.
- Secundum dominum triplicitatis decimæ domus.
- Secundum dominum triplicitatis undecimæ domus.
- Tertium dominum triplicitatis primæ domus.
- Secundum dominum triplicitatis quintæ domus.
- Primum dominum triplicitatis ſextæ domus.
- Secundum dominum triplicitatis octauæ domus.
- Partem fiduciæ.
- Partem hæreditatum & poſſeſsionum.

GEneralis regula in re facultatum & ſubſtantiæ nati alicuius eſt, ut aſpicias hos ſignificatores, pro extrahendo Almuten ſignificatorum ſubſtantiæ, ut ſequitur.

Almuten ſignificatorũ ſubſtantiæ extrahitur à:
- Cuſpide ſecundę domus
- Domino eius
- Planeta in ſecunda
- Parte fortunæ
- Domino eius
- Parte ſubſtantiæ
- Domino eius
- Ioue naturali ſignificatore ſubſtantiæ

Almuten illorum ſi fuerit unus uel plures, uide eius eſſe tam in bono quàm malo, & quam habeat cõmixtionem cum domino aſcendentis, & ſcribe uniuſcuiuſq; proprietatem ad partem, tam eorũ quę ſignificant diuitias, quàm eorum quę arguunt paupertatẽ. Deinde iudica ut inueneris per fortiores, tam in bono quàm in malo.

Vel ut alij, Conſidera primo cuſpidem ſecundæ domus. Si fuerit ſignum boni planetæ, uel mali eſſentialiter. Nam ſi fuerit eſſentialiter fortuna, dabit diuitias. Si infortuna, non dabit.

Secundo, uide an aliqua fortuna in ſecunda fuerit corporaliter bene diſpoſita, uel quæ per medietatem orbis ſui cuſpidem tangit uel irradiat, maxime ſi Iupiter fuerit, uel ſi in cuſpide ſecundæ domus fuerit ſtella fixa primæ uel ſecundæ magnitudinis, de natura ſimplici Iouis uel Veneris, præcipue de natura Iouis. Quòd ſi ſic fuerit, quòd illa fortuna fuerit in loco dicto bene diſpoſita, ſignificat diuitias, etiam ſi Almuten ſecundæ aliud ſignificaret. Ita ſi cum dicta diſpoſitione bona etiam Almuten ſecundæ fuerit bene diſpoſitus, ac pars fortunę & Almuten eius fortuna fuerit, & receptus, & multis planetis permixtus, ſignificat nato multas & immenſas diuitias, etiam à multis & diuerſis partibus, à diuerſis locis & modis. Infortuna uero ibi corporaliter, uel per aſpectum in medietate ſui orbis, ſtante quacunque diſpoſitione bona Almuten ſecundæ, niſi pars fortunæ ac eius dominus, hæc prohibuerint per eorum diſpoſitionem bonam, ueruntamen quomodocunque ſe iſtæ habeant, ſcias quòd diſpoſitione ſic ſtante, natus non poterit habere immenſas diuitias.

Tertio, ſi dominus ſecundæ domus fuerit fortuna, & fortis in figura, & maxime fortunatus ac receptus, multis planetis beneuole permixtus, & fuerit gradus ſecundæ domus fortunatus, natus habebit magnas diuitias, multis modis & à multis locis, etiam quacunque diſpoſitione alia ſtante. Sed ſi ſecunda domus & eius dominus fuerint infortunati & male diſpoſiti, non dabunt.

Quarto, conſidera partem fortunæ, & eius dominum, quæ ſi fuerit in loco bono, & dominus eius fortis ac fortunatus, tam eſſentialiter quàm accidentaliter, dat diuitias, & bonum eſſe ipſarum, ſtante quacunque diſpoſitione à ſecunda domo ſumpta. Si pars fortunæ fuerit fortunata in bono loco cœli, & eius dominus infortunatus, dic nato fortunam & bonum, tamen remiſſe ratione ſignificati illius ſigni, in quo eſt, unde ſi in in quartam domum ceciderit, præcipue in ſignum terreum, natus habebit aliquo modo bona & fortunam, ratione laboris terræ, uel ædificationis, uel in ſimilibus ſignificationibus quartæ domus, ſic etiam de cæteris domibus dices. Si pars fortunæ fuerit infortunata, dic oppoſitum ratione loci, in quo eſt, & hoc remiſſe, ſi dominus eius fuerit bonus, & bene diſpoſitus, dic bonum in diuitijs ex parte loci & natura domini partis fortunæ fortunatæ, ſed remiſſe. Pars fortunæ in gradu aſcendentis, ſignificat quòd natus habebit multas diuitias ex leui occaſione, ſi id alias non impeditur, uidelicet mala diſpoſitione domini partis fortunæ, quoniam tunc daret remiſsiores. Notandum autem quòd ſi aliquis ſignificator diuitiarum infortunatus in aliqua domorum ceciderit, ſignificat damnum ſubſtantiæ de ſignificato talis domus.

Quinto, uide partem ſubſtantiæ & eius dominum. Si fuerint bene diſpoſiti & fortunati, ſignificant diuitias, Si male, non dabunt opes.

Sexto, uide Iouem naturalem ſignificatorem ſubſtantiæ. Si fortunatus uel fortis fuerit in mundo, uel in figura, præcipue in ſecunda domo, dat diuitias, & bonum uſum earum. Si debilis, neutrum dat.

Septimo, conſiderabis duos primos dominos triplicitatis domus ſecundæ. Si primus directus fuerit in aliqua ſuarum dignitatum principalium, ſcilicet in domo uel exaltatione ſua, firmus in angulo, & in auge eccentrici, uel ad ipſam augem aſcenderit, auctus numero & lumine, uel fuerit in dignitatibus alterius benigne receptus, applicantibus ei planetis ex permixtione beneuola, ſignificat diuitias, quæ proceſſu temporis augmentabuntur. Si fuerit infortunatus, & cadens â dignitatibus prædictis, ſignificat contrarium. Si ſecundus dominus triplicitatis fortis, & fortunatus fuerit, ſicut dictum eſt, natus de ſuis diuitijs expendet in bonum & utilitatem ſuam,

& de

& de illis faciet bonum ſuis conſanguineis. *Si infortunatus, contrarium profer.*

Octauo, uide dominum primum triplicitatis luminaris conditionarij, Si fuerit fortunatus, & fortis, ac firmus in angulo, uel ſuccedenti, ſignificat diuitias, Si infortunatus, oppoſitum erit.

Nono, conſiderabis dominum aſcendentis, Si fuerit etiam dominus quartæ domus, & bene diſpoſitus, ſignificat fortunam de ſignificatis quartę domus, & quòd natus theſaurizabit. Si autem dominus aſcendentis, & quartæ infortunatus fuerit, oppoſitum iudicabis, etiamſi infortuna eſſet in hac domo, nam etiam oppoſitum ſignificaret.

Decimo, uide dominum primum triplicitatis aſcendentis. Si bene diſpoſitus fuerit, permixtus beneuolis planetis ac fœliciter receptus, cum teſtificatione aliorũ duorum dominorum triplicitatis aſcendentis, ſignificat diuitias. Si fuerit infortunatus, cum teſtimonio aliorum duorum dominorum, oppoſitum iudicabis.

Conſidera etiam in quam domum dominus ſecundæ ceciderit in natiuitate, quoniam ſecundum ſignificatum domus erit nati ſubſtantia. Vide etiam an talis dominus fuerit in mobili, communi, uel fixo ſigno. Si in mobili, ex proprio labore diuitias habebit &c. Vide etiam an talis dominus ſecundæ ſit aliquis ex ſuperioribus, quoniam ſi ex ſuperioribus fuerit, dic quòd etiam ſubſtantiam habebit à principibus & dominis. Nam domus ſuperiorum, regum, & principum ſunt. Dominus domus in qua Sol fuerit, & dominus domus in qua Luna fuerit, & dominus aſcendentis, orientales in angulis, aſpicientes ſe inuicem bonis radijs, maximam fortunam ſignificant. Si uero non omnes, ſed maior pars ſic fuerint diſpoſiti, ſignificabunt minus bonum.

Pars fortunæ in primis decem gradibus quartæ domus cum capite Draconis Lunæ, Venere atq; Ioue, & iſtis quidem directis, ſignificant magnam ſubterraneam pecuniam. Si in ſecundis decem gradibus cum Venere & Ioue fuerit, acquiret etiam ſed nõ tantas, ac tam numeroſas opes. Si fuerit in ultimis decem gradibus, & fuerit cum uno illorum, acquiret iterum minus. Si ibi ſola fuerit, libera ab aſpectibus malorũ, iterum acquiret minus. Si non fuerit aliquid iſtorum, non acquiret eam. Si autem acquiret, ſicut dictum eſt, uide tum ſi Sol locum illum ex trino uel ſextili aſpexerit, & fuerit talis aſpectus magis prope primos decem gradus, quàm aliquis prædictorum ſignificatorum, erit theſaurus ille aurum. Si Luna fuerit magis prope, erit argentum. Si Iupiter, erunt diuerſa, aurum, argentum, & ſimilia. Si Venus, margaritæ, ornamenta muliebria. Si Mercurius, monetæ, ſculptę imagines. At ſi fuerint retrogradi, oſtendetur ei pecunia, ſed eam non acquiret. Si unus retrogradus, alter directus, acquiret partem. Si Mars in ſecunda uel decima bene diſpoſitus fuerit, habebit fortunam ex ijs quæ per ferrum fiunt, uel per ignem, uel comeſtione, ut ſunt tabernæ, hoſpitationes, & ſimilia. Si infortunatus, contrarium dicito.

Dominus octauæ fortuna in ſecunda, ſignificat diuitias de ſubſtantijs mortuorum, inimicorum, atq; uxorum, & eo fortius ſi non fuerit impeditus, uel ſi ibidem habuerit dignitatem. Si autem fuerit malus, ſignificat diminutionem ſubſtantiæ, niſi ibi dignitatem habuerit. Si habuerit dignitatem, ibi & fuerit bene diſpoſitus, ac boni eſſe, parum aut nihil nocebit. Si uero ibidem dignitatem habuerit, fueritq; aliàs mali eſſe, ſignificat ex toto deſtructionem ſubſtantiæ.

Fortuna fortunata & fortis, ac bene diſpoſita, non impedita, ſignificat quòd ex illis rebus de ſignificatis domus in qua ipſa eſt, natus lucrabitur & habebit fortunam in eis. Et in quacunq; fuerit infortunata, ſignificat contrarium.

Capricornus alicuius aſcendens, ſignificat quòd natus exercitabitur in his quę ſpectant ad ſuum quęſtum, ſed cum labore, & difficultate. Quòd ſi Saturnus tunc bene diſpoſitus fuerit, uel fuerit pars fortunæ in ſecunda, erit fortunatus in his quę ſunt

ſecundę domus. Si fuerit male diſpoſitus, ipſe erit cauſa deſtructionis ſuę ſubſtantię.

Geminis uel Sagittario aſcendentibus, ſi fuerit dominus aſcendentis illius bene diſpoſitus, fortunatus atq; fortis, & Luna ſimiliter, ſignificat quòd acquiret multam ſubſtantiam, & erit tenax, & nunquam perdet ſubſtantiam ſuam, & erit autor ſibi comparando patrimonium.

Si fuerint Virgo aut Piſces aſcendens, & dominus aſcendentis & Luna bene diſpoſiti, natus acquiret pecuniam, & expandet eam in bona parte, erit largus, uiuet ſplendide.

Nunquam erit pauper & inops, cuius natiuitatis dominus fuerit Iupiter.

Valde diuites, qui diuitijs abundabunt, & qui magni ſint nominis, ſunt quibus dominus ſecundæ domus fuerit in exaltatione, uel domo ſua, applicans ad dominum aſcendentis, maxime autem ſi fuerit Iupiter.

Largitas & ſplendor eſt à Sole & Ioue coniunctis in ſecunda domo.

Sol in Leone in quibuſcunq; diuiſionibus figuræ, non permittit natum mendicum eſſe.

Stellæ fixæ dant dona grandia, & ſubleuant homines de paupertate ad ſummas diuitias, magis etiam quàm ſeptem planetæ, ſed plerunq; in malum earum dona finiuntur, hoc intellige ſi fuerint in gradu aſcendentis, uel medio cœli, uel cum luminaribus, uel parte fortunæ.

Quando duo planetæ aſcendunt de die ante Solem, uel occidunt de nocte poſt Lunam, aut aſcendunt poſt eam, ſi fuerint fortunati, ſignificant dominium, & ingentes diuitias.

Pars fortunæ in domibus planetarum fœlicium, & in bono loco, ſi eam aſpexerit dominus eius ex bono loco, & dignitate ſua aliqua, ſitq; Luna recepta à domino ſecundæ, abundantiam diuitiarum ſignificat, & quòd etiam plures per eum ditabuntur. Si autem fuerit in cadentibus, aut loco extraneo & infortunato, miſeriam & paupertatem ſignificat.

Dominus ſecundæ domus, ſi ad dominum aſcendentis fuerit, ſignificat natum ex re inopinata diuitias adepturum, & bona ex parte lucrari ſi fortunantes uiderit. Si autem infortunantes aſpexerit per furta aut ex uſuris eum lucrari ſignificat.

Dominus primæ ſi appropinquauerit domino ſecundæ, natus ſua induſtria lucrabitur, & in his adipiſcendis intentus ſemper erit. Separatio uero domini aſcendentis à domino ſecundæ, ſignificat natum de lucro non multum curare.

Si dominus ſecundæ fortunatus fuerit, & dominus primæ infortunatus, natus in inquirendo diuitias ignauus erit, attamen erit diues, ſed ei nõ proderunt diuitię, quamuis dominus ſecũdæ fortunatus fuerit, niſi Iouis aut Veneris teſtimonium habuerit planeta receptor dñi ſecundæ domus, ac ſi bene diſpoſitus ſit, diuitias auget.

Si Iupiter dominus octauæ domus, in ſecunda uel undecima fortunatus fuerit, natus habebit ſubſtantiam ratione mortuorum. Mars tamen uel Mercurius, id bonum minuet, erit enim teſtamentum mendax.

Saturnus cum Ioue in nocturna genitura, ſignificat ſubſtantiam ab auis uel parentibus.

Saturnus in octaua in die, ſi non fuerit dominus octauæ, ſignificat ſubſtantiam multam in ſenio ratione mortuorum.

Fortunæ ſi dominantur octauæ, non aſpicientes dominum aſcendentis, ſignificat ſubſtantiam mortuorum, ſed abſq; profectu.

Damnum in diuitijs nato eueniet per ſignum & domum in quod ceciderit aliquis ſignificatorum diuitiarum infortunatus, fieri enim poterit quòd quis habeat diuitias ab uno ſignificatore, & ſit fortunatus in rebus ſignificatis ipſius ſignificatoris, & per locum eius, recipiet tamen damnum, uel infortunium ratione alte-

rius

rius rei. Vt exempli cauſa: Pono quòd dominus ſecundæ domus, eſſet Saturnus, fortis in angulo, in domicilio proprio, & aſpiceret partem fortunæ ex trino in termino fortunæ, quoniam ſic ſignificaret diuitias multas. Sed ſi Venus domina ſecundæ domus, etiam domina partis fortunæ retrograda & infauſta ſit, ſignificat quòd natus iſte ſic diſpergeret, & comminueret acquiſita, ut parum uel nihil ad ſuum transferret commodum. Sic etiam pars ſubſtantiæ in angulo ſeptimæ domus ſalua, ſubſtantiam plurimam ratione mulierum, & inimicorum manifeſtorum adduceret, ſed oppoſitio domini ſui retrogradi, ſignificat & huius diſsipationem. Iſto modo erit etiam agendum in alijs.

Si contingeret quòd unus ex ſignificatoribus diuitiarum male eſſet diſpoſitus, & caderet in quartam domum, in hoc caſu iudicandum eſſet infortunium quartę domus, quod ita ſi contingeret, tunc conſidera eſſentiam, partē & diſpoſitionem dicti infortunati ſignificatoris, & ſecundum eius naturam in dicto ſigno & domo, infortunium illud pronuncia, & ſecundum naturam alterius ſignificatoris, bene fortunati, dic bonum. Hæc omnia ita ſingulariter deſcribere tœdioſum foret, nam ea omnia ſagax & perſpicax intellectus bene diſtinguere, & componere poteſt.

Si aliquis malorum aſpexerit ſignificatorem, & ambo fuerint retrogradi, cadentes, & peregrini, in ſignis contrarijs naturæ ipſorum, erit natus in perpetuum mendicus & pauper.

Pars fortunæ damnata in duodecima domo ſignificat longam miſeriam.

Significator diuitiarum, in ſeptima à domo ſua, uel in oppoſito domini aſcendentis, non ſignificat lucrum ex ſignificatis illius domus, ſed potius damnum & expenſas.

Si Scorpio in aſcendente fuerit, natus non habebit fortunam in Eccleſia Romana, propter Cancrum, exaltationem Iouis, qui habet naturaliter ſignificata in Clericos, qui erit tunc in nona domo, Nam Iupiter eſt inimicus Martis, qui eſt dominus aſcendentis. Experimentum habes in genitura doctiſsimi uiri M. Ioannis Regiomontani.

Octaua domus uel eius dominus impediti, ſignificant quòd natus damno afficietur cauſa mortis alicuius mulieris, cuius dotem cogetur reſtituere cum damno.

Si Gemini aut Virgo in aſcendente fuerint, poterit amittere ſubſtantiā ſuam.

Si Aries, Scorpio, Capricornus, uel Aquarius, in aliqua natiuitate aſcenderint, natus erit auarus, miſerrimus, & horrendus, At ſi Iupiter tunc aſcendens aſpexerit, minuet de illa miſeria, non tamen tollet eam.

Duæ infortunæ in termino quartæ domus, uel ſi anguli natiuitatis fuerint ſigna mobilia, & Saturnus & Mars in eis, natus erit pauper, miſer, & infortunatus, niſi contra operaretur Iupiter uel domini triplicitatis aſcendentis.

Non congregabit pecuniam, nec theſaurizabit, niſi ille cuius aſcendentis dominus, & dominus quartę fuerit idem planeta, ſicut non lucrabitur pecunias nec diuitias, nec uiuet ſplendide, niſi cuius dominus aſcendentis, & dominus Medij cœli fuerit idem planeta.

Auarus erit, qui ex infortunis, uel ex domibus infortunarum ſignificatum habuerit ſuarum diuitiarum.

Non erit auarus qui ex Sole uel Luna ſignificatum diuitiarum habuerit.

Auarus erit, qui habuerit Saturnum & Martem in ſeptima uel duodecima coniunctos.

Si Luna in octaua fuerit, & dominus aſcendentis in aſcendente, uel in ſecunda uel in duodecima retrogradus, non habebit fortunam in ludo taxillorum.

Si dominus ſecundæ in ſeptima fuerit, & ſi in ſeptima fuerit Aries, Scorpio, Capricornus, uel Aquarius, inimici nati auferent ei bona ſua, uel ſocij, uel amaſiæ ſuæ,

uel

uel uxor eius, niſi dominus aſcendētis ſit in trino, uel ſextili, cum domino ſeptimæ, uel in alijs etiam aſpectibus cum receptione. Eſtq; hoc experimentū certiſsimum.

Saturnus, Mars, & Sol, mali ſunt in ſecunda, & peius erit domino ſecundæ domui combuſto cum damnatione partis fortunæ, nam oſtendunt pecuniarum profligationem & exilium, uel confiſcationem bonorum, id expertum habeo ſæpius.

Gradus Zodiaci qui cooritur cum Luna, ſi fortunatus fuerit, ſignificat bonum toto tempore uitæ.

Luna & Saturnus in duodecima domo in Aquario, uel eius triplicitate, & Sol in ſexta, Iupiter in octaua, ſignificant incommoda paupertatis.

Venus in Medio cœli in trino Iouis, uel illi iuncta, remota à malorum aſpectu, adducet diuitias fœminarum cauſa, uel ex operibus fœmineis, uel ex muſica.

Si fuerint Venus, Luna, & Caput in quarta, natus erit Aſtrologus, & inde multam ſubſtantiam congregabit.

Si fuerit dominus undecimæ in aſcendente, & dominus duodecimæ in ſeptima, natus erit in pueritia diues, & in ſenio pauper. Si dominus huius fuerit in ſeptima, & dominus duodecimæ in aſcendente, dic contrarium.

Dominus ſecundæ combuſtus, & dominus partis fortunæ male diſpoſitus, extremam paupertatem indicant.

Dominus ſecundę domus in oppoſito uel quadrato aſcendentis, ſi ſe non receperint, aut quòd ſint contrarij in naturis, natus erit deſtructor ſuæ ſubſtantiæ. Si autem aſpexerint ſe cum receptione, & non ſint naturæ contrariæ, natus erit parcus, diligens in acquiſitione pecuniarum, ſed non erit alicui utilitas ex ipſius ſubſtantia.

Si dominus ſecundæ in aliquo ſigno eſt, quod in angulo ſit, ipſe tamen ab angulis cadens, natus habebit famam quòd diues ſit, ſed ipſe profundet pecunias, & erit pauper.

Dominus aſcendentis bene fortunatus, & dominus ſecundę male, ſignificat paucas diuitias, & erit anxius in illis adipiſcendis.

Pars fortunæ in ſexta uel duodecima, ſignificat ſubſtantiæ diſsipationem, uel turpem ægritudinem, propter quam fugiet à loco ſuo.

Si dominus aſcendentis in ſecunda domo infortunatus fuerit, deſtruet proprio uelle ſubſtantiam ſuam. Si uero ibi ſit planeta infortunatus, qui non ſit dominus aſcendentis, eripietur ei per furtum uel per uim.

Virgo aſcendens & Mercurius boni eſſe, uel ſaltem non infortunatus, ſignificat natum fortunatum in medicinis, ſed in lucro & ſolario cauſa medicinæ infortunatum.

Si Sol dominus tertię combuſſerit dominum ſecundę domus, aut partem ſubſtantiæ, natus perdet ſubſtantiam occaſione fratrum, & ſoluet pro eis amiſsiones & damna multa.

Luna cum Marte in tertia domo, ſignificat natum lucri cupidum, alieni auidum malumq; & illatorem iniuriarum.

Si fuerit Luna in undecima in die, natus non habebit quicquam de ſubſtantia parentum.

Dominus ſecundæ domus in aſcendente, uel ſi dominus ſecundæ domus dederit uim ſuam domino aſcendentis, & non ſit cadens, ſignificat lucrum abſq; labore. Si econtra, dic contrarium.

Si Iupiter in radice angularis fuerit, uel in honore ſuo, uel ſi uim habuerit in aſcendente, uel aſpexerit partem fortunæ, uel ſit dominus domus Solis in die, uel dominus domus Lunæ in nocte, non deerit nato cenſus in uita ſua.

Si dominus aſcendentis aſpicit dominum ſubſtantiæ, uel ſuam domum, uel partem fortunæ inimico aſpectu, deſtruet natus ſubſtantiam manu ſua propria.

Si Satur-

Si Saturnus inueniatur in quarta domo in domicilio uel exaltatione Iouis, natus inueniet res ſubterraneas, ſeparabit ſe à parentibus, habebit Azemenam, uidebit mortem filiorum ſuorum. Et ſi Venus & Mercurius aſpiciunt eum, abſcindentur ei genitalia.

Saturnus fortunatus, aſpiciens dominum aſcendentis benigne, & magis cum fuerit dominus quartæ, res paternæ ad natum hæreditate redibunt.

Saturnus in die in quarta domo, ſignificat natum regia largitione patrimonium adepturum, aut fore regis theſaurarium. Si autem ibi in nocte fuerit, ſignificat patrimonij amiſsionem.

Luna in quarta, ſi non fuerit in dignitatibus Iouis, & infortunæ eam uiderint, patrimonij amiſsionem, & magnum nato infortunium decernit.

Dominus ſecundæ domus fortunatus multis modis, & ſi multi planetæ applicent ei, dantes ipſi uim ſuam, natus lucrabitur multum ex diuerſis partibus ſecundum naturam locorum, ex quibus fiunt applicationes in mundo & figura.

Planeta primò intrans locum Lunæ in nocturnis, aut locum Solis in diurnis dabit qualitatem finis in diuitijs & paupertate.

Si dominus aſcendentis ſeparatur à domino ſecundæ, natus non laborabit uehementer pro diuitijs, ſed expectabit quiete quicquid ſibi offeretur.

Dominus ſecundæ ſeparatus à domino aſcendentis, ſignificat quòd natus multum ſollicitus erit pro diuitijs, uix tamen habebit integrum quod petit aut ſperat.

Dominus aſcendentis ſi applicat domino ſecundæ retrogrado danti ei uim ſuam, natus laborabit multum, ſed quando uenietur quaſi ad articulum lucri, intercipietur ei cum moleſtia.

Si dominus aſcendentis retrogradus applicat domino ſecundę, reddens ei uim ſuam, nato aperientur multę uiæ lucrandi, uerum propter ſegniciem ſuam, non conſequetur aliquid

Dominus ſecundę in loco cooperto, ſignificat multas diuitias, maxime ſi fuerit Iupiter. Si autem fuerit Saturnus uel Mars, ſignificabit magnam quidem ſubſtantiam, ſed laboribus & pœnis acquirendam.

Si natus habiturus eſt diuitias, & dominus ſecundæ fuerit in aſcendente, habebit in infantia: Si in Medio cœli in adoleſcentia: in ſeptima, in ſenectute.

Non proficiet nato ſubſtantia propter fortitudinem domini ſecundæ, niſi Iupiter aut Venus teſtificentur, teſtimonium autem Iouis, ſignificat conſumptionem diuitiarum in rebus honeſtis ac eleemoſynis. Veneris uero in uoluptatibus.

Si deeſt aſpectus Iouis uel Veneris, natus congregabit ſubſtantiam, nec ipſi proderit in hoc ſeculo, neq; in futuro.

Si propter complexionem domini aſcendentis, & domini ſecundæ, ſignificantur diuitiæ. Et dominus aſcendentis fuerit fortis, dominus autem ſecundæ debilis, natus multum fatigabitur quærendo, tamen nihil aut parum lucrabitur, & e contra. Si dominus aſcendentis fuerit debilis, dominus autem ſecundæ fortis, natus quamuis piger, habiturus eſt multas opes.

Caput in ſecunda diſcedens ad aſcendens, dat nato diuitias cum profectu à dominis & regibus. Cauda contrarium.

Nõ erit pauper, in cuius natiuitate Iupiter habuerit aliquod teſtimoniũ diuitiarũ.

Sol in diurna, & Luna in nocturna in domo fortunæ, & maxime Iouis, Ioue in bono loco, & ſtatu ab aſcendente, domino ſecundæ ſaluo ab infortunis exiſtente dabit nato diuitias magnas, & ſtatum altum.

Si Mars fuerit dominus aſcendentis, & dominus partis fortunæ, cadens in domum ſubſtantiæ, abſq; aſpectu fortunæ, natus diſsipabit ſubſtantiam paternam.

Occaſio

Occaſio autem diſsipationis ſcietur ex natura domini illius ſigni. Venus enim faciet eam deperdi in cantu, luxuria, mulieribus &c.

Mercurius in aſcendente in ſigno fœminino, dabit nato lucrum.

Saturnus in nocturna natiuitate in aſcendente, & gradu ſuo, ſignificat quòd natus lucrabitur in uilitate ſubſtantiam, & uilipendetur propter eam.

Dominus aſcendentis in duodecima, dat miſeriam, niſi aſpectus fortunarum id minuat.

Dominus ſigni coniunctionis uel oppoſitionis præcedentis natiuitatem, ſi in ſecunda domo fuerit, natus erit infortunatus in ſubſtantia acquirenda.

Si Iupiter aſpicit ſecundam aut dominum eius, habebit adiutorium ab hominibus, unde non ſperabat.

Pars mercaturæ die & nocte à Saturno in Mercurium, & proijcitur ab aſcendente, quæ ſi fuerit fortunata, & in domo ſubſtantiæ, uel dominus eius habens dignitatem in domo ſubſtantiæ, natus lucrabitur ex mercatura.

Si ſint luminaria in angulis, & applicent planetis in angulis, natus permanebit in diuitijs, ut genitus eſt. Si uero luminaria in angulis fuerint, & applicent planetis cadentibus, natus imminuet ſubſtantiam progenitorũ. Quòd ſi luminaria cadant & applicent planetis in angulis, natus ex humili loco ad altum extolletur.

Per quem modum diuitiæ nati acquirendæ ſint explorare.

CONSIDERA ſignificatorem diuitiarum, uel ſignificatores ſi plures ſint, in quibus domibus figuræ ſint, nam ſecundum naturam domus, iudicabis nato diuitias.

Si per directionem huius ſignificatoris diuitias certo anno inueneris, uide in quam domum promiſſor ceciderit. Nam lucrum ueniet etiam ratione domus, in quam promiſſor ceciderit Sed quia multi ſunt ſignificatores & partes cœli, quæ diuitias promittunt, & ipſarum malæ diſpoſitiones infortunium in eis: omnes prædictos uidere oportet, in quibus domibus inueniantur & ſecundum res ſignificatas per illas domos, damnum uel amiſsionem lucri, uel etiam acquiſitionem & fortunium iudicare poteris, & dicere in quibus rebus natus fortunatus, uel infortunatus fiet. Si contingeret quòd aliquis ex prædictis ſignificatoribus eſſet fortunatus in aliqua domo, & etiam aliqui infortunati ibidem, tunc conſidera hoc bene, & dic nato lucrum per modũ & naturam ſignificati fortunarum, & damnum per dictam domum, ſecundum naturam & modum ſignificati infortunarum, nam aliquando lucrabitur natus de una re, & perdet per aliam rem. Quare hæc per induſtriam tuam bene examinabis, perpende & planetas fortunatos uel infortunatos, per corpus uel per aſpectum ſignificatoribus prędictis commixtos, in quibus domibus figuræ & locis ſignorum ſint, & iudica nato augmentum uel diminutionem lucri, & hoc ſecundum naturam domus in quam ceciderit, & per modum ſignificatum per ipſorum loca. Nam ſi ſignificator qui lucra promittit, fuerit in prima domo fortunatus, maxime receptus à domino aſcendentis, uel à planeta, qui habeat plures dignitates in aſcendente, ſignificat quòd natus de leui lucrabitur, ratione ſuæ induſtriæ & laboris. Si uero infortunatus fuerit non receptus, ſignificat damnum in hoc, & quod fiet infortunatus in rebus procuratis ſua induſtria & labore. In ſecunda fortunatus, & maxime receptus, habebit lucrum ratione mercationis, & ratione ſuarum pecuniarum, uel ſecundum naturam rei ſignficatæ per ſecundam domum. Si infortunatus fuerit, damnum & infortunium in dictis rebus. In tertia, acquiret lucrũ ratione ſignificatorum tertiæ domus, ratione fratrum, ſororum uel conſanguineorum, uel ratione rei eccleſiaſticæ, aut ex ſimilibus. Si infortunatus ibidem fuerit, dam

num

num ratione eiuſdem incurret. In quarta fortunatus, ueniet lucrū ratione parentum uel prædeceſſorum, uel ratione culturæ terreſtris, plantatione arborum, uinearum, ædificationis domorum, uel inueniet theſaurum &c. Si fuerit infortunatus, dic contrarium. In quinta fortunatus, habebit utilitatem ratione filiorum, uel donationum, uel ratione tabernarum &c. Si infortunatus fuerit ſignificat contrarium. In ſexta fortunatus, non enim hic conſideratur infortunium ratione domus, ſed ſi fuerit in aliqua ſuarum dignitatum de maioribus directus ac receptus, & ſaluus ab alijs impedimentis, lucrabitur ratione ſeruorum & ancillarum, uel ratione animalium paruorum, uel ratione incarceratorum &c. Si infortunatus ibi fuerit, dic oppoſitū. In ſeptima fortunatus ſi fuerit, accipiet lucrum ratione uxoris uel mulierum, uel ratione participationis ſociorum, uel tumultuum uel litium &c. Si infortunatus, ſignificat infortunium in dictis rebus. In octaua fortunatus ſignificat utilitatem, & lucrum ratione mulierum, uel ratione diuitiarum ex mortuis. Si infortunatus ibi fuerit, dic contrarium. In nona fortunatus, lucrabitur ratione rerum eccleſiaſticarum, uel ratione longorum itinerum, quôd mercatum ibit ad longinquas partes. Si fuerit infortunatus, ſignificat quòd expendet, & damnum recipiet, ratione longarum uiarum, uel ratione rerum eccleſiaſticarum. In decima fortunatus, ſignificat lucrum ac diuitias â regibus, & dominis, uel quia erit rector ciuitatum uel caſtrorum. Si fuerit infortunatus, dic contrarium. In undecima fortunatus, diuitias & lucrum ratione ſuorum amicorum, uel ratione Baronum & conſiliariorum regis decernit &c. Si infortunatus, dic infortunium eadem ratione. In duodecima fortunatus, intelligendo eius fortunium, ſicut dictum eſt de ſexta, ſignificat, quòd natus habebit utilitatem ratione inimicorum, maxime occultorum, uel ratione magnorū animalium, equorum, boum, camelorum &c. Si infortunatus ibidem, dic damnum ratione prædictorum.

An licite uel illicite diuitiæ nato uenturæ ſint.

CONSIDERA ſignificatorem diuitiarum, qui ſi fuerit Saturnus bene diſpoſitus ac fortunatus, natus iuſte & meditato animo eas acquiret, ſed tamen cum aliqua fraude & mendacio. Si infortunatus fuerit, acquiret illàs illicite. Si ſignificator diuitiarum fuerit in domibus Saturni, acquiret eas ratione languorum, & anguſtiæ, & rerum antiquarum, cum proditione, & animo maligno, uel ratione ruſticorum, ſeruorum, ancillarum, uel hominum prouectæ ætatis, & uilium perſonarum.

Si Iupiter ſignificator diuitiarum nati fuerit bene diſpoſitus, acquiret eas iuſte cum omni æquitate & rectitudine. Si infortunatus fuerit, diminuas & remittas ſecundum maliciam eius. Significator diuitiarum in loco Iouis, acquiret diuitias ratione rerum iuſtarum, & eccleſiaſticarum, & ex omnibus rebus in quibus eſt honeſtas & religio, & habebit eas ratione nobilium, & ſuorum maiorum, uel ratione ſapientum, iudicum, Epiſcoporum, & cum his erit conuerſatio nati.

Mars fortunatus ſignificator diuitiarum, ſignificat natum eas acquiſiturum quodammodo licite, tamen cum permixtione fraudis & deprædationis diminutæ. Si infortunatus, non licite, ſed iniuſte, ac maligne eas habebit. Si dictus ſignificator fuerit in domibus Martis, diuitias acquiret ratione deprædationis, ſeditionis, atq; litium, uel ratione furti, uel rapinæ.

Sol ſignificator, bene diſpoſitus, licite cum magno ac famoſo modo habebit. Si infortunatus, illicite, & hoc erit palàm, nec multum curabit de populo, qui ea ratione eum uituperabit. Si dictus ſignificator in loco Solis fuerit, habebit diuitias ratione regni, aut alicuius poteſtatis.

Venus ſignificatrix diuitiarum fortunata, acquiret ſubſtantiam iuſte, ac amicabili modo, animo benigno, & blandiſsimis uerbis. Si infortunata, totum corrumpitur. Si dicta ſignificatio fuerit ex domibus Veneris, ratione dominarum, uel ex Muſica diuitias natus cumulabit, uel ludendo, uel tenendo hoſpitia & tabernas, in quibus opera Veneris exercentur.

Mercurius ſignificator diuitiarum bene diſpoſitus, natus licite ac animo ſubtili & induſtrio diuitias acquiret. Si infortunatus fuerit, illicite, cum multis uijs mendoſis acquiret. Si dicta ſignificatio fuerit in domibus Mercurij, acquiret ſubſtantiam ratione ſcripturæ & ſcientiarum, uel ex mercatura, pictura, uel Geometria.

Luna ſignificatrix diuitiarum fortunata, licite ac iuſte, cum animo claro acquiret. Si infortunata fuerit, oppoſitum dic. Si dicta ſignificatio fuerit in locis Lunæ, acquiret ſubſtantiam ratione itinerum & mutationum, & ex rebus, in quibus eſt ſubita mutatio, ut nautica &c.

Tempus diuitiarum colligere.

DIRIGE ſignificatorem diuitiarum ad bonos & eorum radios, ſed pro amiſſione earum, ad malos & eorum radios. Quòd ſi talis ſignificatio diuitiarum fuerit accepta à ſecunda domo, uide dominos triplicitatis ſecundæ domus, & primo primum. Quòd ſi primus bene diſpoſitus fuerit, & fuerit directio ſignificatoris diuitiarum ad fortunas, uel illarum radios in prima tertia uitæ, augebuntur diuitiæ plus ſolito in prima tertia uitæ cum minori labore, dummodo talis directio fuerit ex coniunctione uel aſpectu bonorum maxime ex receptione, ſiue ſignificator fuerit orientalis ſiue occidentalis in figura.

Si dictus dominus triplicitatis infortunatus fuerit, minuit de bonitate dicti ſignificati, nec ita leuiter ueniet prædictum ſignificatum. Si uero directio ſignificatoris fuerit ad corpus, uel aſpectum mali, & ceciderit ad primam tertiam uitę, & primus dominus triplicitatis ſecundæ fuerit infortunatus, iudica infortunium diuitiarum grauius, Si autem fuerit bene diſpoſitus, mitigat infortunium in prima tertia uitæ.


Significatione diuitiarum ſumpta à parte fortunæ, fac directionem eius ad corpora, uel ad radios fortunarum uel infortunarum. Deinde uide dominos triplicitatis partis fortunæ, & quicunque eorum habuerit tempus directionis, & cętera, ut ſupra dictum eſt, iudica ſecundum diſpoſitionem eius, quemadmodum dixi. Sic age quoque in reliquis. Conſidera etiam locum ſignificatoris diuitiarum, an orientalis uel occidentalis fuerit in figura, & dominos triplicitatis luminaris conditionarij, an orientales uel occidentales ſint, omnia permiſcendo, continue tamen reſeruando ſignificatum temporis directionis ſignificatorum diuitias decernentium.

Notandum quòd de diuitijs non erit completum iudicium, niſi prius etiam uiderit ſignificatum Medij cœli, nam & illud propter ſignificationem magiſteriorũ, poſſet dare diuitias uel paupertatem.

Conſidera etiam originem nati, nam conſtellatio, quæ filio mercatoris donat diuitias remiſſas: filio ſutoris, uel hominis ocioſi nullas daret. Sed hoc prouenit propter diuerſitatem paſſorum.

Exemplum

Exemplum genituræ propoſitæ.



Concluſio prima. Multas nato diuitias promittunt luminare temporis in exaltatione ſua in angulo, Saturnus Almuten ſecundæ in angulo fortis, in domo ſua aſpiciens partem fortunæ ex trino in termino fortunæ.

Concluſio ſecunda. Diuitiæ ſuæ in prima tertia uitæ, auctiores erunt quàm in alijs duabus. Nam Saturnus orientalis eſt, & tres domini triplicitatis ſecundæ domus, hanc habent habitudinem.

Concluſio tertia. Plurimum tamen diſperget, atq; acquiſita comminuet, quoniam Venus domina ſecundæ domus, & domina partis fortunæ, retrograda & infauſta eſt.

Concluſio quarta. Subſtantia & lucrum eius erit ratione parentum, ſeu maiorum ſuorum, atq; in rebus occultis, ſecretis, & uetuſtis, reliquisq; ſignificatis quartæ domus, id confirmatur ex Saturno in domo quarta, & Ioue domino quartæ in aſcendente.

Concluſio quinta. Item ratione mulierum & inimicorum manifeſtorum & bellorum, atq; dominij ſui & regni, habebit opes & principatus, id colligitur à Sole domino triplicitatis ſui loci in ſeptima, ubi etiam domino medij cœli applicat, & à Ioue domino ſeptimæ in aſcendente.

Concluſio ſexta. Iuſte & licite fiet earum acquiſitio, animoq; meditato, & cum aliqua etiam aſtutia. Nam Saturnus & luminare temporis fortes, & bene diſpoſiti reperiuntur.

Concluſio ſeptima. Damnum aliquod ſentiet in rebus quæ per hæreditatem ad eum deuenient, minatur hoc quadratus Saturni ad Solem.

Concluſio octaua. Damnum in diuitijs ſentiet, nam Almuten ſecundæ domus in quarta in ſuo domicilio aſpiciens partem fortunæ trino, in termino Veneris ſignificat quidem diuitias multas, Sed eo quòd Venus domina ſecundæ domus

etiam domina partis fortunæ eſt retrograda & infauſta, ſignificat quòd natus iterum diſperget & comminuet acquiſita.

Concluſio nona. Participationem & commixtionem ſuarum rerum cum rebus ſociorum, & quòd in pollicitis firmus fiat in dando & accipiendo iuſtus: arguitur ex Luna tertia domina triplicitatis ſeptimæ ſalua, licet in caſu ſuo &c.

CAPVT DECIMVM.

De honore & dignitate nati.

CVm luminaria in ſignis maſculinis & aptis locis extiterint, ut in angulis, aut in alijs locis conuenientibus, præcipue illud, quod dominium temporis obtinuerit, & quinque ſtellæ erraticæ luminaria circumdederint, ſic ut circumdantes Solem matutinales, Lunam uero ambientes ueſpertinales ſint, natum regem fore ſignificabunt. At ſi ſtellæ quæ circumdederint luminaria fuerint in angulis, uel ſi ſocietatem habuerint in figura cum gradu decimæ & aſcendentis, natus erit potentiſſimus, & rex mundi, & ſi planetæ adiuuantes luminaria fuerint fortes, & ſtellæ fixæ etiam cum luminaribus, maxime cum luminari temporis in eodem poſitionis circulo iaceant, quæ ſint de natura fortunarum, fortuna & potentia nati multum augmentabitur. Si autem unum luminare in angulis fuerit, & aliud extra angulos inuentum fuerit, & ea erraticæ ſtellæ circumdederint modo prædicto, fueritque Sol in ſigno maſculino, & Luna in fœminino, decernunt nato imperium in populares iudicando homines, puniendo & incarcerando, licet ex uili progenie procedat. Quòd ſi cum hoc ſtellæ luminaribus teſtificantes, non fuerint in angulis, nec teſtificentur eis per aſpectum amicum, natus ſolum erit gubernator uillę uel ciuitatis, uel exactor tributorum. At ſi Sol & Luna non fuerint in angulis, ſed planetæ circundantes luminaria fuerint in angulis, uel cum eis ſocietatem habuerint, natus erit mediocris honoris in gubernando uillas. Si nec luminaria, nec ſtellæ circumdantes luminaria fuerint in angulis, nec eos aſpexerit, natus miſer erit paruæ fortunæ. Cum autem luminaria nec in ſignis maſculinis, nec in angulis fuerint, nec ipſa luminaria fortunæ circumdederint, natus erit in extrema miſeria, & infœliciſsimus.

Cum luminaria in ſignis maſculinis, & in angulis & fortunæ circundantes ea, fuerint de Hayz eorum, natus in ualetudine amplius durabit.

Si autem planetæ circundantes luminaria de contrario Hayz fuerint, aut infortunæ ea circumdederint, eius ualetudo debilis apparebit, & leuiter tranſibit. Valitudo autem & ſtatus honoris cognoſcitur à planeta circundante luminaria, qui fuerit fortitudinis & dignitatis præ cœteris. Quòd ſi Saturnus fuerit diſpoſitor locorum luminarium, natus multas hæreditates habebit, & in congregatione pecuniarum perſeuerabit. Sed ſi Iupiter cum Venere diſpoſitores fuerint, erit eius fortitudo in iocunditatibus, & donationibns, atque dignitatibus, ac magnanimitate. Si uero Mars fuerit diſpoſitor, habebit ſucceſſum in uictorijs, & ſuorum ſubditorum timore. At ſi Mercurius gubernator fuerit, erit in multis rebus perſpicuus, ac ſcientijs, ac doctrinis aptus. Hæc Ptolemæus.

Aliorum ſententiæ & aphoriſmi.

Decimam

Pro honore & dignitate conſidera
- Decimam domum.
- Dominum eius.
- Partem regni.
- Dominum eius.
- Almuten ſignificatorum regni.
- Tres dominos triplicitatis decimæ domus.
- Tertium dominum triplicitatis octauæ domus.
- Secundum dominum triplicitatis undecimæ domus.
- Secundum dominum triplicitatis primæ domus.

Almuten ſigni- ficatorum regni ſumitur à
- Decima domo
- Domino eius
- Parte regni
- Domino eius
- Sole

Almuten illorum locorum eſt ſignificator regni uniuerſalis.

SI in gradu aſcendentis, uel decimæ, uel de die cum Sole in eodem gradu, uel de nocte cum Luna in eodem gradu ſtellam aliquam fixam, naturæ bonorum planetarum primæ aut ſecundæ magnitudinis, in uno, duobus aut tribus iam dictis locis inueneris, ſi natus eſt regiæ ſtirpis, aut talis ut poſſet fieri rex, dic eum conſecuturum ingens & amplum regnũ. Sin autem neq; regię ſtirpis eſt, neq; eius conditionis ut poſſet rex fieri, habebunt tamẽ eius iuſſa, atq; mandata, eandem uim, quam regis imperata, nemo eius mandata tranſgredietur, perueniet ad maximam exaltationem, & fœliciſſimus ac fortunatiſſimus erit.

Sol in diurna genitura in ſua exaltatione, & Luna in nocturna in ſua exaltatione, in aſcendente, uel medio cœlo, ſi aſcendens eſt ſignum regium, & dominus eius ſigni in aſcendente, uel medio cœlo, deſignat nato regnum, ſi eſt regij ſtemmatis, quòd ſi non eſt regij ſtemmatis, erit tamen ſimilis regi, aut dux, & autor in conſilijs regum.

Cum Sol in diurna genitura & Luna in nocturna reperiuntur, tantum in gradibus ſuarum exaltationum, ſignificatur nato regnum, aut magna exaltatio.

Item cum alterum, uel utrumq; luminare in ſua exaltatione applicat domino aſcendentis, & dominus aſcendentis eſt orientalis in angulo, ſignificatur regnum, aut ſimile aliquid.

Item ſi dominus medij cœli applicat coniunctione domino aſcendentis, & ambo orientales ſint in angulis, in ſuis exaltationibus, ſignificatur regnum aut ſimile quid.

Si omnes planetæ applicant Ioui, & Iupiter eſt in medio cœli orientalis, regnum ſignificat, Similiter ſi omnes reliqui planetæ ſunt in medio cœli orientales, eſt ſignum regni, præcipue ſi maxima pars eorum in ſuis exaltationibus, aut alijs magnis dignitatibus ſit.

Sol in medio cœli receptus & Luna in eius trino uel ſextili, regnum ſignificat.

Si fuerit ſignum medij cœli Leo, Aries, uel Sagittarius, & maxime Aries, uel Leo, & Sol in eo, & pars regis in aſpectu fortunarum, natus erit abſq; dubio rex. Similiter quando pars fortunæ fortunata fuerit à radijs liberata.

A ſigno decimæ domus & domino eius, ac Sole in diurnis, accipitur ſignificatio regni in nocturnis à Saturno.

Planetæ altiores, dant regna & principatus. Inferiores autem officia, ut colligere reditus regum, & ſimilia.

Quicunq; habuerit Solem, uel partem regis, uel partem fortunæ, aut dominum triplicitatis Solis in natiuitate diurna, uel Lunæ in nocturna in medio cœli, perueniet ad regnum, dominiũ, & altum gradum, & erit dominium illud ſecundum poſſe illius planetæ, & illius partis, & ſecundum fortunas & infortunas eorum, & ſecundum quod receperint dominum aſcendentis, uel eum abhorruerint.

Gradus medij cœli ſi fuerit Solis exaltatio, uel Iouis, nomen huius nati ex pandetur per uniuerſum orbem.

Multum potens erit, in cuius natiuitate Sol fuerit in decima in ſigno igneo, & Luna in trino eius ſiniſtro.

Si duo planetæ aſcenderint ante Solem, aut in nocte occiderint poſt Lunam, aut poſt eam aſcendant, ſintq; fortunati, regnum aut dominium nato pollicentur.

In natali Regum, ſi in aſcendẽte ſit ſignum igneum, & in decima aëreum, quicquid ſuſcipient, ſumma celeritate perficient, & cito ſe uindicabunt.

Dominus aſcendentis in bono loco, & in terminis fortunarum, ſi dominus eius termini illi iungatur aſpectu aliquo, ſitq; boni eſſe, dabit nato regnum & probitatem.

Si dominus aſcendentis, & Luna in angulo, & uterq; iunctus planetis angularibus, uel dominis angulorum, fuerit, is qui tali naſcetur ſtellarum poſitu, erit Rex potens, uel illi ſimilis.

Sol, Luna, & dominus aſcendentis, & angulorum domini in angulis, ſi malis planetis iungantur, & cadentibus, & ipſi mali ſint domini domorum cadentium, erunt quidem reges, uel his proximi, ſed miſere dominium perdent.

Sol cum Mercurio in aſcendente, reges aut ualde potentes oſtendit. Per noctem uero, patrem indicat fuiſſe degenerem.

Si Virgo fuerit aſcendens, acquiret regnum ex ſua induſtria, uel etiam magiſterium ſine magno labore. Si tunc Mercurius fuerit coniunctus parti fortunæ in aſcendente, natus acquiret dignitates ſimiles regno. Quòd ſi mercurius in decima cum parte regni, & alias bene diſpoſitus, fortunatus atq; fortis fuerit, acquiret regnum abſq; dubio, uel dignitatem magnam. Si ſic pars fortunæ eſſet in decima cum Luna, fieret rex magnus infallibiliter.

Si Almuten aſcendentis in aſcendente fuerit, honorabitur in patria ſua.

Si Piſces in aſcendente fuerint, & Iupiter bene diſpoſitus, natus erit cauſa ſui regni, habebitq; bonum ex proprio magiſterio.

Si utrumq; luminare in ſua exaltatione, in ſuo dominio liberum ab infortunis extiterit, erit natus totius mundi rex, & ſemen eius hæreditabit terram, obtinebitq; multo tempore.

Aſcendens alicuius natiuitatis, ſi fuerit medium cœli mundi, fueritq; ſignum mobile Aries uel Cancer, & ille gradus, qui fuerit in linea medij cœli fuerit idem gradus, in quo eſt exaltatio Solis uel Iouis, expandetur nomen eius per uniuerſam terram.

In cuiuſcunq; natiuitate Iupiter receptor fortitudinum omnium planetarum fuerit, & ipſe commendauerit eas, & ſuam Saturno, fueritq; receptus ab eo, & uterq; orientalis & aſcendens in angulo, erit natus magnus & potens in hoc ſeculo, & boni eſſe, & ſurget nomen eius in orbe.

Si pars regis ſiue regni in altera domorum Martis extiterit, in bono aſpectu Martis, & ambo in fortibus locis & altis in aſpectu Solis, & Pars fortunæ ſalua ac fortunata, natus erit dux exercituum, fœlix in operibus ſuis, uirtute & uictoria præſtans. Et ſi prædicta fuerint contraria, erit miles gregarius.

Iupiter fortunatus, ſi in medio cœli aſpicit partem regis in bono loco exiſtentem, & receptam à domino domus ſuæ, & pars fortunæ ſimiliter in bono loco aſpecta à domino domus ſuæ, & non deſit aſpectus Solis, natus erit iudex ſapiens ualde, uel prælatus magnus.

Iupiter in medio cœli exiſtens, ſi ibi habuerit aliquam dignitatem non aſpiciente Sole, aut aſpiciente ex quadrato uel oppoſito, natus ſeipſum faciet dominum, & imperabit genti, ex parte religionis.

Dominus aſcendentis ſi applicat planetę exiſtenti in exaltatione ſua, natus adhærebit regibus. Si planetæ exiſtenti in domo ſua, erit laudatus & honoratus in ſua domo, & terra. Idem iudicabis per applicationem Lunæ ad planetam exiſtentem in exaltatione ſua uel domo.

Luna ſeparata à coniunctione alicuius planetæ, applicans planetæ exiſtenti in exaltatione ſua, uel in medio cœli pollicetur dignitatem.

Orientales à Sole mane apparentes, aut occidentales à Luna, regnum dant.

Iupiter & Venus in exaltationibus ſuis in decima domo, à parte fortunæ, aut ipſa pars in medio cœli ab aſcendente, & dominus partis Iupiter uel Venus, & ipſi in aliqua dignitate ſua in aſcendente, promittunt regnum.

Quatuor fortunæ in angulis, regnum ſignificant.

Sol in ſigno regali in medio cœli receptus à Luna in triplicitate eius, regnum nato promittit.

Quando omnes planetæ applicant Ioui, & Iupiter per conuenientiam dederit uim ſuam Saturno orientali fortunato recepto, natus regnum magnum habebit.

Dodecatemorion unius luminaris, cadens in domum alterius, dat bonum ſtatum & honores.

Dodecatemorion Saturni in domicilio Iouis, dat officium iudicis.

Dodecatemorion Solis uel Lunæ in decima domo, tantum operantur in cuiuſcunque natali, quantum ſi ipſa ibidem eſſent luminaria.

Dominus decimæ, ſi domino primæ applicuerit, natus erit homo, cuius rex indigebit, ac ſi ſit inter eos receptio, erit procurator regis, & rerum eius.

Dominus primæ, ſi applicuerit domino decimæ, natus ibit ſuo ſtudio & labore ad ſeruitia regis.

Dominus medij cœli ſi fuerit ſeparatus à domino primæ, natus erit cum regibus infortunatus.

Dominus primæ ſi fuerit ſeparatus à domino decimæ, natus adhærebit regibus, ſed erit timidus, & propterea dimittet officium quod habuerit.

Dominus primæ in decima in aliqua ſuarum dignitatum, exaltatione, triplicitate, domo, uel termino, ſi Sol eum aſpexerit ex bono & forti loco, & pars regni, & pars fortunæ ambæ fuerint in bonis locis, & fortibus, natus habebit dignitatem & dominium in terra ſua, & ſi tale ſignum fuerit fixum, nec infortunantes aſpexerint, obtinebit illud dominium toto tempore uitæ ſuæ.

Pars regni uel decimæ domus, uel unus eorum ſi fuerit in prima domo, natus dominabitur prouinciæ, in qua natus fuerit in iuuentute. Et ſi hoc fuerit in medio cœli, erit in medio ſuæ ætatis. Si in ſeptima uel quarta, in ſenectute.

Ambæ fortunæ fortes in bonis ſignificationibus, & infortunæ nullius uirtutis, natus talis erit dum uixerit fortunatus.

Dominus aſcendentis à Sole receptus, uel à domino medij cœli, ſignificat natum laudari & honorari à regibus, & ab eis obtinere dominium.

Generalis regula in adeptione dominij, eſt ut aſpicias ad ſignum domus decimæ, & ad eius dominum, & ad Solem in die, & in nocte ad Saturnum, & quis eorum ſit potentior in figura, id eſt, qui fuerit dominator inter eos, Qui ſi fuerit in do-

mo ſua, & inter ipſum & aſcendentis dominum aliqua fuerit applicatio, commix-tio, & conuenientia, ſignificat quòd natus habebit bonum à rege. Et ſi nulla commixtio fuerit inter eos, natus erit ſeparatus à rege, nec lucrabitur regis numen aliquod.

Quando dominus primæ alicui applicat luminari, uel luminare ipſi, bonum à rege portendit, ſi fuerit receptio. Si non receptio fuerit, non multum ex rege lucrabitur.

Vide planetam cui applicat dominus aſcendentis, nam ab eo ſcies honorem & potentiam nati. Et ſimiliter quis applicet illi. Vnde ſi fuerit applicatio eo exiſtente in exaltatione ſua, natus honorabitur, & lucrabitur à regibus & nobilibus. Et ſi applicet planetæ exiſtenti in domo ſua, laudabitur ab hominibus ſuæ ciuitatis, & ſimiliter de triplicitate & termino iudicando proportionaliter. Tamen ſi dominus huius domus fortis & fortunatus fuerit in prima uel duodecima, dic natum honorari à regibus, & inde bonum habiturum.

Saturnus in diurna genitura in medio cœli potentior cæteris in figura, ſignificat poſt triceſimum annum, natum illum à regibus debere uenerari & honorari, & inde utilitatem aſſecuturum. In nocte uero contrarium operatur.

Mars in medio cœli in natiuitate nocturna, ſignificat natum à regibus honorari. In die contrarium.

Mars dominus aſcendentis in medio cœli, præbet nato dignitatem atque potentiam, quibus cùm aliorum iniuria & crudelitate utetur.

Luna cum Ioue ambo ad augem ſuam aſcendentes, ſignificant magnos & famoſos.

Sol in medio cœli cum Saturno in ſigno maſculino orientalis, dat nato robur & poſſe magnum.

Luna in Tauro in medio cœli uel aſcendente, & Sol in Leone in prima exiſtens, hos qui ita poſitos habuerit, ad magnam perueniet dignitatem.

Dominus aſcendentis, & Luna in aſcendente, ſi ambo ſeſe fortunantes ſtellas aſpexerint, erit natus ille in potentia, ita quòd nullus poterit ſua mandata præterire.

Cum domini triplicitatis luminaris nocturni fuerint ab eo occidentales, & lumine aucti, erit nato magnæ fœlicitatis indicium.

Cuicunque fuerit dominus aſcendentis in dextro Solis, & ſupra ipſum eleuatus, id eſt, ductoriam habuerit, & iam perficiat ſuam orientalitatem, talis natus habebit regum amicitias.

Sol Ioui coniunctus, uel in eius bono aſpectu, gloriam, laudem, & potentiſsimę dignitatis inſignia largitur.

Iupiter & Mercurius in aſcendente, claros & magni nominis uiros, & præfectos ciuitatibus demonſtrant, natiuitate diurna exiſtente. Si nocturna, facit procuratores cauſas in foro agentes, aut aduocatos.

Si Venus in aſcendente in ſua dignitate fuerit, natus habebit dominium, & induet bonos pannos & nobiles, erit theſaurarius regum, ſapiens & intelligens. Si Venus non fuerit in dignitate ſua, ſed in ſigno terreo uel aqueo, natus erit tinctor pannorum, uel pictor. Si fuerit in quadrupede, erit beſtiarum cuſtos uel ductor. Et ſi in ſigno duorum corporum, erit cocus, uel tabernarius.

Malus planeta in nona impeditus, ibidem carens dignitate, ſignificat quòd accuſabitur & culpabitur cum & ſine cauſa. Si uero fuerit fortuna ibidem non impedita, & eo fortius ſi ibidem habuerit dignitatem, ſignificat quòd honorabitur & laudabitur, cum & ſine cauſa.

Dominus medij cœli ſi retrograditur ab Ictiſal domini aſcendentis, non recipietur natus à domino ſuo.

Cum

Cum dominus aſcendentis & Luna fuerint in aſcendente, & duæ fortunæ ſimiliter aſpexerint ſeſe adinuicem, erit natus multum fortis & potens, nullusq; prætéribit eius mandatum.

Dominus domus Solis, dominus domus Lunæ, dominus aſcendentis orientales, in angulis aſpicientes ſeſe ex bonis locis trino uel ſextili, ſignificant fortunam & proſperitatem.

Sol in Medio cœli in ſigno igneo, & Luna in Tauro, cuius aſpectus erit ſiniſter, erit multum potens.

Sol in aſcendente, & Luna in quarta, ſignificat dominium.

Sol in aſcendente, Medio cœli, uel nona domo bene diſpoſitus, gloriam & excellentiam ſignificat.

Tres planetæ fortes in triplicitate ignea, maxime Sol & duo ſuperiores, faciunt natum glorioſum & excelſum.

Iuppiter mittens Antiſcium ad Medium cœli, ſignificat magiſtratum, ſi fœlix & ſaluus fuerit. Si autem Saturnus uel Mars id hoſtiliter aſpiceret, interturbaret præſidium Iouis, & magiſtratus adminiſtrationem.

Si dominus quartæ domus in quarta fuerit, natus erit magnæ autoritatis, & boni nominis.

Si Saturnus in quarta ſolus fuerit in die, habebit potentiam à Rege, erit cuſtos thæſaurorum, homines confident in eo, deponendo apud eum res ſuas. Si in nocte ſubſtantia patrum perdetur, fiet paraliticus. Et ſi in eius quadrato uel oppoſito fuerit Luna, habebit infirmitates in membris ſpiritualibus, & ſtomacho, & copulabitur ſeruæ.

Adunatio planetarum in quarto, ſignificat famam perpetuam poſt mortem permanere in corrupto corpore.

CAPVT VNDECIMVM.

De magiſterio nati, & eius opere.

CONSIDERA primo quæ ſtella de ſub radijs Solis egreſſa mane ante ortum Solis apparuerit, uel ſi quæ Medium cœli tenuerit, Ichiſal cum Luna obtinens per aſpectum. Quòd ſi hæc duo, quæ prædicta ſunt uni planetæ conueniant, eum ſolum obſerua in magiſterio nati. Quòd ſi unum ex prædictis eueniat, ſic quòd nullus planetarum appareat mane ante orbem, id eſt, ortum Solis, ſed loco iſtius aliquis reſideat in Medio cœli, aſpectum cum Luna habens, illum gubernatorem officij elige. Si autem unus mane apparuerit, & alter in Medio cœli locatus fuerit, Lunã aſpiciens, uterq; eligendus eſt. Illum autem qui alterum uincit ſecundum multitudinem teſtimoniorum in loco Solis, Medio cœli, uel aſcendente præpone, & per utroſq; nati officium determinabis. Quòd ſi mane ante ortum Solis planetam apparentem non inuenies, nec in Medio cœli, gubernatorem Medij cœli accipe. Is tamen natus in ſuis operibus, tardus efficietur, necnon in ſuis operationibus maiori in parte ocioſus permanebit.

Secundo, cum inueneris officij gubernatorem, uoluerisq; certo ſcire, quale erit officium nati, attende planetam officiorum, ſcilicet Martem, Venerem & Mercurium, nec non ſigna quæ occupant. Sed ſi planeta officij aliquam connexionem habuerit cum prędictis tribus, aut cum eorum aliquo, nati officium amplius certificabitur.

Tertio uide quam uim quilibet trium planetarum, ſcilicet Mars, Venus, Mercurius

curius in officio & magiſterio obtinuerit, à Mercurio inchoando. Nam cum Mercurius auctor operis, & magiſterij fuerit, natus erit doctor, computator, mercator, nummu'arius, rerum cognitor & inuentor, ſtellarumq; uires iudicabit, & generaliter in librorum lectionibus, ac eorum expoſitionibus uerſabitur. Si in dignitatibus ſuis, erit mercator dandi, & accipiendi, In dignitatibus Veneris, erit aſtrologus ſapiens in iudicijs aſtrologiæ. Quòd ſi Saturnus Mercurio teſtificetur, ſic ut uel Saturnus ſit dominus magiſterij, & habeat conuenientiam cum Mercurio, uel econtra, erit natus alienarum rerum diſpoſitor, & ſomniorum interpres, uel in domibus Dei occaſione alicuius noticiæ, ſeu de diuinatione quæ in eo erit, commorabitur. Quòd ſi Iupiter ei teſtificetur, erit natus auctor legis, ſapiens, cum probis etiam hominibus conſeruabitur.

Quartò, cum Venus auctoritatem habuerit in opere ac magiſterio nati, natus adiunget ſe ad opera ſpecierum, rerumq; aromaticarum, & odoriferarum, ſeu ad picturas & pannorum tincturas uel texturas, uel ad mercaturam rerum etiam odoriferarũ, uti uini, florũ &c. Quòd ſi Venus teſtificetur Saturno, & fuerit in ſua dignitate, erit eius mercatio in ſupfluitatibus & mollitie, eritq; deceptor & necromãticus. Quòd ſi ei teſtificetur Iupiter, natus erit aptus ad magnos honores, eritq; magnus iudex, diuitiæq; affluent ex hæreditate mulieris.

Quintò, cum Mars fuerit dominus officij, & habuerit aſpectum cum Sole, natus erit incenſor ignis, & ſi Mars fuerit in bono ſtatu, ut in bona domo, erit foſſor auri, uel aurifex. Et ſi in malo ſtatu fuerit, erit incenſor furni, coquus uel balneator, & ſi non habuerit aſpectum cum Sole, nati magiſterium ferro tractabitur, ut naues componere, arare, arbores findere, &c. Et ſi fuerit Mars in dignitatibus Saturni, erit ſcutellator, uel coquus. In dignitatibns Mercurij uel Lunæ erit inciſor lapidum & architectus. Quòd ſi Mars teſtificetur Saturno, natus erit nauigator, natator, & in balneis aquam ſubminiſtrabit hominibus, aut erit coquus uel pictor. At ſi Iupiter Marti teſtificetur, erit miles, ac pœnarum miniſter decimator uel hoſpes.

Sexto, quæ magiſteria & officia prædicta tres planetæ decernant, dum mixtas ſortiuntur naturas. Cum Venus fuerit cum Mercurio, & in officio magiſterioq; nati dominium obtinuerit, natus exercebit ſe in muſica, & ludis, & cantilenarum inuentionibus, fiet compoſitor inſtrumentorum muſicalium, maxime cum reperti fuerint Venus & Mercurius in conuenientibus locis, ut Venus in dignitatibus Mercurij, & Mercurius in dignitatibus Veneris, tunc enim natus erit uerſificator, ioculator, iocoſorum inſtrumentorum magiſter, & factor fidium, & pictor, deriſor, & incantationum inuentor. Quòd ſi eis ſcilicet Veneri & Mercurio teſtificetur Saturnus, natus mercabitur res quibus mulieres adornantur. Si Iupiter, natus erit compotator, & ſemper in locis congregationum hominum, & circa portas regias commorabitur, docebitq; pueros, & in rebus uulgi ſollicitabitur.

Septimo, ſi Mars & Mercurius gubernatores fuerint, natus erit doctus in compoſitione imaginum, & armorum, eritq; ſtructor in rebus quibus diuinæ domus utuntur, & animalium imagines faciet, eritq; luctator, medicus, chirurgus, maleficus, fornicator, & chartarũ falſificator. Si Saturnus eis teſtificetur, erit natus interfector, & aliena ueſtimenta diripiet, eritq; uiarum infeſtator & in cauernis morabitur. At ſi Iupiter eis teſtificetur, bella diliget, armorũ rector erit & procurator, & uerſipellis, circa extranea ſollicitus, lucra ex eis conquirens.

Octauo, ſi fuerint Venus & Mars domini, natus erit tinctor, & ſpecierũ uenditor, auri argentiq;, ac plumbi magiſter, ac cũ armis iocabitur, ac medicamina conficiet, & erit medicus & agricola. Si Saturnus eis teſtificetur, ad immolandum animalia ſollicitabitur, mortuos induet, & deflebit funera & ad ſepulchra cantabit. At ſi Iupiter eis teſtificetur, in domibus orationum, ſemper commorabitur, & augur

exiſtet

exiſtet, & in fœmellis maritandis ſollicitabitur, eritq́ delitioſus, & diſſolutæ cogitationis.

Nono conſidera quam proprietatem adferant ſigna gubernatoribus officiorum, cum ea occupauerint. Cum enim gubernatores officiorum fuerint in ſignis humanis, adiuuant hominem pro ſapientia, & perfectione magiſterij. In ſignis quadrupedibus, adiuuant in magiſterio metallorum, ædificationum, atq́ dolandi. In ſignis ſolſtitialibus aut æquinoctialibus, adiuuant ad diſcendas uarias linguas, ac facere uarias translationes. Quare qui hos ſignificatores in iſtiuſmodi ſignis magiſterij habuerit, erit doctus in Geometria, & ductus aquarum de uno loco in alium traducet. In ſignis quarum figuræ feris aſsimilantur, adiuuant in magiſterio quod in humiditate contingit, ut parare naues & uaſa, in quibus humectantia ponuntur, omnibusq́ rebus, quibus cibaria conduntur.

Decimo, cum Luna in magiſterij officio domina extiterit, & poſt coniunctionem ad Mercurium iuerit, in Tauro, Cancro, uel Capricorno, erit natus ſapiens, & immolator, & obſeruabit uaſa aquarum. Si autem Luna fuerit in Sagittario, uel Piſcibus, per mortuos diuinabit, & malignos etiam ſpiritus de loco ad locum moueri coget. Et ſi Luna fuerit in ſcorpione, uel Virgine, erit Necromanticus; Aſtrologus, indicabit occulta, & prædicet futura. Si Luna ſic fuerit in ariete, Leone, uel Libra erit propheta ſapiens, & ſomniorum interpres.


Vndecimò, quam utilitatem natus adepturus ſit in officio ſuo, & an in eo permanſurus ſit uel non, pro his conſidera gubernatores officiorum, qui ſi fuerint in dignitatibus ſuis fortes, & in angulis non impediti, & ſi fortunæ fuerint uel in dignitatibus fortunarum, erit officium nati fixum, commendabile, cum magno profectu, & augmentatione famę. Sed ſi infortunæ dominium obtinuerint, erunt nati officia diuerſa, deſpecta, & damnoſa, in quibus ſæpenumero decipietur. Quòd ſi Saturnus impeditor fuerit, accident prædicta impedimenta ex pigritia nati. Si Mars impeditor fuerit, accidet impedimentum in timore & fama mala. Si ambo Saturnus & Mars fuerint impeditores, euenient nato mala in uita ſua, generaliter autem prædictorum incrementa & detrimenta dinoſcuntur ex commixtione ſtellarum adinuicem, ſecundum ſitum, fortitudinemq́ earum in figura cœli, necnon habitudine, ſi matutinales, uel ueſpertinales extiterint. Hæc Ptolemæus.

Cæterum ad qualitatem & perfectionem magiſterij indagandam, plurimum conducit morum & inclinationum nati, tam rationalium quâm naturalium exploratio & inueſtigatio, in qua ſecundum præcepta artis, hæc ferè ſequenda eſt methodus, quam & regulis & exemplo explicatam paucis hoc loco repetere libuit.

Mores & inclinationes { Rationales / Naturales } ſumunt à { ☿ / ☾ } & eius diſpoſitore, Qui ſi fuerint in ſignis fixis, communius uel mobilius ſignificant iuxta talia ſigna.

Si autem fuerint in diuerſis ſignis, quoniã tunc oportet facere cõmixtionem augendo uel remittendo ſignificationes ad inuicem. Semper tamen reſeruando principales ſignificationes Almuten loci ☿ Almuten aſcendentis, & Lunæ, Remittendo ſi contrariantur. Si ſimilantur ſignificata, adiungendo & coniungendo ut in tali, exemplo.

Rationalis



Rationalis potentię ſignificator eſt ☿ in fixo, ſcilicet ♏, Diſpoſitor eius eſt ♂ quoq; in fixo, ſcilicet ♌. Et quia ſunt in fixis ſcilicet ut pro parte rationali, ſignificāt hominē iuſtū, non fallacē, nec leuem, ſed ſtabilē &c, ſicut promittunt ſigna fixa. Quia etiā ♂ gubernator uirtutis rationalis, eſt in bono ſtatu in Zodiaco, nā in ſigno ſibi conuenienti eſt, & habet ſe bene ad Solem, cū ſit orientalis, directus, quamuis in figura ſit in mala domo, quod potius debilitatem quàm maliciam ſignificat. Vnde mali ponuntur potius cadentes ab angulis, ad debilitandum eorum maliciā, quàm in angulis. Quare illud de bono quod ♂ poteſt facere, in parte rationali eſt, quòd natus erit audax, potens, fortiſſimus, iracundus, appetens arma, &c.

Naturalis ☽ In fixo ſcilicet ♒ Diſpoſitor eius ♄ in mobili ſcilicet ♈. Ibi non eſt tanta firmitas: quia quamuis Luna ſit in fixo, Diſpoſitor tamen eius ♄ eſt in mobili. Etiam Luna non habet participationem cū ☿ niſi per accidens, quòd ☽ ſit in ☍ ♂ diſpoſitoris Mercurij. Significāt igitur quòd naturalis uirtus, nō omnino obediet rationali, nec ė contra niſi per accidēs. Saturnus enim gubernator partis naturalis, quia male ſe habet in figura, cum ſit in octaua domo, & in caſu ab exaltatione, dat mores malos iuxta ſui naturam, qui per appetitū naturalem exiguntur, ſunt mores turpes, erit igitur uilis, puſillanimus, ignarus, &c. Quòd ſi ita bene gubernaret rationalē ſicut naturalem, tunc ſecundū Ptolomęum, reputaretur ualde malus, ueruntamen quia nō eſt ita, quare etiā bonitas uel malitia morū plus recipitur in parte rationali. Quia etiam Luna participat fortiſsime cum ♂ in figura, cum ſit in eius ☍, debiliter uerò cum ♄ cum diſtet ab eius ⚹ fere 11. gradus. Prædicti mores Martij, in quibus magis ſecundum doctrinam, conſuetudinem & alia particularia imbutus eſt, inter mores aliorum Planetarum potiſsime ipſi remanebunt.

Aliorum ſententiæ & aphoriſmi.

Pro magiſterio & opere nati conſidera.
- Decimam domum.
- Dominum eius.
- Dominum magiſterij.
- Venerem.
- Mercurium.
- Martem.
- Almuten ſignificatorum operis & magiſterij.
- Partem operis & magiſterij.
- Primum dominum triplicitatis decimæ domus.

SIGNIFICATOR magiſterij is eſt, qui in aſcendẽte uel Medio cœli orientalis à Sole inuentus fuerit, & occidentalis à Luna. Item is cui Luna applicat poſt coniunctionẽ, uel oppſitionem precedentem natiuitatem, de die, & in nocturna genitura dominus partis fortunę. Itẽ is planeta cui Luna applicat in natiuitate. Planetę uero qui pro ſua natura ſignificant magiſterium, ſunt Mars, Venus, Mercurius, ſi horum trium unum inueneris in aſcendente, uel Medio cœli, orientalem & habentem pręcipuas dignitates, & applicantem bono aſpectui Solis uel Lunæ, uel ipſos ei applicantes, ſignificatur ingens & maximũ magiſterium, & quòd in operibus ſuis primus & pręcipuus omnium erit ſecundum naturam planetę ſignificatoris operum. Si uerò nullus horum trium in aſcendente, aut Medio cœli eſt: ſed in quarta uel ſeptima domo, non erit tam excellens & eximius in magiſterijs. Si uero nullum horum in aliquo angulo inueneris, inſpice ſignificatorem operũ nati, hoc eſt dominum Medij cœli de die, de nocte autem planetam cui Luna applicat, pręcipue ſi is planeta dominium habet, & fortitudinem in loco partis fortunę. Si uero Luna eſt uacua curſu, & nulli planetæ applicat, tunc eum planetam ſume pro ſignificatore operum, à quo Luna defluxit, & dominum eius domus, uel dominum partis fortunæ, uel dominum domus, aut termini illius in quo is planeta eſt, & quem ex his in optimo loco, & plurimis teſtimonijs inueneris, is eſt ſignificator operum. Et ſi is planeta eſt in bono loco, & Mercurius eum beneuole aſpicit, ſignificat bonum ſtatum & incrementum magiſterij. Si uero hunc ſignificatorem aſpicit Saturnus amice, ſignificat uitam eius & magiſterium fore in oratione & agricultura. Si eum aſpicit Iupiter, futurus eſt ſcriba & peritus legum, & reges & diuites ei fauebunt. Si Mars eum beneuole aſpicit, erit medicus uel uates, uel necromanticus, aſtutus, & promptus in ſuis operibus. Si Sol eum aſpicit, aut ei applicat in eodem ſigno ſine combuſtione tamen, ſignificat glorioſum & excellens magiſterium, & magnam ſubtilitatem, & erit ſcriba regis. Si Venus eum aſpicit, natus ſe adiunget uxoribus regum & potentum, & ab eis diligetur, pecuniam ac honorem inde acquiret. Si Luna aſpicit ſignificatorem magiſterij, ſignificat nato tales artes, è quibus pecuniam & emolumentum conſequetur. Si uero infortuna aliqua ſignificatorem magiſterij ex quadrato uel oppoſito aſpicit, uel corporaliter damnat, ſignificatur difficultas, labor & damnum in magiſterio.

Almuten ſignificatorum operis & magiſterij ſumitur à
- Cuſpide decimæ domus
- Domino eius
- Sole
- Parte operis
- Domino eius
- Primo domino triplicitatis decimę domus

Almuten illorum locorum eſt ſignificator magiſterij

Si

Si fuerit Iupiter in quarta in ſuo Hayz, natus erit nobilis, aut mercator animalium, aut paſtor beſtiarum nobilium hominum, homo iuſtus, finis uitę ſuæ melior erit principio.

Mercurius dominus Medij cœli exiſtens ibidem occidentalis, egreſſus radios Solares in aſpectu Iouis bono, facit natum cancellarium Regis.

Luna curſu uacua, ſignificat quòd natus erit ocioſus, & diliget ire per montes & deſerta.

Aſpice Almuten coniunctionis uel oppoſitionis præcedentis natiuitatem, nam in magiſterio ſignificato per ipſum, natus erit agilior. Et ſi ille fuerit fortunatus in natiuitate, habebit commodum ex magiſterio illo: ſi infortunatus fuerit, non habebit.

Si fuerit Mars occidentalis in Cancro, non aſpiciens Saturnum, nec Iouem, nec Venerem, neq; Solem, ſic natus erit flebotomator. Eodē modo Marte exiſtente in Capricorno, erit corruptor hominum, & effuſionis ſanguinis amator.

Mercurius recipit naturam Martis in domibus illius exiſtens. Et ſi fuerit configuratus eidē cadenti ab angulo, erit natus amator uenationis, diliget ludere taxillis. Si uero cadens non fuerit, erit bellicoſus & miles.

Saturnus, uel Mars dominus duodecimæ in aſcendente inclinat natum ad uenationem, & forte interficietur à lupo, uel cane.

Si Mercurius fuerit in aſcendente, natus erit Aſtrologus, & ſi eum aſpicit Iupiter, erit theſaurarius regis. Idem ſi Sol aſpexerit eum.

De audacia & metu.

SI pars fortunæ cum Marte fuerit, natus erit miles, uel capitaneus, uel eques, armiger, uel uenator, maxime ſi Luna cum eo fuerit.

Pars audaciæ, in angulo fortunata facit capitanei m[illegible] exercitus. Similier quando aliquod luminariū fuerit in domo Martis, aſpiciendo partem prædictam, & eius dominum.

Si fuerit Sol in aſcendente, & Luna in medio cœli, natus erit audax & effuſor ſanguinis. Similiter quando aſcendens fuerit maſculinum, & ambo luminaria in ſignis maſculinis, & dominus aſcendentis in maſculino, & Mars in angulo.

Optimum eſt in militia, ut Iupiter recipiat Martem per bonum aſpectum.

Saturnus coniunctus per corpus, aut quadrato, aut oppoſito, cum parte audaciæ, non admittit præfecturam militum.

Mars in ſignis aqueis, facit natum timidum.

Mars in domo Lunæ facit natum crudelem.

Mars cum Mercurio in Medio cœli facit prædonem famoſum.

Mars cum Mercurio ſub radijs in angulo, facit latronem notum, & famoſum.

Mars com Luna in angulo ſub radijs facit latronem ſolitarium, & ſecretum.

Dodecatemorion Martis ſi cum Mercurio fuerit, & unus eorum commixtus aſcendenti, uel habens teſtimonium in aſcendente, natus erit audax.

Exemplum

Exemplum genituræ propoſitæ.



Concluſio prima. Natum regem futurum magnæ potentiæ, clariq; nominis, ratione multitudinis ſubſtantiæ uetuſtæ, & exercituum, expeditionum, atq; ſubditorum, ſignificat luminare temporis in ſigno maſculino, igneo, & in angulo, circundatum radijs Saturni in angulo forti, & radijs Martis perfecte receptum in ſigno regio exiſtentis, atq; Mercurio domino Medij cœli & aſcendentis. Huic rei teſtimonio eſt ſtirpis ſuæ origo.

Concluſio ſecunda. In pecunię uetuſtę adeptione difficultatem ſentiet, propterea quòd Saturni ad Solem applicatio ſit de quadrato.

Concluſio tertia. Gaudebit in mortuorum ſubſtantijs, & id quod conſequetur, non ad ſeruandum reponet, uerum mox donationibus liberalibus atq; magnificis conſumet, trahitur hoc ex Saturno forti in domo ſua, & angulo.

Concluſio quarta. Significatorem officij ſui Mercurium accipio. Nam nullus exit de ſub radijs matutinis, nec aliquis eſt in Medio cœli.

Concluſio quinta. Ergo officij ſui erit, ingenio, atq; conſilijs populos regere, exercitus ducere, malos punire, leges, iuraq; ſtatuere, & iuſtitiam adminiſtrare. Sumitur hoc ex domino officij, qui Soli in ſigno regali applicat, ſuam ipſi dignitatem tribuens, trino Marti permixtus. Idem patet ex parte operis, & magiſterij, in trino Solis & Martis, in ſignis regalibus. Deniq; Almuten eſt omnium ſignificatorum regni, ipſe Sol. Item ſtella fixa primæ magnitudinis Humerus Orionis naturæ Martis & Mercurij, eſt in cuſpide Medij cœli.

Concluſio ſexta. Per ſe erit occaſio regni ſui, & dominij, coniectura eſt, quod idem eſt dominus aſcendentis, & Medij cœli, Sol in dignitate ſua applicans.

Concluſio ſeptima Dignitatem in altis dominijs & potentiam in populis, & quòd maiorum ſuorum ueſtigijs inhærebit, oſtendit Saturnus primus dominus triplicitatis huius domus, fortis & potens in domo propria.

Concluſio octaua. Regimen eius fiet cum audacia forti, ſine timore. Nam Saturnus eſt in exaltatione Martis, præterea Luminaria in domibus Martis.

Concluſio nona. Prælia etiam acturum, in quibus hoſtes regni ſui deuincet fortitudine, atq; ſagacitate, concluditur, quia pars regni in ſexta Leonis coniuncta eſt Marti, & irradiata trino radio Solis domini ſui.

Concluſio decima. In imperium etiam & regni ſublimitatem uenturum, trahitur ex eo, quòd natiuitas ſua plurimum conuenit cum eſſe circuli, hora coronationis patris eius. Nam locus Solis in utriſq; idem eſt. Similiter loca Veneris & Mercurij. Deniq; aſcendens huius nati cum aſcendente natiuitatis matris eius concors eſt.

Concluſio undecima. Altitudinem etiam, & bonam famam nati, indicant. Iupiter, & Luna ſextiliter ſe aſpicientes.

Concluſio duodecima. Raro ſtabit in ocio, ſed frequens erit in negocio. Nam Iupiter dominus partis operis eſt in aſcendente.

Concluſio decimatertia. Bonum ſtatum, ualetudinem, & honorem, Dodecatemorion Solis in domo eiuſdem & trino radio pollicetur.

Concluſio decimaquarta. Quaſdam tamen anxietates ei minatur Dodecatemorion Saturni in domo Martis.

CAPVT DVODECIMVM.

De Coniugijs.

IN Matrimonio maſculorum conſidera quam quartam Luna occupet. Si quartam orientalem occupauerit, natus in iuuentute matrimonium contrahet, uel poſt ſuorum annorum plenitudinem iuuenculam ducet in uxorem. Quartæ orientales ſunt Duodecima, Vndecima, Decima, Sexta, Quinta, Quarta domus figuræ cœleſtis. Sed quartæ orientales ſecundum mundum ſunt à coniunctione Solis & Lunæ, uſq; ad eius oppoſitionem. Si igitur Luna quartam occidentalem poſſederit, tarde uxorabitur, uel copulabitur cum uetula in ſua iuuentute, aut eius coniugium prolongabitur, donec procedat in dies, & poſtea copulabitur cum quauis, uetula uel puella. Quartæ occidentales ſunt nona, octaua, ſeptima, tertia, ſecunda, prima domus figuræ cœleſtis. Sed quartæ occidentales ſecundum mundum ſunt ab oppoſitione Solis & Lunæ uſq; ad eorum coniunctionem.

Luna ſi in unius figuræ ſigno fuerit, uel ſi ad unum ſolum planetam applicuerit, uni ſoli copulabitur. Si in ſigno duorum corporum uel multarum figurarum permanſerit, uel pluribus planetis aſpectu uel coniunctione applicuerit, pluribus copulabitur.

Cum Luna fuerit in ſigno conuenienti, uel in dignitatibus ſuis, habens conuenientiam cũ fortunis ex quocunq; aſpectu, eius ſponſæ conuenientes erunt & aptæ. Si autem infortunis applicuerit, erunt rebelles, & ſuos uiros odio habebunt. Nam ſi Luna ad Saturnũ applicuerit, uel fuerit in dignitatibus eius, erit uxor eius laborioſa, & praua ac mala, ipſiusq; qualitates erunt feroces & crudeles. Si Luna ad Iouem applicuerit, erit conueniens & idonea, ac doctę diſpoſitionis. Si Luna Marti applicuerit, animoſa erit, & indomita. Si Veneri, erit formoſa ualdeq; iocoſa. Si ad Mercurium, erit boni intellectus, Vel ſi cum Saturno, Ioue, uel Mercurio Venus extiterit, cum his quæ ad uitam pertinent, erit ſatis utilis marito, & proderit ei. Sed ſi cum Marte fuerit, erit deuaſtatrix bonorum uiri, ac inſtabilis & non intelligens.

In Matrimonio fœmellarum, conſidera Solem, qui ſi in quarta orientali repertus fuerit, in iuuentute uiro deſponſabitur, uel in ſenectute maritum iuuenem accipiet,

plet. Si autem in quartis occidentalibus Sol repertus fuerit, tarde marito coniugabitur, uel in iuuentute ſeni deſponſabitur.

Si Sol in ſigno unius figuræ inuentus fuerit, uel uni tantum planetæ matutinali aſſociatus, nata ſub hac configuratione, uni tantum uiro ſocia dabitur. Si in ſigno duorum corporum, uel plurium figurarum extiterit, aut in figura pluſquam uni planetæ matutinali aſſociatus fuerit Sol, multos maritos habebit.

Si Sol Saturno ex figura aſſocietur, uel ſit in dignitatibus eius, erit uir ipſius probus, iuſtus & laborioſus. Si uero Sol cum Ioue ſocietatem habuerit, humilis erit & magnanimus. Si cum Marte, erit crudelis, & nullius dilectionis, nec humiliabitur. Si cum Venere, erit probus & formoſus. Si cum Mercurio, in rebus uitæ proficiet, & laborioſus erit. Si Venus cum Saturno fuerit, eius uir erit feſſus, & ab actibus uenereis abſtinebit. Si cum Ioue fuerit, erit bonus & iuſtus, ac uerecundus. Si cum Marte fuerit Venus, erit acutæ complexionis, & circa Venereos actus plurimum ſollicitabitur, & erit fornicator. Si cum Mercurio commiſcebitur Venus ipſa, circa proprios filios erit ualde pius.

Cum luminaria in utraq; natiuitate tam uiri quàm mulieris adinuicem conuenient tam ex parte ſignorum quàm ex parte aſcendentium, aut ex trino uel ſextili mutuo ſibi aſſociabuntur luminaria, maxime ſi in natiuitate uiri Luna conuenienter Soli in natiuitate mulieris coniungatur, aut ſi per coniunctionem locorum prædicto modo uel aſpectu, erit perpetuus amor inter eos.

Si Sol & Luna in utriuſq; natiuitate non alligantur adinuicē, aut fuerint in ſignis oppoſitis, aut ex quadrato ſe aſpexerint, coniugium illud quauis de cauſa facile diſſoluetur, maxime ſi aſcendens uiri erit in oppoſito aſcendentis mulieris. Aut luminaria in ambabus genituris ex quadrato uel oppoſito ſe aſpiciant, erit perpetua inimicitia inter eos, & alter coniugum alterum odio habebit. At ſi ad luminaria quæ ſibimet in ideonea figura conueniunt, fortunę radios porrexerint, erit coniugium in amore, dilectione, & profectu, & ſi Soli tantū applicuerint, erit hoc tantū ex parte mulieris. Si autē infortunæ aſpexerint Luminaria, perſeuerabunt quidem, ſed in litigio, odio, & damno. Si uero fortunę teſtificentur luminaribus non bene in figura ſibi inuicem conuenientibus, coniugiū non omnino diſſoluetur, ſed poſt ſeparationem reconciliabuntur, & cum dilectione inſeparabiliter permanebunt. Si infortunæ eis teſtificentur, erit perpetua coniugū ſeparatio, ualde litigioſa, & feritatis plena. Si ſolus Mercurius cum eis fuerit, manifeſte ſeparabuntur cum inculpationibus, & querimonijs. Si Venus cum eis fuerit, continget hoc propter adulterium, aut necromantiam.

Cum Saturnus, Mars, & Venus ſe cum luminaribus conuenienter habuerint, erit coniugium legitimum & bonum, quia Veneris ad prædictos planetas quædam habitudo eſt conueniens, ad Martem quidem, quia utriuſq; eorum tam Veneris quàm Martis exaltatio eſt in triplicitate alterius. Ad Saturnum uero, quoniam utriuſq; domus eſt in ſigno triplicitatis alterius. Veneris igitur reſpectus aut habitudo ad Martem, uxorem iuuenculam fore demonſtrabit. Veneris uero ſocietas cum Saturno, uetulam uxorem fore ſignificabit. Quare Venus cum Marte qualitatem amoris efficit abſolutam, Cum quibus Mercurius ſi fuerit, res manifeſta erit & detecta. Quando igitur participauerint Mars, & Venus, in ſignis in quibus ambo habuerint dignitatem, ut ſi ſint in Capricorno, uel Piſcibus, hoc eſt, ut Venus ſit in exaltatione Martis, & Mars in exaltatione, uel alia dignitate Veneris, natus illegitime copulabitur ſorori, uel conſanguineæ. Quòd ſi Luna etiam in natiuitate maſculi fuerit in Capricorno uel Piſcibus, natus cum duabus ſororibus, uel conſanguineis actus Venereos habebit. Si autem in fœminina natiuitate idem permanſerit, eam duo conſanguinei, uel duo fratres incœſtabunt. At ſi Saturnus cum Venere fuerit, coniugium erit idoneum, & longo tempore permanebit, cum quibus ſi Mercurius

manſerit, erit eis utile. Si Mars cum eiſdem etiam fuerit, firmum non erit, ſed eis nocebit.

Cum Venus fuerit in figuris ſibi conuenientibus, & in poteſtate ſua, decernit quôd mulier copulabitur uiro æquali. Si autem alijs planetis ipſa magis fuerit orientalis, mulier uiro ſe iuniori deſponſabit, & uir uxorem ducet ſe minorem. Si autem Venus magis occidentalis fuerit, mulier uiro ſeniori nubet. Vir autem uxorem ſibi ſeniorem deſponſabit.

Cum Venus & Saturnus in ſignis ſibi conuenientibus commorantur, ut in Libra, uel in Capricorno, hoc eſt, ut uterq; ſit in dignitatibus alterius, erit coniugium inter conſanguineos. Si autem huius prædictæ qualitatis Luna fuerit, hoc eſt, ſi participet cum Venere & Saturno ſic conſtitutis, & in aſcendente, cœli'ue medio qualitas iſta permanſerit, natus cũ matre ſeu nouerca uel matertera coibit. Mulier uero cum prole propria, uel cum ſororis filio, ſeu cum genero Venerem cõmittet. Quòd ſi Sol participet Veneri & Saturno, ſic conſtitutis, ut ſupra Lunam & Planetas occidentales fuerint, natus filiæ coniugis inceſtabit cubilia. Mulier cũ patre, uel patruo, ſeu matris uiro delinquet. At ſi hæc prædicta qualitas Veneris cum Saturno, aut Marte, non fuerit in ſignis unius generis, ſed diuerſarum naturarum, hoc eſt, ut Venus ſit in ſigno alterius naturæ quàm ſint ſigna infortunarum, & econuerſo, & ſi in ſignis & locis fœmininis fuerint, natus plus æquo Venerem concupiſſet, omnibus etiam modis agere aut pati ipſi nullatenus erit difficile.

Conſiderabis etiam ſtellas fixas, maxime autem principia Leonis, & Arietis, Aldebaran, Item & ſtellam quæ Cauda Leonis dicitur, faciem quoq; Capricorni. Si enim prædictæ ſtellæ, fuerint in aſcendente, uel Medio cœli, cum ſignificatoribus prædictis, Saturno, Marte, & Venere, erit natus in operationibus ſuis manifeſtus, & ea in locis in quibus homines conueniunt, reuelabit. Si autem in ultimis angulis fuerint, ut in occidente aut ſeptentrione, erit Eunuchus, uel ſterilis. Sed ſi in his locis ſcilicet ſeptima uel quarta cum ſtellis Martijs fuerint, ſi maſculus fuerit, eius uirga cum teſticulis ipſi abſcindetur. Si fuerit fœmella, ualde profunda erunt ei muliebria, ſine culo, uel uulua, & deſuper erit pellicula, quæ ſi ſcindetur raſorio, apparebit iterum anus, uel uulua. Ptolemæus habet τριβάδας.

Si Mars â Venere, uel Saturno ſeparatus fuerit, eiq; Iupiter teſtificetur, natus erit in coitu mitis, & non immundus, nec Veneri niſi coactus à natura incumbet. Si autem Mars cum Solo Saturno fuerit, à Venere ſeparatus, prolongabitur, & in hoc erit piger, & frigidus. Qui ſi Veneri ac Ioui in figura aſſocietur ex trino uel ſextili, leuiter ad iſta promouebitur, & maximam inde uoluptatem habebit, ſeipſum tamen deinde arguet, & coercebit, â turpibus etiam & immundis ſibi multum cauebit. Si Mars cum ſola Venere fuerit, uel cum Ioue ſolo abſq; aſpectu Saturni, magnam ſtupri uoluptatem habere cupiet, & delicate uiuere. Sed ſi alter ueſpertinalis, alter uero matutinalis fuerit, natus cum uiris & mulieribus coire deſiderabit, nec minus in uno quàm in alio ſollicitabitur. Et ſi utriq; fuerint ueſpertinales, in mulieribus tantum Venereos actus habebit. Quod ſi ſigna fœminina fuerint, ipſe forſan ad turpes actus ſupponetur ſine mulieribus. Et ſi uterq; Iupiter & Venus matutinales extiterint, cum maſculis ſolummodo id perpetrabit. Et ſi ſigna fuerint maſculina, omnibus modis cum maſculis agere ſollicitabitur. Quôd ſi Venus magis occidentalis fuerit, cum uilibus mulieribus & ancillis Venereos actus exercebit. Si Mars magis occidentalis fuerit, nobiliores ſe cognoſcet mulieres.

Venus ſi Ioui & Mercurio in figura aſſocietur, natus erit in coeundo mitis, ac mundus. Et ſi abſq; Saturno fuerit Mercurio aſſociata, magnam uoluptatem coeundi habebit, & id ualde facere deſiderabit, ſed tamen in maiori parte ſe refrœnabit, & uerebitur, turpeſq; actus Venereos poſtponet. Si cum Marte ſolo fuerit Ve-

nus, uel ei in figura aſſocietur, Venereos actus multum exercebit, & inde uoluptatem habebit. Si cum eis Iupiter fuerit, & Mars ſub radijs, rem cum ſeruis, uel extraneis ſui generis habebit. Sed ſi Venus ſub radijs extiterit, cum nobilibus uel dominis ſcortabitur. Si autem hi planetæ ſcilicet Mars, & Venus, in locis, uel ſignis fœmininis fuerint, proprie in hominum coitu ſollicitabitur. At ſi in maſculinis fuerint, in mulierum coitu ualde uerſabitur. Quòd ſi Saturnus his qualitatibus, ſeu ſtatibus dictis aſſocietur, & fuerit fœmininus, ſimiliter dabit communem in pollutione, uilitate, & luxuria. Quòd ſi fuerit Saturnus maſculinus, & orientalis, in ſolario ſtuprum affectabit, uel uiros quos in ſolario reſpexerit, deſiderabit. Iupiter autem hæc impedimenta ſemper mitigabit, Mercurius iuuabit eorum detectiones, & facta turpia. Hæc Ptolemæus.

Aliorum ſententiæ & aphoriſmi.

Pro coniugio uirorum conſidera
- Septimam domum.
- Dominum eius.
- Conſignificatorem ſeptimæ, qui ſemper eſt Luna.
- Almuten ſignificatoris coniugij.
- Partem coniugij.
- Dominum eius.
- Venerem.
- Tres dominos triplicitatis Veneris.
- Duos primos dominos triplicitatis ſeptimæ domus.
- Tertium dominum triplicitatis quintæ domus.
- Partem laſciuiæ.

Almuten ſignificatorũ ſeptimę & coniugij accipitur à
- Cuſpide ſeptimę domus
- Domino eius
- Venere

Almuten horũ ſi concordabit cum almuten aſcendentis, ducet uxorem, ſi non, nullam ducet. Vel ſi omnes iſti ſignificatores, uel eorum fortior fuerint angulares, uel in ſuccedentibus, liberi à malis,

- Parte coniugij
- Domino eius
- Primo domino triplicitatis ſeptimæ

combuſtione, retrogradatione & caſu, & applicantes domino aſcendentis, ſignificant bonitatem & aptitudinem Coniugij, &c.

Signum ſeptimæ domus ſi fuerit ſignum multorum filiorum, aut commixtio ſignificatoris, ex ſignis multorum filiorum, dic quòd natus habebit plures coniuges.

Luna eſt ſignificatrix uxorum, ſed Venus conſignificatrix, ſi aliqua harum fuerit in duplici ſigno, denotabit duas uxores.

Luna applicans planetæ qui ſit in communi ſigno, ſignificat duo coniugia.

Signum ſeptimæ commune duo coniugia decernit.

Sol eſt ſignificator coniugij in mulieris genitura, & Mars conſignificator. Si in natiuitate fœmellæ aliquis eorum fuerit in duplici ſigno, duos maritos habebit.

Quot ſunt planetæ inter Medium cœli & Venerem, tot habebit uxores.

In bicorporeo, duo: In fixo, unum: In mobili multa ſignificantur coniugia.

Numerus uxorum poteſt decerni ab imagine ſigni in quo fuerit Luna, & à numero ſtellarum fixarum, cum quibus coniungitur in illo ſigno, ſecundum longitudinem, & latitudinem.

Numerum uxorum ſcies à planetis dominum ſeptimæ aſpicientibus, Venere

illos aſpiciente, uel ipſis eam, & ſi aliquis ipſorum ſit in communi ſigno, duas dic habiturum. Si autem aliquis eorum fuerit retrogradus, uel combuſtus, non numeretur.

Generaliter, Venus in duplicibus, uel tropicis ſignis, & domini loci Veneris ſimiliter in duplicibus, plures uxores ſignificant, uel etiam mulieribus plures maritos. Quòd ſi Venus in his non fuerit ſignis, & Lunam tantum aſpiciat, unam tantum dabit uxorem, uel unum uirum.

In omni natiuitate Saturnus Veneri iunctus in eodem ſigno, Si Saturnus habuerit plures partes, unam tantum modo decernit uxorem. Si autem Venus plures partes poſſederit, plures habiturum dicito.

Quod planetis applicat Sol ante exitum ſigni in quo eſt in natiuitate mulieris, tot maritos ſignificat. Similiter dic de Luna in uirorum geniturIs.

Iupiter in ſeptima, ſignificat tres uxores, duas uirgines & unã uiduam, eruntq́ illuſtres, habebitq́ cum ipſis fortunam, & lætitiam.

Vide tres dominos triplicitatis Veneris. Si omnes aut plures fuerint orientales, abſq́ impedimento extra radios, natus uxorem ducet in iuuentute, & erit fortunatus in mulieribus. Si aliter fuerit, aliter pronunciabis, maxime ſi domini triplicitatis, non aſpiciunt Venerem. Si uero fuerint occidentales, non contrahet matrimonium, niſi in magna ætate.

Saturnus ſi fuerit exaltatus ſuper Venerem in decima, aut fuerit cum Venere in quadrato, uel oppoſito, natus erit frigidus ad mulieres. Si autem Venus exaltata fuerit in decima ſuper Saturnum, dabit coniugium in media & conuenienti ætate.

Dominus ſeptimæ ſi non aſpexerit ſeptimam, & dominus Lunæ Lunam, dominus quoq́ partis coniugij eandem partem, & dominus Veneris Venerem, natus non guſtabit mulierem.

Si Saturnus in Medio cœli aſpexerit Venerem ex quadrato uel oppoſito, natus abhorrebit à coniugio.

Si fuerit Luna à Sole combuſta, & Venus in ſexta aut duodecima, natus nunquam ducet uxorem.

Venus in decima in trino Lunæ, cum teſtimonio aliarum ſtellarum, unam tantummodo ſignificat uxorem.

Venus ueſpertina in ſeptima, & Saturnus in quarta, uiros ad actus Venereos languidos ſignificat: Sed in fœminæ genitura, eam abhorrere actus Venereos.

Venus ſi fuerit ab aſcendente cadens, iuncta corporaliter Saturno, aut in quadrato uel oppoſito eius abſq́ aſpectu Iouis, natus non appetet mulieres.

Timendę ſunt mulieres habentes in ſuis genituris planetas in locis maſculinis.

Si fuerit pars coniugij uiri in ſignis obedientibus, mulieris autem in imperantibus, mulier imperabit uiro, uir autem obediet mulieri. Si autem econuerſo fuerit, diffinias econuerſo.

Si Venus orientalis in dignitatibus ſuis extiterit, uel ſolum orientalis, uxor nati erit animoſa, quæ etiam uiro ſuo imperabit.

Mulieres ex innata natura inſtabiles ſunt, inſtabiliſsimæq́ dum aſcendentia earum bicorporea ſunt, peſsimæ quidem dum aſcendentia, ſignificatoresq́ in bicorporeis exiſtunt, non tamen fortunata & libera, fiuntq́ dæmones dum Venus, Mars & Mercurius in hac forma aſſociantur.

Si fuerint ambæ infortunæ in ſexta cũ Venere, uxores nati erunt meretrices.

Si Cancer uel Capricornus in quarta domo, & ibi Venus fuerit, natus copulabitur cum meretrice, & contrahet ſcelus ac crimen, culpa ipſius.

Venus in aſcendente coniuncta Saturno, aut publicas meretrices, aut prouectæ ætatis decernit uxores.

Mars

Mars cum Luna in quarta domo in oppoſito Veneris & Mercurij, uiros nimio luxuriantes coitu ſignificat, mulieres uero meretrices oſtendit.

Cancer uel Capricornus in prima, Luna in duodecima, Iupiter cum Marte in quarta, & Mercurius cum Venere in decima, meretrices malas, ſed uenuſtas & diuites nato ſignificant, quæ affines ſuos ad libidinem prouocabunt. Sed qui ſic natus fuerit, exulabit aut ſeruiet in ſenecta.

Venus & Mercurius iuncti cum Ioue, adulteram decernunt uxorem.

Mars cum Ioue in Medio cœli, ſignificat tali nato uxorem ab alio uiolenter rapi. Quòd ſi Venus acceſſerit, meretrix erit. Si uero Sol eos ex quadrato aſpexerit, natus ille petet nouercæ concubitus, aut patris concubinam ducet uxorem, ſed poſtea mulieris fuga matrimonium diſſoluetur.

Venus ſi cum Saturno participauerit, & Martem aſpexerit, erit inter uirum & uxorem zelotypia. Et ſi unus ſit in Capricorno aut Libra, ſumet aliquam ex propinquis. Et ſi iſte ſtatus fuerit cum Luna in prima uel decima, natus concumbet cum matre, uel matris ſorore, uel nouerca. Si autem talis conſtellatio fuerit in natiuitate mulieris, inceſtum committet cum filio ſuæ ſororis, uel propria prole, ſeu mariti ſui filio, quod tamen intellige, ſi ex prima uel decima Luna participauerit cum Venere, & Marte, uel cum Venere & Saturno.

Martis trinus ad Venerem ſignificat quòd amabit deſideria carnis, & ſi hæc participatio ſit à Capricorno, uel Piſcibus, ſignificat natum luxuriari cum ſororibus, aut propinquis. Si unus fuerit in uno horum ſignorum, & alter in altero, & ſi in Lunæ aſpectu, commiſcebitur talis cum duabus ſororibus uel propinquis. Idem in genitur amulieris poteris iudicare.

Si Saturnus ſupra Venerem per quadratum eleuatus fuerit, erit impotens, & impudicus mulierum contrectator. Si econtra Venus eleuatur ſupra Saturnum, erit natus facilis, & pronus ad mulieres.

Luna à Sole combuſta ſi cum Saturno participauerit in figura, uel ſi fuerit in Capricorno, Aquario, uel Libra, nunquam coniugio copulabitur, idq; intellige de genitura maſculi.

Si fuerit Luna ſub radijs habens participationem cum Saturno, nunquam copulabitur, & ſi Saturno applicuerit, copulabitur cum muliere laborioſa & praua.

Luminaria ſi ſe non aſpexerint, nec eorum aliquod aſpiciat aſcendens, & ſi ſit in angulo infortuna nocens, duobus luminaribus exiſtentibus in ſignis maſculinis, uir erit magnæ libidinis, ſed fœmella erit meretrix, uel fricabit alias mulieres.

S fuerint pars coniugij damnata in tertia uel quinta domo, natus aget cum ſororibus ſuis, & filiabus.

Si fuerit Venus, Sol, Pars coniugij, ac Planetæ ſignificatores nati, dominus domus coniugij, in ſignis fœdæ coniunctionis, ut Ariete, Leone, Libra, Capricorno, natus erit ſuperfluus in coitu.

Venus coiuncta Marti, aut in eius quadrato uel oppoſito, ſi fuerit Mars in domino, uel exaltatione ſua, natus erit turpis in coitu. Si fuerit in ſigno fœmineo, & natus ſit maſculus, patietur à uiris. Si in ſigno maſculino, erit Sodomita. In natiuitatibus ſimiliter mulierum, ſi fuerit in ſignis fœmininis, erit meretrix, ſi in maſculinis utetur mulieribus.

Si Venus inuenta fuerit in domibus Saturni, & Saturnus eam aſpicit, natus erit frigidus in coitu. Similiter ſi Saturnus fuerit Almuten ſuper domum coniugij.

Si Almuten quinq; locorum Hylegialium fœmininus, aut plures fuerint fœ-

minini, natus erit mollis, & effœminatus. In natiuitate mulieris ſi fuerint maſculini, erit mulier uirilis.

Significatores coniugij in ſignis mobilibus, non dant fœlix coniugium, ſed uarium & mutabile.

Si dominus aſcendentis fuerit in ſigno communi, ſimiliter pars Coniugij in communi, & Venus infortunata, natus non erit contentus in una.

Venus in ſigno mobili, ſignificat inſtabilem cum mulieribus, & qui uix una contentus erit, & eo fortius in cancro, uel Capricorno. In ſigno uero communi ſignificat bonam deſponſationem.

Si aſcendens fuerit domus Veneris, & Mars in domo Veneris, uel Aſcendens domus Martis, & Venus in domo Martis, erit mulier impudica. Idem erit ſi Aſcendens fuerit Capricornus.

Si fuerit Mercurius Almuten ſuper Venerem, & Lunam ac domum mulieris, & partem earundem, uel ſuper plures eorum, erit uoluptas nati in pueris, & deludet eos.

Si Venus fuerit in domo Saturni, & Saturnus in domo Veneris, natus amabit maſculos. Similiter erit ſi uice Saturni Mercurium acceperis. Venus in ſigno maſculino idem facit. Venus & Mercurius iuncti in domo Saturni idem faciunt.

Dominus ſeptimæ ſi infortunatur in angulo, natus fiet Sodomita.

Leo, Aſcendens, & Sol, & Venus in eo in natiuitate diurna, natus erit Sodomita.

Saturnus, Iupiter, & Venus in decima, & Mars in quarta, faciunt amatores puerorum.

Si extiterit Venus in ſeptima, in Cancro, uel Capricorno, aſpecta à quadrato, uel oppoſito, uel coniunctione Martis, natus erit ſcortator, quibus ſi Saturnus coniungitur, uel eos aſpexerit, fueritque genitura mulieris, ipſa alias mulieres uel puellas ſupponet.

Venus in duodecima, mala notat coniugia, & ſi cum ea Iupiter fuerit, ſignificat ſubſtantiæ paucitatem, ſed à ſeruis exaltari. Si Saturnus, Mars, aut Mercurius, eam aſpexerint, uel illi ſint coniuncti, ſignificant damnum in mulieribus, & filijs, & corporis maculam aliquam, aut occidi mulieris cauſa, uel fœminarum.

Sol in duodecima poſitus à mulieribus detrimenta minatur. Et ſi fortunæ teſtificentur, forte fuſtigabitur mulieris cauſa.

Venus domina nonæ, in aſcendente uel decima, dat nato uxorem in terra aliena.

Pars fortunæ in tertia, decernit uxores extraneas. In natiuitate mulieris, maritum aliengenum.

Mercurius in quarta domo, cum Saturno & Ioue, peregrinas decernit uxores, ſed diuites.

Sol, & Venus in ſeptima, uel ſi aſpexerint ipſam domum, & ſignum ſeptimæ fuerit domus alterius eorum, natus ducet uxorem extraneam, & raucam.

Omnes nati effœminati, aut natæ uiriles, non diu uiuent. Idque expertum eſt.

Si Luna & Venus extiterint in aliquo angulorum, in aſpectu benigno Iouis, natus copulabitur cum conſanguinea ſua. Sed in hoc prius ſunt uidenda generalia, ſcilicet lex nati, & alia huiuſmodi.

Si fuerit Venus in domo, uel exaltatione Lunæ, aut econtra, natus copulabitur cum conſanguinea ſua.

Venus in domo uel exaltatione ſua, aut in Cancro, ſignificat deſponſationem nati cum mulieribus, affinibus uel propinquis.

Mercurius in quinta domo cum Marte, ſignificat quòd cum affinibus copulabitur.

Ex ſta-

Ex ſtatu ueneris iudica de coniugio.

Venus ſi fuerit cum Saturno in aſcendente in domo ſua, natus matrimonium contrahet cum uilibus mulieribus,& ſeruabus. Vel quando pars coniugij ceciderit in domum ſeruorum,uel pars ſeruorum in domum coniugij.

Fœlix aſpectus Iouis ad Venerem cum receptione,dat magnam proſperitatem ex coniugio.

Si ſit Venus in quadrato,uel oppoſito Lunæ, natus habebit damnum ratione coniugij uel impedimenta.

Si Mars fuerit in domo Veneris,& Venus in domo Martis,erit fornicator manifeſtus,ſignificatq; matrimonij deſtructionem,

Venus in domo Iouis dat coniugium cum nobili,uel Venus Ioui iuncta,uel etiam in bono aſpectu,bonum coniugium ſignificat.

Caput draconis Lunæ in ſeptima cum Saturno,Venere & Mercurio,nato decernit uxorem, quæ habuit duos uiros.

Si pars coniugij ceciderit in domum coniugij,natus nuptias ſecreto habebit.

Dominus aſcendentis ſi applicuerit domino ſeptimæ, natus cupiet coniugium.Sed ſi dominus ſeptimæ applicuerit domino aſcendentis, natus ad coniugium à mulieribus appetetur.

Venus in angulo, uel ſuccedente, directa, fortunata,non impedita, & domini triplicitatis eius orientalis in bonis locis non impediti,ſignificant coniugium in adoleſcentia,eritq; fortunatus cum ſuis uxoribus.Si uero fuerit cadens & combuſta, & domini triplicitatis eius in malis locis,& in malorum aſpectu,tarde copulabitur, & habebit detrimenta per mulieres.

Venus,angularis uel in ſuccedenti à malis & impedimentis libera,& domini tripicitatis eius in malis locis, Venus quidem bonitatem deſponſationis,& conuenientiam ſignificat.Sed domini triplicitatis laborem in deſponſatione mulieris.Et ſi econtra fuerit, contrarium dic.

Dominus patris fortunæ directus in angulo uel ſuccedente,liber à malis,ſignificat pulchras & honeſtas uxores. Si econtra cadens uel combuſtus, & malorum obnoxius radijs, contrarium dicito.

Venus in domo Martis, uel eius aſpectu, ſignificat malignitatem coniugij.

Saturnus ſi ex ſeptima ſupra Venerem eleuatur, natus non diliget uxorem ſuam.

Venus retrograda,tarditatem deſponſationis ſignificat.

Venus cum Mercurio,Saturno,aut Ioue,dat mulierem amantiſsimam uiri ſui, & filiorum.Si uero cum Marte fuerit,dic contrarium.

Sol in bono ſtatu in natiuitate fœmellæ,ſignificat eidem fœmellæ bonum coniugium,in malo malum.

Luna ſi Solem bene aſpexerit,fueritq; in ſignis conuenientibus,& fortunæ etiam aſpexerint, erit amicitia inter uirum & uxorem eius. Si autem diſcordauerint,uel in fortunæ aſpexerint,erunt in odio mutuo occupati coniuges.

Venus ſi cum infortunis,& luminaribus participauerit,erit diſsidium uiri,& mulieris,propter fornicationem,uel faſcinationem aliquam.

Stellæ fixæ in ſeptima poſt adoleſcentiæ annos proſperant in coniugio, & addunt uxoris pulchritudinem.

Dominus octauæ impeditus,uel ſi in octaua fuerit infortuna,uel radij eius, ſignificant dotis anguſtias,uel eius impedimentum,aut uxoris paupertatem.

Saturnus, Iupiter, Venus, & Mercurius, in duodecima, ſignificat uxores nati ignobiles,uel ancillas eſſe.

Mars

Mars cum Luna in decima, Iupiter in prima, & Sol in ſeptima ſignificant nuptias cum litigio, & certamine exitiali futuras.

Iupiter in medio cœli conſtitutus, indicat natum nimiæ amoris libidini deditum, & ad ſordidarum mulierum concubitus procliuem.

Si Venus in quarta in Scorpione ſola fuerit, male copulabitur natus, & uerſus finem habebit quietem, fortunam, ſocietatem nobilium, & multas diuitias. Et ſi fuerit in ſignis ſterilibus, & Luna in eius oppoſito, natus erit ſterilis, & aget cum maſculis. Si Mars fuerit ibi, de die, dabit azemenam, & apoſtemata, quæ dicuntur porcelli, pro beneficijs ſuis non habebit gratias, in nocte uero erit heremita, aut gladiator.

Saturnus & Venus in finibus Veneris, uel in eius domicilio conſtituti in decima domo, ſi Mars ab his fuerit alienus, aut pauperem, aut prouectæ ætatis uxorem decernit. Si autem cum ijs Iupiter ſit, uel eos aſpexerit, uiduam, ſed diuitem dabit.

Venus in finibus Iouis conſtituta, uxorem, & filios decernit.

Mercurius cum Venere in quarta, & Saturnus in decima, uxorem uetulam dabit, & uir cum ſordida concumbet.

Venus in decima cum Saturno, & Luna in quarta, aut ſteriles, aut prouectæ ætatis mulieres dat.

Saturnus cum Ioue in decima, & cum Marte, ſignificat omne genus triſtitiæ ab uxoribus.

Si Saturnus, Iupiter & Venus, in ſeptima fuerint, hæreditas uxoris nato conferetur. Sed ipſe graui quaſſabitur uitio ualetudinis, & forte ſterilis erit.

Oppoſitio Saturni & Veneris, natum ex libidinibus malis reddet infamem.

Venus cum Ioue in quinta, uel undecima, à nullis aſpecti, difficiles nuptias, aut propter eas graues diſcordias decernunt.

Si fuerint Saturnus & Venus coniuncti, uel ſi Saturnus eam aſpexerit in domo decima, fœmina uiris impotentibus copulabitur.

Venus cum Mercurio in duodecima cum Ioue & Saturno, uxores dabit ancillas.

Saturnus in ſexta, & Venus ac Mercurius in duodecima, patres cum filijs inquinabuntur. Idem erit ſi Venus, Iupiter & Mercurius ſua domicilia commutauerint.

Mars & Venus in quinta, & Luna in prima, claros facit & nobiles, regibus fidos, ſed adulterio cognitas ſortiuntur uxores, corporis quoq; cultum, & ornamenta largitur hæc conſtellatio.

Luna in labijs Arietis, Capricorni, uel Tauri, mulieres oſtendit uiragines. Viros autem ad omnia uitia libidinis impellit, niſi Iouis proſpera radiatione protegantur.

Si Luna lumine diminuta, coniuncta fuerit Marti in ſigno mobili, uxor nati nunquam diliget eum uero amore, ſed ſemper alium.

Luna domina ſeptimæ domus in octaua diminuta lumine, nullam penitus dabit fœlicitatem in matrimonio.

Si malus infortunatus in ſeptima fuerit, non gaudebit cum uxoribus, nec cum amaſijs, neq; cum ſocijs, ſed ſemper rixas cum eis habebit.

Si fortuna fortunata non impedita in ſeptima extiterit, natus erit fortunatus ad bonas uxores & ſocios, attamen habebit multos ęmulos, & infenſos ſibi cum & ſine cauſa, potius inuidia quàm ipſius culpa.

Si Sol & Luna ambo inueniantur in ſignis maſculinis, uel ambo in una quarta maſculina, uel in uno ſigno maſculino, erunt actus nati uiriles. Si natiuitas fuerit mulieris

mulieris, erit uirago, & ſpernet uiros, ſi nupſerit, non uult reuereri uirum, nec illi ſub iacere.

Si Venus & Mars in ſignis maſculinis in natiuitate uiri fuerit, natus erit ordinati coitus ſecundum naturam & legem. Si fuerint orientales, abundabit in coitu, & excedet modum in eo, non erit contentus in naturali coitu, ſed affectabit incœſtum, ita quòd ſpernet mulieres, & abutetur uiris. Si occidentales, & in ſignis fœmininis, erit coitus innaturalis, & immundus, & eo fortius, ſi eos Saturnus aſpexerit. Si fuerit mulier, & fuerit Venus & Mars in ſignis maſculinis, & fuerint orientales, abhorrebit à coitu uirorum, nec delectabitur in eo, ſed potius delectabitur in fricatione mulierum, & maxime puellarum, eritq́ uirilis audaciæ. Si fuerint in ſignis fœmininis & occidentales, diliget coitum uirorum, & utetur eo ſecundum naturam. Et ſi fuerit Iupiter in ſigno fœminino & occidentalis in natiuitate uiri uel mulieris, nec fuerit de Marte quod dictum eſt, erit coitus naturalis ſecundum legem. Si uerò fuerit Mars ſignificator ſolus, nec aſpexerit eum Iupiter erunt eorum coitus plerumq́ contra leges.

Si fuerit Venus coniuncta Saturno, & idem in ſeptima habuerit dignitatem, natus erit immundi coitus.

Dodecatemorion Iouis in domicilio Veneris, ſignificat coitum cum mulieribus per coniugium ſecundum legem.

Dodecatemorion Veneris in domo Iouis, ſignificat lætitiam & caſtitatem.

Dodecatemorion Veneris in domo Martis, ſignificat fornicationem, maximè ſi fuerit in angulo.

Septima domus mulieris, ſi eſt aſcendens uiri, ſignificat tranquillam coniunctionem uiri & mulieris.

Saturnus ſi Veneri miſcetur, uel in finibus Veneris fuerit, ſignificat turpem libidinem, & quòd erit fœdiſsimi coitus, & eò magis quando dominus ſigni aut finium in quibus Venus eſt, aut planeta, qui plures in eius loco dignitates habet, in ſeptima ſit, & ſi hæc omnia ſimul conuenerint, talis homo fiet ſordidæ libidinis.

Si fuerit dominus nonæ uel ſeptimæ in ſexta, natus ducet ſeruam. Similiter quandò ibi fuerit pars coniugij, aut eius dominus.

Si fuerit pars couiugij in domo uel exaltatione Mercurij, uxor nati erit cognitrix ſcripturæ & futurorum.

Venus in ſexta, uxorem nato ſerius decernit, aut uiduam, aut ualetudinariam, aut male inſtitutam, aut uiro ipſi non obedientem.

Venus in ſexta in mulieris genitura, ſignificat magnas difficultates, & in partu pericula, uel abortus, ſi non à Medio cœli aliquis benignus aſpectus affulſerit.

Si fuerit Venus in ſeptima, ducet uxorem poſtquàm canus effectus fuerit, erit tamen potens in coitu.

Species uxoris habetur ex ſeptima, & locis aliorum ſignificatorum coniugij. Nam ſi iſti uel potior pars eorum fuerint in ſignis formoſitatis, pulchrā decernunt coniugem, aut econtra.

Mulieris qualitas ſcitur à planetis, quibus Luna applicat per coniunctionem uel aſpectum. Nam cum fortunis, bonam & morigeratam ſignificat. Cum infortunis contrarium, nam prauam laborioſamq́ ſignificat. Quòd ſi Saturnus tunc fuerit in malo ſtatu, erit turpis, & malæ uoluntatis. Mars ſuperbam oſtendit, qui ſi fuerit in malo ſtatu, erit meretrix, uel aliâs inhoneſta. Lunæ applicatio cum Venere, pulchram, hilarem, bonæq́ apparentiæ uxorem ſignificat. Si tunc Venus fuerit in malo ſtatu, minue aliquid ex prædictis. Luna applicante Mercurio, erit uxor eloquens, boniq́ intellectus. Quòd ſi Mercurius fuerit tunc in malo ſtatu, erit mendax & fraudulenta.

Venus

Venus occidentalis, peregrina coniuncta malis, uel eorum malo aſpectui, ſignificat celeritatem mortis uxoris.

Infortuna in quarta uel ſeptima, ſignificat uxorem nati præmori. In natali uero fœmellæ, ſignificat uirum præmoriturum.

Pars coniugij ſi Marti in eodem gradu coniungitur, & Mercurium aſpexerit, maritus ſuam occidet uxorem.

Mars in prima in ſigno aqueo, & Venus in ſeptima cum Mercurio, uel ſi Mars cum his fuerit, natus interficiet uxorem.

Si Mars fuerit in quarta & Saturnus in ſeptima, & Luna in prima, nati uxores cito morientur.

Exemplum genituræ propoſitæ.



Concluſio prima. Coniugium futurum ſignificat Almuten generalis ſignificatorum coniugij Mars fortis commixtus radijs trinis domini aſcendentis.

Concluſio ſecunda. In ætate tenera, indicatur coniugium primum, uel poſtquàm adoleuerit cũ puella paruæ ætatis, Arguit Luna applicans Ioui domino ſeptimæ, ex ſextili in quarta orientali.

Concluſio tertia. Vxores eius religioſæ ac piæ erga uirum, ſinceręq; probæ, eo quòd applicatio fiat ad Iouem.

Concluſio quarta. Habebit lucrum & proſperitatem ex cauſa coniugij, quia Almuten Mars ſaluus eſt.

Concluſio quinta. Duas uxores legitimas habiturum cenſeo, quòd Luna Ioui domino ſeptimę in communi ſigno exiſtenti applicet, & quòd ſignum ſeptimæ domus ſit ſignum commune, & plurimorum filiorum.

Concluſio ſexta. Mulieribus tamen debilitatem aliquam & infortunium præſagit

ſagit pars coniugij radijs oppoſitis Solis & Mercurij damnata, & quadrato Saturni, & domina partis retrograda in malo loco.

Concluſio ſeptima. Triſtitiam & impedimentum, moleſtias ac turbationes feret cauſa uxorum, & inimicorum uerſus finem uitæ, id demonſtratur, quia Venus prima domina triplicitatis ſeptimæ, eſt in cuſpide octauæ debilis, quod etiam dominus aſcendentis, & duodecimæ domus in hac ſeptima domo confirmant.

Vxoriam genituram erige per ſignificatorem, cui applicat luminare. Sed de hoc loco latius ſeorſim, in loco de coniugio.

Concluſio octaua. Vxores eius præmorientur ipſi, id denotat Saturnus in quarta domo.

CAPVT DECIMVMTERTIVM.

De liberis eorumq; habitudine ad parentes.

STatus filiorum ex duobus locis, ſcilicet decima & undecima, & locis cum his participantibus, hoc eſt (ut inquit Hali) ex ſeptima & aſcendente conſideratur, & ſi in ijs nõ inueneris planetas ex quarta & quinta. Si enim in prædictis locis fuerint planetę conuenientis naturæ, reddent ſtatum filiorum conuenientem. Si diſconuenientis, contrarium decernunt ſtatum filiorum & indecentem.

Amplius Lunam, Iouem & Venerem in dandis filijs conſidera. Sol, Saturnus, ac Mars denegant filios, uel paucitatem eorum oſtendunt. Mercurius habet participationem cum eo, cui commiſcetur, qui cum fuerit orientalis in locis filiorum, & habuerit conuenientiam cum fortunis, dabit filios. Si autem fuerit occidentalis in prędictis locis ab infortunis aſpectus, denegabit filios. Similiter cum planetæ datores filiorum fuerint ſoli, hoc eſt, cum largitores filiorum, id eſt Luna, Iupiter & Venus particulariter fuerint in figura cœli, & non in locis filiorum, decima, undecima, aſcendente, ſeptima, quarta, quinta, erit uiuens ſolus ſine filijs. Si autem unus eorum eſt in locis prædictis, dabit filium, qui ſi fuerit in ſignis duorum corporum, & in fœminino ſigno, erunt duæ filiæ.

Cum planetæ dantes filios, fuerint in ſigno unius formæ in locis prædictis, quilibet dat unum filium. Et ſi in ſigno bicorporeo, duos decernit filios. Si autem, planeta dans filios repertus fuerit in ſigno & figura quam habet reſpectu Solis, fœmininis, filiam unicam dabit. In ſigno & figura quam habet ad Solem maſculinis, maſculum. At ſi plures fuerint in ſignis multorum filiorum, ſicut in Scorpione, Cancro & Piſcibus, erunt duo uel plures ſecundum exigentiam planetarum filios largientium. At ſi ſuper largitores infortunę eleuatæ fuerint, aut eos uicerint, ipſis exiſtentibus in ſignis ſterilibus; ut Leone & Virgine, filius quidem erit, ſed non fortunabitur neq; uiuet.

Sol & infortunæ, ſi prædictis locis dominati fuerint ſine reſpectu fortunarum, uel cum loca filiorum occupauerint, nulla fortunarum ibidem exiſtente, ſimpliciter denegant filios, ſi ſint in ſignis maſculinis uel ſterilibus. Si uero fuerint in ſignis fœmininis, uel multorum filiorum, aut fortunæ eis teſtificatę fuerint, dabunt filium qui aut mendam aliquam patietur, aut breui tempore uiuet. Quod ſi fuerint duæ conſtellationes fortes, una pro dandis, alia pro auferendis, debemus conſiderare, quæ ex illis conſtellationibus ſit efficatior. Si enim infortunę uictores extiterint in ſignis dantibus filios, naſcetur natus, ſed breuis uitæ, Si uiuet, erit deiectus, & ſpretus ab omnibus hominibus.

Pro ualetudine filij reſpectu aliorum & parentnm, conſiderabimus planetas occupantes loca filiorum, maxime planetam uincentem per teſtimonia eſſentialia, qui cum fuerit orientalis, ſimiliter in ſuis dignitatibus collocatus, natus erit magni

nominis, & potens. Si autem fuerit occidentalis, aut in locis contrarijs Hayz ſui, id eſt, ſuæ potentiæ, natus erit miſer & ignotus. At ſi gubernator filij conuenientiam habuerit cum aſcendente, & parte fortunæ, uſque dum ducet uxorem, natus remanebit in dilectione parentum, eorumque hæres efficietur. Si autem non habuerint mutuam conuenientiam prædicta, litigabit filius cum parentibus, & eorum odium incurret, & eos male tractabit, nec in hæreditate ſuccedet.

Si datores filiorum in figura conuenientes aſſociabuntur adinuicem, fratres ſe mutuo diligent & honorabunt. Sed ſi oppoſito uel quadrato radio datores filiorum ſe mutuo aſpexerint, natus fratribus aduerſitatis illator eſt & autor.

Qui uero curioſior & certior in talibus fieri uelit, inueniat gubernatorem filiorum, & ad inſtar eius duodecim domicilia conſtituat, extrahendo Hylech, Almutenque, ſic enim in eſſe filiorum cuncta particularia, quę per natiuitatem ſciri poſſunt, generaliter poterit iudicare. Hæc Ptolemæus.

Aliorum ſententiæ & aphoriſmi.

Pro liberis conſidera
- Quintam domum.
- Dominum eius.
- Decimam domum.
- Vndecimam.
- Venerem conſignificatricem quintæ.
- Almuten ſignificatorum filiorum.
- Partem filiorum.
- Dominum eius.
- Partem futurorum.
- Partem ſtabilitatis.
- Primum dominum triplicitatis quintæ domus.
- Tertium dominum triplicitatis undecimæ domus.
- Tertium dominum triplicitatis ſeptimæ domus.

Almuten ſignificatorū filiorum ſumitur à
- Cuſpide quintæ domus
- Domino eius
- Conſignificatrice Venere
- Domino eius
- Parte filiorum
- Domino eius
- Primo domino triplicitatis quintæ

Almuten ſuper hæc, Si concordat cum domino aſcendentis, bonum eſt, & dat ſuum ſignificatum nato, etiam ſi fuerit dominus infortunatus. Qui ſi fuerit in ſigno multorum filiorum, natus habebit multos filios &c.

VEl qui fuerit ex his dignior, ſi fuerit in ſigno multornm filiorum, liber à malis, & ſit aſcendens ex angulis, uel ex ſuccedentibus, ſignificat multitudinem filiorum. At ſi fuerit in ſignis paucos filios ſignificantibus impeditus à malis, & Iupiter fuerit combuſtus, & Venus impedita, ſterilitatem ſignificat.

Si ſignum filiorum, ſignum ipſius Almuten, ſignum aſcendentis, fuerint multorum filiorum, natus habebit multos filios.

Sol aſpicens partem fortunæ, multos pollicetur filios.

Domini triplicitatis ſigni Iouis, in aptis locis, ſignificant multitudinem filiorum, & ex his gaudium.

Si boni planetæ fuerint in quinta, aſpicientes medium cœli, liberi ab impedimentis

dimentis, ſignificant multitudinem filiorum. Et ſi ibi fuerint mali, & dominus quintæ cadens ab angulis, prædic paucitatem filiorum, uel eorum celerem mortem, maxime ſi ceciderint ab angulo terræ uel ſeptimæ.

Planetæ dantes filios ſi fuerint in Virgine, uel Leone, cum infortunantibus, filium quidem natus habebit, ſed mox morietur, intellige ſi infortunæ fuerint eleuatæ ſuper planetas dantes filios.

Iupiter dat filios, ſed retrogradus, uel peregrinus nō pie, nec humaniter tractat.

Non dubitabis de filijs, ſi in quinta fuerit fortuna.

Maius impedimentum quod poſſit eſſe in dandis filijs eſt, cum ſignificator quintæ fuerit retrogradus, uel combuſtus, quod peius eſt, peſſimum quidem, ſi eſt infortuna.

Planetæ ſignificatores in ſignis ſterilibus, Leone, Tauro, Capricorno, Libra, uel Aquario, non dant filios.

Iudica de multitudine filiorum ex Ioue, & Venere, ſi Iupiter, uel Mars fuerit Almuten, & aſpexerit Venerem. Sed in paucitate, ex Saturno, & Marte, De mediocritate, ex Sole, & Luna iudicabis.

Saturnus cum parte filiorum in uno ſigno, negat filios.

Pars filiorum, & Iupiter, in ſignis ſterilibus, negant filios.

Sol in domo filiorum, negat filios.

Sol aſpiciens partem legis, negat filios.

Pars filiorum in octaua, negat filios, aut ſi habebit filios, morientur.

Iupiter in ſeptima, ſi Mars & Mercurius iuncti fuerint in prima, filios denegabunt.

Mercurius ſi in aliquo cardine, Saturnū ex diametro uiderit, filios denegabit.

Venere à Saturno damnata, aſpice partem filiorum, quæ ſi non ſit angularis, nec Iupiter nec Venus eam aſpexerit, ſignificat paucitatem filiorum, & forte ſterilitatem, maxime ſi Luna fuerit impedita.

Si Iuppiter, Venus & Mercurius impediti fuerint à malis, uel in detrimentis ſuis, aut deſcenſionibus, uel ſub radijs, natus non habebit filios, & ſi caſu aliquem habuerit, morietur cito.

Luminaria impedita à malis, tam ſubſtantiæ, quàm filiorū paucitatem indicant.

Venus in prima, aut ſeptima Saturno coniuncta, uel illi oppoſita, uel ſi Saturnus fuerit cum Venere in altero duorum locorum, uel ipſum aſpexerit, ut ſi Mars Venerem aſpexerit, uel illi oppoſitus ſit, indicat filios non habiturum. Et in natali fœminæ indicat abortus, aut quôd is qui natus fuerit ilico morietur.

Sol, & infortunæ, in maſculinis, & in locis filiorum, omnino ſterilitatem decernunt, quanquam fortunæ ſuper eos eleuentur, niſi cum Sol fuerit cum aliqua fortuna. Signa maſculina, ſignificant nato paucos filios, fœminina uero plures, & ideo oportet planetas abnegantes filios eſſe in ſignis maſculinis.

Si Luna, uel Sol, in Scorpione, in quarta, & Saturnus fuerit cum aliquo eorum, natus nunquam habebit filios.

Luna in oriente, uel Libra, ſi in aſcendente fuerit, & Iupiter & Mars, in ſeptima coniuncti, uel in medio cœli, Venus uero in domo Saturni, eundem partium numerum poſſidens, & Mars & Venus Iouem aſpiciant, ſteriles, uel religioni deditos oſtendunt.

Duodecimæ locus æditturæ ſobolem à prudentibus conſtituitur. Nam ſi ipſe, & eius dominus bene diſpoſiti fuerint, mater nati agilitatem partus inueniet. Sin male, mater talis nati in ipſo partu periclitabitur.

Luna in finibus Mercurij, in ſigno maſculino, præſertim in Aquario, niſi Veneri, aut Ioui iungatur ex trino, filios abnegat, aliter uero econtra.

Mars in diurna natiuitate in medio cœli, indicat paucitatem filiorum, & patrimonium conſumi oſtendit. In natali autem nocturno, hæc minora præſtabit.

Almuten filiorum, aut Iupiter, aut dominus domus Almuten orientalis, dabit filios in iuuentute, occidentalis in ſenectute. Similiter dic de domino triplicitatis, primo, ſecundo, tertio.

Significator filiorum in parte orientali, ſignificat filios in adoleſcentia: In medio cœli exiſtens, in iuuentute.

Si fuerit pars filiorũ in una quarta, & dominus eius in alia, filij eius diſpergentur.

Almuten filiorum in ſignis paucorum à malis impeditus, & Iupiter combuſtus, & Venus impedita, ſignificant ſterilitatem.

Venus una ex dominis triplicitatis Iouis in apto loco, & alij in locis malis, ſignificat quòd habebit filium, qui poſtea ex filijs ſuis triſtabitur.

Diſpoſitores locorum planetarum, qui dant filios, ſi fortes fuerint, & orientales, filij erunt nobiles, magnæq́ æſtimationis. Si autem in his contraria fuerint, contrarium dicito.

Pars fortunæ conueniens cum aſcendente, filius erit à patre dilectus, hæreditabitq́ paternam ſubſtantiam. At ſi diſcordauerint, filius cum parente diſcordabit, & litigabit, nec hæreditabit eius bona.

Sol in finibus infortunantium, uel eorum domicilijs in ſexta uel duodecima, ſi fuerit à maleuolis male aſpectus, indicat filios à parentibus exhæreditari.

Eleuatio domini quintæ ſupra dominum aſcendentis, oſtendit filios futuros maioris prærogatiuæ ac uirtutis, quàm ipſorum parentes fuerint.

Saturnus cum Ioue in quarta, uel ſeptima, mœrorem ex filiorum infortunio adducit, ſi non his ſic exiſtentibus, Mercurius forti Veneri iungatur, mulieres quidem ſteriles erunt, & mares indicat Venerem abhorrere.

Quinta domus nati ſi eſt aſcendens patris, erit inter patrem & filium ſincerus, & conſtans amor.

Dominus aſcendentis ſi applicat domino ſeptimæ, natus habebit multos filios legitimos. Si applicat domino ſextæ, habebit ex concubinis.

Pars filiorum remota ab aſpectu fortunarum in quadrato Saturni, aut in ſecunda domo ab aſcendente, aut ſi fuerint Iupiter, Venus & Mercurius in oppoſito ſuarum domorum, aut Sol, uel Saturnus in oppoſito aſcendentis, dant nato moleſtiam ratione filiorum.

Filiorum numerum ſic ſcies. Vide fortiorem ex duobus dominis triplicitatis Iouis, primum ſcilicet & ſecundum, & quot ſunt ſigna inter eum & aſcendens, tot dices filios, pro ſigno tamen communi duos accipies.

Vel quot ſigna ſunt inter partem filiorum, & dominum eius, tot filios habebit ut commune ſignum duos det.

Dominus quintæ ſi ſeparatur à domino aſcendentis, morientur filij, aut naſcentur mortui.

Pars filiorum in domo Seturni in aſpectu infortunæ, morientur filij eius maiores. Si in domo Martis, morientur minores.

Mercurius in cardine oppoſitus Ioui, & alter eorum in prima, uel in ſeptima, uel unus in medio cœli, & alter in quarta, natos miſera morte proſternit.

Iupiter in ſexta domo, ſi fuerit dominus aſcendentis, uel medij cœli in nocturna genitura, uix fiet quin is exponetur, qui tunc in lucem uenerit, quod periculum eo ineuitabilius eueniet, ſi aut Saturnus, aut Sol, aut Mars, Ioui ex oppoſito aduerſabitur, aut deficiens ei Luna quadrato aſpectu applicuerit.

Luna in ſignis contortis, aut ferinis, Cancro, Piſcibus, Tauro, Capricorno, uel Scorpione, ſi non ſit cum ea ſigni dominus, in quo ipſa eſt, ac male fuerit ab infortunantibus

nantibus aſpecta, uel ſi altera infortunantium cum Luna, altera in ſecunda fuerit, & dominus partis fortunæ aſpiciat ex ſigno quadrupe, quadrupedis forma naſcetur, maxime ſi dominus partis fortunæ, & aſcendentis in his fuerint ſignis. Si autem dominus partis fortunæ, aut aſcendentis fuerit in ſexta in ſigno humano, cæteris, ut dictum eſt, ſic conſtitutis, humana figura naſcetur.

Sol in medio cœli in fœminino ſigno, & Luna Marti coniuncta in fœminino ſigno, hermaphroditum ſignificat, aut teſtium abſciſionem futuram.

Si dominus quintæ in ſeptima impeditus fuerit, natus non erit fortunatus in conuiuijs, neq; in indumentis corporis.

An natus ſit filius illius patris, uel non?


Quando dominus aſcendentis uel Almuten eius fuerit in aſcendente, receptus à domino quartæ. Vel quando Sol receperit Lunam, uel ſi Sol fuerit in tertia, uel dominus aſcendentis in trino Solis, aut fuerit translatio luminis, aut collectio inter eos, ſignificant quòd filius eſt legitimus, ac eius parentis genuinus. Si huius contrarium fuerit, nō eſt filius eius.

Si pars patris aſpexerit partem filiorum natiuitatis, de quouis aſpectu, aut receperit eam de termino, aut triplicitate, uel exaltatione, natus erit filius dicti patris. Si contrarium, non eſt filius eius.

Si natiuitas nocturna fuerit, & dominus aſcendentis, & Luna non aſpexerint Saturnum, nec pars patris aliquo aſpectu, ſignificat quòd pater deceptus eſt de illo nato, nam non eſt filius eius.

In quacunq; natiuitate diurna inueneris Capricornum aſcendentem & Solem in caſu ſuo, domo uel exaltatione. Aut Lunam de nocte in ſuo caſu, & Saturnum in domo Martis, ſignificat quod natus ille non eſt filius illius patris, & erit malus homo, & pater eius fuit ſeruus uel captiuus,

Exemplum geniture propoſitæ.



Concluſio prima. Paucos filios habiturum arguunt cuſpis quintę domus, dominus eius, pars filiorum, dominus eius, & Venus, omnia in ſignis paucorum filiorum, deniq; Iupiter in ſterili, Almuten deniq; ſuper hoc loca, Saturnus & Mars, Saturnus in ſigno paucorũ. Mars uero in ſterili. Item Luna aſpiciens partē cęlati ex quadrato.

Concluſio ſecunda. Veruntamen filios habiturum, trahitur ex eo quod Almuten filiorum cum domino aſcendentis habet Ictiſal, deniq; Iupiter in aſcendente.

Concluſio tertia. Vnum filium & tres filias generaturum eſſe, portendunt Iupiter maſculinus, Luna fœminina in ſigno fœminino, Venus fœminina occidentalis à Sole. Luna uero duplicat ſuum numerum, propter Scorpionem. Idem arguitur quòd inter Lunam ſecundam dominam triplicitatis loci Iouis fortiorem inter duos primos, & aſcendens, ſint duo ſigna, quorum unum eſt multorum filiorum.

Concluſio quarta. Filium tamen breui uicturum, aut debilem eius uitam, indicat Iouis retrogradatio & debilitas.

Concluſio quinta. In reliquis etiam impedimentum & debilitatis aliquid oſtenditur, quòd Saturnus pręſens ſit parti filiorum, & Sol ex quadrato eandem damnet.

Concluſio ſexta. Natum hunc filium eſſe patris, cuius exiſtimatur, & in commodum ac utilitatem patris natum, arguunt receptio domini aſcendentis & Solis. Item ſextilis inter partem patris & partem matris, & trinus inter dominos partium.

CAPVT DECIMVMQVARTVM.

De amicitijs & inimicitijs nati.

DVplex eſt amor. Quidam enim eſt amor durans longo tempore ad finem uſq;, qui amicitia appellatur. Alius uero amor ad breue tempus durans, qui ſocietas dicitur. Similiter odium eſt duplex, quoddam durans, inimicitia uocatur. Et quoddam odium ad breue tempus durans, diſcordia uocatur. In horum determinatione quatuor loca principaliter conſidera: locum Solis, Lunæ, aſcendens & partem fortunæ. Si enim prædicta quatuor in duorum natorum genituris in eiſdem ſignis permanſerint, uel in parte, uel in toto loca cõmutauerint, maxime ſi inter utraq; aſcendentia fuerit ferè diſtantia 17. graduum, amorem fixum, qui nec ſeparabitur, nec turbabitur, fore dicemus. Si autem prædicta loca in nullo adinuicem concordauerint, uel ſeſe ex oppoſito reſpexerint, erit inter eos naturalis inimicitia, nec proles cum prole concordabit, ſed ſibi inuicem longo tempore aduerſabuntur.

Si hæc quatuor loca in duabus genituris, nec ex parte ſignorum, nec ex commutatione locorum adinuicem concordauerint, ſed ex trino, uel ſextili radio ſe mutuo aſpexerint, mediocris inter eos erit dilectio. Sed ſi ex quadrato ſe aſpexerint, minores diſcordias inter eos fore non dubitamus, uerum tales inter colloquendum component lites, ac ſe mutuo paruipendent, quod accidet, quando infortunæ loca aſpectuum tranſiuerint. Similiter in prædicta diſcordia inter eos pax & concordia reperitur, quando fortunæ aſpectuum loca tranſiuerint, & radios benignos, aut ſemetipſos interpoſuerint.

Propter tres cauſas homines ita diſcordes ſunt. Prima, propter uoluntatem diſcordantium & concordantium. Secunda propter commodum & damnum. Tertia, propter delectationem, quam alius habeat de alio. Si enim prædicta quatuor loca, uel eorum plurima inuicem aſſimilabuntur, amicitię ex his omnibus ſpeciebus congregabuntur. Si autem adinuicem non concordauerint, inimicitiæ ex his colligentur. Si autem luminaria adinuicem concordabunt, neceſſario adinuicem procreabitur dilectio, quæ uera & ſumma amicitia dicitur, in qua maxime confidendum eſt. Si autem diſcordauerint luminaria, mutua inimicitia nunquam ceſſabit inter eos. At ſi locus partis fortunæ concordauerit, amicitia erit inter eos cauſa lucri, inimicitia autem

tia autem cauſa damni. Si autem aſcendentia concordabunt, amicitia quidem ratione gaudij ac delectationis euenire decernitur: inimicitia uero, quia reſpectu iræ adaerſabuntur ſibi mutuo.

Si ſupra dicta quatuor loca utriuſq; natiuitatis planetæ eleuati fuerint in uno ſigno tempore natiuitatis amborum, uel quòd illi, qui ſunt eleuati ſuper ea, in natiuitate unius, ſint in ſigno quòd eleuatur, ad ſignum in quo ſtant planetæ in natiuitate alterius, & ſi fuerint fortes in bono ſtatu aſpicientes ſe, amicitia erit firma. Et ſi debiles fuerint planetæ illi exaltati, erit debilis amicitia. Similiter comparabis planetas unius natiuitatis ad planetas alterius natiuitatis, & ſi aſpectus eſt bonus, erit bona amicitia, ſi malus, inimicitia.

Quo tempore concordabunt uel diſcordabunt ad inuicem.

IN hac re uidenda ſunt loca Hylech utriuſq;, nec non principalia in utrorumq; natiuitatibus loca. Cum enim prædicta applicuerint ad inuicem in locis, ſeu aſpectibus concordantibus, amicitiam uenturam decernũt. Quando autem in locis diſcordantibus fuerint, inimicitiam euenire ſignificabunt.

Durat autem amicitia in tantum tempus, quamdiu prædicti ſe inuicem aſpexerint, aut eis coniungantur. Dum autem ſeparantur in locis contrarijs, ſignificationes conuertuntur, & illico iurgia & diſcordiæ incidunt.

Cum Saturnus in alicuius natiuitate fuerit Hyleh, & in aliqua natiuitate fuerit Iupiter, & motu directorio uel proprio Saturnus in aliquo anno uenerit ad locum Iouis, aut Iupiter ad locum Saturni, amicitiam inter eos ex agriculturis & hæreditatibus prouenire denunciabunt. Saturnus autem cum per locũ Martis peragrauerit, aut Mars per locum Saturni, ſpontaneas rixas, ac diſcordias inter eos generabunt. Ex Saturno & Venere, accidet ſocietas cauſa cõſanguineorum, citiſsime tamẽ terminabitur. Saturnus autem cum Mercurio, ſocietatem & commixtionem in rebus uitę ac mercimonijs, ac donationibus, & horum ſimilibus decernit.

Per Iouem quoq; & Martẽ, diuitiarum occaſione, uel dominij, ſocietas aut amor inter eos procreabitur. Per Iouem autem & Venerem, amicitia prouenit cauſa mulieris, uel diuini ſeruitij, aut per domos orationum, uel ex prophetijs, uel ex his ſimilibus ſe adiuuabunt. Iupiter etiam & Mercurius occaſione dialecticę, ſcientiarum & prophetiæ ſpontaneam ſocietatem indicabunt.

Mars autem & Venus ex adulterio & fornicatione, & Sodomitico ſcelere pariter aſſociabuntur, pręter id quo inter ſe durabilitatem breuem habebunt. Mars quidem & Mercurius, inimicitias & deceptiones, ac rixas inter eos occaſione incantationum & necromantiæ ſignificabunt.

Venus autem & Mercurius in rebus magiſterij, uel muſicæ, aut librorum, ſeu mulierum cauſa, ſocietatem inter ipſos inducent.

Cum ſignificatores aliquorum concordes ſunt, & loca principalia alterius figuræ per Athazir aut Alinthiam peragrauerint, & applicuerint luminaribus, aut parti fortunæ, aut angulis alterius, decernunt nobile augmentum amicitiæ. Sed ſi in utriuſq; genituris, diſcordes extiterint, & per aſcendens, aut Medium cœli perambulauerint, adhuc plus exaugebuntur inimicitiæ.

Status ſeruorum, & eorum erga dominos amor & concordia, ex ſigno duodecimæ domus, & planetis, qui cum eo commiſcentur, cognoſci poteſt. Cum enim planetæ fortunati aſpexerint duodecimam, uel in ea fuerint, decernunt ſeruos fideles. At ſi infortunæ aſpexerint, aut ſua præſentia dictam domum occupauerint, ſeruos infideles ſignificabunt, maxime gubernatores, qui huic ſigno dominantur, ſunt ſimiliter inſpiciendi, qui ſi concordauerint cum locis principalibus figuræ, hoc eſt, in

angulis & locis luminarium, aut cum eis aſpectum conuenientem habuerint hora natiuitatis, uel tunc cum Athazir uel Alinthia applicat ad ea loca, dilectionem ſeruorum ſignificabunt. Si autem diſcordes extiterint, odia, inimicitias, ſuſurrationes procreabunt. Hæc Ptolemæus.

Aliorum ſententiæ & aphoriſmi.

Pro amicis bonis conſidera:
- Domum undecimam
- Dominum eius
- Partem amicorum
- Dominum eius
- Almuten ſignificatoris amicorum
- Primum dominum triplicitatis, undecimæ domus
- Tertium dominum triplicitatis ſeptimæ.

Almuten ſignificatoris amicorũ elicitur à:
- Cuſpide domus undecimæ
- Domino eius
- Venere
- Planetis in undecima
- Parte amicorum
- Domino eius
- Secundo domino triplicitatis undecimæ

Si commixtionem habet cum domino aſcendentis, habebit plures amicos. Si ſunt in fixis, erunt fixi &c. Vel ſi plures ex his fuerint fortunati, ſignificant multos amicos & econtra.

VIDE undecimam domum, ſi in ea fortunam aliquam, Iouem, uel Venerem, aut etiam quadratum, uel oppoſitum eorum inueneris ſignificatur multitudo amicorum, & ex eis fortuna. Si uero in ea inueneris infortunam, Saturnum, aut Martem, nel quadratum, uel oppoſitum eorum, pauci amici eius nati futuri ſunt.

Melior fœlicitas in cauſa amicorum eſt, ut ſit dominus aſcendentis receptus à domino undecimæ, exiſtente fortuna & in bono loco ab aſcendente, & in bono ſtatu, ſecundum applicationem domini undecimæ ad dominum aſcendentis, ſignificat ſua ſponte amicos aſcendentis domino famulari, ſi econuerſo, dic econuerſo aſcendentis dominum amicorum quærere amicitiam.

Separatio domini undecimæ à domino aſcendentis, amicorum ſignificat paucitatem.

Domini aſcendentis ſeparatio, à domino undecimæ, ſignificat natum fugere amicitias.

Qualitas amicorum erit ſecundum proprietatem planetæ, qui undecimæ domui dominabitur. Verbi gratia: Saturnus ſi talis fuerit, indicat homines ſenes inuidos atq; auaros. Iupiter, nobiles diuites, bonos atq; potentes. Mars perfidos, atq; feroces, & militiæ deditos. Sol, reges, principes, & magmæ auctoritatis uiros. Venus, mulieres formoſas, hilares atq; lętas. Mercurius, ſcribas, literatos, negociatores, diſciplinarumq; magiſtros. Luna ſplendidos, elegantes, & popularis gratię ſplendore fulgentes. Quę omnia iudicabis ſecundum cuiuſq; aſpectus fortitudinem & debilitatē.

Si ſignum fuerit fixum in undecima, nati amicitias firmas eſſe declarat. Si commune, mediocriter durare. Si mobile, crebro mutari.

Conſidera etiam exiſtentiam ſignificatorum amicorum in ſigno mobili, communi, uel fixo, ut ſupra.

Si dominus undecimæ non aſpicit undecimam, nec Venus dominum domus ſuæ, nec dominus partis amicorum ipſam partem, natus non habebit lætitiam cum amicis, nec ipſi cum eo, ſed cupiet eſſe ſolus.

Aſcen-

Aſcendens unius ſi fuerit undecima,uel quinta alterius,illi erunt conuenientes in amicitia.

Pars amicorum in bono ſtatu,& fortunata,& dominus eius, ſimiliter & dominus aſcendentis,ſignificant natum in amicis fœlicitatem habiturum, maxime ſi angulares fuerint,& in ſignis fixis. Qui ſi in cadentibus fuerint,& in ſigno mobili,infidelitatem nati erga amicos ſignificant, aut uilium perſonarum diliget amicitiam.

Dominus undecimæ in malo infortunantium aſpectu,lucra denegat amicorũ.

Fortunæ in undecima,bonas indicant amicitias,& tanto maiores, quanto magis fortunatæ atq; receptæ fuerint, dabuntq; & ſpei & fiduciæ complementum. Infortunantes in undecima,aut retrogradi,infœlicitatem indicãt amicorum & fiduciæ fruſtrationem.

Dominus undecimæ ſi fuerit male aſpectus à domino aſcendentis,natum denotat ab amicis offendi,Si autem bene,contrarium dicito.


Caput draconis, Venus,& Mercurius,in undecima,amicorum copiam,& ſpes ratas fortunari mulierum cauſa ſignificant. Et ſi cum his Iupiter fuerit,uel eos bene aſpexerit,filios pollicetur,& ab amicis fortunæ proſperitatem.

Saturnus cum Mercurio in undecima,nati ſpes irritas facit,ſi eos tamen fortunæ non uiderint,oſtendunt nati uitam ex aduocatione pendere.

Luna non exiſtente Hyleg,erit gradus eius oppoſitus,qui amicos ſignificabit, qui ex corde natum diligunt.

Amici ex natiuitate ſunt dominus primæ,dominus undecimæ,etiam planetæ in illis domibus. Cum illis age res tuas,ſi ſunt fortunæ,& bene collocati in figura,& hoc ſi bona in radice promiſerint. Si infortunę fuerint,uel in malis locis figurę,caue, quoniam tunc non erit perfecta amicitia, ſed ex illis damna accipies.

Exemplum geniture propoſitæ.



Concluſio

Concluſio prima. Multos natus habebit amicos & bonos fautores, à quibus utilitatem & commodum ſentiet, arguit primus dominus triplicitatis undecimę domus, fortis in ſeptima in ſua exaltatione.

Concluſio ſecunda. Maior pars ſuorum amicorum, reges, principes, & magnæ autoritatis uiri erunt, quoniam dominus undecimæ aſpicit cuſpidem undecimę in medietate ſui orbis ex trigono. Itē Saturnus dominus partis amicorum in domo ſuo in angulo fortis.

Concluſio tertia. Ex armigeris, nobilibus atq; deditis militiæ amicos quoq; habebit, trahitur ex Marte in undecima, qui à domino undecimæ ex trino in perfecta receptione aſpicitur, quia & ipſi ſunt Almuten ſignificatorum amicorum.

Concluſio quarta. Amici ſua ſponte illi famulabuntur, nam dominus aſcendentis, recipitur à domino undecimæ ex coniunctione.

Concluſio quinta. Amicitia erit durabilis, id ſignificat cuſpidis undecimæ ſignum fixum, illuminatum per trigonum domini ſui.

Concluſio ſexta. Vtile etiam ſibi ex regno, matre, & ſeruitoribus prouentuum protendit pars regni, & dominus partium matris & ſeruorum, qui eſt Mars in undecima domo.

Aliorum ſententiæ & aphoriſmi de inimicis.

Almuten ſignificatorũ inimicorum ſumitur à
- Cuſpide duodecimæ domus
- Domino eius
- Parte inimicorum
- Domino eius
- Saturno
- Primo domino triplicitatis duodecimæ

Almuten ſuper hæc loca. Si commixtionem habet cum domino, ſiue Almuten aſcendentis, habebit plures inimicos.

ASPICE duodecimam, & eſſe Almuten duodecimæ cum Almuten aſcendentis. Vide etiam Saturnum & partem inimicorum, & eius dominum, qualiter ſint diſpoſiti. Si fuerint male diſpoſiti, & mali eſſe, uel ſi impediatur aliquis eorum ab aliqua infortuna, & eo fortius ſi impedierit dominum aſcendentis, uel eius Almuten, uel Lunam, & iterum fortius, ſi fuerit impedimentum ex quadrato uel oppoſitione, & fuerit Almuten duodecimæ in aſcendente, uel in oppoſito alicuius luminaris, ſignificat natum multos inimicos occultos & inuidentes habiturum, & quòd multum poterũt ei occulte nocere, & nitentur nocere, & nocebunt, & eo fortius ſi habuerit illa infortuna dignitatem in duodecima, & iterum magis, ſi fuerit ille impediens Almuten ſuper aſcendens dominus duodecimæ. Si autem almuten ſuper duodecimam non aſpexerit Almuten ſuper aſcendens, neq; Lunam, uel aſpexerit eos aliqua ex fortunis, uel fuerit aliqua ex eis Almuten ſuper duodecimam, nec fuerit impedita, ſignificat natum paucos inimicos ocultos & inuidentes habiturum.

Si Saturnus Almuten duodecimæ fuerit, erunt inimici nati ſenes, inuidi, uiles de turba, religioſi, nigri. Si Iupiter, ſapientes, Iuriſtæ, clerici, ſeculares, & nobiles. Si Mars erunt armigri, malefactores, ſuſurrones. Si Sol, magnates, nobiles. Si Venus, erunt muliebres, bibuli, luſores, effœminati. Si Mercurius, literati, ſcriptores. Si Luna, homines uulgares inſtabiles atq; uiles aduerſabuntur nato.

Almuten duodecimæ retrogradus, uel combuſtus, uel ab infortunis obſeſſus, uel peregrinus, uel in cadente ab angulo, uel in caſu ſuo, uel in deſcenſione ſua, uel ſi fuerit in cadente, ab aſcendente, uel in ſecunda, uel in ſexta, uel in octaua, uel ſi impedierit cum Almuten aſcendentis, uel fuerit aliquis malorum in duodecima, qui

fuerit

fuerit impeditus ab infortunis, ſignificat quòd natus omnibus inimicis ſuis occultis, atque inuidentibus præualebit, & eos conculcabit, & quòd parũ uel nihil ei poterunt nocere, ſed ipſe eos impediet. Et ſi dominus aſcendentis fuerit infortuna, & impedierit dominum duodecimæ, uel eius Almuten, patientur ab eo damnum, impedimentum, ac detrimentum. Si fuerit Saturnus aut Mars in duodecima, & alter eorum fuerit mali eſſe, & male diſpoſitus, uel impedierit dominum duodecimæ, uel eus almuten, ſignificat quòd uidebit natus de ſuis inimicis occultis, & inuidentibus, quòd ipſi afectabant uidere de ipſo.

Dominus duodecimæ, ſi non aſpexerit dominum aſcendentis, paucitatem ſignificat inimicorum.

Fortunæ in duodecima, ſignificant ſalutem ab inimicis. Infortunæ plurimum obſunt.

Dominus dudecimæ in angulo habens ibidem aliquam dignitatem, ſignificat inimicorum nobilitatem, & eorum potentiam. Si uero fuerit in cadente, uel peregrinus, uel ſub radijs, uel in ſuo caſu, erunt debiles, & in malo ſtatu.

Dominus duodecimæ infortunatus ex malis locis ab aliquo malorum, ſignificat natum ſuperaturum ſuos inimicos. Si autem fortunatus ſic fuerit, contrarium ſignificat, & quod inimici conſequuntur uictoriam contra eum.

Si dominus duodecimæ in oppoſito Solis uel Lunæ, aut in prima fuerit, ſignificat multitudinem inimicorum. Et ſi ſit malus, erunt inimici ex uilibus rebus, Si fortuna, ex nobilibus rebus atque magnis.

Dominus aſcendentis fortis ſignificat de inimicis uictoriam.

Dominus duodecimæ fortis ſignificat natum ab aduerſarijs ſuperari.

Pars inimicorum in angulis, grauia uirorum potentum affert incommoda, In cadentibus uero paucitatem inimicorum.

Si Saturnus aut Mars in duodecima fuerit, natus uidebit quæ concupiuerit de inimicis. Quòd ſi aliqua infortuna eis applicet, uel duodecimæ dominus, contrarium, ac membrorum debilitatem ſignificat.

Si altera infortunarum in duodecima, & altera in ſexta fuerit, natus interficietur ab inimicis, & erit aduerſa ualetudine inſeparabili impeditus.

Omnis planeta qui fuerit aut aſcendenti, aut luminaribus oppoſitus, indicat quales futuri ſint ij, qui nato aduerſabuntur, Nam ſi ſint infortunantes ſtellæ, erunt uiles: Si fortunantes, nobiles & potentes.

Si fuerit pars inimicorum combuſta, uel eius dominus, multa ab inimicis occulta detrimenta percipiet, aut toxico uel faſcinatione, uel accuſationibus. Si autem ſit in duodecima, miſeriam nati prodit. Et ſi ab infœlicibus ſtellis aſpiciatur, erit prima ætate ualetudinarius, idque maxime in infantia.

Si gemini aſcendens occupauerint, natus erit cauſa ſuæ captiuitatis. Quòd ſi tunc Mercurius fuerit bene diſpoſitus, & fuerit pars fortunæ in quarta, ſignificat quòd erit fortunatus in his quæ ſignificantur per quartam domum.

Sagittario aſcendente, natus erit etiam cauſa ſuæ captiuitatis. Verum ſi tunc Iupiter fuerit bene diſpoſitus, uel fuerit pars fortunæ in quarta, erit fortunatus in his quæ per quartam domum ſignificantur.

Aquarius aſcendens ſignificat quòd talis natus acquiret multos inimicos occultos, & ipſe ſibi erit cauſa prouocandarum inimicitiarum, ſolicitudinis, & mœrorum. Si fuerit tunc Saturnus bene diſpoſitus, uel fuerit pars fortunæ in duodecima, erit fortunatus in his quæ per duodecimam domum ſignificantur.

Capricornus in duodecima, & Aquarius in aſcendente, ſignificant quòd aliqui hoſtes ultro amicitiam nati expoſtulabunt.

Pars inimicorum in duodecima eſt malum inimicis, bonum uero nato.

Si duodecimæ domus initium quintus gradus Scorpionis poſſederit, talis à propria familia tradetur.

Si Iupiter uel Venus dominus duodecimæ fuerit, inimicitiæ nato non nocebunt, ſed euadet fœliciter, & eius inimici proſperabuntur. Si autem infortunæ hanc domum aſpicerent, natus proſperabitur de inimicis ſuis.

Dominus partis inimicorum in aſcendente, ſignificat quòd multi inimicorum occultorum reconciliabuntur ei, ultro ſua ſponte, ex ſe moti ad hoc.

Dominus aſcendentis ſi applicat planetæ exiſtenti in duodecima, ſignificat quòd natus primo applicabit ad concordiam cum ſuis inimicis occultis.

Luna cum Marte in tertia domo, ſignificat natum lucri cupidum, alieni auidum, malumq; & illatorem iniuriarum.

Dodecatemorion Saturni in domo Martis, ſignificat anxietates, indigentias, & triſtitias.

Si Mercurius ſub radijs in angulo in aſpectu infortunarum fuerit, natus ſpoliabitur, aut incarcerabitur.

Saturnus in cancro, ſignificat quòd natus erit contrarius alijs hominibus in omnibus eorum factis.

Dominus aſcendentis in duodecima in humano ſigno, ſi fortuna eum non aſpexerit, natus capietur in uijs, aut bellis. Quòd ſi dominus octauæ eum aſpexerit, ſiue ſit planeta fortuna uel infortuna, à captiuitate liberabitur. Si uero dominus orientis in hac combuſtus fuerit, in captiuitate morietur.

Si Mars Almuten natiuitatis non fuerit iunctus beneuolis, natus incendium patietur

Pyratæ erunt, in quorum genituris Luna diurno tempore in gradu aſcendentis conſtituta, Martem, ac Saturnum uiderit alium genituræ cardinem occupantes, aut ſecum aſcendentes habuerit.

Si fuerit Luna in ſeptima, diurna exiſtente natiuitate, natus incommoda habebit in locis humidis, ut ſunt lacus & flumina. Item à latronibus & prædonibus, ac incurſus in locis externis. Et ſi cum hoc fuerit in aſpectu infortunarum forte, interficietur.

Mars in Medio cœli in ſigno humano, facit homicidam & deceptorem, maxime, ſi Luna fuerit cum eo in die. Sed in aſcendente ſi fuerit in nocte, natus abhorrebit homines, & ipſi eum uicisſim.

Beneficæ in octaua dominantes, damnum à uiris bonis afferunt, quæ ſi bene affectæ fuerint, illud dimouebunt. Si bono loco malefica ſtella dominetur, eueniet nato bonum improbi uiri opera, & beneficio.

Quando malefica in locum beneficæ alterius genituræ inciderit, is qui beneficam habet, ab eo qui habet maleficam detrimento afficietur, Vt A habet Iouem in piſcibus in ſecunda domo, B habet Saturnum in ſecunda domo, hæ ſtellæ ſibi inuicem aduerſantur, B ipſi A nocumentum inferet. Genus autem inferendi damni à proprietate loci iudicandum eſt, quare damnum id in pecunia erit, & quidem per dolos calumnias, fraudes, accuſationes, & occulta ſimulataq; conſilia, quorum Saturnus eſt ſignificator. Quòd ſi Mars ibi fuerit inuentus, erunt damna per uim, iram, direptiones, latrocinia, gladium, incendia, & alia mala, quæ à Marte ſignificantur. Idem dices & in cæteris domibus, pro cuiusq; proprietate. Rurſus ſi A & B uterq; Iouem in ſecunda domo habuerint, aut alter Iouem, alter Venerem, ipſi ſibi magno inuicem uſui futuri ſunt. Contra ſi alter Saturnum, alter Martem habuerit, aut eundem ipſum maleficum, ſiue Martem, ſiue Saturnum, inuicem alter alterius pecuniæ inſidiabitur.

Dominus

Dominus { Tertiæ, Quartæ, Quintæ, Sextæ, Nonæ, Decimæ, Vndecimæ, Duodecimæ } *Si* aliquis eorum in ſeptima domo fuerit, ſignificat quòd quicunq; ex ipſis fuerit in ea, erunt inimici talis nati ex natura illius planetæ, qui erit infenſus nato, niſi receptio perfecta interueniat ex trino, uel ſextili. Vt ſi dominus tertiæ in ſeptima fuerit, aduerſabuntur ei fratres. *Si* nonæ dominus, religioſi. *Si* decimæ, ſui domini, & forte â tali domino pulſus, aut in exilium miſſus fuerit, uel captiuabitur.

Saturnus & Mars in undecima, faciunt natum effuſorem ſanguinis, & forſitan alicuius amici.


Inimici ex natiuitate ſunt dominus ſeptimæ, octauæ, & duodecimæ. Vel etiam planetæ in ſeptima uel duodecima.

Scorpio in duodecima, toxicum minatur.

Dominus aſcendentis in duodecima in humano ſigno, ſignificat quòd natus captiuabitur in iuuentute, maxime ſi fortuna non aſpexerit domum duodecimam.

Si dominus aſcendentis in duodecima combuſtus fuerit, ſignificat quôd natus in captiuitate morietur. *Si* autem dominus nonæ, aut tertiæ quocunq; modo aſpexerit, liberabitur natus â captiuitate, ſecundum enim quôd Dominus aſcendentis in diuerſis domibus combuſtus fuerit, ſecundum hoc diuerſa nato pericula minatur. *Si* enim in ſigno aſcendentis combuſtus fuerit, uitam breuem nati ſignificat. Dominus enim aſcendentis, dominus eſt uitæ, & planeta in aſcendente dominium habens, eſt planeta uitæ. Cum ergo infortunatur in domo uitæ, aufert longam uitam, *Si* in ſecunda domo combuſtus, uel infortunatus fuerit, paupertatem & miſeriam nato oſtendit. *Si* in tertia, malum & periculum in conſanguineis, & fratribus. *Si* in quarta & octaua, in carcere morietur. *Si* in quinta combuſtus fuerit, & fuerit ſignum aqueum, natus morietur ex ebrietate, aut ex ſuperfluitate aſſumpta. *Si* in ſexta, longa infirmitate chronica moleſtabitur, & tandem miſere peribit. *Si* in ſeptima, uxor eius propria cauſa mortis marito erit, ſecundum naturam ſigni ibi inuenti. Vt ſi terreum, per præcipitium. *Si* Scorpio, toxicum caueat, & uenenum. *Si* ſignum igneum, cadet in ignem cauſa rerum uxoris, & ſic cremabitur. *Si* in ſigno terreo, cadet de alto & morietur. *Si* in nona, pericula timeat latronum. *Si* in decima, ex parte principis malum habebit, captiuabitur, & ex ira principis mortem incurret. *Si* in undecima, ex amicis ſuis pericula habebit.

Si planeta infortunatus fuerit in duodecima, & Sagittarius, uel Leo domum duodecimam occupauerit, cadet natus ab equo uel beſtia, & ſic morietur.



De inimicis occultis nati exemplificatio.

Concluſio prima. Multos habebit natus inimicos occultos. Id accipitur â Saturno Almuten ſignificatorum inimicorum, domino aſcendentis quadrato aſpectu permixtus, Idem affirmatur ex eo quòd idem eſt dominus aſcendentis, & duodecimæ.

Concluſio ſecunda. Inimici eius occulti erunt ex nobilibus potentibus, quod colligitur, ex Sole recipiente dominum duodecimæ per coniunctionem, & Saturno Almuten inimicorum in angulis, & dignitatibus ſuis.

Concluſio tertia. Inimici eius occulti faciliter cum eo concordabunt, quia dominus aſcendentis applicat domino undecimæ ex trino perfecta receptione.

Concluſio quarta. Omnibus inuidentibus ſibi præualebit, ac eos conculcabit, & ipſi ei nihil nocere poterunt. Sed ipſe eos impediet, id arguit Almuten duodecimæ domus retrogradus.

Concluſio quinta. Natus impedietur in rebus ſuis, & anxietates atq; triſticias, ratione inimicorum, atq; laborum ſuſtinebit, hoc ſignificat ſecunda domina triplicitatis duodecimæ. Venus in octaua retrograda. Dodecatemorion Saturni in domo Martis idem ſignificat.

Concluſio ſexta. Proſperabitur tamen tandem contra aduerſarios ſuos ſagacitate ſua, quod concluditur ex bona conditione tertij domini triplicitatis duodecimæ domus, quod confirmat etiam debilitas partis inimicorum per radios oppoſitos Martis.

Caput

CAPVT DECIMVMQVINTVM.

De peregrinationibus, & itineribus nati.

PRo peregrinationibus loca luminarium conſiderabimus, maxime Lunæ locum, & locum Martis. Vide tamen præ cæteris qualitates luminarium, ſed magis Lunę quâm Solis. Quę cum occidentalia extiterint, remotaq́ ab angulis, peregrinationes de loco ad locum decernunt. Mars ſimiliter cum occidentalis fuerit, uel â culmine medij cœli declinauerit, hoc eſt, cum fuerit in ſeptima, octaua, nona, uel tertia domo, cum hoc de quadrato uel oppoſito luminaria aſpiciens, portendit multa itinera de loco ad locum. Hoc ipſum efficere ſolet pars fortunæ, dummodo loca itinera ſignificantia occupauerit. Si enim luminaria, Mars, & locus partis fortunæ, loca iter ſignificantia occupauerint, decernunt peregrinationem in tota uita nati. Si uero luminaria, ſimiliter Mars, & pars fortunæ, fuerint in locis denegantibus itinera, natus quietus in loco permanebit. Et ſi aliqui ex his fuerint in locis itinerum, & aliqui non, ſecundum qualitatem uincentium, natus itinera habebit, aut in loco permanebit.

Si fortunæ loca prædicta aſpexerint, ſcilicet octauam, ſeptimam, nonam, tertiam, uel ad ipſas perrexerint, & illas ſequutæ fuerint, ea quæ in peregrinationibus operabitur natus, idonea, & utilia erunt, etiam ipſius â peregrinationibus reditus feſtiuus ac lætus, nec ei unquam ab aliqua re contradicetur. Et ſi prædicta loca infortunæ aſpexerint, opera eorum cum itinera faciunt, erunt laborioſa, atq́ nociua, plena timoris, tardeq́ ex peregrinatione reuertetur. Hæc autem ſemper eueniunt ſecundum naturam planetarum talia loca occupantium, aut ea aſpicientium, fortunæ enim faciunt reuerti ad locum, infortunæ perire in loco itineris.

Cum luminaria fuerint in aliqua duarum quartarum orientalium, frequentius uerſus orientem, meridiemq́ natus egredietur. At ſi in aliqua quartarum occidentalium luminaria fuerint, uel in ipſo occidente, uerſus ſeptentrionem, & occidentem eius iter apparebit. Hali Abenrodan inquit, quôd quarta orientalis in propoſito eſt medietas cœli â decima computando per aſcendens uſq́ ad quartam domum. Occidentalis autem quarta huic oppoſita â quarta computando uſq́ ad nonam. Iubet etiam Hali aſpicere trigonos, ut ibi uides, Trigonus igneus, Aries, Leo, Sagittarius, Septentrionalis occidentalis. Terreus, Taurus, Virgo, Capricornus, Meridionalis, orientalis, Aërius, Gemini, Libra, Aquarius, Septentrionalis, orientalis, Aqueus, Cancer, Scorpius, Piſces, Meridionalis occidentalis. Sic ſi ſignificatori itineris, hoc eſt Lunæ, Soli, uel Marti danti itinera, applicuerit aliquis planeta ſeptentrionalis, ſicut eſt Iupiter, ſignificat iter uerſus ſeptentrionem. Si Meridionalis, uti eſt Venus, ad meridiem. Si occidentalis, ut eſt Mars, ad occidentem. Si orientalis, ſicut eſt Saturnus, uerſus orientem iter faciet, & Sol quidem partibus orientalibus, Luna uero partibus occidentalibus adiuuat. Et ſi ipſa ſigna quæ peregrinationem ſignificant, uel eorum domini unius formæ fuerint, iter faciet quandoq́, ſi autem duorum corporum fuerint figuræ ſignorum, & planetæ duorum corporum, erit iter continuum, diuq́ durabile. Sunt autem ſigna duorum corporum Gemini, Sagittarius, & Piſces. Planetæ autem duarum figurarum, Mercurius, & Iupiter.

Quando Venus aut Iupiter ſua præſentia loca itineris occupauerint, aut in eis, uel in locis luminarium damnati fuerint, nulla erit in itinere formidatio, nec aliquod itineris periculum, imò tales habebunt abundantiam omnium rerum, in terra aliena legationes amicorum deferentes, ſuntq́ allaturi profectum ſuis amicis. Quôd ſi Mercurius fuerit cum aliqua fortunarum in locis prædictis itineris, ma-

grum conſequetur commodum, ſuamq́ legationem ad exitum perducet, dabuntur ei etiam dona, ac honorabitur. Et ſi Saturnus & Mars locis luminarium dominentur, uel ea occupauerint, aut ea oppoſito aſpiciant, fuerintq́ ſuper luminaria eleuati, decernitur impedimentorum occaſio in itineribus. Quod ſi uterq́ Saturnus, & Mars, in ſignis humidis morantur, hoc impedimentum ei ex feſtinatione aquatici itineris, aut ex ſubmerſione, uel propter infortunatum iter aridæ uiæ per deſertorum locorum tranſitus continget, At ſi in fixis ſignis fuerit, id ex pręcipitatione, aut ex uentorum flatibus ualidis adueniet. Si uero fuerit Saturnus & Mars in ſolſtitialibus ſignis, uel æquinoctialibus, periculum eueniet ex defectu uictualium, uel propter malum aërem. Si autem in ſignis humanæ formæ Saturnus uel Mars fuerit, ex uiarum abſciſionibus, uel deprædationibus euenire periculum dicemus. Sed ſi fuerint Saturnus, aut Mars in ſignis beſtiarum ſylueſtrium, ex luporum rapacitate, ſeu ex terræ motu periculum imminebit. Quod ſi Mercurius cum infortunis fuerit, aut eas aſpexerit, exiſtens in ſignis humanis, periculum eueniet ab armatis latronibus. In ſignis beſtiarum exiſtens Mercurius, aut uenenoſis, ſicut in Scorpione, impedimenta ex morſu euenire ſignificat.

Si in genitura alicuius, nato portenditur infortunium in itinere, quo tempore uenturum ſit determinabitur. Quando Iupiter in genitura alicuius occupauerit domum nonam, aut domum ſubſtantiæ, & in principio alicuius anni ex directione reuolutionum aliqua perueniret ad Iouem, decernit nato illo anno fortunatum iter ſecundum exigentiam. Quando Saturnus aut Mars occupauerit loca itinerum, aut aliquis ex his impediret Lunam per corpus, aut per aſpectum, motu directorio, decernit nato itinera periculoſa. At ſi Iupiter eſſet in nona ex motu directorio, & ueniret ad eum Iupiter uel Venus, decernit illo anno itinera cum profectu. Eodem modo intellige de profectionibus & reuolutionibus annorum, nec non de eclipſibus & coniunctionibus magnis. Hæc Ptolemæus.

Aliorum ſententiæ & aphoriſmi.

Pro peregrinationibus conſidera
- Domum tertiam & nonam.
- Dominos eorum.
- Partem itinerum.
- Dominum eius.
- Almuten ſignificatorum itinerum.
- Partem ſtabilitatis.
- Tres dominos triplicitatis nonæ.
- Secundum dominum triplicitatis tertiæ.
- Tertium dominum triplicitatis tertiæ.
- Tertium dominum triplicitatis primæ.
- Martem.
- Tres dominos triplicitatis Martis.

Almuten ſignificatorum itinerum accipitur à
- Cuſpide nonæ domus
- Domino eius
- Planetis in nona
- Marte

Qui ſi commixtus fuerit cum domino aſcendentis, faciet multa itinera. Et ſi plures fuerint fortunæ, uel ſi Almuten eorum fuerit fortunatus, uel applicuerit ad dominum aſcendentis, uel dominus aſcendentis ad eum, ſignificat itinera utilia, & ad bona loca. Si contrarium, dic contrarium huius.
- Parte itineris
- Domino eius
- Primo domino triplicitatis nonæ

Melior

MElior ſtatus in re itinerum, qui eſſe poſsit, eſt quando dominus nonæ, & tertiæ, fuerint in prima uel decima liberi ab infortunis, maxime ſi fuerint cum teſtimonio Iouis, & tunc non ſolum prodeſt in itineribus, ſed erit etiam ſignificatio, quòd natus erit ſuę legis cuſtos, & alios attrahet ad ſuam fidem.

Dominus domus itinerum ſi applicat domino aſcendentis, natus faciet itinera, de quibus non cogitauit. Si econtra, natus multum erit ſollicitus in itineribus, & ſecundum ſtatum ſignificatorum erit ei commodum uel incommodum ex itinere.

Dominus domus itineris ſi ſeparatur à domino aſcendentis, natus cupiet facere itinera, ſed impedietur. Si econtra dominus aſcendentis ſeparatur à domino domus itinerum, natus erit quietus, nec multum laborabit pro lucro.

Sol in domo itinerum, fortunat iter, maximè in ſigno fœminino.

Iupiter dat profectum & honorem in itinere, Venus hilaritatem, Mercurius ſecundum commixtionem ſuam cum alijs, ſi fuerit in domo itinerum.

Omnes ſignificatores itinerum, uel maior pars eorum, ſi in aqueis ſignis fuerint, natus ibit per aquas, in terreis, per terram, in quadrupedibus, utetur equis, in humanis, pedibus.

Mars in angulo, dat multa itinera.

Luna non aſpiciens dominũ domus ſuæ, dabit nato labores extra domũ ſuam.

Inter dominos triplicitatis loci Martis, qui fortunatior fuerit, dabit nato proſperitatem ex itinere, in tempore ætatis ſibi debito.

Luna ſi die tertia poſt natiuitatem applicat Marti, aut fuerit in domo eius uel termino, Marte aſpiciente ipſam, natus faciet multa itinera. At ſi fortunantibus applicuerit, erit bonum in itineribus nati.

Si dominus aſcendentis fuerit contrarius aſcendenti, & dominus domus Lunæ contrarius Lunæ, natus habebit multa itinera. Et ſi fuerit cum hoc fortuna, habebit proſperitatem inde.

Si die tertia poſt natiuitatem Luna applicat Mercurio, & ipſe Mercurius infortunatus à Marte, natus habebit moleſtias in itinere.

Luna, uel dominus domus eius in occidente, inclinat ad itinera.

Iupiter dominus nonæ in aſcendente uel decima, dat nato in itineribus bonam famam.

Si dominus Solis non aſpicit Solem, nec dominus domus Lunæ Lunam, nec dominus aſcendentis ipſum aſcendens, natus faciet multa itinera ſine proſperitate.

Mars in tertia uel nona, infert nato ægritudinem in itinere.

Pars itinerum ſi Marti coniungitur, & dominus partis contrarius eſt, uel in contrarijs locis fuerit, natus faciet itinera multa, & infirmabitur in eis.

Luna in nona in die, dat miſeriam per totam uitam, & laborem in itineribus.

Quando domini domorum luminarium, & dominus aſcendentis fuerint in oppoſitis ſuarum domorum, natus non ſtabit in ſua ciuitate, & ex itineribus anguſtias ſentiet.

Si dominus aſcendentis in nona, uel dominus nonæ in aſcendente fuerit, natus diliget itinera.

Dominus nonæ infortunatus, uel infortunantes in nona, multa decernunt itinera, ſed cum labore & damno.

Iupiter in nona combuſtus uel in ſuo caſu, iter cauſa abſcondita, uel exilium nato ſignificat.

Luna cum Capite draconis, & duabus infortunis in nona, interficietur natus in itinere à prædonibus.

Pars itinerum in una quarta, & dominus eius in alia, ſignum eſt multorum itinerum

nerum, & ad diuerſas partes, quæ ſi fuerit in angulis fortunata, & eius dominus ſimiliter, dic in his bonum. Si fuerit econtra, contrarium dicito.

Quando dominus nonæ, & pars itineris, & dominus eius, ſimiliter Mars & Iupiter, uel maior pars eorum fuerit in ſignis aqueis, nauigabit per aquas &c.

Si pars ſtabilitatis, & dominus eius fortunati fuerint, proficiet in peregrinationibus, & acquiret in eis, Si mali eſſe, dic contrarium.

Ratio itinerum ſumitur à nona & eius domino. Vt exempli cauſa: Si nona domus eſſet Scorpius, & Mars dominus eius eſſet in quarta domo, quæ eſt octaua à nona, dic quòd faciet itinera longa, ratione mortis alicuius, uel ratione hæreditatis mortui alicuius, eo quòd quarta domus, in qua Mars eſt, octaua eſt à nona. Sic age quoq; in breuibus itineribus.

In ſcientijs.

SI ſignum nonæ fuerit domus Iouis in nocte, & Luna in eo, natus erit Aſtrologus, rerum cælatarum reuelator. Idem erit ſi dominus nonæ fuerit Mercurius, aut in nona fuerit ſtella de natura Mercurij.

Si pars legis cum Saturno fuerit, natus perquiret res, & ſcientias antiquas, neq; faciet aliquid, niſi præuia deliberatione. Si cum Ioue, erit legis bonæ.

Mercurius in nona à fortunis aſpectus, oſtendit natum ea per ſe diſcere quæ ſibi nullius magiſterio fuerint oſtenſa. Si à malis aſpectus fuerit, dic contrarium.

Virgo aſcendens alicuius, & Mercurius boni eſſe, uel ſaltem non infortunatus, ſignificat fortunatum in Medicinis, ſed in lucro & ſolario cauſa medicinæ infortunatum. Si legibus adhæſerit, erit infortunatus in ſuis aduocationibus aduerſabuntur ei homines pro nihilo, & loquentur de ipſo mala.

Mars & Venus in ſexta, arguunt perfectum Medicum.

Mercurius retrogradus cum Venere in eodẽ ſigno faciunt perfectũ cantorem.

Ingenium excellentiſsimum iudicabis, dum dominus nonę, & medij cœli idem erit, uel una ſe habuerint bene diſpoſitos cum domino aſcendentis fortes Mercurio non currente ad combuſtionem, & erit maximum quid, ſi cum hoc Mercurius fuerit in domo Saturni.

Mercurius in domibus Saturni, ſignificat profundum intellectum in ſcientijs, & præcipue ſi fuerit ſignificator natiuitatis, ſiue particeps bene diſpoſitus, fortunatus atq; fortis in Capricorno uel Aquario, ſignificat quòd natus erit profundi ingenij, intelliget & eruet res ex ipſis fontibus, & eo fortius, ſi tunc Saturnus aſpexerit Mercurium ſecundum qualitatem aſpectus, nec ipſe impeditus, magis tamen ſi fuerit Mercurius in Aquario, & magis ſi fortuna fuerit copulata cum Mercurio, uel fuerit ipſe cum ſtella fixa fortunata. Quòd ſi fuerit in Ariete uel Scorpione, ſignificat quòd erit fortis per ſtultitiam & perfidiam, atq; ſui motus agilitatem, atq; magnanimitatem, circa multos arrogans erit ex ſuis actibus armorum, eritq; prudens & uelox ad intelligendum ea, quæ ſibi dicta fuerant.

Mercurius in aſcendente orientalis & uelox, facit natum eloquentem, & in ſcientijs liberalibus doctum. Idem etiam erit ſi in Sagittario fuerit in proprijs terminis tali modo.

Taurus uel Piſces aſcendens alicuius & Iupiter, & Venus atq; Mercurius iuncti in aſcendente, ſi fuerit ipſe Iupiter & Venus in Zamini Solis, qualitercunq; aſcendens fuerit, erit tanquam propheta, & eius uerba melliflua reputabuntur.

Iupiter in Cancro, remotus ab aſcendente, nec impeditus ab aliquo, facit natum rationabilem, & in ſcientijs ualde peritum, diliget tamen ſolitariam uitam, nec habebit laudem de ſcientia ſua.

Propheta

Propheta erit in dando iudicio, cum Sol & Iupiter in radice promiſerint, ſeptima non impedita, impedito tamen Saturno.

Si Mars & Venus cum Sole in eodem puncto fuerint in loco Veneris, & termino, uerba nati ab hominibus recipientur, & à nullo repudiabuntur.

Tres planetæ in aërea triplicitate cum Mercurio faciunt præeminens ingenium, & ſublimitatem ſcientiæ. Experimentum accipe in genitura doctiſsimi uiri M. Ioannis Regiomontani, qui habuit Mercurium, Solem, Martem & Lunam in geminis.

Mercurius in Geminis in tertia domo, à Sole remotus, & à nullo impugnatus facit clariſsimos ingenio, ac magnos in literis.

In religione, fide, lege & ſomnijs.

Pro religione conſidera:
- Nonam domum.
- Dominum eius.
- Partem religionis.
- Dominum eius.
- Partem fortunæ.
- Partem futurorum.
- Secundum dominum triplicitatis tertiæ domus.
- Secundum dominum triplicitatis nonæ domus.

SIGNVM nonæ, ſi commune fuerit, & eius dominus in ſigno communi, natus non perſeuerabit in una lege, maximè ſi Mars aſpicit nonam. Si hæc ſigna erunt mobilia, natus ſemper dubitabit de lege ſua.

Mercurius in domo Lunæ uel eius aſpectu, natum legi obedientem, honeſtum, & bonum ſignificat, & ſi fuerit boni eſſe & fortis, erit doctus & ſapiens, maxime ſi eum Iupiter aſpexerit.

In cauſis religionis & fidei, uide tertiam & nonam domum, & planetas in eis fortunas uel infortunas, qui illos aſpiciunt ex ſextili, trino, quadrato, uel oppoſito, & dominos utriuſq; domus, in qua parte circuli ſint, partem etiam religionis & eius dominum. Et ſi Almuten illorum, uel maior eorum pars fuerit in ſigno fixo, communi, uel mobili in angulis uel ſuccedentibus, ſecundum hoc iudicabis. Et ſcias quòd bona religionis & fidei magis ad Mercurium quàm ad reliquos planetas pertinent, propterea præcipuè conſidera cum quibus commiſceatur, aut quibus applicet &c.

Mercurius in domo Saturni uel eius aſpectu, facit natum non curantem mundana, ſed futuræ uitæ ſpeculatorem. In domo Iouis, legalem & iuſtum, in domo Martis uel eius aſpectu, facit hominem homicidam, iracundum, malæ legis.

Melior ſignificatio fidei eſt, ut ſit dominus nonę in aſcendente uel Medio cœli, & ipſa nona domus non impedita radijs malorum.

Mercurius cum Luna in nona, & ſi illud ſignum fuerit domus alicuius eorum, & pars legis cum eis, natus erit prælatus & laudatus in lege ſua, ac ſapiens & interpretator ſomniorum, & ſi Venus cum eis, natus erit ueridicus, credetur ei.

Si caput draconis in nocte in tertia fuerit, aut in die in nona, natus erit prælatus, maximè ſi Mercurius uel Sol aſpexerit.

Stella Bebenia in gradu nonæ uel in nona, dabit nato fortunam magnam ex parte legis, quando gradus nonę per directionem peruenit ad eam, Idem erit ſi dominus aſcendentis applicuerit ad eum.

Si ſignum nonæ domus fuerit exaltatio Iouis, Solis, aut Veneris & dominus

exaltationis habuerit dominum in triplicitate luminaris temporis in bono loco, natus habebit uictum ratione legis, & magiſtratuum.

S fuerit Mercurius in nona domo orientalis in domo uel exaltatione ſua, ſine aſpectu infortunarum, natus ſimulabit ſe eſſe compoſitorem legis, ſed non erit.

Si fuerit Saturnus in aliqua ſuarum dignitatum ſolus in nona in natiuitate diurna, natus erit ſapiens prelatus, philoſophus, docebit mirabilia, & habebit fœlicitatem itinerum.

Si fuerit Venus in nona in ſuo Hayz, natus erit obſeruator legis. Si non in ſuo Hayz, finget ſe obſeruare legem & habere ſcientiam.

Mercurius in nona in diurna genitura, ſignificat legis ſeruatorem & ſapientiam nati, & Deo bene parentem.

Nunquam erit propheta fidelis nec pontifex, ſiue dux eccleſiaſticorum, qui Saturnum retrogradum habuerit in nona uel aſcendente, quanquam omnes formę bonorum eſſent in ſignificatoribus cæteris, tam in fixis quàm erraticis ſtellis, nec credendum eſt uerbis eorum, ſed fugiendi ſunt.

Non eſt religio bona, cauda draconis in nona exiſtente, incognita eſt & cooperta

Prælatura pontificatusq; per Solem & Iouem, & per nonam & Medium cœli erit.

Pars fœlicitatis impedita, ſignificat quòd natus talis non erit firmus in fide.

Inuento dodecatemorio Iouis in domo Mercurij, Ioue habente dignitatem in aſcendente, natus erit ſapiens, & legum obſeruator.

Iupiter in domo nona, ſine aſpectu Martis, facit interpretem ſomniorum.

Quando ſtellæ ſeparantur à coniunctione, ſuperuenient ſomnia & cogitationes, ſecundum naturam ipſorum planetarum, & ſecundum naturam domorum in quibus fuerint in cuiusq; natali. Nam ſi fuerit in tertia, ſomniabit de itinere &c.

Saturnus in nona in ſuo poſſe, non retrogradus, ſignificat ſomnia uera. Si Mars ibi fuerit, non erunt uera.

Ioue applicante parti legis, natus erit ueridicorum ſomniorum.

Cuſpis nonæ ſignum fixum & ſaluum, ſignificat ſomnia uera. Mobile ſomnia ſine effectu &c.


Mercurius in nona, ſomnia uera & interpretes eorundem ſignificat.

Si	Saturnus	fuerit dominus nonæ, ſomnia uenient de	mortuis, planctibus, dęmonibus, ſepulchris, uijs per deſerta,
	Iupiter		perſonis honorabilibus, orationibus, eccleſijs,
	Mars		Bellis, equitibus, equis, igne, canibus.
	Sol		Regibus, principibus, potentatibus.
	Venus		Fœminis, materijs bonorum odorum,
	Mercurius		Doctis, libris, ſcholis, numeris &c.
	Luna		Mari, aquis, puteis itineribus, uolatu per aëra &c.

Si Saturnus cum Cauda draconis in nona fuerit, in ſomnijs, horrenda uidebit.

Exemplum

Exemplum geniture propoſitæ.



Concluſio prima. Plura itinera longa facturum ſignificant Sol & Pars fortunæ in quarta cadente.

Concluſio ſecunda. Sed non erit in his ſine grauitate, labore atque tardis reuerſionibus, quoniam radij Martis & Saturni Solem circundant. Etiam hoc affirmatur ex Venere domina nonæ, quæ eſt etiam domina partis itinerum in oppoſito partis infortunata. Item applicatio domini aſcendentis ad Solem.

Concluſio tertia. Impedimentum unum ſentiet in itineribus ſuis, ex præcipitatione aliqua, uel ex uentorum flatibus ualidis, nam Mars dominus luminarium collocatus eſt in ſigno igneo & fixo.

Concluſio quarta. Plura ſuorum itinerum erunt uerſus ſeptentrionem, & occidentem, pauca uero uerſus orientem, id deſignatur ex loco ſignificatoris.

Concluſio quinta. Nec ſua itinera erunt continua, ſed interrupta, quia ſignificatores ſunt tantum in ſignis unius figuræ.

Concluſio ſexta. Bonæ legis uirum obſeruatorem, & ſapientem, Dodecatemorion Iouis in domo mercurij inſinuat.

Concluſio ſeptima. Eius ſomnia plurimum uerificabuntur, id arguit ſignum nonæ fixum, &c.

Concluſio octaua. Itinera breuia plura facit, & in illis utilitatem habebit. Id capitur à Luna tertia domina triplicitatis tertiæ domus, & eius præſentia ibi ſalua, uerum in his perficiendis tardus erit, concluditur à tardo curſu Lunæ.

Caput

CAPVT DECIMVM SEXTVM.

De qualitatibus mortis nati.

QVANTITAS uitæ, mortiſq́ qualitas ex Athazir obuiante, quem interfectorem nuncupant, deprehenditur. Hæc namq́ abbreuiatio aliquando ex ſola applicatione per corpus, aliquando per proiectionem radiorum ſignificatoris ad interfectores, uel econuerſo ex interciſa arctuatione graduum circuli æquinoctialis determinantur. Cum enim ſignificator ad radium interfectoris quadratum uel oppoſitum, uel per corpus applicuerit ipſo interfectore exiſtente forti, & ſuper ſignificatores uictoriam obtinente, decernit mortem. Si autem ſuper locum ſignificatoris fortunę radium proiecerint, ipſis exiſtentibus in poteſtatibus ſuis, liberāt natum à periculo, uitam longiorem ſubminiſtrantes, ut alibi docebitur.

Conſidera gradum illum qui abſcindit, cuiuſmodi ſtatum habeat, & naturam planetæ ibi ſtantis in illo gradu, uel eius qui proijcit radios ſuos in illum, exaugendo gradum abſciſoris.

Conſidera etiam naturam planetæ ſtantis circa illum gradum, qui antecedit eum, aut proprio curſu ſuo, aut per motum ęquinoctialis, ſeu directorium. Vide etiā naturam figuræ quæ fit per coniunctionem, & per commixtionem harum rerum, unius cum alio.

Conſidera etiam naturam ſigni in quo eſt gradus ille, uel in quo eſt planeta aſpiciens gradum ipſum, uel qui uadit ad eum. Vide etiam naturam termini illius gradus interficientis, id eſt, qui planeta habeat terminum in illo gradu.

Cum Saturnus dominus mortis fuerit, id eſt, cum Hylech pertinget ad radios quadratos uel oppoſitos Saturni interfectoris, occaſione longæ infirmitatis, pthiſi, aut catarrho, uel propter corporis diſſolutionem, uel ethicam febrem, nec non ex hydropiſi, uentriſq́ ſolutione, ſeu ægritudine matricis, & alijs infirmitatibus, quæ ſæpe frigoris occaſione proueniunt, mors nato ſuperuenire dicitur.

Iupiter dominus mortis per peripneumoniam, aut apoplexiam, aut ſpaſmum, uel ex cephalia, ſeu cordiaca, omnibuſq́ infirmitatibus quæ ex uentoſitate naſcuntur, uel per fœtidos odores ei mortem prouenire ſignificat.

Mars dominus mortis, ex occaſione febris aſsiduæ uel tertianæ continuæ aut phreneſis, aut epileptici morbi, uel alicuius ſanguinis meatus, uel abortus, ſeu partus, uel ereſypelæ, aut egritudinis mortiferæ, aut morphęæ aut ex quibuſuis infirmitatibus ex calore ſuperfluo uenientibus, mortem decernit.

Si fuerit Venus domina mortis, ſtomachi uel epatis, ſeu cordis uitio, ſeu ſanguinis egeſtione, ſiue mobilibus apoſtematibus, uel fiſtulis, aut potionibus, omnibuſq́ morbis humorum ſuperfluitate contingentibus, uitam nati abſcindi determinabis.

Cum fuerit Mercurius dominus mortis, ex perturbatione mentis, uel ex mania, aut præcipitatione, aut epilepſia, uel tuſsi, aut ex pleureſi acuta, aut ex nimia ſiccitate proueniente morbo, mors nato occurret.

Mors quædam eſt naturalis qua per ſe homo moritur: Alia uiolenta, qua quis moritur gladio, lancea, igne, morſu beſtiæ uel feræ, aquæ ſubmerſione, uel ex loco alto præcipitatione uitam finit.

Cum gubernatores mortis fuerint ab infortunis ſalui in dignitatibus proprijs, & loco figuræ conuenienti, nec ſuper eos infortunæ eleuentur, mors naturalis illi cōtinget, idem etiam colligitur ex infortunis eleuatis ſuper interfectores, ipſis debilibus exiſtentibus, & in locis, id eſt, ſignis alienis.

Mors

Mors uero quæ ui, & non naturæ lege infertur, contingit cum loco mortis utræq; infortunæ dominabuntur, aut ambæ in ipſo eodem loco, uel eius aſpectu quadrato, uel oppoſito permaneant, aut ex eo, cum quęlibet infortunarum dominium, & poteſtatem ſuper locum Solis, & Lunæ, uel ſuper ambo luminaria, & Hylech ſimiliter habuerint.

Mors autem mala & iniqua propter duarum infortunarum coniunctionem continget, eiusq; magnitudo per luminarium teſtimonia proueniet.

Naturam etiam ſignorum in quibus ſtant interfectores, nec non radios eorundem ad locum mortis indicem inſpiciemus: Secundum enim horum uictoriam, qualitas mortis ueniet.

Saturnus ſi in quadrato Solis, uel in ipſius oppoſito fuerit in contrario Hayz ipſe abſcindens Hylech, ſi fuerit in ſigno fixo, manu populi lapidante mortis interitu opprimetur, uel ſtrangulatione ſuſpendetur, pœnisúe mortiferis ex hac luce migrabit. Cumq; Saturnus occidentalis fuerit, & eum Luna ſequatur, idem euenire non ignoremus. At cum in ſignis quarum figurę ferarum figuris aſsimilantur extiterit, ferarum morſibus interibit. At ſi Iupiter Saturno teſtificetur, & infortunatus exiſtat, in conuentu uirorum die nota & ſolenni, ferarum morſui damnatus obijcietur. Quòd ſi ipſe Saturnus mortis dominus, fuerit in oppoſito alterius luminaris in aſcendente exiſtentis, uel in alio angulo, in carcere in periculum uitæ ueniet. Et ſi Mercurius eidem in figura coniungatur, maxime autem in ſignis ſerpentium cœleſtis ſphęræ, uel in ſignis quorum figuræ ſunt ferarum rapacium, uenenoſorum animalium moroſibus peribit. Si autem Venus cum eis fuerit, potu mortifero, fraude mulieris interibit. Quòd ſi in Virgine uel Piſcibus, aut in ſignis humidis ſibi locum uendicauerit, Lunæq; in figura aſſocietur, uitam in aquis finiet. Et ſi in Argo naui fuerit, tempeſtuoſa fluctuatione maris uita priuabitur. Et ſi in aliquo ſignorum ſolſtitialium, uel in ſignis quadrupedum cum Sole fuerit, ſeu in Martis oppoſito uice Solis remanſerit, ruinæ caſu perimetur. Si autem in Medio cœli, uel in eius oppoſito fuerit, ex alto præcipitabitur, & morietur. Omnia iam dicta conferuntur ad Saturnum, cum reſpexerit luminaria, & interfector fuerit.

Iam uero qua morte natus periturus ſit, Marte interfectore exiſtente in Hayz contrario, & Solem ac Lunam ex quadrato uel oppoſito reſpiciente determinabimus. Si in humanæ formæ ſigno rotauerit propter ſeditiones, & altercationes, inter ſuos conſanguineos contingentes, ſeu bellando, capite truncabitur, Vel ſibi mortem manu propria cauſa mulieris conſciſcet, aut mulieris manibus interficietur, iſtud autem eueniet, cum Venus ipſi teſtificabitur. Et ſi Mercurius habuerit participationem cum Saturno in figura, latronum, pyratarum, uel inſidiatorum manibus dilacerabitur. At ſi in ſignis abſciſsis fuerit, ſcilicet in Tauro, Geminis, uel cum Algol, abſciſione capitis, uel membrorum morietur. Et ſi Mars in Scorpione, uel Tauro fuerit, combuſtione aut perforatione membrorum, aut medicorum inciſione, uel ſpaſmo finis uitæ eidem imminebit. Et ſi Mars in Medio cœli, uel in oppoſito eius permanſerit, in cruce ſuſpendetur, maxime ſi cum Andromeda fuerit. Quòd ſi in ſigno occidentali, aut in aſcendente locum habuerit Mars, uiuus igne cremabitur. Et ſi in figuris quadrupedibus extiterit, cadendo morietur. Si uero Iupiter Marti teſtificetur & infortunatus Iupiter exiſtat, ira poteſtatis uel regis, mortem manifeſtam ſubibit. Quòd ſi utræq; infortunæ Saturnus ac Mars iungantur uel alter alteri opponatur, quemadmodum prædiximus, ut mortis ſcilicet ſint occaſio, malam uitalis ſpiritus priuationem augebunt. Dominus autem qualitatis mortis, eſt dominus loci interficientis.

Cum duæ infortunæ in loco interficiente poteſtatem habuerint, accidentia prædicta in quantitate ac qualitate multiplicabuntur, tales quoq; non ſepelientur,

ſed

ſed à feris conſumentur, maximè ſi fuerint infortunæ cum ſtellis imaginum ferarum rapacium, uolatilium prædantium, nec fortunarum aliqua teſtificetur, ſed ſub terra exiſtant. Si autem fortunæ teſtificatę fuerint, ſepelietur, & cooperietur terra. Similiter quando domini locorum interficientium fuerint in locis inclinatis, hoc eſt in locis itinerum, & ijs quæ aſpiciunt ea quadrato, uel oppoſito, id eſt, in quatuor locis cadentibus, morietur extorris patria, & amicis ſuis. Si uero extra hæc loca fuerint, inter propinquos, & in terra ſua morietur. Hæc Ptolemæus.

Ptolemæi ſentẽtia eſt, ſi letalia inciderint in itinerum tempora, præſertim Luna aſpiciente maligno radio, morietur extorris.

Aliorum ſententiæ & aphoriſmi.

Pro morte conſidera:
- Octauam domum.
- Dominum eius.
- Partem mortis.
- Dominum eius.
- Almuten ſignificatorum mortis.
- Primum dominum triplicitatis octauæ domus.

INFORTVNA impedita in gradu octauę domus, non in domicilio, uel exaltatione ſua, nec alicui fortunæ iuncta per corpus uel aſpectum, ſignificat malam mortem. Malicia tamen remittetur, ſi infortunium uel impedimentum infortunæ fuerit remiſſum.

Infortuna in octaua exiſtens, ſi à fortuna recipitur, quæ ſit domina aſcendentis, ſignificat quòd natus erit occaſio ſuæ mortis. Si dicta infortuna fuerit aſpecta à planeta forti, & benefico, qui nõ fuerit dominus aſcendentis, remittetur mala diſpoſitio mortis. Si autem dictus recipiens fuerit dominus aſcendentis, maximè ſi infortunatus fuerit, natus erit cauſa ſuæ interfectionis, mala & uituperabili morte.

Infortuna ſi fuerit in gradu octauæ domus retrograda, & fuerit dictus gradus octauæ domus eius domicilium uel exaltatio, fueritq́ dominus aſcendentis, luminare conditionarium, infortunatum, & applicet dictę infortunę quadrato, uel oppoſito, ſignificat malam & turpem mortem.

Fortuna fortis in gradu octauæ domus corporaliter, uel ſi ex medietate orbis ſui gradum octauę domus beneuole aſpexerit, etiã ſi debilis fuerit influxus talis fortunæ, attamen remouet malam mortem. Si autem talis fortuna remota fuerit à gradu cuſpidis ultra medietatem ſui orbis, non remouet.

Fortuna ſi fuerit dominus domus, uel exaltationis octauæ domus, non infortunata, bonam ſignificat mortem.

Si fuerit gradus octauæ domus per corpus, uel radios fortunæ fortunatus, non poteſt finire uitam mala morte natus, etiam ſi Almutẽ mortis eſſet infortunatus. Sed ſtante mala diſpoſitione Almuten mortis, poterit gradus octauæ domus infortunari per aſpectus malos infortunarum, & ſic poterit influxus fortunæ ibi exiſtentis remitti, ita quòd dubium erit de bona morte.

Infortuna non in ipſo gradu octauæ domus, ſed irradians eũ gradum per medietatem ſui orbis, accedendo ad eum per motum diurnum, malam ſignificat mortẽ.

Planeta in ipſo gradu octauę domus per corpus, aut per dimidium orbis ſui luminis, præponitur ipſi Almuten mortis.

Si neq́ fortuna neq́ infortuna in gradu octauæ domus fuerit reperta, uide tunc ſi Mars habuerit dignitatem in domo mortis, per domum uel exaltationem, & fuerit peregrinus, uel male diſpoſitus in duodecima domo, & dominus aſcendentis peregrinus, iunctus corporaliter Saturno, deinde uadens ad coniunctionem corpo-

ralem

ralem Martis in dicto ſigno, natus interficietur à ſuis inimicis, licet etiam dominus aſcendentis non fuerit coniunctus Saturno, ſed in malo loco coniunctus Marti corporaliter, ſignificat mortem per ferrum. Et etiam ſi dominus aſcendentis fuerit cum dicta hac diſpoſitione infortunatus à Saturno impedito, & fuerit Saturnus ex dominis octauæ, ſignificat mortem ex longis pœnis & tormentis, carceribus, ſubmerſione, ruina uel caſu, ſecundum diſpoſitionem loci in quo fuerit.

Dominus aſcendentis combuſtus à Sole, & ab ipſo ſeparatus, uadens ad coniunctionem Saturni retrogradi exiſtentis Almuten mortis, decernit malam mortem. Nam ſi fuerit in aëreo ſigno, ſtrangulabitur, uel ſuſpendetur.

Si in gradu octauæ domus, neq; fortuna, neq; infortuna fuerit, uide tum Almuten mortis, ut ſequitur.

Almuten ſignificatorũ mortis excipitur à
- Cuſpide octauæ domus
- Domino eius
- Parte mortis
- Domino eius
- Octaua à Sole in diurna genitura
- Domino eius
- Octaua à Luna in nocturna genitura
- Domino eius
- Cuſpide aſcendentis
- Domino eius
- Cuſpide ſeptimæ
- Primo dño triplicitatis quartæ domus
- Primo dño triplicitatis octauæ domus

Almuten horum locorum, ſi eſt infortuna in termino mali, mortem malam indicat, ac ſecundum qualitatem huius, iudica qualitatem mortis. Nam ſi fuerit infortunatus, uel impeditus, & à nullo planeta beneuolo ſubleuatus, ſignificat malam & turpem mortẽ. Si autem fortuna fuerit, & bene diſpoſitus, ſignificat bonam mortem.

Mars Almuten domus mortis, coniunctus capiti Algol, ſignificat interfectionem nati, poſito etiam quòd Mars fuerit dominus aſcendentis. Si autem fortuna de bono aſpectu ex forti loco dictum aſpexerit locum, uel ſi fortuna bene diſpoſita in gradu octauæ domus fuerit, tunc tollit malam ſignificationem ipſius.

Si luminare temporis aſpicit Saturnum ex oppoſito, ſignificat malam & turpem mortem, maxime ſi Saturnus habuerit dignitatem in octaua, & luminare prædictum in aſcendente. Si uero luminare & Saturnus non fuerint præpollentes dignitate in prædictis locis, & aliqua fortuna coniungatur, uel aſpexerit aliquem prædictorum, uel fortuna fuerit in gradu octauæ domus, non morietur mala morte.

Si octaua fuerit Capricornus, nec fuerit ibi fortuna, fueritq; Mars in Cancro, & Saturnus in Leone, morietur natus mala morte, uidelicet uulnere, uel his ſimilibus, ſuppoſito quòd alter eſſet Almuten mortis.

Saturnus in medio cœli, & luminare temporis in eius oppoſito, & nulla fortuna in octaua, ſi nulla fortuna ipſam octauam aſpexerit, ſignificat malam mortem. Quòd ſi in aqueo fuerit ſigno, ſubmergetur in aqua. In terreo, morietur ex ruina. In humano uel aëreo, ſuſpendetur, & ſic de alijs. Hoc uerum eſt, dum luminare temporis dominium habuerit in aſcendente de domo uel exaltatione. Vel ſi Saturnus eodem modo dignitatem fortitus fuerit in domo mortis. Sed tali conditione ſtante, uidelicet cum Saturnus dignitatibus eſſentialibus ſuffultus fuerit in octaua, & luminare temporis in aſcendente, & aliqua fortuna bene diſpoſita fuerit in gradu octauæ domus, uel ipſam irradiauerit corporaliter per medietatem ſui luminis. Vel quòd fortuna bene diſpoſita, aſpiciat Saturnum, maxime cum receptione, ſignificat quòd natus non morietur mala morte, ſed cadet in periculum malæ mortis, mortem tamen euadet.

Directio ſola nunquam interficit, niſi conſentiat Alchocoden, & ſignificatio octauæ domus.

Saturnus ſignificator mortis, uel ſi aliquibus dignitatibus præditus Saturnus fuerit in gradu octauæ domus, uel ſi abſq; dignitatibus eſſentialibus in eo loco fuerit, uel ſi fuerit Almuten mortis, & fuerit alibi bene diſpoſitus, ſignificat mortem nato propter infirmitates longas, ex frigiditate & ſiccitate, uel ex nimia cõſumptione, ut Tabe, Maraſmone, & etiam propter dolores continuatos & longos, uel propter Ethicam, uel ex paſſione morigidum, uel phtiſi, uel ex ægritudinibus uuluæ, uel ipſius oris, aut ſolutione uentris, a febre quartana, quæ multum continuauerit debilitando uirtutem, ex qua ſequitur mors. Sed ſi Saturnus fuerit infortunatus cum conditionibus ſupradictis, ſignificat malam & turpem mortem ex ruina, nam cadet aliquid ſupra natum ſi in ſigno terreo fuerit. Et ſi fuerit in ſigno aqueo, ſignificat ſubmerſionem in aqua, In aëreo, ſtrangulabitur, uel ſuſpendetur.

Conſidera autem & ſignum in quo fuerit, conſidera domum in quam ceciderit, propter cauſam mortis, & planetas eidem coniunctos per aſpectum uel corpus, omnia permiſcendo ut decet.


Iupiter ſolus diſpoſitor mortis, ſi fortis fuerit, & ſaluus à retrogradatione & combuſtione, erit mors propter infirmitates pulmonis, uel ſputum ſanguinis, uel propter dolorem cordis, uel ex ægritudine epatis, uel propter potum nimium uini, uel ex Squinantia, Peripneumonia, uel ex infirmitatibus, quæ proueniunt ex magna uentoſitate. Si Iupiter fuerit infortunatus, ſignificat quôd natus ſubmergetur mandato domini uel iudicis.

Mars diſpoſitor mortis, uel ſi fuerit in gradu octauæ, ſaluus ab infortunis & fortis, ſignificat quòd natus morietur ex ægritudine magni caloris, uel febre cauſonidis, uel tertianæ continuæ, uel ereſypela, uel cancro, uel fluxu ſanguinis, uel apoſtematibus cholericis, uel ratione abortus, uel partus, uel propter dolores nimis acutos, uel ex morte ſubita. Si Mars fuerit infortunatus, ſignificat nato mortem ex ferro, uel uulneribus. Vnde ſi ſignum fuerit aëreum, morietur ſupra beſtiam, uel in loco alto, ſcilicet ſuſpendio uel ſtrangulatione. Si uero Sol cum Marte in octaua infortunatus fuerit, uidelicet in Aquario & infortunauerit Sol Martem per radios eius ſcilicet combuſtione iuxta aphoriſmum huius primum, natus cuius hæc fuit genitura, morietur ſuſpendio.

Ibi Mars in hac ſequenti figura infortuna, impeditur combuſtione in octaua domo, Saturnus Almuten mortis in quarta bene diſpoſitus, non potuit hunc liberare à mala morte. Item ſignificatores fuerunt in aëris ſignis Sol, Mars, Mercurius in octaua combuſti, Sol & Mars ſecundum figuram in ſeptima, ſed uirtualiter in octaua, ſignificant quòd ſuſpenſus fuit ratione dominæ, cum qua commiſit adulterium. Vnde ſignum Aquarij cum fuerit in octaua, & Capricornus in ſeptima, & dominus quartæ infortunatus in octaua, ſignificant quòd dominus fecerit ipſum ſuſpendi, eò quòd conſtuprauerit uxorem ipſius, ſignificat etiam quòd uxor morietur, quia Mercurius dominus imi cœli ſignificat uxorem domini.

Forte anno ætatis 25. ſuſpenſus eſt, cum ſcilicet interfector Mars hoſtis aſcendentis hylegij, ſecundum Ptolemæi præcepta, peruenit ad occaſum directione conuerſa, & interficientium oppoſita loca directione directa ad Horoſcopum. Cauſam mortis ſumo ex proprietate interficientis loci, qui eſt oppoſitus hylegio, in quo, cum Saturnus habeat carpentum, ac □ ♀ inficiat ex humano, à muliere uel mulieris cauſa, in quarta domo, in cruce, & propter □ ♃ in æquatore, mandato domini mortem portendi dicerem, tum quia nocіua copula Solis, Martis & Mercurij eſt in carpento Saturni.

Sol



Sol ſignificator mortis ſolus, ſaluus ab infortunis, ſignificat quòd natus morie-tur ex acuta infirmitate & nimia caliditate, eritq́ mors eius inter ſocios & amicos. Si autem fuerit infortunatus, morietur mandato domini, uel ratione patris, uel conſanguinei ſui, aut ſubito à dolore cordis uel ſtomachi in magna ſocietate hominum, uel oppreſsione in loco uili, uel in loco triſticiæ exhalabit animam.

Venus ſignificatrix mortis ſola, & ab infortunis libera, ſignificat quòd natus morietur ex dolore uentris, uel ex commeſtione ficuum, dactylorum. Si uero fuerit damnata, morietur natus ex nimio coitu, uel mortali medicamine, uel morietur morbo ſtomachi, uel cordis, uel epatis, uel egeſtione ſanguinis, ſiue apoſtematibus, uel fiſtulis, aut malis potionibus, aut infirmitatibus uenientibus ex nimia humiditate.

Mercurius ſolus ſignificator mortis bene diſpoſitus, ſignificat mortem ex infirmitate capitis, uel ex infirmitatibus animę ſenſus cõmunis, ſicut cogitatiuæ, phantaſiæ, & hi̋s ſimilibus, uel ex dolore cito interficiente, uel ex dolore inteſtinorum, uel ex ictericia, uel ex doloribus occultis & diuerſis, quorum cauſa non cognoſcitur. Si uero fuerit infortunatus, morietur cauſa ratiocinationis, uel ratione ſcripturæ uel conſili̋, uel melancholia, uel mania, uel epilepſia, uel tuſſi, uel ſputo ſuperabundante.

Luna ſola diſpoſitrix mortis, libera, ſignificat quòd morietur ex infirmitatibus, quę proueniunt ex aſſumptione ciborum humidorum, uel ex multo potu, uel ex ſuperfluo coitu. Si uero fuerit infortunata, morietur natus ſecundum naturam ipſam infortunantis.

Planeta gubernator mortis ſaluus ab infortunis, potens in ſuis dignitatibus, & ſi nullus planeta contrarius ſupra eum eleuatur, accidet mors propter infirmitates. Alia autem mors ſcilicet mala, accidit quando ſignificator fuerit infortunatus, uel debilis, uel in alienis dignitatibus ei contrari̋s, aut quando planetæ contrari̋ ſuper eum eleuentur.

Infortuna in gradu quartæ domus, male diſpoſita, & ſi cum hoc ſignificatum ab octaua domo ſumptum debile fuerit, natus facil ter periclitabitur mala morte. Et ſi talis infortuna fuerit Mars, erit per ferrum uel ignem, Si fuerit Saturnus, erit ex toxico, uel infirmitate uentris.

Dominus aſcendentis infortunatus à Sole & Marte, ſi fuerit unus ex illis dominus mortis, ſignificat natum comburi.

Si Saturnus fuerit dominus domus mortis, aut ſi habuerit fortem ſignificationem in morte in ſigno aqueo, & ſignum octauæ aqueum fuerit, natus ſubmergetur, & ſi ſigna fuerint terrea, ab alto cadet. Si humana ab homine interficietur, atq; ſic de alijs.

Si Iupiter fuerit dominus mortis, uel in domo mortis, natus habebit longam infirmitatem, & pœnas ac mortem grauem & tardam.

Gradus ſeptimæ ac eius dominus damnatus, indicat malam mortem.

Sol damnatus in diurna genituta, malam minatur mortem.

Luna damnata in nocturna genitura, malam mortem indicat.

Significatores mortis ſupra terram damnati, dant mortem manifeſtam, uel ſuſpendio: Sub terra, obrui, aut naufragio perire.

Significator mortis in ſigno terreo, mors erit in cauerna, aut propter ruinam. In aëreo ſtando in alto, uel in equo, aut per ſuſpenſionem, & ſic de alijs.

Martis ſignificatio in cauſa mortis eſt certior quàm Saturni. Saturnus enim in ſigno aqueo, uel humido in domo fortunæ, aut inter terminos duarum fortunarum, proijciens radios ad ſignum aqueum non interficit.

Infortuna in quarta, dat mortem turpem.

Si fuerit Mars dominus aſcendentis ſub radijs, rex faciet natum interfici.

A domino termini gradus ſeptimæ, & à domino termini gradus oppoſiti Hylech, ſcitur cauſa mortis, & ab eorum dominis, modus mortis. Vnde ſi fuerint in decima uel undecima, morietur natus per caſum de alto, ſi in nona, in itinere, ſi in aſcendente, in domo ſua, ſi Mars in coniunctione eius uel quadrato ſupra terram, morietur enſe, ſi cum hoc in igneo, comburetur, ſi in aqueo uulnerabitur. Si illud ſignum fuerit in quarta domo, necabitur. Si in octaua, pauper & miſer morietur.

Luna ſi fuerit Hylech, erit oppoſitus eius gradus ſignificator mortis.

Primus dominus triplicitatis quartæ domus, uel gradus occidentis, uel eius dominus, & Sol in natali diurno, aut Luna in nocturnis, ſimul impediti, mortis extraneæ, uel infœlicis indicium dant.

Si fuerit infortuna in octaua cum domino octauæ, mors fœtida, mala, & extranea ſignificatur: Mars igne & ferro, Saturnus autem ueneno aut commeſtione.

Mars in occaſu Horoſcopum circumueniens, malæ mortis minatur exitum.

Parte mortis damnata, ſi dominus eius non fuerit a fortunis aſpectus, natus turpiter morietur.

Si Luna in aſcendente fuerit, Saturnus in medio cœli, Mars in quarta, natus interficietur, & poſtea ſuſpendetur.

Significatore mortis cadente ab angulis, natus morietur ex caſu ab alto, ſi ſignificator fuerit in ſigno aëreo infortunatus, maximè ſi fuerit cadens ſub terra. Si retrogradus, propter inuolutionem ſenſuum, & ex melancholia. Si combuſtus propter ſuffocationem, ut in balneo &c. morietur.

Si Mars dominus octauę in Cancro, in domo tertia fuerit, expertum eſt, quòd natus non fuit mortuus ex caſu, ſed fuit percuſſus gladio & interfectus.

Si fuerit Saturnus infortunatus in Cancro, uel Capricorno, uel in ſignis quadrupedum, & ſi Sol ei per cōiunctionem, quadratum uel oppoſitum fuerit commixtus, ita tamen quòd non fuerit in corde eius, uel in oppoſito Martis, natus morietur per ruinam ſuper ipſum cadentem.

Si

Si dominus octauæ in oppoſito aſcendentis fuerit, aut dominus aſcendentis, morietur caſu ab alto.

Mars in caſu ſuo, ſignificat caſum ab equo, uel morſum canis, uel ſi fuerit Almuten mortis, & cadens ſignificat mortem ex caſu.

Mars in terreo ſigno caſum ab alto minatur.

Si domus octauæ ſignum beſtiale fuerit, caueat natus ab incurſu beſtiarum, aut à caſu de beſtia, uel equo.

Mars in octaua in aëreo ſigno, minatur nato caſum de equo. Si ibi fuerit in Aquario, morietur tonitru & fulmine.

Si fuerit Saturnus in medio cœli, & ille cuius fuerit Anauba in oppoſito eius, & quartum ſignum ſiccum, morietur ex ruina. Si fuerit humidum, ſubmergetur. Si fuerit ſignum formæ humanæ, ſtrangulabitur.

Saturnus uel Mars in duodecima domo in Sagittario uel Leone, ſignificat quòd natus cadet ab equo, uel beſtia, & forte ſic morietur.

Dominus duodecimæ Saturnus in medio cœli in ſigno Sagittarij, ſignificat caſum ab equo, Si Iupiter ex oppoſito Saturnum aſpicit, malum ei non faciet. Nam Iupiter diſturbat illud quod Sagittarius oſtendebat.

Si dominus ſeptimæ in nona, uel in tertia in terreo ſigno infortunatus fuerit, natus præcipitio interibit.

Venus in octaua domo, ſignificat præcipitium, ſecundum aliquos.

Signum quartæ domus terreum, & Saturnus in quarta, uel medio cœli, ſignificat quòd morietur, per caſum parietis ſuper eum. Si ſignum hoc fuerit aquaticum, in aqua ſubmergetur.

Saturnus, Mars, uel Mercurius, in duodecima infortunatus, ſignificat malum per beſtias.

Si Saturnus, uel Mars in octaua in Sagittario fuerint, cadet natus, & proſternetur ab equo.

Saturnus in medio cœli, ſi tunc Sol uel Luna fuerit Hylech in ſigno igneo in quarta domo, ſignificat eum mori per ruinam, aut per rem quæ ſupra natum cadet. Sed ſi ſignum quartæ fuerit aqueum, ſubmergetur in aqua. Si humanum, ſtrangulabitur, uel occidetur fuſtibus.

Saturnus & Mars in ſeptima in duplicibus ſignis, ruinam, & præcipitium minantur, multò tamen uehementius, ſi Luna eis in aſcendente opponitur.

Iupiter & Mars in ſeptima, ſi non aſpexerint cuſpidem quartæ, natus cadendo ex alto, morietur.

Mars in ſeptima, ſi Luna plena ei coniungitur, aut Saturnus ei de medio cœli, aut ex aſcendente obijcitur, in ſigno præſertim ſolido conſtitutus, ruina natus ingenti obruetur. Signa enim ſolida ruinam potius, quàm caſum portendunt, econtrario duplicia.

Si Sol in octaua peregrinus, & infortunatus fuerit, & infortuna dominum octauæ aſpexerit, natus ex alto cadet, & morietur.

Si Mercurius dominus octauæ fuerit, natus morietur per caſum de alto.

Si fuerit Luna in angulo uel ſuccedenti, & Iupiter in ſecunda uel duodecima peregrinus in terreo ſigno, natus cadendo ab alto morietur.

Si fuerit Luna in medio cœli, & infortunæ in eius oppoſito, domus, uel murus uel aliquid aliud corruet ſuper natum, & ſic morietur.

Si fuerit Sol & Luna cõiuncti in medio cœli, & Saturnus in imo cœli in oppoſito eorũ, & Mars in ortu matutino, uitio mentis agitatus, altiore è loco ſeſe pręcipitabit.

Luna in ſecunda domo, à beneficis non aſpecta, & in ſolido ſigno poſita in diurna genitura, minatur pericula caſuum.

Mars in undecima, uel Saturnus in decima, uel Luna in quarta uel quinta, communiter ruinam ſignificant, uel ex ædificijs prolabi, aut â quadrupedibus deijci, aut pericula uitæ ex his impendere.

Si fuerit ſignificator mortis infortunatus, & retrogradus, ſtrangulabitur, uel morietur nimia ſiti.

Si Saturnus ſignificator mortis in ſigno fixo infortunatus fuerit, & Sol ex quadrato uel oppoſito ipſi cõiunctus, occidetur in ſeditione ac tumultu populi, uel ſtrangulabitur. Si in tali diſpoſitione in Leone, uel Scorpione fuerit, morietur â morſibus ferarum. Si in Ariete, Tauro, uel Capricorno, morietur ratione equorũ, boum, aſinorum, uel mulorum. Si in Cancro uel Piſcibus fuerit, interficietur ab animalibus in aqua uiuentibus. Quòd ſi Iupiter infortunatus Saturno coniungitur, uel aſpicit eum, morietur in carceribus.

Si extiterit Saturnus in quarta damnans dominum octauæ, mors nati erit in carcere, uel propter pœnas magnas.

Planetæ potentes ſuper loca mortis, ſi fuerint in Geminis cum Mercurio, nati mors erit ex caſu ab alto.

Si Saturnus in octaua domo fuerit, damnans dominum octauæ domus, nati mors erit propter carcerem, & pœnas.

Si Mercurius fuerit in ſexta impeditus, natus in carcere morietur.

Quando ſignificator mortis fuerit in ſuo detrimento, natus morietur in puteis, uel aquis profundis, uel in loco abſcondito. Hic aphoriſmus probatus eſt, ita quòd quidam natus habuit dominum mortis in ſuo detrimento, & fuit mortuus uulnere. Si autem Saturnus ſolus fuiſſet ſignificator mortis â prędominio, fuiſſetq́ in Cancro in quarta domo, tunc fuiſſet ſuffocatus in aquis.

Saturnus ſolus ſignificator mortis in aqueo ſigno in quarta domo, ſignificat mortem per ſuffocationem, ſi ibi non fuerit auxilium fortunæ, per coniunctionem uel aſpectum ad octauam domum. Quoniam ſi fuerit ibi auxilium fortunæ, cadet natus in periculum, ſed tamen euadet. Sic etiam iudicandum eſt de octauo loco luminaris conditionarij, ſicut de octaua ab aſcendente. Sed huius ſignificatum eſt minus ſignificatō octauæ domus ab aſcendente.

Si Saturnus in Leone retrogradus fuerit, natus ab equo aliquid damni patietur, & multa incommoda capiet ex equis.

Saturnus diſpoſitor mortis in Geminis, Virgine, Libra, uel prima medietate Sagittarij, uel in Aquario, uel Piſcibus, ſi fuerit Luna ipſi coniuncta per aſpectum, uel corpus, ſignificat quòd natus ſuffocabitur in aquis.

Saturnus mortis ſignificator infortunatus in conſtellatione nauis, ſignificat ſuffocationem in aquis. Intellige tamen hoc in omnibus, ſi fortuna non fuerit in gradu octauæ fortis in coniunctione, uel eius aſpectu beneuolo, quoniam tunc cadet in periculum, & non morietur.

Si dominus aſcendentis applicat domino anguli terrę, nemo ſciet mortem nati, & ſi cum hoc fuerit in aqueo ſigno ſubmergetur.

Sol & Mercurius in octaua in aqueo ſigno, in aquis periculum ſignificant, & præſertim ſi Saturnus eos ex oppoſito aſpicit.

Luna in Scorpione, & Mars in Cancro, in aquis pericula minantur.

Almuten natiuitatis in aqueo ſigno ſub radijs Solaribus periculum mortis in aquis decernit.

Si Luna in Virgine in oppoſito Solis fuerit, natus peribit in aqua.

Si Saturnus cum domino nonæ in duodecima fuerit, natus necabitur in Mari. Si Mars uice Saturni, latrones deprædabuntur eum.

Saturnus in Leone, & fortius in Scorpione, coniunctus Mercurio, & caudæ

draconis

draconis Lunæ,ſignificat quòd natus interficietur ratione animalium uenenoſorum uel rapacium,ut ſunt Leones,urſi,lupi, ſerpentes &c.

Almuten mortis infortunatus in conſtellatione quæ uocatur audax draco,quæ eſt prope caudam Scorpionis,ſignificat quòd natus interficietur morſu animalis uenenoſi,uel ex ferro uenenato,uel ratione ueneni. Si uero Almuten mortis infortunatus fuerit,cum conſtellatione uulturis cadentis,uel uolantis,nõ ſepelietur,ſed aues ex rapina uiuentes,comedent ipſum.

Si Venus domina octauæ à Sole combuſta fuerit in quadrato Martis,ueneno uel ex nimio coitu natus morietur.

Venus malè diſpoſita coniuncta Saturno ſignificatori mortis male diſpoſito, uel cõiunctione,uel aſpectu,natus interficietur ueneno per porrectionem mulieris.

Saturnus diſpoſitor mortis infortunatus in Medio cœli,uel imo cœli,natus præcipitabitur ex alto, & morietur.

Venus domina octauæ cum Saturno, aut in domo uel termino Saturni natus peribit propter inuidiam,uel per uenenum.

Mercurius cum cauda draconis Lunæ in octaua, interficit per uenenum, aut per necromantiam,uel per ingenium nati, uel propter alchimiam,uel propter mala opera.

Luna cum cauda draconis ſuæ in octaua, ſignificat mortem propter uenenum, medicinam laxatiuam,uel propter ſeceſſum.

Luna in Scorpione in aliquo angulo, ſi Saturnus eam in circulo eccentrici ab alto loco deſcendens reſpexerit, natus fluxu uentris peribit. Si uero Luna in Scorpione,& Saturnus eam aſcendendo,& propinquus loco alto ſuo reſpexerit,conſtipatione peribit.

Mercurius cum Marte in prima domo in diurna genitura,infœlices, & amoris illecebris fatigatos,dercernit ex falſo damnari ſcripto,uel teſtimonio,aut morte uiolenta proſternet. In nocturna uerò imperatores facit ac duces,& quibus maximi committantur exercitus.

Dominus octauæ ſi applicat domino aſcendentis,aut Sol dominus domus mortis,aut Mars in ſeptima, & Luna in eius oppoſito, aut Mars in octaua, & Luna in duodecima,ſubitaneæ mortis ſigna ſunt.

Sol dominus octauæ, & Mars in angulo occidentis, & Luna illi oppoſita,uel Mars in octaua,& Luna in duodecima,ſignificant mortem repentinam.

Diſpoſitor mortis Mars in contrario Hayz in ſigno humano, ſi Sol uel Luna eum quadrato uel oppoſito aſpexerit,natus morietur propter rixas & lites,quę inter conſanguineos fuerint,uel quia præliabitur,& uulnerabitur in capite. Si illi Venus fuerit teſtificata,interficietur manibus mulierum, ſi ipſa Venus infortunata fuerit, uel malo aſpectu affecta. Si uero ibi fuerit Mercurius loco Veneris,natus interficietur ratione latronum,uel prauorum hominum.

Mars ſignificator mortis infortunatus,ſi fuerit in ſignis membrorum abſciſſorum,Ariete,Tauro,Leone,uel Piſcibus uel in ſignis imperfectarum formarum, uel ſi Mars fuerit infortunatus, in conſtellatione capitis Meduſæ detruncabitur nato caput,uel abſcindentur eius membra. Si Mars fuerit infortunatus in Tauro,uel Scorpione,natus interficietur,uel comburetur, ratione inciſionis medicorum,chirurgorum,uel ſpaſmo, uel interficietur pluribus percuſsionibus de ferro.

Caput draconis Lunæ in octaua, & Mars in oppoſito, uel quadrato eius ſine aſpectu fortunæ. Aut ſi fuerit Luna cum Marte in octaua, natiuitate nocturna exiſtente,aut Luna in aliquo angulorum in aſpectu inimico Martis,natus truncabitur capite,uel ferro interficietur,aut aliàs mala morte peribit.

Mars in quarta dámnans dominum octauæ,mortem uiolentam decernit.

Si Luna infortunata aſpexerit partem planetæ interficientis, natus interficie-tur. Et ſi cum hoc fuerit in ſigno membrorum abſciſſorum, Ariete, Tauro, Leone, uel Piſcibus, interficietur enſe. Aut mutilabitur, ſi Luna non fuerit infortunata.

Si dominus octauæ domus, & dominus partis planetæ interficientis, infortu-nant ſe inuicem, natus interficietur enſe.

In nocturna genitura uide gradum cum quo occidit Luna, qui ſi fuerit in qua-drato Martis, natus interficietur.

Si fuerit dominus ſeptimæ ſub radijs Solis, natus morietur in occulto.

Dominus aſcendentis combuſtus abſcondita ægritudine natum perimet, qui ſi ſit infortunatus â Marte, incendio morietur, ſi â Saturno, aqua, atq; hoc intellige, ſi in octaua dominium habuerit.

Luna & Mars in octaua domo, ſi Mercurio fuerint oppoſiti, tali natus ſiderum poſitu manibus latronum peribit, ſi in ſignis terreis, in ſanguine ſuo purpuream euomet animam, In aquoſis â pecorum abactoribus, In fixis, ab effractoribus domo-rum, armis inſilientibus, uel quòd natus tali conſtellatione in ijs facinoribus depræ-henſus, publicè plectetur.

Mars in octaua domo damnans dominum octauæ, mors nati erit ex ferro.

Mars capiti Algol coniunctus, ita quòd ſit inter eos diſtantia 16. minutorum, uel minus, eunte Marte ad ipſam ſtellam, & dominus domus in qua fuerit lumina-re conditionarium, qui dicitur dominus Anaubæ, uel exaltationis, uel duarum alia-rum dignitatum, fuerit in oppoſito Martis, uel in eius quadrato, nec aſpexerit ali-qua ex fortunis gradum aſcendentis, nec fuerit in octaua domo, natus capite plecte-tur. Si aſpexerit fortuna retrograda uel combuſta gradum aſcendentem, uix pote-rit prohibere, quin decapitetur natus, ſed non decapitabitur ex ſua culpa. Si non fu-erit impedita, releuabit natum è mala morte, ſed tamen morietur de ægritudine ca-pitis, ex calida cauſa, & hoc infra 50. annum. Quòd ſi non fuerit de Marte hoc quòd dictum eſt, fueritq; in octaua infortuna, morietur mala morte. Si fuerit ibi for-tuna non impedita, morietur bono modo. Si illa fortuna fuerit impedita, morietur ex aliqua incommoditate ſibi ſuperueniente. Si fuerit luminare in Medio cœli cu-ius eſt auctoritas, ſed cum conditione prædicta, natus ſuſpendetur. Quòd ſi fuerit aliquis malorum tunc in Geminis, & alter in piſcibus, abſcindentur eius manus uel pedes, ſecundum ſignificatum ſigni in quo inuenies illum, qui magis fuerit malicio-ſus. Si fuerit Mars corporaliter iunctus domino aſcendentis, idq; in Leone, nec ha-buerit Mars in aſcendente aliquam dignitatem, nec aliqua ex fortunis fuerit in octa-ua, natus comburetur. Si tunc Mars fuerit retrogradus uel combuſtus, uel cadens, accidet hoc ei ex ſua culpa. Si uerò non fuerit impeditus, accidet ei ex cauſa, quam non meruit.

Si Mars fuerit iunctus capiti Algol, abſq; alicuius fortunæ aſpectu, luminari temporis in oppoſito, uel quadrato exiſtente, natus obtruncabitur.

Si Sol & Luna ambo infortunati in ſexta fuerint, caput nato detruncabitur.

Si dominus aſcendentis applicat domino octauæ ex quadrato uel oppoſito, na-tus erit occaſio ſuæ læſionis.

Luna infortunata in ſigno membrorum inciſorum, Ariete, Tauro, Leone, uel Piſcibus, truncabuntur membra nati, & interficietur. Si uerò non fuerit infortuna-ta, truncabitur membrum, & non interficietur.

Quando ſignum quartæ domus fuerit fortunatum, & dominus eius in domo & termino fortunæ, natus morietur bona morte.

Si Mars fortem ſignificationem habuerit in morte, aut fuerit dominus domus mortis in igneo ſigno, & ſignum octauæ igneum, natus comburetur. Si in ſignis aëreis, morietur ex uulneribus.

In natiui-

In natiuitate quadam fuit Aries in octaua, & Mars in Leone, & tamen natus non fuit mortuus in igne, ſed uulneribus. Verum ſi Saturnus nullam pexmixtionem habuiſſet in loco Martis, & in gradu octauæ, natus fuiſſet combuſtus. Nam Saturnus & Mars fuerunt coniuncti, & trigonus Saturni fuit in gradu octauæ domus, & Saturnus & Mars in duodecima domo, unde non fuit combuſtus, ſed ab inimicis occiſus, licet Sagitarius in quarta ſaluus, & dominus eius in termino fortunæ eſſet, & licet quarta domus fines rerum ſignificet, tamen ſignificatum ſumptum de morte ab ipſa eſt debile, ſicut etiam iudicium de domino triplicitatis mortis &c.

Dominus aſcendentis ſi applicat domino mortis, aut dominus mortis, uel dominus ſeptimæ in aſcendente, fuerint remoti ab aſpectu Lunæ, natus interficiet ſeipſum.

Si dominus mortis ſub radijs abſconditus fuerit, natus occidetur in occulto.

Terminus gradus ſeptimæ ſi fuerit infortunæ, mors erit turpis.

Sol aut Luna in ultima parte ſigni locati, ſi infortunantes ſe aſpexerint, natus à canibus lacerabitur, ſi fœlices ſtellæ eos non uiderint.

Si fuerit Sol coniunctus domino aſcendentis in Leone, & mars nullam in aſcendente habens prærogatiuam, nulla beneficia in octaua exiſtente, natus exuretur.

Luna in nocturna genitura corporaliter iuncta infortunæ, præſertim Marti aut in eius quadrato uel oppoſito, natus morietur in igne.

Significator mortis in domo uel exaltatione ſua, ſignificat mortem in domo, & terra ſua. Si uero fuerit receptus, ſignificat mortem in domo ſui amici.

Significator mortis in tertia, uel nona domo, ſignificat mortem extra terram ſuam. Si autem eſſet in aliqua dictarum domorum in domicilio uel exaltatione ſua, ſignificaret mortem in domo ſua extra terram ſuam propriam, uel quòd morietur ratione itinerum.

Si pars mortis in una quarta, & dominus eius in alia fuerit, natus morietur extra terram ſuam.

Si pars mortis in angulo ſalua ab infortunis fuerit, morietur in terra ſua, bona morte.

Pars mortis in domo itineris, uel Saturnus dominus domus mortis, aut Saturnus in octaua, licet peregrinus, uel in Sagitario, uel pars mortis, aut dominus eius in aſcendente, aut in ſignis, in quibus dominus aſcendentis nullam habuerit dignitatem, aut dominus anguli terræ in octaua, uel dominus octauæ, uel tertiæ morietur in exilio contemptiſsimus.

Si pars mortis in cadente fuerit, morietur extra terram ſuam. Si in angulo libera ab infortunis, morietur ſuauiter. Si in quinta uel undecima, morietur in meliori ſtatu uitæ ſuæ.

Quando dominus octauæ uim ſuam dederit domino nonæ, natus extra ſolum patrium morietur.

Dominus octauæ ſi octauam non aſpexerit, natus extra ſolum patrium morietur.

Mars in quadrato uel oppoſito Sôlis, Significat mortem uiolentam, aut propter rixas caput illi amputabitur, aut cadet de æquo, & morietur.

Si Mars cum capite draconis Lunæ in octaua fuerit, ſuſpendetur natus.

Luna cum Marte in quadrato octauæ domus, & Medium cœli in Geminis, maximè in diurna genitura, ſuſpendium nato ſignificat.

Si Saturnus in Ariete in undecima fuerit, timeat natus ſuſpendium.

Si octa-

Si octauum ſignum fuerit fortunatum, & dominus eius in exaltatione, natus morietur in diuitijs & morte famoſa.

Si Saturnus, Mars, & Caput draconis Lunæ in aſcendente, Venus, Mercurius & Cauda in ſeptima fuerint, natus in fruſta diuidetur.

Si Mars & Luna in decima fuerint, mulier in partu morietur, nec puer exibit uiuus.

Adunatio planetarum in ſeptima, ſignificat natum mori modo miraculoſo.

Mirabile quippiam eueniet de ſignificatis cuiuſcunq; domus, in qua multi planetæ coniunguntur.

Si dominus aſcendentis applicat domino octauę, natus erit occaſio ſuæ mortis. Et ſi ſeparatur ab eo, multum timebit mortem.

Cum idem planeta fuerit dominus aſcendentis, & dominus octauæ, natus erit cauſa ſuæ mortis, poſito quòd alter eorum eſſet Almuten mortis, unde ſi dictus planeta dominus utriuſq;, fuerit bene diſpoſitus, & in gradu octauæ non fuerit infortuna coniunctione uel aſpectu, ſignificat quòd natus quaſi ſuaui modo, erit cauſa ſuæ mortis, ſecundum conditionem & diſpoſitionem dicti planetæ domini utriuſq;. Si autem dictus planeta fuerit infortunatus, & in gradu octauæ non fuerit fortuna, natus occidet ſe modo extraneo & turpi, & hoc ſecundum qualitatem mortis quam decreuerit mala diſpoſitio dicti ſignificatoris infortunati.

Si Aries aſcendens alicuius fuerit, natus erit cauſa ſuæ necis. Quòd ſi tunc Mars fuerit bene diſpoſitus, & fuerit pars fortunæ in octaua, erit fortunatus in his, quæ ſignificantur per octauam domum.

Libra aſcendens alicuius, ſignificat ſimiliter, quòd natus erit cauſa propriæ necis. Quòd ſi tunc Venus fuerit bene diſpoſita, uel fuerit pars fortunæ in octaua, ſignificat quòd erit fortunatus in his quæ per octauam ſignificantur domum.

Dominus octauæ in octaua, mortem ſuauem demonſtrat, ſi non ſint infortunantes.

Dominus aſcendentis ſi applicuerit infortunantibus in quarta, nemo ſciet mortem talis nati. Et ſi fuerit in ſigno aqueo, & Saturnus infortunauerit eum, ſuffocabitur, & eius corpus non inuenietur.

Gradus quartæ domus, ſignificat quod futurum eſt poſt mortem de cadauere, uidelicet ſi ſuſpendetur, aut fruſtatim mandetur &c. Si gradus quartæ domus fuerit fortunatus, ſepelietur cadauer, Si dominus eius fuerit Mercurius, cadens, infortunatus, auferentur furtim ueſtimenta eius poſt mortem.

Vix aut nunquam morietur mala morte, qui in octaua domo habuerit fortunam.

Qui habet in nona fortunas dominatrices fortes, non aſpicientes aſcendens, erit contemptus in uita, famoſam tamen habebit mortem, & forſan poſt mortem canoniſabitur.

Exemplum

Exemplum genituræ propoſitæ.



Concluſio prima. Natum non interiturum mala morte, deſignat fortuna in cuſpide octauæ, & Almuten ſignificatoris mortis Sol fortis & bene diſpoſitus.

Concluſio ſecunda. Occaſionem mortis ſuæ credo futuram ægritudinem ex cauſa acuta & calida, id trahitur ex diſpoſitore mortis in ſigno igneo, cui rei atteſtatur combuſtio domini aſcendentis.

Concluſio tertia. Quadratus Solis ad Saturnum, portendit mortem ex dolore cordis aut ſtomachi.

Concluſio quarta. Morietur autem apud conſanguineos ſuos, in terriſq́ proprijs in diuitijs & honore. Arguitur hoc, quòd ſignificator mortis ſit in exaltatione ſua. Pars quoq; mortis & dominus eius in eadem quarta, & quòd Sol ſit primus dominus triplicitatis huius octauæ domus ſaluus.

Concluſio quarta. Ipſe quoq; plurimum ad occaſionem ſuæ mortis adiuuabit. Nam dominus ſeptimæ eſt in aſcendente, & dominus aſcendentis applicat Almuten mortis.

Concluſio quinta. Bona ſua pluribus euenient, ad quos non pertinebant, id oſtendit Iouis debilitatio, qui eſt ſecundus dominus triplicitatis domus octauæ.

Concluſio ſexta. Maiorum ſuorum egregia facta diligenter perquirendo ante oculos ponet, & in illis admirabitur, utq; imitator eorum fiat ſtudebit. Id patet ex tertio domino triplicitatis huius domus fortunato ex trigono in receptione Solis.

Concluſio ſeptima. Magnę irę uirum portendit pars fortunæ in octaua domo.

Concluſio octaua. Venus quoq; in hac octaua domo profectum aliquem ex hominibus malis ipſi promittit.

Finis primi libri de iudicijs Natiuitatum.

DE DVODECIM

LIBER SECVNDVS

DE IVDICIIS NATIVITATVM CLARISSIMI MATHEMATICI D. Ioannis Schoneri Caroloſtadij, Profeſſoris diuinæ Matheſeos in Celebri Germaniæ Noriberga, in quo tractantur hæc Capita.

Caput primum erit de ſignificatis duodecim domorum, item de ſignificatis triplicitatum atq; partium earundem.

Caput ſecundum, de coniunctionibus & aſpectibus planetarum ad inuicem in natiuitatibus.

Caput tertium, de ſignificatis dominorum domorum in duodecim domibus cœli.

Caput quartum, de ſignificatis planetarum in duodecim domibus cœli.

Caput quintum, de ſignificatione planetarũ in domibus proprijs uel aliorum.

Caput ſextum, de ſignificationibus dominorum aſcendentis in figura cœli.

CAPVT PRIMVM.

De prima domo.

SCIENDVM autem primo, quòd in partibus ſiue ſortibus non oportet nimium curioſum eſſe Aſtrologum, ut plus ſapere uelit quàm oporteat, maximè cum partes omnes ſecundariam ſemper à planetis habeant ſignificationem, unde nec tantum illis fidei adhibendum, ut plus eas ualere credamus quàm planetas, â quibus dependent. Quare ante omnina conſiderandum erit, quomodo ſe habeant ſignificatores, à quibus deſumptæ ſunt, quomodo item domini ipſorum locorum affecti ſint in ſe, & cum alijs, atq; cum partibus ipſis. Si enim principia, â quibus emanarunt, fœlicia ſint & bene locata, fuerintq; domini earum fortes, ac fortunato aſpectu colligati cum partibus ex natiuitatibus ſimiliter in loco idoneo, & à bonis illuſtrati, nec aliter impediti, iudicandum erit bonum à ſignificatis per partes. Contrâ uerò dicendum, ſi fuerit contraria diſpoſitio, nec facile proferatur de parte aliqua iudicium, niſi fuerint prius omnia bene collata. Nam per ſe partes omnes modici uigoris exiſtunt, ſi non fuerint aliunde firmatæ. Idem iudicium erit de dominis triplicitatum, & de minus principalibus ſignificatoribus, ſicut pro morte gradus ſeptimę domus, & eius dominus. Item primus dominus triplicitatis octauæ domus, ſunt ſignificatores minus principales mortis qui augent, uel aliquid adimũt à ſignificatis principalium ſignificatorum. Sic etiam intelligendum de alijs minus principalibus ſignificatoribus, ut uidere licebit in genitura ſupra de qualitate mortis, in qua primus dominus triplicitatis mortis Saturnus fortis, & bene diſpoſitus fuerat in quarta domo

ta domo, ubi iuxta aphoriſmum de primo domino triplicitatis octauæ domus, natus debuiſſet mori in diuitijs & honore, qui tamen fuit ſuſpenſus, eo quòd potiores ſignificatores mortis aliud promiſerunt, &c.

Prima domus, ſignificat nutritionem, uitam, ac diſpoſitionem cum eſſe corporis & ualetudinem & uirtutem, ſeu debilitatem eius in ſanitate & ægritudine, complexionem, & mores animi.

Primus dominus triplicitatis primæ huius domus, eſt ſignificator uitæ. Si fuerit fortuna, & fuerit in aſcendente, uel in decima domo, in domicilio, uel exaltatione ſua, aut in alia ſua dignitate, fortunis aſpicientibus & recipientibus eum, ſignificat bonam nutritionem, longam uitam, corporis ſanitatem, & fœlix ſenium, Si peregrinus & infortunatus, uel cadens contrarium erit.

Secundus dominus triplicitatis, eſt ſignificator ſtatus fortunæ uel miſeriæ eius, qui ſi fuerit in bono ſtatu, uel fortuna per exiſtentiam & potentiam, ſignificat quòd natus erit in bono complemento, & boni ſtatus & fortunæ, altus, ſuæ progeniei conueniens, nominatus alti nominis, qui etiam ſeruientes habebit. Si debilis fuerit, ſignificat contrarium.

Si fuerit tertius dominus triplicitatis in bono ſtatu, & fortunatus, natus erit quietus, paucorum itinerum, uitioſus in loco & gente ſua, cui quiete adueniet uictus ſuus. Si fuerit male diſpoſitus, ſignificat contrarium.

Pars uitæ ſignificatrix eſt ſtatus corporis, ſi fuerit in bono eſſe, ac loco fortunata, longam uitam ſignificabit, ſalutem corporis, & hilaritatem ſpiritus. Si in malo ſtatu fuerit, contrarium ſignificat.

Pars Hylech, dominus termini in quem peruenerit illa pars, erit ſignificator uitæ in natiuitatibus non habentibus Hylech. Et ſi dominus termini eius fuerit cum ea, cum aſpexerit eam, erit Alchocoden.

Pars futurorum ſiue Celati, ab hac parte ſcitur qualitas religionis, & à domino ipſius partis. Quando Sol hanc partem aſpexerit, paucos filios ſignificat, uel quòd filij ſeparabuntur a patre. Et ſi aſpexerit eam Iupiter, ſignificat quòd natus ille erit prædicator legis diuinæ, ac iuſtus & bonus. Sed ſi aſpectus ille fuerit quadratus, non credet quod prædicat. Et ſi fuerit in angulis, natus erit firmus & conſtans in lege, quam tenet, nec dubitabit in ea. Et ſi dominus partis fuerit receptus aſpiciens eam, procedet rectis tramitibus, erit perfectus, bonitatem amabit & legem ueridicam. Si non fuerit receptus, & fortunæ eam aſpexerint, cadentibus infortunis ab eodem, oſtendet natus bona & pulchra facta, tamen facta non faciet conuenientia ueritati nec bono. Et ſi dominus partis retrogradus & infortunatus fuerit, natus legem ſuam mutabit. Cauda cum parte hac, aut Cauda per ſe in nona, damnat legem. Hæc pars infortunata, damnat legem. Si autem fuerit in nona ſalua, erit iuſtus & religioſus. Quando dominus huius partis ſub radijs fuerit non impedit eum, & ſi fuerit in angulo erit melius. Si pars hæc fuerit in Capricorno, natus erit grauis, ordinatus, ſapiens, & fortium membrorum. Et ſi ceciderit in Leonem, Arietem, Taurum, uel Scorpionem, natus erit perfidioſus.

Pars ſtabilitatis oſtendit formam nati, quæ ſi fortunata fuerit cum domino eius, dabunt nato pulchram formam ſine macula, proſperitatem in itineribus. Et ſi pars hæc adhæſerit ſignificatori patris, natus aſſimilatur patri. Si ſignificatori matris, matri.

Pars audaciæ, ſignificat potentiam, ualetudinem, deceptionem, proditionem, audaciam, impetuoſitatem, latrocinia, interfectionem, militiam. Vide in quem locum natiuitatis hæc cadit, & quem aſpectum habeat cum Almuten aſcendentis, & iudica ſicut in alijs partibus &c.

De ſecunda domo.

SEcunda domus ſignificat ſubſtantiam, diuitias, lucrum, & uictum nati, ſupellectilem, auxiliatores & miniſtros, &c.

Primus dominus triplicitatis domus ſubſtantiæ directus in ſuo Hayz & in alijs ſuis fortitudinibus, dat nato opes multas, & quanto plus procedet in ætate, tanto plus creſcet bonum eius. Si contrarium dictorum inueneris, dic contrarium.

Si fuerit ſecundus dominus triplicitatis fortunatus, receptus á planeta ſibi conueniente &c. natus lætabitur in ſuis operibus, & liberaliter diſtribuet omnibus adhærentibus ei. Si in diuerſo fuerit ſtatu, dic contrarium.

Tertius dominus triplicitatis ſecundæ domus, ſi fortunatus fuerit &c. natus erit fidelis, laudabitur ab omnibus propter beneficia ſua, ueridicus erit, & legalis emendo & uendendo. Si fuerit infortunatus &c. dic contrarium.

Pars fortunæ in domo fortunę in forti loco, ab aſcendente, ſi aſpexerit eam dominus eius exiſtens in exaltatione ſua, uel domo, & Luna recepta á domino ſecundę domus, natus erit diues, in alto gradu, & multi ditabuntur per eum. Si pars fortunę, contrarias conditiones habuerit, exiſtens ſub radijs Solis &c. natus erit laborioſus, anguſtæ uitæ, uiuet plurimum ex ſuffragio aliorum. Si hæc pars fuerit in domo ſubſtantiæ, infortunis non aſpicientibus eam, & dominus domus eius eam de bono aſpexerit ex fortunato loco, libero ab infortunis, natus erit diues, & abundans ſine labore, Et ſi dominus domus ſuæ eam non aſpexerit, ſed luminaria eam, & dominum eius aſpexerint, ſine aſpectu infortunarum, erit fortunatus, & bonæ uitæ, congregabit á rege diuitias, ac ab altis & nobilibus habentibus dominium. Et ſi neq; dominus domus eius, nec aliquod luminare eam aſpexerit, erit modicæ ſubſtantiæ, & debilis uitæ, de labore corporis ſui uiuet, Et ſi cum hoc fuerit ſub radijs Solis in aſpectu infortunarum, uiuet ex eleëmoſyna, & in ea habenda moleſtiam patietur.

Pars hæc in nona ſalua, facit hominem iuſtum, & religioſum, non curantem mundana.

Pars fortunæ in termino fortunæ in aſpectu domini eius de bono & fortunato loco, ſi infortunæ non aſpiciunt eam, nec dominum eius, natus per uiles modos, & in rebus uilibus lucrabitur, & lucrum bene cuſtodiet. Si pars hæc fuerit in una quarta, & dominus eius in altera, habebit fortunam á multis partibus. Si hæc pars & dominus eius, aut alter eorum fuerit in quarta domo, natus habebit proſperitatem in theſauris, aut cuſtodiendo theſauros. Generaliter hæc pars fortunata, aut dominus eius, ſignificat fortunam ex rebus per domum ſignificatis in quam cadit, aut per dominum ſigni in quo eſt. Si enim in domo Saturni fuerit, per hæreditatem, & agriculturam. Si fuerit pars hæc ſalua extra radios Solis, & dominus eius ſimiliter, natus erit ſanus & bonæ nutritionis. Si infortunata ſub radijs, miſer, cum mala nutritione. Si dominus partis fuerit infortunatus ſub radijs, multas anxietates habebit, & peius in aſcendente fuerit. Pars hæc cadens ab aſcendente, Si non aſpicit luminare temporis, & dominus eius fuerit debilis, infortunatus, ac remotus ab angulis non aſpiciens partem, & ſi dominus domus ſubſtantiæ fuerit ab infortunis damnatus, uel á radijs Solis, ſignificat quòd erit pauper, nec lucrari poterit uictum complete, forte uiuet de eleëmoſynis. Pars hæc potens, fortunata in bono loco, ſi aſpexerint eam domini triplicitatum ſuarum de bonis & fortibus locis, natus erit lucrator ſubſtantiæ, diues, & potens. Et ſi aliqua infortunarum de quadrato, uel oppoſito eam aſpexerit, diuerſificabitur eius ſtatus, habebit uno tempore indigentiam, altero abundantiam. Pars hæc, & Almuten aſcendentis, in una quarta,

ſignificant

ſignificant durabilem & fixam fortunam. Et ſi fuerit cum domino itinerum, erit fortuna in itineribus. Pars hæc, & pars regni, ac pars Celati, ſi fortunatæ fuerint, erit eius fortuna manifeſta. Si fuerit pars fortunæ in decima uel duodecima domo, habebit natus dominium in carceratos. Si in tertia fuerit, aſpexeritq́ eam dominus eius bene à bono loco, habebit bonos fratres, qui eum diligent, & ipſe eos: habebuntq́ communia & mutua inter ſe commoda ac bona, & maximè ſi dominus aſcendentis locum illum aſpexerit. Pars fortunæ infortunata ſi fuerit, uel in ſigno maſculino combuſta, pater morietur ante matrem. Si in fœminino ſigno, præmorietur mater. Quando Sol aſpexerit partem hanc, & dominus partis ſub radijs fuerit, natus cadet de alto (excidet officio.) Quando dominus huius partis fuerit in malo loco, & aſpexerit partem, ſignificat nato malum, maximè ſi fuerit ſub radijs, & in aſpectu infortunarum. Pars hæc ſi extiterit in octaua domo, maximè iuncta domino aſcendentis, natus erit ualde iracundus, & tardus in factis ſuis, & ſi eum aſpexerint infortunæ, erit diffamatus in tota uita ſua. Et ſi dominus aſcendentis, & dominus huius partis, fuerint ſub radijs, modica uita uiuet. Quando dominus partis fortunæ fuerit ſub radijs, interficit natum ſecundum naturam ſigni in quo ceciderit pars, maxime ſi dominus partis fuerit combuſtus, uel in Cazimi. Si remotus fuerit à combuſtione quocunq́ modo, non interficit. Si pars hæc non fuerit in aſcendente, ſed fuerit in ſexta, uel duodecima, habebit multas occaſiones, & impedimenta, ſubſtantiam ſuam diſſipabit, uel accidet ei turpis infirmitas, propter quam fugiet de terra ſua. Pars hæc ſi fuerit in bono loco, in aliquo ſigno ex regalibus, & Sol in medio cœli, in loco altitudinis, in bono eſſe ab aſcendente, & ſimiliter pars regni bona & apta, & fortunæ aſpexerint, natus erit Rex. Et ſi infortunæ aſpexerint ibi, dummodo ſint ibi prædictæ conſtellationes, non poterunt multum deprimere ſtatum nati, nihilominus depriment eum à ſtatu Regio, habebit tamen dominium. Quicunq́ habuerit Solem, aut partem regni, uel partem fortunæ, aut dominos triplicitatis Solis in diurna genitura, uel Lunæ in nocturna, in medio cœli, natus perueniet ad regnum &c. Pars fortunæ ſi fuerit cum Marte in tertia, uel nona domo, natus erit crudelis, ſine pietate. Hæc eadem pars in decima, uel eius dominus, abſq́ aſpectu infortunarum, facit fortunatum in ſuis operibus. Si hæc pars in duodecima fuerit infortunata, longam miſeriam, & damnum ſignificat, & erit hoc de natura infortunæ damnantis partem. Si fuerit in duodecima, & in eius quadrato, uel oppoſito aliqua infortuna, natus erit debilis corporis, & plus in ſua infantia &c.

Si fuerit pars fortunæ in exaltatione Saturni, natus erit fortunatus apud ſenes & ſeruos, In exaltatione Iouis, apud potentes, & nobiles, & Theologos, ac Prælatos Eccleſiæ. In exaltatione Martis, apud equites, milites, & qui in armis ſe exercent, In exaltatione Solis, apud reges, & magnos principes, In exaltatione Veneris, apud mulieres principum, & nobilium, In exaltatione Mercurij, apud doctores, cancellarios, publicos notarios, negociatores, & ſcientiarum magiſtros, In exaltatione Lunæ, apud balneatores dominorum, & uirgines humilis ſtirpis, & communem populum. Similiter ſi pars hæc fuerit in domo, uel termino alicuius planetæ, fortuna nati erit apud eoſdem homines, ſed tamen illi ipſi homines non erunt in tam bono ſtatu ut ſuperiores &c.

Pars ſubſtantiæ ſi ceciderit in domum ſubſtantiæ, natus erit potens in lucrando ſubſtantiam, maximè ſi fuerit in termino Iouis. Et ſi fuerit in illo loco ſalua, & fortis, & dominus domus ſubſtantiæ infortunatus, infortunium domini domus ſubſtantiæ, non impediet eum. Si hæc pars fuerit fortunata quamuis dominus domus ſubſtantiæ ſit infortunatus, non nocebit &c.

De tertia domo.

TErtia domus ſignificat fratres & ſorores, conſanguineos, breuia itinera, fidem, & religionem.

Sol ac Saturnus cum primo domino triplicitatis domus tertiæ, ſignificant fratres maiores, Iupiter & Mars cum ſecundo domino triplicitatis, ſignificant fratres mediocres, Mercurius & Venus cum tertio triplicitatis domino, ſignificant minores.

Primus dominus triplicitatis huius domus ſi fuerit fortunatus, potens, fratres nati proſperabuntur, & diligent ſe, ſi contrarium, dic contrarium.

Secundus dominus triplicitatis fortunatus, maxime ſi fuerit Iupiter, uel Mercurius, natus erit caſtus, bonæ legis, amator diſciplinarum, multa per ſe inueniet. Si contrarium, erit fornicator, hypocrita, ignarus omnium.

Si fuerit tertius dominus triplicitatis fortunatus in angulo, natus proſperabitur in itineribus. Si infortunatus, dic contrarium.

Pars fratrum combuſta, uel dominus fratrum combuſtus ſignificant paucos fratres. Si hæc pars fuerit in decima in aſpectu domini decimæ beneuolo, fortunis eos aſpicientibus, euehet fratres nati ad dignitatem magnam. Eadem pars in quarta infortunis aſpicientibus, deprimit & deijcit fratres.

De quarta domo.

QVarta domus ſignificat parentes, res occultas, bona immobilia, theſauros abſconditos, mineralia ſub terra, agriculturam, ædificia, res paternas, & fines rerum.

Primus dominus triplicitatis huius domus, ſignificat ſtatum patris & hoc quo ad dignitatem, qui ſi fuerit in domo uel Exaltatione ſua, aut in ſuo Hayz, receptus à Sole uel Ioue, & fuerit in medio cœli, uel in quinta, ſignificat bonum ſtatum patri, ac nobilitatem, & diuitias, longam uitam, & bonam fortunam, & hoc ſi ſignum in quo fuerit hic planeta, fuerit maſculinum. Si ſignum fuerit fœmininum, ſignificat matri hanc fortunam & nobilitatem, & maxime ſi ipſe idem planeta fuerit fœmininus. Si hic dominus triplicitatis fuerit peregrinus, cadens, & in malo ſtatu, ac infortunatus, patris depreſsionem ſignificat, erit uilis & deiectus in malo ſtatu, in mala fortuna & uita, & accident ei impedimenta illo anno quo natus ortus eſt.

Secundus dominus triplicitatis, ſi fuerit fortis & fortunatus, pater habebit terras, excolet eas & laborabit in eis, & inde lucrum habebit. Si fuerit in diuerſo ſtatu, erit attentator terrarum, ex hoc habebit labores, & pœnas multas.

Tertius dominus triplicitatis fortis & fortunatus, ſignificat quôd pater erit homo, qui extrahet theſauros, fodiet mineras, abſcindet & aptabit lapides precioſos. Si fuerit in diuerſo ſtatu infortunatus, erit foſſor, aut quadrabit ſaxa, aut laborabit in mineris malis & fœtentibus.

Pars patris ab infortunis aſpecta, ſignificat mortem patris. Quando pars patris, & pars matris fuerint in angulo occidentis, ſignificant paupertatem & ſeruitutem illius, cuius pars ibi fuerit. Et hoc idem ſignificant in octaua, niſi Sol eas aſpexerit, & ſignificant paruam durabilitatem parentum. Similiter ſi pars patris fuerit in ſecunda, uel ſexta, octaua, uel duodecima, paupertatem patris ſignificat. Vide ſeptimam domum à parte patris, & ſi dominum eius iunctum inueneris cum domino partis patris, pater diligit uxorem, & cognatos ſuos. Et ſi dominus partis patris fuerit ſuper terram, & dominus partis matris ſub terra, mater præmorietur. Si fuerit contrarium, dic contrarium. Et ſi domini harum duarum partium, ambo ſuper terram

ram fuerint,uel ſub terra, aſpice cui eorum Sol fuerit eleuatus à ſua decima, & ſuper eam, & iudica, quòd ille præmorietur. Et ſi ambo in uno ſigno & gradu fuerint, aſpice dominum termini, & ſi inueneris eum infortunatum in ſigno maſculino, dic quòd pater præmorietur. Si in fœminino, mater. Quando pars patris fuerit in termino Martis de die, uel in termino Saturni de nocte, & Saturnus uel Mars, ille ſcilicet cuius fuerit terminus aſpexerit eum de quadrato uel oppoſito ſine aſpectu aliquo Iouis uel Veneris, accidet patri pro filio damnum & labor, & forte propter eundem natum deſtruetur uilla. Et ſi ſol fuerit uice partis patris in conſtellatione prędicta, natus interficiet patrem ſuum. Et ſi pars matris fuerit in conſtellatione prædicta, damnum & malum propter filium accidet matri. Et ſi Luna fuerit uice partis patris, filius idem interficiet matrem. Et ſi aliquis dominorum iſtarum partium, fuerit in undecima domo ab aſcendente, natus erit inimicus patris & matris, maximè ſi dominus aſcendentis fuerit in oppoſito domini domus partis, uel in duodecima eius. Et quando hęc pars uel eius dominus fuerit in angulis, ſignificat altum nomen, ac gradum. Si hæc pars & eius dominus fuerint fortunati, ſignificat bonum ſtatum patris in uita, & uictu ſuo. Et ſi fuerint cum domino quartæ domus infortunati, malum ſtatum in infirmitate patri ſignificant. Decima domus ab aſcendente nati erit ſignificatrix matris nati, quarta domus eſſe patris &c.

Pars mortis patris, ſignificat cauſam mortis patris. Quotienſcunq; profectio anni peruenerit ad hanc partem, uel ad dominum eius, ſignificat periculum patri. Et ſimiliter cum peruenerit aliquis eorum ad ſignificatores patris.

Pars hæreditatum & poſſeſſionum. Hæc pars & dominus eius ſi fuerint boni eſſe & loci, erunt nato hæreditates, & fortunabitur in eis, cauſaq; cultus terræ, & ſementis acquiret ab eis ſubſtantiam. Si fuerint mali eſſe, ſignificant contrarium.

De quinta domo.

QVintã domus, ſignificat filios & filias, delectationes & ſolatia, ludum, conuiuia, munera, & donationes.

Primus dominus triplicitatis quintæ domus, ſi fortunatus fuerit fortis & receptus in bono loco, ac ſigno multorum filiorum, in aſpectu Iouis & Veneris, natus habebit multos filios bonos & fortunatos. Si fuerit in diuerſo ſtatu, nato filij morientur &c.

Secundus dominus triplicitatis huius in bono ſtatu, maxime ſi fuerit Mercurius, natus erit fœlix in mercimonijs, emendo & uendendo, & per hoc ad magnum dominium ueniet, &c.

Si fuerit tertius dominus triplicitatis fortunatus, erit amator mulierum, & fortunatus in cauſis earum, &c. Si fuerit infortunatus, forte erit Sodomita, aut malum habebit cum mulieribus.

Pars filiorum remota ab aſpectu fortunarum in quadrato Saturni, aut in ſecunda domo ab aſcendente, aut fuerit Iupiter & Venus, ac Mercurius in oppoſito ſuarum domorum, aut Sol, uel Saturnus in oppoſito aſcendentis, hæc dant nato moleſtiam, ratione filiorum. Si fuerit pars filiorum in una quarta, & dominus eius in alia filij diſpergentur. Quando pars filiorum fuerit in angulis uel ſuccedentibus, ſignificat multos & bonos filios. Si fuerit in locis cadentibus, maxime in his qui non aſpiciunt aſcendens, ſignificat paucos filios citò morituros. Et quando pars iſta non aſpexerit aliquem planetarum, ſignificat quòd natus erit doloroſus, & triſtis propter filios, & quòd primogenitus morietur, aut naſcetur mortuus. Quando in oppoſito partis filiorum, uel in eius quadrato fuerit aliqua fortuna, ſignificat filios. Et ſi in oppoſito partis aut quadrato, uel in eius coniunctione, fuerit aliqua infortuna, ſignificat

paucos filios,& quos habuerit morientur. Quando Venus infortunata fuerit á Saturno,& aſpexerit partem filiorum ab aliquo angulorum,& non aſpexerit eam Iupiter,paucos filios habebit, uel erit ſterilis, maxime ſi cum hoc Luna fuerit infortunata. Quando Saturnus iungitur cum parte filiorum in uno ſigno,& non aſpexerit eos Iupiter,neq; Venus,paucos filios ſignificat,uel erit ſterilis. Et ſi pars filiorum uel Iupiter fuerint in ſignis ſterilibus,ſterilis erit. Pars filiorum,dominus domus filiorum, & Iupiter in angulis, in fortibus locis, & cum hoc in ſignis aqueis, uel multorum filiorum,ſignificant multos filios. Pars filiorum in aſcendente,uel coniuncta domino aſcendentis, ſi dominus partis aſpexerit eam, habebit filios qui amabunt ipſum,& obedient ei. Quando pars filiorum fuerit in medio cœli, & eius dominus fuerit in bono loco,& aſpexerit eã Iupiter, & Venus de ſignis cõuenientibus ſigno in quo ipſa fuerit,uel ſit pars in domo fiduciæ,& Iupiter in quinta ab aſcendente,ſignificat filios fortunatos in alto gradu,á rege honorem,& bonũ habituros. Pars filiorum in domo Saturni,ſi eam infortunæ aſpexerint, morientur maiores filij. Si fuerit in domo Martis,& eam aſpexerint infortunæ, morientur filij minores. Si fuerit pars filiorum in octaua,nõ habebit filios,ſi quos habuerit,morientur. Et ſi Saturnus & Mars ibi fuerint,uel aſpexerint,filij morientur, poſtquam magni fuerint, aut ipſi uel maior pars interficientur, uel ſi fuerit ibi Sol cum eis, uel eas aſpexerit, euadent ab interfectione,tamen accident eis occaſiones mortis in corpore. Pars filiorum in aſcendente,natus amabit filios ſuos multum. Si in ſecunda fortunata, filij habebunt diuitias. Et ſi in tertia, habebunt bonum & utilitatem á patruis, uel conſanguineis ſuis. In quarta,filij multi erunt,habebunt nomina auorum,& auunculorum ſuorum, & ſi cum ea fortuna fuerit,& ipſa ibi fortunata,hęreditabunt bona auorum,& auunculorum. Et ſi cum infortuna fuerit,& ipſa infortunata ibidem capientur,& incarcerabuntur,& eis anxietates,& labores accident. In quinta, erunt uiriles,& proſperabuntur. In ſexta,uiuent,& habebunt uictum ſuum de beſtijs, ſeruis, & ſeruabus. In ſeptima, odio habebunt patrem, cauſas & rixas cum eo habentes. In octaua,fortunata,dimittet ſuis ſubſtantiam pater, & ipſi eorum filijs,infortunata ibidem paucos ſignificat filios. In nona,ab infortunis libera,filios iuſtos habebit. In decima,filij in corporibus ſuis lædentur, & facient mala facta. In undecima erunt malorum morum,ſicut irati rixatores. In duodecima,paucos filios ſignificat, & quos habuerit, fient eius inimici,& eum odijs proſequentur.

Pars temporis filij, cum Iupiter ad hanc peruenerit, uel eam aſpexerit, filium dabit.

De ſexta domo.

SExta domus ſignificat infirmitates, ſeruos & ſeruas, beſtiasq; minores qui non equitantur.

Primus dominus triplicitatis huius ſextæ domus, ſi fuerit fortis, aſcendens in ſuo circulo,eleuatus ſuper aſcendens,& dominum eius,& ipſe per ſe fortuna fuerit, natus lucrabitur ſubſtantiam propter infirmitatem. Si fuerit infortunatus in caſu ſuo,deſcendens,nec aſpexerit aſcendens,natus erit liber ab infirmitatibus.

Secundus dominus triplicitatis ſi fortunatus fuerit, receptus, & in bono loco ab aſcendente,ac habuerit in eo aliquam dignitatem,natus habebit ſeruos & ancillas &c. Si in ſtatu contrario fuerit,dic contrarium.

Tertius dominus triplicitatis huius domus,ſi fortunatus fuerit, natus equitabit beſtias,& habebit commodum ex beſtijs.

Si fuerit pars Azemene in partitione aſcendentis, & Luna iuncta cum ea, uel dominus aſcendentis,Azemena erit in membro illius ſigni,dando aſcendens capiti &c. Si hæc pars fuerit ſupra terram, erit patens, Si ſub terra,occulta. Si hæc pars

& eius

& eius dominus fuerint liberi ab infortunis, natus erit incolumis, ſi contrarium iſtorum fuerit, dic contrarium. Si pars hæc iungitur ſtellæ Bebeniæ de natura infortunæ, natus habebit infirmitatem turpem, & manifeſtam. Si fuerit pars hæc in una quarta figuræ, & eius dominus in altera, habebit infirmitates extra locum ſuum, uel habebit eas in diuerſis & multis corporis ſui locis. Si hæc pars ceciderit in nonam domum, & eius dominus fuerit infortuna, accidet nato damnum in incredulitate ſuæ legis. Et ſi hoc modo fuerit in undecima, accidet ſibi damnum in amicis. Si in quinta, damnum erit filijs: In tertia, damnum in fratribus: In ſecunda, damnũ in ſubſtantia: In octaua damnum in eius morte, quod malo modo morietur: In ſexta, ex infirmitate abſcondita quæ fortis erit, & difficilis ad ſanandum: In duodecima inimici eius inſultabunt ipſi.

Si fuerit pars ſeruorum, & eius dominus in bonis locis in aſpectu fortunarum infortunis ab eis remotis, multos ſeruos habebit, & fortunam ex eis, ſi fuerit in contrario, contrarium dic.

Pars beſtiarum equitandarum, ſi fœlix, ſalua & fortunata fuerit cum domino eius in bonis locis, uel aſpecti à fortunis, ſignificat bonum uſum eorum animalium. Si uero fuerit in malo loco, uel infortunata, dic contrarium huius.

De ſeptima domo.

SEPTIMA domus, ſignificat mulieres, coniugium, apertos inimicos &c.

Si primus dominus triplicitatis huius ſeptimæ domus fuerit fortunatus, & multi planetæ dederint ei uim ſuam, natus ducet multas uxores, & habebit commodum ab uxoribus. Si fuerit debilis, combuſtus, uel occidentalis, ſine coniuge morietur.

Si fuerit ſecundus dominus triplicitatis in bono ſtatu, ſicut primus, & in aſcendente, uel inter aſcendens & Medium cœli, natus uxorem ducet in pueritia ſua. Et ſi fuerit à parte occidentis, faciet idem in ſenectute. Si fuerit debilis, cadens & combuſtus, ac occidentalis, natus ſine coniugio morietur.

Tertius dominus triplicitatis ſi fuerit in bono ſtatu, natus erit legalis in negotijs ſuis, & multi eius amicitiã ambient. Si fuerit in diuerſo ſtatu, erit proditor, mendax, deceptor, raptor cũ furto, malus in dando & accipiendo, modicę legalitatis cũ ſocijs.

Si fuerit pars coniugij coniuncta Marti in uno gradu, & Mercurius eos aſpiciat ipſo infortunato exiſtente, natus interficiet uel ſuffocabit uxores. Hac parte damnata in tertia uel quinta, aget natus cum ſororibus ſuis & filiabus. Et ſi hęc pars damnata fuerit, & ipſa in quarta domo in ſigno fœminino, natus aget cũ matre. Si iuncta fuerit infortunæ damnanti eam in uno ſigno, & Luna in ſeptima ab aſcendente, uel ſi eò reſpexerit, aget cum auuncula ſua, ſorore matris ſuæ. Si fuerit hæc pars in ſigno communi, & dominus aſcendentis in communi, & Venus infortunata, natus nõ erit contentus in una uxore. Si pars hæc fuerit in ſexta, aut pars ſeruorum in domo coniugij, uxorabitur cum ſeruabus, aut cum uilibus mulieribus, ac contrahet turpia & uilia coniugia. Pars coniugij, & dominus loci ſui ambo cadentes, & cũ infortunis corporaliter iuncti, uel in quadrato aut oppoſito ipſorum, ſignificat coniugium malum, & quòd copulabitur cum malis mulieribus meretricibus, maximè ſi fuerint ſine aliquo fortunæ aſpectu. Quando dominus partis coniugij fuerit fortuna, directus in ſuo curſu, in angulo uel ſuccedente ab infortunis liber, uxorabitur benè cum mulierè pulchra & bona, ſine macula. Si contrarium fuerit, contrarium dic. Si fuerit hæc pars coniuncta Lunę, uel in eius aſpectu, natus ille uel nata coniugem ſibi adiunget de ſua progenie. Si fuerit dominus partis coniugij in domo coniugij, natus occultas inibit

nuptias. Et quando dominus huius partis fuerit Saturnus, & ipſe in ſeptima, cōiugio iungetur cum uetula. Et ſi fuerit ſignum ſeptimę domus Saturni, ſimiliter cum uetula copulabitur. Quando dominus partis coniugij fuerit Mars, & ipſe in domo coniugij, cum mala muliere coniungetur in ſecreto. Et ſimiliter aſpice ad planetas ſignificantes coniugium, ſi ſunt in exaltationibus ſuis, aut caſu, & iudica ſecundum illud, an erit cum nobili aut cum uili. Et quando Iupiter fuerit dominus partis coniugij, in domo coniugij, nuptię eius futuræ ſunt cum nobili, diuite, ac famoſa. Si Venus fuerit in tali ſtatu, coniugium fiet in hæreditate, & non in cenſu completo. Si Mercurius fuerit, fiet per riſum truffas & deceptiones. Si fuerit pars hæc in angulo Mercurio iuncta in maſculino ſigno, natus erit Sodomita. Et ſi Mercurius aſpexerit partē & ipſa in ſigno maſculino fuerit, idem ſignificat. Si Mercurius aſpexerit eam & ipſa in ſigno fœminino fuerit, natus multum appetet uoluptates cum mulieribus. Quando hæc pars, & eius loci dominus fuerit damnatus, damnationem denotabunt cōiugij. Si hæc fuerit cum domino ſuo fortunata, ſignificat bonum. Quando pars ipſa fuerit in una quarta figuræ, & eius dominus in altera, natus matrimonium inibit cum una magna, & ab ea ibit ad aliam partem. Et ſi fuerit ab infortunis libera, coniugium erit leue. Si hæc pars fuerit in ſecunda domo, fiet coniugium cum ſerua de uili progenie. In tertia cum muliere, cum qua concubuit prius eius conſanguineus. Si infortunata fuerit in hac domo, aget cum ſororibus uel fratribus ſuis. In quarta ſignificat nuptias nati cum conſanguinea quæ erit legis, & obſeruationis bonæ. Si fuerit in hac domo infortunata, aget cum auuncula, ſuæ matris ſorore, uel cum muliere quam loco matris tenebit. In quinta nato coniugium decernit cum muliere iuuene, & formoſa, in bono ſtatu. Si fuerit in hac domo infortunata, coibit cum filio ſuo. In ſexta idem ſignificat quod in ſecunda. In ſeptima, aget cum muliere nota, quam non diliget. In octaua, periculum ei accidet ratione mulieris. In nona copulabitur cum muliere extranea. In decima, cum muliere nota, de nobili progenie. In undecima, cum muliere quam prius diligebat, & habebit ex ea filias plures quâm filios. In duodecima uxorabitur cum muliere maculam habente, Si ibi fuerit infortunata, accident ei anxietates & triſtitiæ, ratione mulieris. Et quando hæc pars, & eius dominus infortunati fuerint per domos, ſignificat malum & damnum, ſecundum naturam domus in qua fuerit.

Pars laſciuiæ, ſi Iupiter aſpicit hanc partem, capietur, ſi Mars, fornicator erit.

De octaua domo.

OCTAVA domus ſignificat mortem, hęreditates mortuorum, occultas facultates, timores magnos, uenena lætalia, &c.

Primus dominus triplicitatis octauæ domus fortis, ſignificat quòd natus morietur in diuitijs & honore. Si infortunatus cadens, uel peregrinus fuerit, morietur mala morte.

Secundus dominus triplicitatis ſi fortis fuerit, natus hæreditabit ſubſtantiam mortuorum, parentum, uel auorum. Si infortunatus, natus relinquet ſubſtantiam ſuam his, qui de morte ſua non dolebunt.

Si tertius dominus triplicitatis fortunatus fuerit, natus ſequetur uiam anteceſſorum, & magnificabit familiam ſuam. Si infortunatus, faciet contrarium.

Pars mortis, uel dominus eius, ſi iungitur domino aſcendentis, natus habebit multas infirmitates, & impedimenta in corpore, & ſubſtantia ſua. Quando hæc pars fuerit, in domo itinerum, uel quando Saturnus fuerit dominus octauæ, uel quando fuerit Saturnus in octaua, licet ſit peregrinus, uel quòd ſit in Sagittario, uel

quando

quando pars mortis,& eius dominus,& dominus domus octauæ fuerit in aſcendente, ſiue ſint in ſignis in quibus dominus aſcendentis nullam habet dignitatem, uel quòd ſit dominus anguli terræ in octaua, uel dominus octauæ in tertia, hæc omnia ſignificant, quòd morietur extra terram ſuam pauper. Si infortunæ hanc aſpexerint partem, natus interficietur. Et ſi dominus huius partis fuerit in oppoſitione domini octauæ domus,& in ſignis inimicis, natus occidetur. Si pars hæc fuerit in una quarta figuræ,& eius dominus in altera, natus morietur extra terram ſuam. Et quando hæc pars fuerit in angulo ab infortunis ſalua, morietur in terra ſua morte naturali. Et ſi fuerit in tertia, uel nona domo, morietur extra terram ſuam. Si fuerit in quinta, uel undecima, morietur in meliori ſtatu ſuæ uitæ. Si in ſecunda uel octaua, aut ſexta uel duodecima, morietur ratione ſubſtantiæ, aut per manus inimicorum, uel captus. Si in octaua domo, morte naturali morietur, ſecundum complexionem, & naturam ſigni, in quo fuerit dominus eius.

Pars planetæ interficientis, ſi Lunam aſpexerit, & Solem, & Luna ſit in ſigno membrorum inciſorum impedita, abſcindetur nato aliquod membrum. Et ſi hæc pars,& dominus eius,& domini ſignorum in quibus ſunt, impedierint ſe inuicem, interficietur.

Pars anni quo timetur mors, uel dominus eius, ſi iuncti fuerint cum domino aſcendentis,& ambo infortunati, natus experietur multas infirmitates, ac multa impedimenta in corpore,& ſubſtantia ſua, & forte deſtruet ſe, uel perueniet quaſi ad deſtruendum ſe &c.

De nona domo.

NONA domus ſignificat longa itinera, religionem, & fidem, ſomnia, ſectas, ſapientiam, diuinationem, philoſophiam, ſcientias &c.

Si fuerit primus dominus triplicitatis nonæ in bono ſtatu, natus faciet itinera,& habebit inde utilitatem. Si fuerit in diuerſo ſtatu ſignificat contrarium.

Si fuerit ſecundus dominus triplicitatis fortunatus, natus erit bonæ legis, religioſus, Si in diuerſo ſtatu, dic contrarium huius.

Si fuerit tertius dominus triplicitatis fortunatus, natus habebit ſomnia ueridica,& erit interpres eorum,& frequenter habebit iocunda ſomnia. Si fuerit in ſtatu diuerſo, dic conuerſum.

Pars itineris per terram, ſi fuerit in aliquo angulorum, iuncta corporaliter cum domino aſcendentis,& cum Luna, natus amabit itinera. Quæ ſi iuncta fuerit cum Marte,& dominus partis contrarius fuerit ſuæmet domui, faciet itinera multa,& infirmabitur in illis. Si hæc pars fuerit in una quarta figuræ,& eius dominus in altera, multa itinera,& diuerſa ſignificat, in diuerſis partibus. Et ſi fuerit in aliquo angulorum ſignificat multa itinera. Et ſi cum hoc fuerit fortunatus, lucrabitur in itineribus ſuis,& ſi infortunatus fuerit, damno afficietur,& in itineribus capietur. Et ſi hęc pars fuerit in ſexta uel duodecima infortunata, capietur, ligabitur,& incarcerabitur in itineribus,& infirmabitur.

Pars itinerum per aquam, cum fortunis in ſignis aqueis, ſignificat quòd habebit id quod uoluerit, nec ibi damnum accipiet. Et ſi cum infortunis fuerit, damna,& grauitates habebit in itineribus ſeu nauigationibus per aquas.

Pars religionis uel eius dominus, ſi cũ domino aſcendentis fuerit, uel cum Almuten aſcendentis, aut cum aliquo ſignificatorum aſcendentis, natus erit religioſus, iuſtus,& caſtus, maximè ſi aſpexerit eum Iupiter, uel cum eo fuerit,& fortunę ſignificant bonum, maximè quando pars tali modo fuerit fortunata,& eius dominus ſimiliter,& infortunæ ſignificant contrarium.

De decima

De decima domo.

DECIMA domus ſignificat regnum, honores, dignitates, exaltationes, magiſtratus, dominia, magiſteria, & matrem &c.

Primus dominus triplicitatis decimæ domus, ſi fuerit fortunatus & in bono ſtatu in aſcendente, uel decima, natus habebit dominium uel dignitatem à Rege, cum proſperitate. Si fuerit in malo ſtatu, habebit impedimenta ex parte Regis, & erit contemptus.

Si fuerit ſecundus dominus triplicitatis in huiuſmodi bono ſtatu, natus erit fœlix in operibus ſuis. Si in contrario ſtatu, dic contrarium.

Tertius dominus triplicitatis huius, ſi fœlix, & fortunatus fuerit, ſignificat quòd natus erit nobilis, altus, laudatus &c. Si in diuerſo ſtatu fuerit, contrarium ſignificat.

Pars regni in aliqua domorum Martis, ſi aſpexerit eam Mars de bono, & forti loco, & ambo in locis altis Regum extiterint, & aſpexerit eos Sol, & pars fortunæ fuerit in bono loco, fortunis eam aſpicientibus, de bonis & fortibus locis, natus erit dominus militum, & dux exercituum, & ibit cum militibus & exercitibus prçliatum cum inimicis regni, ſecurus erit, ac boni conſilij, in operibus ſuis uictorioſus, & fœlix in ſuis prælijs, ac in eis ſapiens, & manſuetus. Si ibi aſpexerint infortunæ, erit inferioris gradus. Et ſi omnes hij ſignificatores fuerint depreſsi, erit miles gregarius unius clypei dominus. Si fuerit hæc pars cum domino decimæ domus, uel unus eorum in aſcendente, natus habebit dominium, & poſſe in pueritia ſua. Si fuerit in Medio cœli, habebit illud in ætate media. Si fuerit in ſeptima, in ſenio, ſimiliter etiam in quarta domo.

Si fuerint pars operis & magiſterij, & eius dominus fortunati, & in bono eſſe. natus inſinuabit facile ſe magiſterijs & operibus bonis. Et ſi fuerit in Geminis, uel Virgine, uel aliquo ſignorum ſignificantium mores, & magiſteria, natus erit laudatus in operibus & factis manuum ſuarum, & ſi cum hoc habuerit aliquam commixtionem cum ſignificatoribus domus ſubſtantiæ, lucrabitur inde magnam ſubſtantiã: ſi non, nihil lucrabitur inde. Quando pars hæc fuerit in una quarta figuræ, & eius dominus in altera, habebit magiſterium ſuum in itineribus extra locum ſuum, ratione itineris. Et ſi dominus partis habuerit aliquam dignitatem in ſigno in quo fuerit, natus habitabit in illo loco, extra terrã ſuam, in quo fuerit, & habebit uicinitatẽ ibidem.

Pars fœlicitatis, ſiue Iouis, ſignificat euaſionem, uictoriam, & defenſionem, iuſtitiam, & patientiam, legem, & rectitudinem, ac prudentiam in factis eius, & iuriſdictionem inter gentem, ac bonos fines in rebus, domos orationis, & res iuſtas ſine deceptione.

Pars Matris ſignificat eſſe matris, ſicut decima domus huius partis, iudicium eſt idem cum parte patris &c.

De undecima domo.

VNDECIMA domus, ſignificat amicos extra ſanguinem, bonos fautores, fiduciam, & ſpem, & eſt domus fortunæ.

Si primus dominus triplicitatis huius undecimæ domus fortunatus & receptus fuerit, natus habebit multos amicos cum magno emolumento. Si in contrario, erit ſolitarius & ingratus.

Si fuerit ſecundus dominus triplicitatis huius fortunatus, natus erit diues, & honoratus. Si in diuerſo ſtatu, ſignificat contrarium huius.

Tertius dominus triplicitatis huius fœlix, natus habebit filios remanſuros poſt

eum

eum in diuitijs. Si fuerit infortunatus, debilis, cadens in malo ſtatu, natus non habebit filios poſt eum remanſuros in ſuis diuitijs &c.

Pars amicorum in Medio cœli, uel in locis altis & fortibus, libera ab aſpectu infortunæ, maximè ſi fuerit in ſigno fixo, natus erit legalis, & ueridicus ſuis amicis, & tenebit bonam amicitiam cum eis. Si uerò fuerit cadens ab angulo, uel ab angulis remota, & fuerit in ſigno mobili, uel communi, natus erit proditor ſuorum amicorum, & ſeruabit eis malam fidem, nec erit firmus in amicitia, aſſociabitur pro maiori parte uilibus. Nota quòd ſi quæuis pars, uel dominus partis, uel dominus alicuius anguli, ſiue dominus triplicitatis, in hanc domum ceciderit, ſignificat bonum in eadem pro ſua ſignificatione, dummodo non ſit in aſpectu infortunæ, neq; ſub radijs, neq; in caſu ſuo. Si pars hæc, & eius dominus fuerint boni eſſe in bonis locis, in ſignis mobilibus, natus habebit multos ſocios, & ſi fuerint fortunati, habebit utilitatem ex eis, & ipſi de eo. Si fuerint recepti, diligetur ab amicis ſuis. Si hæc pars fuerit in angulo, erit potens & clari nominis. Si in undecima, quinta, nona, uel tertia, erit amicitiæ firmæ, & legalis. Si in ſecunda, octaua, ſexta, uel duodecima, erit infidelis, & malus.

Pars fiduciæ accipitur in die, à Saturno in Venerem, de nocte econtra, & proijcitur ab aſcendente. Si hæc pars fuerit fortunata, natus habebit res in quibus habebit fiduciam, & quicquid uoluerit. Si fuerit infortunata, nihil horum habebit.

De duodecima domo.

DVODECIMA domus ſignificat inimicos occultos, carceres, triſtitias, ſeruos, animalia magna &c.

Primus dominus triplicitatis huius duodecimæ domus, ſi fuerit fortunatus, & fortis, inimici nati erunt uehementes, et nocebunt ei. Si fuerit cadens, damnatus, combuſtus, peregrinus, ipſe natus nocebit inimicis, inſultabit ipſis, & uincet eos.

Secundus dominus triplicitatis huius fortunatus, natus habebit paucas triſtitias, & ſi quas habuerit cito recedent, Si infortunatus, habebit multas.

Tertius dominus triplicitatis fortunatus, natus erit dialecticus, eloquens, fœlix in rationibus & cauſis, & contra quemlibet aduerſantem ſibi proſperabitur. Si fuerit in diuerſo ſtatu, erit debilis rationis, & loquelæ impeditæ, non habebit ius de aduerſarijs ſuis &c.

Pars inimicorum in angulis, inimici nati efferent ſe contra eum, & inferent ei malum & damnum quod uoluerint. Si fuerint in locis cadentibus ab angulis, habebit paucos inimicos. Et ſi hæc pars, uel dominus domus inimicorum fuerit combuſtus, inimici nati malum facient ſibi ipſis, & malum quod procurabunt nato erit per fraudem, uel toxicum, uel necromantiam, uel quiddam ſimile. Quando pars hæc, uel eius dominus ceciderit in quadratum, uel oppoſitum domus ſuæ, uel domini aſcendentis, multos inimicos habebit, ſi non fuerit hoc modo, non habebit multos inimicos. Si hæc pars uel eius dominus fuerint in angulo, inimici nati erunt honorati, nobiles, ac potentes. Et ſi cum hoc dominus aſcendentis infortunatus fuerit, hoſtes inſultabunt ei, & forte interficient ipſum, & peius erit ſi dominus aſcendentis fuerit infortuna. Si in undecimam ceciderit, uel quintam, tertiam, uel nonam, inimici eius erunt pauci, ac modici poſſe. Si in ſecunda, uel octaua, ſexta uel duodecima, erunt minores & debiliores, nec perdet, aut offendet natum eorum inimicitia &c.

Pars inimicorum debilis, & cadens, eſt malum ipſis inimicis, bonum uero nato. Dominus loci partis in aſcendente, ſignificat quòd multi inimicorũ occultorum uenient ad concordiam cum ipſo ultrò, & ex ſe moti ad hoc nonnunquam.

Pars contentionis & inuidiæ, ſi ab infortuna aſpicitur maligne, uel cum aliqua fuerit, ſignificat multam inuidiam. Si fuerit in aſcendente, aut in aliquo angulo in quadrato domini aſcendentis, natus habebit multas lites.

De dominis triplicitatum locorum aliorum extra hunc ordinem.

DOMINI triplicitatis Solis in diurnis genituris, qui & domini triplicitatum luminaris conditionarij dicuntur: Si omnes fortunati fuerint, fortes, recepti in bonis locis & dignitatibus ſuis, decernunt quòd natus erit diues in toto tempore uitæ ſuæ. Quòd ſi unus fuerit fortunatus & fortis, alij uero infortunati, habebit natus ſubſtantiam, & diuitias, in partitione illius ætatis, cuius planetę eſt talis partitio, & habebit indigentiam in tempore partitionis aliorum planetarum. Nam primus dominus triplicitatis ſignificat uitæ principium, hoc eſt primam tertiam partem uitæ hominis. Secundus ſignificat ſecundam partem uitæ ſuæ. Tertius tertiam, & ultimam uitæ hominis. Sic eodem modo iudicabis etiam de dominis triplicitatum Lunæ in nocturnis genituris, qui uocantur domini triplicitatum luminaris conditionarij. Item de dominis triplicitatum Iouis, partis fortunæ, partis ſubſtantiæ pro ſubſtantia eodem modo age. Item per dominos triplicitatum loci Veneris pro coniugio, uel cum mulieribus. Pro Marte in itineribus &c. Sic quoq; de alijs ſignificatoribus.

CAPVT SECVNDVM.

De Coniunctionibus & aſpectibus planetarum adinuicem in natiuitatibus.

De Coniunctionibus Saturni & aliorum cum alijs.

SATVRNVS & Iupiter coniuncti in alicuius natiuitate, natus habebit poſſeſsiones agrorum, opera Regis, & in his fidus, & honoratus erit, dummodo Mars non aſpexerit eos.

Saturnus cum Marte, indicat natum fore manſuetum, ſed tarde quod uolet efficiet & cum difficultate, præmorietur patri & matri ſuę, & fratres eius adhuc citius è uiuis diſcedent.

Saturnus cum Sole, patrimonij ſignificat amiſsionem, & laborem, & damnum in facultatibus acquirendis, & peius erit hoc in natali nocturno.

Si fuerit Saturnus cum Venere, copulabitur natus cum faſcinatrice, nec habebit filios mares, coibit cum ſimilibus, uiduam aut degenerem, aut anum uxorem ducet.

Saturnus cum Mercurio, natum efficit blæſum, uel malæ locutionis, uagabundum, inopem, & in nullo ſe intromittentem.

Saturnus cum Luna, à parentibus damna, & corporis debilitatem dare ſolet, & ſi fuerit natale diurnum, & fortunæ aſpexerint, erit fortunatus & fœlix, maxime ſi Luna ſit aucta lumine.

Iupiter & Mars, dominium nato ſignificant, diues enim erit, & nati nomen per diuerſa loca expandetur, in militia proſperitatem habebit.

Iupiter cum Sole, ſignificat bonorum inopiam. Si autem fuerit orientalis, fœlicitatem, & patris proſperitatem, & ex filijs gaudia.

Iupiter cum Venere, ſignificat natum in honore nutriri, & in delicijs, eritq; dilectus à magnis uiris atq; nobilibus, & ab his bonam fortunam habebit, ſimiliter in coniuge & filijs.

Iupiter & Luna augmentum cenſus diuitiarum, atq; fortunæ ſignificat nato uenturum.

Mars & Sol, patris celerem mortem, patrimonij amiſſionem, & cenſus, laborem in omnibus, & ignis combuſtionem ſæpe minantur.

Mars & Venus, lites & damna mulieris cauſa, adulteria cum uilibus ſignificant. Si natale fuerit alicuius fœminæ, ea meretrix erit.

Mars & Mercurius, mendacem faciunt natum, ſed aſtutum & eloquentem, in agendis rebus feſtinum, bonum in foro patronum.

Mars cum Luna, uitæ paucitatem læſionemq; ſignificat nato futuram, ac uulnus matri anguſtiasq;, ſi angularis erit, ac natus detrimenta ſentiet, & malæ mortis ſortietur exitum.

Coniunctio Solis & Veneris, laudatum & bonæ famæ, & populi amatorem ſignificat.

Solis & Mercurij, pium & ſenſatum, ac ſapientem ſignificat, inde exaltabitur & præficietur alijs, & domini ipſi benefacient.

Sol & Luna naturam habent decernendi poteſtatem, cum communicant ſuarum uirium poteſtatem, & eam ſumunt talem, qualem dominus loci coniunctionis eis decernit, & conceſſerit. Itaq; ab illo hoſpite plerunq; dependet iudicium. Aſpiciendum itaq; eſt, in quorum domicilio, & in cuius finibus coniungantur. Generaliter autem magnorum uirorum indicat appetere natum conuerſationem, ſed cum uitæ paucitate.

Venus & Mercurius inclinant natum ad ludos & gaudia, diliget corporis ornatum, cantus & omnem mundiciam, pulcher recitator fabularum, ſed ex mulieribus damna ſentiet. Si ſub radijs fuerint coniuncti, caſtrabunt natum.

Venus & Luna, faſtum quendam ſignificant & formę pulchritudinem, ſed non firmum in coniugio, diliget fœminas aliorum, & forte eius uxor adultera erit.

Mercurius & Luna, ſapientiam nati laudabilem ſignificant, eritq; magni nominis, ſed in omnibus inſtabilis.

De Trino Saturni & aliorum cum alijs.

SAturni Trinus ad Iouem, ſi in opportunis genituræ locis fuerit agrorum multitudinem domorumq; decernit, ac templorũ ædificationem. Et ſi Lunam aſpexerit, inde laudem aſſequetur, & à regibus ſignificat honorari, & copias cum magna fœlicitate decernit, præſertim ſi alter horum fuerit in domicilio ſuo conſtitutus, ſed pro menſura genituræ. Nam & alijs procurationum officia decernit, alijs ex magnis hæreditatibus commoda, alijs lucra confert alieno labore quæſita, & hæc omnia incorrupta fide commendat. At ſi iſtis ſic exiſtentibus Mercurium aſpiciant, magnarum ciuitatum demonſtrat tractaturos officia, quibus hęc à regibus demandentur, ſed nimis ex filiorũ infortunijs laborabunt. At ſi Mars eos aſpexerit, quæ de fœlicitate diximus, minora contingent, ac latenti eos pulſabit inuidia, uel quicquid boni decretum fuerit, inimicum teſtimonium Martis impugnabit.

Saturni ad Martem Trinus, ſi in opportunis locis genituræ fuerint iſta radiatione coniuncti, & in illis, in quibus alter eorum gaudeat ſignis, uel ſuis finibus, ſi non defuerit Iouis & Mercurij teſtimonium, maxima lucra, & quotidiana quæ ſint incrementa decernit, ex quibus maxima ſibi comparantes dignitatis inſignia, imperioſi, potentes facti, & magnarum ciuitatum officia gubernantes, fratrum tamen mortes aſsidua uarietate uidebunt.

Saturni trinus ad Solem, ut diximus in opportunis genituræ locis ſi fuerit, & in his quibus habuerint dignitates, uitæ inſignia aſſidua dignitate largitur, & maximam gloriæ poteſtatem, famam bonam, nobilitatemq́ conferunt, maxime ſi in maſculinis fuerint ſignis & natale diurnum. Si autem nocturna natiuitas, diſſipat patrimonium, ſed rurſus propria facit uirtute conferri.

Saturni & Veneris trinus, ſi fuerit in aliqua ſuarum dignitatum, & in opportunis genituræ locis diſcurrant, manſuetos indicant natos, pudicos, bonæ conuerſationis & famæ, & qui à uilibus perſonis inuidiæ labe pulſentur, ſed tarde facient eoſdem uxoribus copulari.

Saturni & Mercurij trinus, ſi in ſuarum aliqua dignitate acciderit, & in opportunis genituræ locis, in rebus agendis doctum & ſapientem ſignat, bonum uirum & eruditum, cordatum, ingenioſum, aptum ad diſciplinas capeſſendas, publicis præpoſitum computis, aut fiſcalibus rationibus, uel regis ſcribam aut conſiliarium, ex quibus magna nato conferantur ſubſidia facultatum, ſed hoc perpetuum ſic Mercurij ſtellam optime in duodecima collocari.

Saturni ad Lunam trigonus, ſi ſint in opportunis genituræ locis, & in aliqua dignitate & Luna aucta curſu, uel luminibus, natos, regibus & potentibus uiris ſemper bona commendatione inſinuat, & maximæ gloriæ ac potentiæ decernit inſignia. Quæ ſi fuerit minuta luminibus, hæc minora præſtabit. Hæc autem in natali nocturna ſola in octaua domo fœliciter collocata, magnæ fœlicitatis largitur augmenta. Ibidem uero in die, ſi Iupiter in prima fuerit, hæc eadem confert.

Iupiter ſi Marti fuerit trigonica radiatione coniunctus, & fuerit in locis non abiectis, & in quibus gaudeant partibus, ſignificant audacem, periculis ſe exponentem, patronum prudentem, honoris cupidum & uictoriæ. Idem adminiſtrator rerum domini ſui intrepidus erit, ob quæ conſequetur maximæ dignitatis imperia, & quibus regij honores crebris iudicijs conferentur, & magnæ licentiæ poteſtas.

Iupiter & Sol ſi trigona radiatione fuerint coniuncti, & ſint in optatis genituræ locis &c. maxima indicant nobilitatis inſignia, prædiorum abundantiam, & gloriæ decus inſinuat, & uitam elato decorat honore, & filiorum gaudia largitur, & honoris augmentum decernit.

Iouis ad Venerem trigonus, & ambo in opportunis locis &c. gratiam ſignificat uenuſtatis, bonis aſſociat, & honeſtis uiris amore coniungit, fidumq́ conſortis affectum demonſtrat, patrimonij & dignitatis augmenta, quæ aut amicorum cauſa aut uxoris ſibi merito conferentur.

Iouis & Mercurij trigonus eo modo quo diximus, oſtendit ingenioſos, cordatos, intelligentes, acerrima ingenij poteſtate fulgentes, omnia negocia proſperē exequentes, omnibus præpoſitos potentiſſimæ merito dignitatis, & qui ſemper ex ſuis actibus laudentur & placeant, publicum officium tractantes, uel regios ſcribas, & qui cœleſtium ſiderum ſecreta apte cognoſcant.

Iouis trigonus ad Lunam, eo modo quo diximus, magnam nobilitatem dominiumq́ ac poteſtatem oſtendit, & ſi ſit aucta curſu & plena lumine, faciet claros, noticia nobilitatis ornatos, bonæ famæ teſtimonio pollentes, aliquos exercitibus præpoſitos, alios ciuitatibus, alijs prouinciæ demandantur, quæ pro menſura genituræ penſentur, & quorum fides præcipuè præconio bonitatis ornetur.

Martis trinus ad Solem eo modo quo diximus, maximæ poteſtatis & dignitatis decernit inſignia, præſertim ſi fuerit in nocturna genitura, & in trino dextro Solis, honoris inſignia & poteſtatis magnæ largitur. Si uero in alio trigoni latere hos Iupiter aſpexerit, proſpera radiatione, & ſi fuerit in primis genituræ cardinibus

poſitus

poſitus, & ex bono loco his Lunæ acceſſerit radius, maximas adminiſtrationes decernit, cui magni committuntur exercitus, infinita dignitatum inſignia, quæ fortiora erunt ſi Mars, Sol, & Iupiter ſint in maſculinis ſignis conſtituti.

Martis trinus ad Venerem, ut diximus, aſſidua lucra decernit, & proſperi matrimonij nuptias, & qui ſe grata honeſtate componant, ſed ſuperbiæ ſpiritu ſubleuati plurima ſectantes matrimonia, quæ facilimis rationibus conſequentur, ueſtium & ornatus oſtentatores, & forte publicos ſcortatores, uel contra legem luxuriantes producent.

Martis & Mercurij trigonus, ut prædicitur, nati animos & ſapientiam notat, computos & rationes publicas adminiſtrantes, cauſidicos optimos, & in his laudatos, & tales reddit, ut in omnibus negocijs proſperos ſemper conſequantur euentus, literarum officia ſecretè tractantes.

Martis & Lunæ trinus, ut prædicitur, computos notat, & in his ſapiens erit, ſi natale nocturnum fuerit, & Luna aucta lumine, & omnia fœlicitatis ornamenta decernit, proſperos actus cum fœlicitate ſignificat, & quæ deſiderant facilimis rationibus conſequentur, quos ſi Iupiter bene aſpexerit, maximos honores, & maximæ decernunt dignitatis imperia & gloriam. Si uerò Luna ſit diminuta lumine, corpus aſſidua ægritudinum continuatione debilitat.

Solis & Lunæ trigonus, ſi in opportunis fuerit locis &c. magnæ fœlicitatis decernit inſignia, maximè ſi aliorum planetarum fuerint opportuna radiatione adiuti, uitam claro decorant honore.

Veneris & Lunæ trigonus, ſi in opportunis locis fuerit, & in his in quibus gaudent partibus, & infœlices non impediant, ſi ſit Luna aucta luminibus, in nocturna genitura, altiſſimæ poteſtatis decernit inſignia, maximos actus, fœlix matrimonium filiosq́ꝫ, fratres inſuper, & ſorores, quos fido diliget ſemper affectu, & formam corporis egregiam quadam cum uenuſtate futuram.

Mercurij trigonus cum Luna ſi fuerit in opportunis locis &c. bona omnia pro ſignorum qualitate decernit. Nam quibuſdam orationis facundiam pollicetur, alijs præclaras artes, alijs dulcem muſicæ ſonum, alijs picturæ officium, ac artificium tribuit, & tales quos præclara artium magiſteria ſemper extollunt, populi commendatione præclaros, armis etiam quibuſdam, alios negociatores reddit, quæ omnia ſecundum ſignorum & planetarum loca penſanda erunt.

De Tetragono Saturni, ac aliorum ad alios.

SAturnus & Iupiter ſi fuerint tetragona radiatione coniuncti, ſi ſuperiore loco dextrum Saturni quadratum, Iupiter uero in ſiniſtro iſtius quadrato fuerit, uitæ periculoſa diſcrimina decernuntur, & patrimonij ſubſtantiam minuit, & omnia conſilia ſæpe peruertit, ſubſtantiam labefacit, actus impedit, & eorum mentes uanis animi diſſenſionibus ſemper perturbat, parentes impugnant uario ſemper genere contrarietatis. Si uero Iupiter ſuperior effectus, & dextrum poſſidens latus, Saturnum in ſiniſtro poſitum latere reſpexerit, præcedentium calamitatum infortunia mitigantur, & parentes aliquo ſplendore nobilitatis exaltat, & pro menſura genituræ nato quotidianæ uitæ neceſſaria decernuntur.

Saturni quadratus ad Martem, ſi Saturnus in dextro fuerit, & Mars in ſiniſtro quadrati, omnes nati actus impediet, & ab omni negociorum officio reddet alienum, diuerſas ualetudines, & mixtum caloribus frigus, horrida concuſſione corpus concutit, pratrimonium diſſipat, ac fratrum mortem adducit. Si uero Mars ſuperior effectus Saturnum in ſiniſtro Tetragoni poſitum reſpexerit matri cito parit exitium

& patri, ſed ad omnes actus proſperi conatus, efficax ſtudium ſemper adducitur, & ſepoſita prioris maliciæ labe, non tamen deerit, quin natus paternam ſubſtantiam diſſipet, & aſſidua contentione rurſus augeat, & à domeſticis uulnus indignæ famæ ſemper impingit.

Saturni & Solis quadratus. Si Saturnus Solem in ſiniſtro poſitum, minaci radiatione reſpexerit, & Saturnus ſuperior fuerit, præcedentis generis inſignia ſemper debilitat, dignitatum iacturam cum atroci deiectione inducit. Corpus uero aſſidua neruorum contractione deformat, & hæc eadem labes nati parentes afficiet, & indicat patres nati ante obire mortem quàm matres, & ipſos natos ſæpe parentibus fore onuſtos, & nociuæ conuerſationis exitia, aduerſas etiam ualetudines frigido humore concretas, actus omnes, & patrimonij etiam ſubſtantiam infringit. Si uero Sol ſuperior effectus in ſiniſtro Tetragono Saturni poſitum uiderit, graues domeſticorum inimicitias ſemper inducit, & nunquam patitur nati cauſas proſperos ſortiri effectus, & prima ætate acerba inducit incommoda, & corpus diuerſis ualetudinibus ſemper debilitat.

Saturni quadratus ad Venerem, ſi dextram quadrati Saturnus poſſideat partem, & in ſiniſtro Venerem poſitam minaci radiatione uiderit, amiſſionem patrimonij, & graue paupertatis onus infligit, ac fœminis, uel uxori uaria calamitatis exitia, & nullam largitur gratiam uenuſtatis, ſpes nati fruſtratur. Si autem Venus ſuperior in dextro Saturni fuerit, honeſtis & pudicis moribus decernit uxores, & quæ in domo mariti dominandi ſibi uendicent poteſtatem, maritos ſemper incorrupto diligentes affectu, ſed quæ amorem ſuum quadam diſſimulatione cælabunt.

Saturni quadratus ad Mercurium, ſi Saturnus ſuperiorem poſſideat dextri partem quadrati, exitiale malum ab hora natalis decernit, conſiliorum rationes impugnat, cogitq; natum alienæ poteſtati eſſe ſubiectum, inuidiæ labe pulſatum, & quorundam linguas impedit, aliquibus uocis blandum ſonum non largitur, alios obtuſis auribus efficit ſurdos, niſi Martis teſtimonium illis iunctum fuerit, mitigatum fœlicium ſtellarum teſtimonio. Si uero Mercurius ſuperior fuerit, & dextrum poſſidens latus Saturnum in ſiniſtro poſitum reſpexerit, parum quidem boni decernit, ſed aliquanto ſuperioris quadrati mitigatur improbitas,

Saturni & Lunæ quadratus, ſi Saturnus ſuperior ſit in dextro quadrati, & Luna in ſiniſtro inferior, malicioſis humoribus nati corpus laxat, & animi motus pigra ſemper deiectione infringit, & ad nullos actus idoneos reddit, & contra matrem litigando maternam ſubſtantiam diſſipat. Si uero Luna ſuperior in dextro quadrato fuerit, matrem nati miſera morte proſternit, uel periculorum continuatione proſequitur, & ex humoribus malignis aduerſas indicit ualetudines, matrimonij damna & iurgia cum uxore continuat, & amicorum gratiam tollit & populi.

Iouis & Martis quadratus, ſi Iupiter Marte elatior ſit, nati munificentiam ſignificat à regibus honorari, negociorum ipſius ſtabilitatem, & lucra ex his, filijs tamen & patrimonio nocet. Si uero Mars in dextro quadrati ſuperior Ioue fuerit, ſignificat nato laborioſæ uitæ ſtatum, regum impedimenta, labores, & litigia multa.

Iouis ad Solem quadratus, ſi Sol in dextro ſuperior fuerit, & Iouem in ſiniſtro quadraturæ poſitum reſpexerit, patris quidem nobile genus indicat, ſed patrimonij lacerationem, exibit à loco in quo natus eſt, uicinis erit odio. Si uero Iupiter ſuperior fuerit, & Sol in ſiniſtro, tam ipſe quàm pater ualde lucrabitur, & mirum in modum honorabitur præ cæteris.

Iouis quadratus ad Venerem, ſi Iupiter ſuperior effectus, dextram quadrati partem obtineat, & Venus in ſiniſtro poſita ipſum reſpexerit, utilitatem ex parte mulieris nato denotat, fidelem indicat, & ſtabilem in fide, & honeſtum. Si uero

Iupiter

Iupiter inferior Venere ſit, & in ſiniſtro Veneris quadrato, fornicatorem dicito, illecebris mulierum qui ſæpe fallatur, corporis ornamenta inquirens, qui ſi quid gaudij ſuſceperit, mutata conditione illa, ſemper gaudia infringet.

Iouis Tetragonus ad Mercurium, ſi Iupiter in dextro ſuperior illo fuerit, nati ſapientiam indicat, qui ſortilegia ſectabitur, Geometriam, Arithmeticam, & Aſtrologiam diſcet, bonæ erit uitæ, & plurima ex aliorum munificentia ſuſcipiet. Si uero Mercurius ſuperior in dextro quadrati fuerit, multiplicabitur in ſeruis, bonum illi erit, & ſua uirtute dignitatem aliquam conſequetur.

Iouis quadratus ad Lunam, ſi Iupiter in dextro ſuperior fuerit, & ſit natale nocturnum, natus erit boni nominis, & famę, & honoratus. Si uero Luna ſuperior fuerit, multa decernit fœlicitatis inſignia, magnis Ducibus, & Regibus natum ſemper commendat. Sed hæc fœlicitas non ſemper perſeuerat. Nam interdum patrimonij damna minatur, interdum minuit dignitatis inſignia, & damna minatur, pigroſq; indicat natos.

Mars ad quadratum Solis, ſi Sol ſuperior fuerit, multa mala decernit, ſubſtantiam diſſipat, affert infortunium, uiſum obſcurat. At ſi Mars ſuperior ſit, peiora iudicato. Sed in genitura diurna hęc fortius conualeſcunt, præſertim ſi iſte aſpectus fuerit aſcendenti minaci radiatione coniunctus. Nam ſi Mars in occaſu poſitus, uel in decima lumen Lunæ creſcentis exceperit, tunc publica animaduerſione plectetur. Idem in nocturna faciet genitura.

Martis quadratura ad Venerem, ſi Mars in decima fuerit, mulierum cauſa labores adducit. Si ſignum Martis mobile fuerit, erit natus inſtabilis in rebus agendis, ducet degenerem, uel meretricem. In natali fœminarum, indicat meretrices, ſi uero Venus in decima fuerit, ex his actibus uerecundiam habebit, & cælabit quæ mala conſcientia perpetrauerat, & abſcondet quidquid libidinibus nefarijs fecerat.

Mars & Mercurius quadrati, ſi Mars in dextro ſuperior fuerit, omnium malorum cauſa erit talis configuratio, natum impugnat, & aduerſas indicat ualetudines, cuſtodijs, aut carceri mancipat, horrendarum accuſationum infligit diſcrimina, quæ mala fortiora fient in diurna genitura, in nocturna autem ex parte aliqua mitigantur. Si uero Mercurius ſuperior fuerit, malos, malicioſos, callidos dicito, peſſimà mentis cupiditate armatos, ſimulatores, & diſſimulatores, alienæ natos cuſtodiæ tradit carceri, raptores, ſoliciti, ſemper ſtationem quærentes, ut cuius peſtiferos morſus infligant, omne patrimonium, & eorum ſubſtantiam ſua praua cupiditate quærentes.

Martis quadratus ad Lunam, ſi Mars in dextro ſuperior fuerit, matri uiduitatem minatur, uel eam debilitatis uiribus fluxu ſanguinis perimit, natus uero debilis uitæ erit, & paruæ ſubſtantiæ, eritq; hoc mendicitatis, & malæ mortis indicium. Si Mars in termino Saturni fuerit, & Luna in terminis Mercurij uel Martis, eius anima dum in corpore fuerit, malignis ſpiritibus dominandi tribuit poteſtatem. Si uero Luna ſuperior fuerit, ignobiles reddit, laborioſos, & ſuarum facultatum deſtructores, & ad nihil idoneos, matrem oſtendit abiecti generis, & inter alias calamitates malàs, & ſuperbas decernit uxores.

Solis Tetragonus ad Lunam, ſi ſit in angulo, Sol in quouis quadrato dat dignitates, & honores, & officij alicuius poteſtatem, ſi beneuolæ uiderint eos ſtellæ, hæc meliora erunt. Si uero infœlices ſtellæ aſpexerint, uitæ diſcrimina, & grauia infortuniorum pericula decernit. Si tamen in tali ſtatu Luna feratur luminibus plena ad Iouem, aut Iupiter coniunctionem Lunę creſcentis exceperit, nobilitatis inſignia maxima cum inuidia decernit. Si autem fuerit Iouis ſalutari præſidio deſtituta, fortius maleuolarum creſcet improbitas.

Veneris & Mercurij quadratus, quanquam raro contingat, ſubtilis magiſterij artificem, & hominem clarum facit, aut alicuius magnæ diſciplinæ magiſtrum, ſed fœminarum aut mulierum cauſa infamem reddit.

Veneris quadratus ad Lunam, ſi Luna ſuperiorem poſſederit locum, & Venerem in ſiniſtro poſitam uiderit, maxima diuitiarum lucra, ſed à fœminis damna portendit, aut infamiam. At ſi Venus ſuperior fuerit, maxima fœlicitate beat natum, proſperitate in rebus agendis uitam decorat, & facto uxoris amorem reddit inuiolatum, filios largitur bonos, & plena læticiæ commoda, ſermonis facundiam, gratiamq́, ſed adulteras matres, honeſtas, & morigeras natus ſortietur uxores.

Mercurij & Lunæ quadratus, ſi Mercurius ſuperior fuerit, ſapientiæ ornamenta, facundiam, ſed ex populari ſeditione diſcrimen quandoq́ largitur, quem ſi malè aſpexerint ſtellæ infœlices, & Luna ex oppoſito Martem, aut Tetragono aſpexerit, metuendum falſitatis crimen infligit, & comprehendi, aut in cuſtodia poni, aut in carceres detrudi publicos, in uinculisq́ teneri facit. Si autem Luna ſuperior fuerit, erunt inſtabiles, ita ut conſilia animi ſæpe peruertant.

De oppoſitione Saturni, & aliorum.

Saturnus & Iupiter oppoſiti, exitia rerum agendarum multa decernũt, filiorumq́ caſus acerbos. Quòd ſi Saturnus in Horoſcopo ſit, & Iupiter in occaſu, poſt grauia iuuentutis incommoda, uitæ finis cum proſperitate ſuccedet, & commodis.

Saturni & Martis oppoſitus, grauia periculorum diſcrimina, populares ſeditiones, & grauia uitæ pericula ſemper infligit, uulnera aut malæ mortis exitium ſæpe minatur, multas adducit ſolicitudines, & malis facit contrarietatibus implicari aſſiduis ægritudinibus, & grauibus implicat laboribus, & domeſticarum inimicitiarũ decernit incommoda, crebras ſeditionum tempeſtates apportat, & patrem eius aut cita morte proſternit, aut grauibus implicat ægritudinibus. At ſi in aquoſis ſignis alter horum fuerit, grauibus ſubmerſos procellis, naufragos reddit, aut maligno humore concreta peſtis fortes infligit calamitates. Si autem de duobus alter in ferino ſigno fuerit, à quadrupedibus, uel feris uitæ periculum afferet, aut ueneno occidet. Si autem in ſigno quadrupedum animalium alter eorum fuerit, non ferino, natum graui ruinæ pondere perimet, quæ fortiora erunt, ſi Iupiter eos non aſpexerit. Quòd ſi Luna in cardinibus poſita ex quadrato reſpexerit hos, hæc grauiora contingent. Exilia enim crebra minatur, & publica ſupplicia. At ſi in quinta, undecima, nona, uel tertia conſtituti, diametraliter ſe aſpexerint, omnia proſpere fœlicitatis incrementa reſtringunt. Et hęc infortunia medio uitę tempore conualeſcunt. Si uero in deiectis aut pigris locis conſtituti fuerint, minus nocebunt, ſed dolores, & egeſtates adducent. Quæ omnia Iouis aut Veneris proſperis radiationibus mitigantur, aut ferè tolluntur.

Oppoſitus Saturni ad Solem, ſi Iupiter non bene aſpexerit, aut nato aut patri laborioſæ uitæ pondus imponit, anguſtiasq́ diurnas decernit, nonnullas aduerſas ualetudines inducit, & malæ mortis exitium, ſubſtantiamq́ diſſipat, quæ grauiora erunt in nocte, & in fœmininis ſignis.

Diameter Saturni & Veneris, fornicatorem natum fore ſignificat, & non ducturum uxorem, quam ſi forte acceperit, aut degenerem, aut meretricem accipiet, aut infamem, & denegat omnem Venereæ gratiæ uenuſtatem.

Diameter Saturni & Mercurij, linguæ & ſermonis impedimenta decernit. At ſi alter eorum in ſignis mutis fuerit, mutos indicat fore natos. Quòd ſi Luna

cum

cum Mercurio fuerit, hæc ualidiora fient, niſi Mars aſpexerit, ſed ſapientiæ decernitur diſciplina, matres in prima occidet ætate, & fratres à nato alienat, aut eos indicat longis peregrinationibus ſæpe diſiunctos iri.

Oppoſitus Saturni & Lunæ, materna bona diſperdit, matri dolores, uel labores, aut ægritudines ciet, niſi fortunæ mitigauerint, & in corpore facit matri aliquam maculam, uitam anxiam inducit, & miſeriam. At ſi in ſigno quadrupedum fuerit eorum alter, ab animalibus damna minatur, In humanis ab hominibus. In aqueo, humidas adducit ualetudines, peregrinari cogit, & oculis talis oppoſitio nociua ſemper exiſtit.

Iouis & Martis diameter, uitæ inæqualitatē decernit, patrimonij diſsipationem, amicorū odia, maxima periculorū diſcrimina, quæ ex temerarijs actibus inferentur.

Iouis & Solis oppoſitus, paternam ſubſtantiam lacerat, honores dignitatesq́ labefactat, inferioribus cogit eſſe ſubiectos, hæc tamen omnia in nocturna genitura fortius inualeſcunt.

Iouis & Veneris diameter, omnem uitæ ordinem, & promotiones frequenter impugnat, nec fidos amicorum decernit affectus, & illi quibus aliquam beneficij gratiam aliquando contulerit, erunt nato ſemper ingrati, quibuſdam etiam dant fœlicitatis augmenta, & ſufficientes patrimonij dignitates, & facultates. Quòd ſi in finibus Veneris Iupiter fuerit, eius cupiditates proſperos ſortientur effectus, Sed circa effectus mulierum inſtabiles erunt.

Iouis & Mercurij oppoſitus, eloquentes deſignat, metuendas populi ſeditiones inducit, & à popularibus iurgia, & potentibus uiris mala inſinuat, fratres morte horrenda, aut ex uarijs ſimultatibus diſiungit, aut facit ut parricidiali odio ſemper inter ſe depugnent.

Iouis diameter cum Luna, ſi ea ſit aucta luminibus principalia dignitatum decernit inſignia, aut clara nobilitate decorat, & tales reddit, ut nunquam poſsint alienis poteſtatibus ſubiacere, uirtutis gratia, alienis poteſtatibus inſiſtentes. At ſi Luna fuerit minuta luminibus, nihil ex præcedentibus bonis elargitur, & infortuniorum decernit exitia. Et in nocturnis genituris fortius iſta apparebunt.

Martis ad Solem diameter in diurna genitura, patrem miſera morte proſternit, oculis nocet, aut ex alto loco deiectos præcipitat natos, actus omnes etiam grauioribus implicat contrarietatibus. In nocturna autem genitura corpus nati debilitat, & diſsipato patrimonio perpetuam egeſtatem indicit.

Martis ad Venerem oppoſitus, in die uarijs implicat errorum uitijs, & aduerſas indicat ualetudines, filios, & uxores impugnat. Quòd ſi in tropicis fuerit ſignis, decernit ea quæ de ipſorum quadrato diximus, ſi nullum his Iouis teſtimonium commodauerit, maximè in Cancro, uel Capricorno ſi fuerit.

Martis, & Mercurij oppoſitio, dat infortunia maxima, falſarios, malæ conſcientiæ uiros, aſſociatos malis hominibus, facinoribus ſemper oppreſſos, accuſationes publicas iudiciorum, qui depoſitū abnegantes, & commodatum pudore ſoluto non reddant, ita quòd ex his contra eos publicæ ſententiæ proferantur, fiantq́ de cauſis his exules, aut fugitiui, idq́ maximè ſi Mercurius in Saturni hoſpitio fuerit, ſine Iouis teſtimonio.

Martis & Lunæ diameter, oculis aduerſatur, & periculis implicat grauioribus, modicę uitæ reddit infantes, nec nuptias elargitur. Quòd ſi aliarum ſtellarum decretis nuptiæ darentur, miſera tamen morte proſternentur, quicunq́ ſic nati fuerint, aut publice damnati necabuntur, præſertim ſi Luna fuerit aucta luminibus.

Sol & Luna oppoſiti, uitam nati, ſubſtantiam, & omnia dignitatis inſignia uaria faciunt ratione mutari, paupertatem ex diuitijs affert, & in facie pallorem ualetudinarium, uacuum corpus etiam miſera contractione debilitat.

Veneris & Lunæ diameter dat infœlicitatem nuptiarum, filios denegat, aut miſera morte proſternit, idem natus ab uxoribus iniurias patietur.

Mercurius & Luna oppoſiti, effrenem multitudinis impetum, & populares ſeditiones contra natos ſuſcitant, ac animæ quoq; & uiribus eorum triſtem ſemper trepidationem incutiunt.

Aſpiciendum ultimo in hoc loco moneo, quibus cum ſtellis fixis, & erraticis, cadat fortunæ pars, & quomodo á ſeptem planetis aſpiciatur. Nam plurimum confert ad natiuitatum iudicia &c.

CAPVT TERTIVM.

De ſignificatis dominorum domorum in duodecim domibus cœli.

Primo de domino primæ in duodecim domibus.

DOMINVS primæ domus bene fortunatus in prima domo, ſignificat nato fortunam per ſemetipſum, & dat longam uitã, eritq; ſani corporis, & animi, & erit honoratus inter conſanguineos ſuos, Si ibidem combuſtus fuerit, ſignificat uitam breuem. Sed ſi in prima fuerit, & ſi aſpexerit eum planeta à medio cœli, inueniet hæreditatem magnam, & exaltabitur à principe.

In ſecunda, ſignificat natum fore diuitem, præſertim ſi fuerit ibi receptus. Infortunatus ibi, uel combuſtus, paupertatem, & miſeriam portendit.

In tertia ſignificat natum facere itinera plurima, & manere cum fratribus, & propinquis ſuis. Infortunatus ibi, ſignificat malum, & periculum nato à conſanguineis, & fratribus ſuis.

In quarta, fortunam per hæreditates, & cauſas patrum, per productiones aquarum, populationes, uel plantationes, & ædificationes, & ex rebus antiquis, & radicabilibus proſperabitur, & in rebus immobilibus, uel etiam habebit bonum, & utilitatem à parentibus, & ex mineris terræ. Infortunatus ibi, uel in octaua ſi fuerit, morietur natus in carcere.

Si fuerit in quinta, habebit multa gaudia, & conuiuia, uel habebit filios de quibus gaudebit, & amicos multos. Infortunatus ibi, uel combuſtus, & ſi ſignum fuerit aqueum, natus morietur ex ebrietate, aut ex ſuperfluitate aſſumpta.

In ſexta, ſignificat multas infirmitates, & labores. Infortunatus ibi, moleſtabitur longa infirmitate, & tandem miſere peribit.

In ſeptima, ſignificat fortunam, per conuentiones, & factores; atq; uxores & habebit cauſas multas, cito iraſcetur, ſequetur mulieres in cauſis, & rebus earum. Infortunatus, uel combuſtus ſi eo in loco fuerit, uxor nati erit cauſa mortis nati ſecundum naturam ſigni ibidem inuenti. Si Scorpius, toxicum caueat & uenenum. Si ſignum igneum, cadet in ignem cauſa rerum uxoris, & ſic cremabitur. Si in terreo, natus cadet ab alto, & morietur.

In octaua, ſignificat deceptorem, triſtem, timidum, non diu uicturum. Infortunatus ibi ſi reperiatur, erit periculum, ne mater nati ex partu illo moriatur.

In nona, dat multitudinem peregrinationum longarum, uel erit in locis alienis, extra natale ſolum, & amabit ſcientias. Infortunatus ſi hoc in loco extiterit, periculum timeat latronum.

In decima, ſignificat fortunam per regem, uel magiſteria altiora, uel exaltabitur

& ſublimabitur, ac dignitates nato portendit, & dabit ei gubernationes, uel aliquod officium, uel morabitur cum Rege, uitam cum eo agens. Infortunatus, uel combuſtus ibi ſi inueniatur, natus ex parte principis malum habebit, captiuabitur, & ex ira principis mortem incurret.

In undecima, fiet fortunatus, & conſequetur bonum finem ſuæ ſpei, & fiduciæ, erit bonorum morum, habebit multos amicos, eritq́ conueniens cum eis, ſed paucos filios habebit. Infortunatus ibi, uel combuſtus, ex amicis pericula decernit.

Si fuerit in duodecima, multiplicabuntur inimici nati, ſed fortunabitur in animalibus quæ equitantur, erit malæ uitæ. Infortunatus ibi uel combuſtus, ſignificat quòd in carcere morietur.

Simili uia iudicabis quoq́ de partibus per domos, ſicut hic de domino primæ domus.

De domino ſecundæ domus, in duodecim domibus cœli.

DOMINVS ſecundæ in prima, ſignificat quòd natus erit diues & fortunatus in lucrando, & ſi fuerit ibidem receptus, eò melius, & ſi fuerit receptor in angulo, habebit illud à nobilibus uel altis.

In ſecunda, multitudinem ſubſtantiæ, habebit lucrum & uictum à notis partibus, & ſi eum dominus aſcendentis aſpexerit, lucrabitur ſubſtantiam, & congregabit eam, & ſi dominus tertiæ eum aſpexerit, habebit fratres laborioſos, quibus accident anxietates.

In tertia, ſignificat damnationem ſtatus fratrum, uel damnum à fratribus, & lucrum in breuibus itineribus.

In quarta, oſtendit quòd natus & parentes eius erunt in bono ſtatu, & augebitur domus, in qua natus eſt, & procedet in locum, habebitq́ ſubſtantiam à parentibus, & erit multum fortunatus in rebus immobilibus.

In quinta ſi fuerit, natus habebit filios bonos & notos, qui intrabunt domum regis, & inde bonum & lucrum habebunt, ſentiet gaudium & lætitiam ex rebus delectabilibus.

In ſexta ſi fuerit, eius captiui & ſerui fugient, morientur beſtiæ eius, & accidet damnum in ſubſtantia, uel ſignificat ægritudinem ex cauſis rerum immobilium.

Si fuerit in ſeptima, ſubſtantiam à malis partibus lucrabitur, expendetq́ eam in mulieribus, & cauſis, uel uenient nato res immobiles ex parte uxoris.

Si fuerit in octaua, turpes expenſas faciet non conſiderans in quos. Et ſi dominus ſecundæ domus dederit uim ſuam domino octauæ domus, eodem domino ſecundæ in octaua exiſtente, auferetur ei ſubſtantia. Et ſi dominus octauæ dederit uim ſuam domino ſecundæ domus, domino octauæ exiſtente in ſecunda, inueniet ſubſtantiam, uel ex hæreditate mortuorum conſequetur res immobiles &c.

Si fuerit in nona, habebit mercimonia extra locum ſuum in itineribus, & ſubſtantiam ac lucra à locis abſconditis, & aduenient ſibi res in cauſis ſpiritualibus ſeu prælaturæ.

Si fuerit in decima, uiuet ex mercede regis & lucrabitur inde, uel conſequetur ſubſtantiam immobilem à rege, uel principe, ſeu in cauſis officiorum, ſeu iudiciorum.

In undecima ſi fuerit, erit ſubſtantia nati, à mercimonijs panis, & rebus quę ſeminantur, & ex annuis redditibus & debitis, uel fiet diues propter fortunam ipſi accidentem.

In duodecima ſi fuerit, erit ſubſtantia nati de malefactis, denegabitur ei ſubſtantia ſua, uel eripietur, aut furto auferetur, ſed lucrabitur ex animalibus maioribus.

De do-

De domino tertiæ domus in duodecim domibus.

DOMINVS tertiæ in prima ſi fuerit, natus erit melior fratribus ſuis, uel erit ſine alijs fratribus, eruntq́ fratres eius probi, & bonum ab eo habebunt, & ſignificat nato multa itinera.

In ſecunda ſi fuerint, rixabuntur fratres cum eo propter eius ſubſtantiam, & hac de cauſa ei negotium facient, & dat ei iter in cauſis officiorum.

Si fuerit in tertia, iuuabunt & defendent eum fratres ſui, & eorum plures erunt mali, & ſexus uirilis, uel faciet iter in cauſis ſolatij, & propter naturalem ad hoc inclinationem.

Si fuerit in quarta, auferent fratres ſubſtantiam patris, & ſeparabunt ſe cum eo, & conſanguinei ſui erunt coniunctiores fratribus ſuis, faciet itinera in cauſis poſſeſsionum, uel rerum immobilium, & habebit fratres, qui poſt ſe naſcentur.

In quinta ſi inueniatur, habebunt fratres itinera multa, & ſuiſmet filijs congaudebunt, & forte habebit fratres in loco extraneo, peraget iter in cauſis lætitiæ, conuiuij, & gaudiorum.

Si fuerit in ſexta, natus cum fratribus mutua exercebit odia, & iniurias pares relatas paribus.

Si fuerit in ſeptima, aliquis fratrum nati copulabitur mulieri, cum qua concubuit natus, & ex ea filium habebit, uel itinera faciet in cauſis operũ & coniugiorum, uel erit ſine alijs fratribus.

In octaua, ſignificat malum ſtatum fratrum & modicam uitam, & quòd ille natus ſuperſtes erit mulieribus ſuis, faciet itinera in cauſis fugæ peſtis, uel propter aliquod homicidium & mortem.

Si fuerit in nona, fratres nati copulabuntur cum extraneis mulieribus in locis etiam extraneis, & illic habitabunt cum eis, faciet itinera in cauſis pœnitentię & gratiæ Dei aquirendæ.

Si fuerit in decima, morientur fratres, nec durabunt, habebuntq́ inter ſe inuidiam, uel habebit fratres ſe maiores, itinera faciet in cauſis prælaturæ, magiſterij, honoris uel officij.

Si fuerit in undecima, fratres amici erunt nato, faciet itinera ut poſsit inuenire locum fortunatum & proſperum.

Si fuerit in duodecima, fratres erunt inimici nato, & peruenient ad gradum, ita quòd pœnitebit eos fratris, faciet itinera in cauſis inimicorum.

De domino quartæ domus, in duodecim domibus.

DOMINVS quartæ in prima, ſignificat fortunam ex cultu terræ, & fructibus, uel per ingenium & conſilij profunditatem, ſignificat etiam quòd natus erit melior omnibus ſuę ſtirpis, ac parẽtibus ſuis, et quod natus proſperabitur in rebus immobilibus, ędificijs, ſtructuris, agris, uineis, hortis, & ſimilibus, & quòd pater nõ abhorrebit filium, & erit parentum ſuorũ honorator et benefactor, habebitq́ dominiũ ſuper cęteros ſuæ progeniei.

In ſecunda, ſignificat quòd parentes habebunt diuitias & bonum ſtatum, & erit natus magis honoratus ſuis fratribus à patre & matre, ſignificat etiã, quòd natus cũ profectu emat & uẽdat domos, et res immobiles, ſic quòd care uẽdat & bene emat.

In tertia ſi fuerit, habebit fratres de quibus pater impedimentum habebit, ſignificat etiam quòd res immobiles accident nato in cauſis hæreditatum, ſeu itinerum, ſeu à fratribus.

In quarta, ſignificat fortunam ex cultu terræ, & fructu per cauſas patrum, & per

res

res antiquas. Erit hic natus celebris ac clarus, nominatusq́ inter homines, ac multum fortunatus in rebus immobilibus.

In quinta ſignificat quòd pater erit diues ac abundans in ſubſtantia, natusq́ habebit filium ſuum hæreditarium, ſignificatq́ eum per filios proſperari.

In ſexta ſi fuerit, nati pater erit ſpretus & abiectus, neq́ cognitus, neq́ nominatus, ac ſignificat natum proſperari in cauſis ægritudinum & medicinæ, facit mendacem, proditorem.

In ſeptima, ſignificat fortunam ex cultu terræ & fructuum, per cauſas uxorum & fatorum, & per negociationes, pater erit de malis hominibus, mali nominis, habebitq́ natus patrem odio, ueniet nato ſubſtantia à muliere ſeu uxore.

In octaua ſi fuerit, nati pater erit modicę uitę, & mater forſitan in partu morietur, morieturq́ natus extra natale ſolum, ſignificat etiam ſubſtantiam mortuorum.

In nona, ſignificat quòd nati pater erit homo ignotus, extraneus, excæcabitur, & mala morietur morte, ſignificat etiam ſubſtantiam in cauſis ſpiritualium, & ex parte beneficiorum, præpoſiturarum, uel alicuius alterius prælaturæ.

In decima, ſignificat fortunam per conuentiones & negotiationes, & per uxores, & per cauſas Regis, & pater erit notus regi, & creſcet in honore & bono, ſignificat quoq́ nato ſubſtantiam uenire à Rege, Ducibus, uel potentibus.

Si fuerit in undecima, pater erit modicæ uitæ, & mali ſtatus in uita, quam uiuet mox cum natus filius fuerit, ſed poſtmodum exaltabitur, ſignificat etiam fortunam propter fortunam ei naturali fato conceſſam.

Si fuerit in duodecima, parentes nati extranei erunt, remoti à locis ſuis, à quibus pro malo ſtatu, & in indigentia receſſerunt, & forte ingredientur ordinem, & natus forte in loco extraneo morietur. In cauſis inimicorum, ſubſtantiam immobilem conſequetur, & in cauſis tribulationum & anguſtiæ, ſic quòd cum difficultate profectum habebit.

De domino quintæ in duodecim domibus.

DOMINVS quintæ in prima, ſignificat quòd natus amabit filios ſuos multum, ſignificatq́ nato multitudinem filiorum, & multitudinem gaudij, & conuiuiorum.

In ſecunda, ſi fuerit fortunatus, filij nati habebunt diuitias, & magnam ſubſtantiam, ſignificat etiam nato euenire gaudium in cauſis diuitiarum.

In tertia, ſignificat quòd filij eius habebunt bonum, & utilitatem à patruis ſuis, dat nato lætitiam in breuibus itineribus.

In quarta, ſignificat quòd nato filij multi erunt, habebuntq́ nomina auorum, & auunculorum ſuorum. Et ſi cum eo fortuna fuerit fortunata, hæreditabit bona auorum, & auunculorum. Et ſi infortuna uel cum infortuna fuerit, & ipſe infortunatus ibidem, capientur, & incarcerabuntur, & accident eis anxietates & labores. Gaudebit tamen natus de rebus immobilibus, ac parentibus ſuis.

Si fuerit in quinta: filij eius proſperitatem habebunt, & erunt uiriles. Natus erit multum lætus, & gaudebit de inſtrumentis muſicis & cantu.

In ſexta ſi fuerit, natus uiuet, & habebit ſuum uictum de beſtijs, ſeruis, & ſeruabus, erit mitis, & de facili tolerans ægritudinem.

In ſeptima ſignificat quòd filij patrem auerſabuntur, habebuntq́ cauſas & rixas cum eo, inueniet gaudium ab uxore.

Si fuerit in octaua fortunatus, natus dimittet ſuis ſubſtantiam ſuam, & ipſi eorũ filijs ſi infortunatus fuerit ibidem, paucos filios ſignificat, lætabitur de hæreditate mortuorum.

In nona

In nona. Si extiterit ab infortunis liber, natus habebit filios iuſtos, & religioſos, qui bene obſeruabunt legem, ſentiet gaudium in peregrinationibus longinquis, & rebus ſpiritualibus.

Si fuerit in decima, lædentur ipſius filij in ſuis corporibus, facientq́ mala facta, conſequetur gaudium à potentibus, & magnis uiris.

Si fuerit in undecima, filij ipſius erunt malorum morum, irati rixatores, lætabitur, & proſperabitur ex ſpe, & fiducia ac fautoribus ſuis.

Si fuerit in duodecima, natus habebit paucos filios, & ſi quos habuerit, erunt illi ipſi eius inimici, minuetur nato tribulatio, & anguſtia, & ſentiet gaudium ex animalibus maioribus.

De domino ſextæ in duodecim domibus.

DOMINVS ſextæ in prima, ſignificat quòd natus habebit infirmitates de natura illius planetæ, & ſerui & beſtiæ morientur ei, ſignificatq́ nato uarias, ac multas ægritudines in corpore.

Si extiterit in ſecunda, uictus eius erit ratione ſeruorum, aut pro dando beſtias ad uictoriam, & quod inde lucrabitur modicum erit, ſignificat & paupertatem, & ægritudinem in cauſis ſubſtantiæ.

Si fuerit in tertia, fratres habebit maculatos & infirmos, opera ſeruorum facturos, ac ſignificat natum infirmari in breuibus itineribus.

In quarta ſignificat quòd pater nati ſeruus uel filius ſerui erit, aut opera ſerui faciet, aliquam maculam habiturus, ſignificat autem ipſi nato euenire ægritudines in propria domo.

Si fuerit in quinta, affligetur & anguſtabitur natus pro nutriendis filijs ſuis, qui ipſi etiam erunt maculati, ſignificat nato ægritudines in cauſis filiorum uel conuiuiorum, aut uoluptatum.

Si extiterit in ſexta, natus erit ſanus, niſi aſpiciat eum dominus aſcendentis, tum enim ſignificaret nato ægritudines ex parte operum.

Si fuerit in ſeptima, rem habebit cum malis mulieribus, ac uilis progeniei, eritq́ de malis operibus accuſatus. Idem ſignificat ægritudines ex cauſis uxoris, uel amaſiæ, uel inimicorum, litium, & controuerſiarum.

In octaua ſi extiterit, natus ſanus erit, mortem inimicorum ſuorum ac ſeruorum uiſurus, niſi applicet ei dominus aſcendentis, qui ſignificat ęgritudines propter mortem alicuius.

Si ſit in nona, deceptor erit, ac malę uoluntatis, infirmabitur extra locum ſuum, & habebit ægritudines in longis peregrinationibus.

Si extiterit in decima, accident ei anxietates & labores ex parte regis, & ex hoc in eo inſigne quiddam remanebit, ſentietq́ ægritudinem propter aliquod officium, ſeu dignitatem.

Si fuerit in undecima aſſociabitur hominibus ſibi ignotis, patieturq́ ægritudinem propter ſpem & fiduciam ſuam.

Si fuerit in duodecima, homines uiles, & malæ progeniei odio habebunt eum, tamen ipſum lædere non poterunt, capietq́ ægritudinem propter cauſas inimicitię, uel animalium maiorem, & propriè quæ equitantur, uel propter carceres & anguſtias, & alia huiuſmodi ſignificata duodecimæ domus &c.

De domino ſeptimæ in duodecim domibus.

DOMINVS ſeptimæ in prima, ſignificat fortunam per conuentiones & negotiationes, per cauſas Medicinę atq́ Aſtronomiæ, & per opera ſpiritualia atq́ ingenium, & conſimilia, ſimiliter quòd mulieres natum amabunt, & habebit quòd uoluerit ab eiſdem, ac bonum ac lucrum ex parte

parte mulierum, & in cauſis, habebitq; uxores cum maculis, quæ citius eo morientur. Significat etiam nato euenire contentiones multas, & quòd contra ipſum mouebuntur lites & diſcordiæ.

In ſecunda ſignificat quòd acquiret mulierem propter eius ſubſtantiam, mortem inimicorum & uxoris uidebit, & amiſsionem ſubſtantiæ cauſa inimicorum & latronum patietur, ſuſcipietq; contentiones ac lites in cauſis ſubſtantiæ.

Si fuerit in tertia, frater nati rem habebit cum uxore nati, & habebit odio illum fratrem, & natus uxorabitur cum aliqua conſanguinearum, ſignificat idem nato euenire contentiones in cauſis fratrum.

In quarta ſignificat fortunam per conuentiones mulierum, & per negociationes, & per cauſas patrum & hæreditatum, & cultus terræ. Item quòd natus uxorabitur cum muliere ſuæ progeniei, & erit uxor eius caſta, bona & uerecunda, quæ ſciet ſe cooperire, ſignificat quoq; nato contentiones in cauſis parentum.

Si fuerit in quinta, uxorabitur cum muliere iuniore, quæ erit bonorum morum, & faciet ſe diligi, ſignificat contentiones in cauſis filiorum.

In ſexta, ſignificat mendacem & proditorem, uxorabitur cum ſerua, aut muliere aliquam maculam habente, ſignificat conuentiones in cauſis animalium minorum uel ſeruorum.

In ſeptima, ſignificat fortunam per negociationes & conuentiones, & per nutritiones quoq; & mulieres, & per ſatores, ſignificat quòd uxorabitur cum muliere cognita bonæ progeniei, tamen non diliget eam. Item contentiones multas in cauſis mulierum, uel amaſiarum.

Si fuerit in octaua, uxorabitur cum diuite, hæreditabitq; bona eius, habebitq; aliquid ex hæreditatibus mulierum, ſignificat contentiones multas in cauſis hæreditatum mortuorum.

Si fuerit in nona, uxorabitur cum muliere extranea diuite, & diliget eam, ſed contentiones multas in cauſis fidei habebit.

In decima, ſignificat fortunam per conuentiones, & negociationes, & per uxores & cauſas regis, uxorem nato planè regiam, & excellentem promittit, habebitq; bonum cum ea, uerum eidem quoq; contentiones euenient, in cauſis honoris & officij.

Si fuerit in undecima, copulabitur cum muliere habente filios, & diliget eam, habebitq; cum ea iucundam uitam & bonam. Sed econtra contentiones multas in cauſis fortunij.

Si extiterit in duodecima, uxorabitur cum muliere uilis progeniei, quæ maritum odio proſequetur, & ipſa erit cum eo laborioſa, & anxia. Idem contentiones, & lites multas in cauſis hoſtium & inimicorum ſuſtinebit.

De domino octauæ, in duodecim domibus.

DOminus octauæ in prima, ſignificat quòd natus erit iracundus, triſtis, implacabilis, nec perficiet quòd uoluerit, nec diu uiuet.

In ſecunda ſignificat quòd habebit ſubſtantiam, & lucra, ex bonis mortuorum, & rebus cælatis, ſecundum alios ſignificat paucitatem ſubſtantiæ.

In tertia ſignificat quòd fratres nati erunt infirmi, maculati, & indigentes, & quòd morientur, & quòd ipſis mors imminebit in itineribus propinquis.

Si fuerit in quarta, parentes nati erunt extranei, & ualetudinarij, aut contracti, Significat quoq; mortem parentum, & quòd mors nati erit in propria domo.

In quinta ſignificat quòd morientur eius filij, dum fuerint infantes, & ſi uixerint, erunt fortes & mali, ac malum facient hominibus. Idem ſignificat mortem filiorum nati.

Si fuerit in ſexta, accident ei occaſiones, & impedimenta, propter ſeruos, & beſtias, nec habebit in eis fortunam, uel lucrum, ſed uidebit mortem familiæ nati ac animalium minorum.

In ſeptima ſignificat, quòd matrimonium contrahet natus cum mulieribus, ad quas perueniunt hæreditates alienæ, & ipſe hæreditabit eas, & habebit propter hoc bonum, & lucrum, tamen morietur extra ſolum natale, idem ſignificat quoque mortem uxoris.

Si fuerit in octaua, natus erit ſanus habebitque infirmitates leues, ac mortem leuem, & bono modo, Idem ſignificat natum ſæpius uenire in mortis periculum.

Si fuerit in nona, natus erit malæ uoluntatis, ac malorum factorum morietur extra terram ſuam.

Si fuerit in decima, mors nati erit ex mandato Regis, ueruntamen morietur in alto ſtatu honoris, officij, ſeu dignitatis.

In undecima ſi fuerit, paucos habebit amicos, accidetque ei rixa, & maleuolentia cum his quos habuerit, morietur in meliori ſtatu uitæ ſuæ.

Si fuerit in duodecima oppugnabitur, & interficietur ab inimicis ſuis, & mors ei erit cum tribulatione, & anguſtia multa, & morietur in carcere.

De domino nonæ, in duodecim domibus.

Dominus nonæ in prima ſi fuerit, natus erit bonæ legis, & uoluntatis, faciet ſe amari ab hominibus, ſapiens, ac peritus decretorum. Itinerator bono modo, in hoc profectum habiturus, & multas peregrinationes in terras longinquas.

Si fuerit in ſecunda, habebit ſubſtantiam ex peregrinationibus, in quibus ditabitur, ſed ſuſcipiet peregrinationes longinquas pro acquirendis diuitijs.

In tertia, ſignificat quòd copulabitur cum mulieribus extraneis, & transferetur de loco ſuo, & habebit peregrinationes in cauſis fratrum, ac conſanguineorum ſuorum.

Si fuerit in quarta, parentes nati habebunt infirmitatem abſconditam, morietur in itineribus, ſignificat peregrinationes in cauſis parentum.

Si fuerit in quinta, habebit filios extra terram ſuam, & gaudebit ex illis, & ipſi honorabunt eum, ſuſcipietque peregrinationes in cauſis filiorum.

Si fuerit in ſexta, natus ducet ſeruam, lucrabitur in ſeruis, & beſtijs, & infirmabitur in itineribus, & ſi ſanus in itineribus fuerit, recipiet damnum occaſione ſeruorum ſuorum, peregrinabitur in cauſis familiæ, ægritudinum, & animalium minorum.

Si fuerit in ſeptima, uxorem habebit bonam, & bene morigeratam, quæ ei obediet, & ſi cum hoc fuerit fortuna, erit uxor illa cuſtos ſuæ legis, ibidem decernit nato peregrinationes multas in cauſis contentionum, & litigiorum.

In octaua, ſignificat quòd maximam habebit uoluptatem ſubſtantiam congregandi, & propter hoc iter faciet, peregre etiam profugiet propter metum mortis, uel propter mortem aliquam factam, & in cauſa hæreditatum mortuorum.

Si fuerit in nona, erit paucorum itinerum, receptus in ſuis negocijs, ac in dando, & accipiendo, eritque cuſtos ſuæ legis, habebit peregrinationes in cauſis fidei, & religionis.

In deci-

Si fuerit in decima, coniungentur fratres eius cum mulieribus honoratis, de domo uel progenie regis, ſignificat etiam quòd peregrinabitur, propter dignitatem acquirendam.

Si fuerit in undecima, ab amicis dilectus, ac humanus, & rectus erit, commodusq́, & opportunus, fratres eius uxores ducent extraneas. Idem ſuſcipiet itinera propter perſequutionem fiduciæ & ſpei.

Si fuerit in duodecima, erit malæ uoluntatis & fidei, neq; Deum, neq; eius dicta timebit, ſubtilis erit, & macilenti corporis, maleuolus ſuis fratribus & amicis, malæ legis, & credet quòd in Deo non ſit ueritas, iter faciet in cauſis hoſtium.

De domino decimæ domus, in duodecim domibus.

DOminus decimę in prima, ſignificat regnum per ingenium, & per propinquitatem regis, in rebus uulgi, talis natus habebit dominium, eritq́; in magiſterijs ſapiens, & in adminiſtrandis officijs, dabuntur dignitates, & officia ſponte, ſignificat etiam nato magnos fauores, dignitates, & ſublimitates.

Si fuerit in ſecunda, uita nati erit de donis regis, & officijs, & congregabit per hoc ſubſtantiam, ſignificat etiam quòd natus honorabitur propter ſubſtantiam, & diuitias.

Si extiterit in tertia, paucos habebit fratres, & ibit multa itinera, conſequetur honores ex fratribus, & breuibus itineribus.

In quarta, ſignificat regnum per amicitiam nobilium, & regis, & per cauſas tribunorum, & per diſpenſatores regum, & per cultum terrarum, & ædificationes ciuitatum, & per diuiſiones fluminum, & cuſtodias ciuitatum, & ex rebus antiquis, ſignificat etiam quòd habebit dominium, eritq́; in magiſterijs, ac officijs ſuis ſapiens. Dabuntur ei dignitates & officia ſponte, ac in cauſis poſſeſsionum rerum immobilium proſperabitur.

Si fuerit in quinta, habebit filios infirmos, qui forte ex illa infirmitate morientur, & accidet eis impedimentum ex parte regis, ac aſcendet ad honores in cauſis filiorum & filiarum.

In ſexta, ſignificat quòd modicam ſubſtantiam habebit, uiuet de bonis quæ ſibi dabuntur, modicum habebit dominium, capiet fortes, & faciet eos ſeruos, ſignificat etiam quòd honorabitur ex cauſis ægritudinum ac familiarum, & conſequetur honores ex familia.

In ſeptima, ſignificat regnum, per uictoriam contentionum, & ex cauſis uxoris, & quòd uxorabitur cum muliere nobili, ſapiente, & conſequetur honorem ex uxore.

Si fuerit in octaua, habebit dominium in iuuentute, honores, & dignitates ex hæreditate mortuorum, & timebitur, ne mater nati ex illo partu moriatur.

Si fuerit in [illegible], natus habebit dominium in itineribus, erit bonæ uoluntatis, morietur extra locum ſuum, conſequetur dignitates, & ſublimitates ex parte beneficiorum, & ex cauſis diſciplinæ.

Si fuerit in decima, erit intelligens, habebit officia, ex quibus uiuet, fortunamq́; uel per regem, uel per regnum magnum, uel per magiſteria altiora. Deniq; quicunque ille erit, qui dominum decimi loci in medio cœli culmine poſitum habuerit, parabit ſibi magnas dignitates ex cauſis magiſterij & officij.

Si fuerit in undecima, amici eius bonum habebunt de ipſo, ipſeq́; ſubſtantiam

aggregabit à partibus Regis, & hæreditabunt ſubſtantiam ipſius filij eius, & ſignificat hic poſitus, quòd honorabitur propter fortunam ſuam.

In duodecima ſignificat quòd natus infortunatus erit apud Regem, & accident ei ex parte ſua impedimenta, & damna, & conſequetur honorem, ex hominibus ſibi inſidiantibus, ſiue ex ſuis hoſtibus.

De domino undecimæ domus, in duodecim domibus.

DOminus undecimæ in prima ſignificat quòd natus uincet aduerſarios ſuos, & uidebit res quas uult & deſiderat, erit in bono ſtatu, bonæ uoluntatis, & uitæ, & ſi fuerit receptus, habebit res quas uoluerit, & multos amicos bonos, & de eis bonum, & ipſi de eo, & ſi habuerit filios, lætabitur de illis, eritq́ fortunatus in rebus agendis, & plane ſani corporis.

Si fuerit in ſecunda habebit bonum, lucra, ac diuitias per amicos, & ſocios ſuos, fortunabitur in diuitijs, ſeu lucro.

Si fuerit in tertia, habebit fratres claros ac nobiles, & in bono ſtatu in ſua iuuentute diuitias habituros, & proſperabitur in breuibus itineribus, & inter fratres.

In quarta ſignificat quòd parentes nati habebunt infirmitates, & erunt in bono ſtatu, ſed breui tempore uiuent. Natus uero fortunabitur in rebus immobilibus.

Si fuerit in quinta, habebit filios, bonum, & diuitias, in tota uita ſua fortunabitur in filijs, & filiabus pariter, & in conuiuijs.

Si fuerit in ſexta, natus in malo ſtatu, & malę uitę erit, uiuet de ſudore ſuo, eritq́ breuis uitæ, fortunabitur ex familia ſua.

In ſeptima ſignificat quòd natus habebit uxorem fortunatam, & diliget eam, habiturus cum ea diuitias, atq́ bonum, proſperabitur cum uxore, ſignificat etiam natum in pueritia pauperem, ſed in ſenio diuitem futurum.

Si fuerit in octaua, erit infortunatus, intromittet ſe de mercimonijs, non tamen habebit fortunam in his, proſperabitur in hæreditate mortuorum.

Si fuerit in nona, habebit fortunam, & bonum in itineribus, eritq́ fortunatus, uſq́ in finem uitæ, & erit fortuna eius in longinquis regionibus.

In decima ſignificat quod natus habebit potentiam, & dominium in iuuentute, tamen eius dominium non erit niſi ſuper progeniem, & ſocietatem eius, & fortuna eius erit apud eos, qui poſiti ſunt in dignitate.

Si fuerit in undecima, erit locuples, multos amicos habebit, bonū, & magnum nomen, ac fortunam, & proſperitatem uariam, ſignificat etiam filiorum & amicorum copiam.

Si fuerit in duodecima, modicum boni, paucos amicos habebit, erit malæ uitæ.

De domino duodecimæ domus, in duodecim domibus.

DOminus duodecimæ in prima ſi fuerit, natus erit laborioſus, & debellatus, habebit multos inimicos, præſertim uero domeſticos, accident ei anxietates ab inimicis in principio uitæ ſuæ, ſignificat etiam multitudinem triſtitiæ, & anguſtiæ, habebit multos inſidiantes, & inſidias, quæ nocebunt eius corpori, & ſpiritui, ſignificat etiam nati uilitatem, &

tem,& impotentiam,oſtendit etiam natum in pueritia pauperem,ſed in ſenio diuitem.

Si fuerit in ſecunda,natus erit malus,malorum operum, malæ uitæ, & in malo ſtatu,dicentur de eo mendacia & inhoneſta, habebitq́ inimicitias propter ſubſtantiam.

Si fuerit in tertia,aduerſabuntur ei fratres, & accident ei ex illis anxietates, & labores,& ipſi erunt in malo ſtatu,conciliabit ſibi hoſtes in cauſis fratrum,& inimicitias in itineribus breuibus.

In quarta, ſignificat quòd auerſabuntur eum parentes, & rixabuntur cum eo conſanguinei,& progenies eius, & deſtruetur domus in qua natus eſt, & migrabit ex ea,habebitq́ inimicitias in cauſis rerum immobilium.

Si fuerit in quinta, filij erunt ipſi inobedientes, eruntq́ in malo ſtatu, & cum multis maculis,& ſi cum hoc dominus quintę fuerit in duodecima,nutriet filios alienos,ſignificat etiam triſtitiam,& anguſtiam in cauſis filiorum & filiarum.

Si fuerit in ſexta, erit infortunatus in ſeruis,& beſtijs, ſignificat multitudinem triſtitiæ,& inſidias in cauſis animalium minorum.

In ſeptima, ſignificat quòd habebit rem cum mulieribus uilibus, & contemptis,quæ auerſabuntur eum, & accident ei moleſtiæ, ac labores ex eis, erit miſer in fine uitæ ſuæ, & ſentiet triſtitiam,& anguſtiam,atq́ inſidias in cauſis uxoris,ſignificat etiam quòd inimici nati auferent eius bona.

Si fuerit in octaua,paucos inimicos habebit,& hæreditabitur ex eo ſubſtantia multa, ſed multitudinem triſtitiæ & anguſtiæ, atq́ inſidias in cauſis hæreditatum mortuorum experietur.

Si fuerit in nona,recipient fratres eius ab inimicis grauamina,& ſi fecerit iter, habebit moleſtias in eo, & erit malæ legis, ſignificat multitudinem triſtitiæ & anguſtiæ,& inſidias in cauſis ſpiritualibus fidei,& religionis.

Si fuerit in decima,perſequetur eum rex, & faciet ei malum, erit doloroſus, & triſtis,habebit multitudinem triſtitiæ,& inſidias in cauſis honoris & dignitatis.

In undecima,ſignificat quòd natus non habebit bonum,nec auxilium ab amicis,& ipſi fient inimici eius,& ipſe miſer erit,ſignificat etiam multitudinem triſtitię, & inſidias in cauſis fortunæ.

Si fuerit in duodecima, inuidos habebit plurimos, paucos amicos, nec detegent inimicitiam, nec nocebit ei malum, uel inimicitia eorum, ſed triſtitiam, anguſtiam,& inſidias in cauſis multorum inimicorum, & hoſtium ſentiet, uilipendet inimicos ſuos,quia non poterunt ipſi nocere.

Notandum tamen eſt, quòd ſignificationes prædictæ habent firma & ueridica iudicia,quando dominus domus,& domus in qua fuerit,fuerint ſolitarij ac peregrini, & non aſpecti neq́ à fortunis, neq́ ab infortunis. Tamen ſi habuerint teſtimonium fortunarum,uel infortunarum, neceſſe erit tibi commiſcere ſignificationes eorum,& ſecundum hoc iudicare, nunquam tamen recedendo ab hac regula, aut à radicibus iſtis.

CAPVT QVARTVM.

De ſignificatis planetarum in duodecim domibus cœli.

DE SIGNIFICATIS PLANETARVM

Primo de prima domo.

SAturnus in aſcendente, uel in prima domo, non in domicilio ſuo, uel exaltatione, ſignificat quòd natus erit modicæ uitæ, ac ſubibit mortem cauſa debiti, & terrarum, eritq́ homo deformis, infortunatus, inuenuſtus, erit tamen primus inter fratres.

Iupiter eo in loco ſignificat longitudinem, & prolixitatem uitæ, & proſperum nati ſucceſſum, dat enim nato proprias ſuas ſignificationes, facit hominem conſcientioſum, iuſtum, pium, & miſericordem, ſignificat etiam reuerentiam, & honeſtatem facit hominem pulchrū & honeſtum, diſcretum, honoratum, erit primogenitus inter fratres.

Mars in prima, ſi non eſt in domicilio proprio, aut exaltatione, erit natus breuis uitæ, & qui uexetur plurimum, erit naturaliter iracundus, furioſus, bellicoſus, malus, peruerſus, & raró bonum operans, ſignificat etiam ablationem ſubſtantiæ, & introitum ad res quę ad ipſum non pertinent, dat uulnera capitis, uel in uultu. Si fuerit in domicilio proprio, aut in ſua exaltatione, facit animoſum, potētem & fortunatum in armis, facit hominem litigioſum, qui ſemper quæret rixas, faciet res horribiles, & abſurdas, erit deſtructor rei familiaris, & ſe immiſcet rebus quæ non apertæ erunt illi, de quibus non habebit uerecundiam, erit parum laudatus.

Sol in Horoſcopo augmentum auri, & ſubſtantiam ex rege uel potente ſignificat. Item principatum, & ſublimitatem & exaltationem, atq́ amicitiam cum dominis, & facit natum maioris ætatis, aut digniorem fratribus.

Venus in prima ſignificat natum fortunatum, & longæ uitæ, pulchri corporis, amabitur â mulieribus, & etiam ab alijs hominibus, erit luxurioſus, diligens ornamenta ueſtium, petet loca amœna, intererit ſæpe conuiuijs ac gaudijs, habebit amorem in rebus cum deſiderio coeundi, item ſanitatem corporis, & gaudia multa, delectabitur nuptijs & choreis, cantilenis & muſicis inſtrumentis, diligens commeſſationes & potationes, & res odoriferas, ac morum honeſtatem, uultum habebit pulchrum, cum lætis oculis, erit fortunatus in omnibus operibus ſuis.

Mercurius in aſcendente facit natum ualde ingenioſum, & cuiuslibet artis exploratorem, de facili artes concupiſcit & addiſcit, & de eis bonum finem, & laudabilem conſequetur, erit ſapiens, diſcretus, florens intellectu & ſcientia, ac membrorum gracilium, & bene proportionatorum, profundę cogitationis, longę memoriæ, mercaturas diligens, & res ſculptas, uarioq́ modo figuratas, nec non in muſica delectabitur & in monetis, in Geometria, & Arithmetica. Mercurius ibidem in domicilio ſuo, aut in Saturni domicilio, facit hominem ingenioſum, & magnę ſcientiæ, maximè in quadruuio. Sed ſi fuerit cum Marte in Ariete, uel Scorpione, facit hominem latronem, nequam, & malum, loquacem, nugacem, & faſtidioſum in loquendo, ſemper uult loqui, & non uult ut alij loquantur, & cum hoc erit ſemper odioſus, & habebit aliquod uulnus in capite, uel uultu.

Luna ſi in exortu fuerit, natus erit inſtabilis, uagabundus, flegmaticus, diligens res aquaticas, fiet homo ſani corporis, negociorum uariorum, ſignificat etiam principatum, & mutationem de loco ad locum, & gaudium â matribus, & mulieribus magnis, facit hominem flauum, candidum, & habebit aliquas maculas in uultu, dat magnam utilitatem, & dignitatem â magnis uiris, & beneficia ab illis, faciet ſæpe itinera honorata.

Caput draconis Lunæ in prima domo, ſignificat exaltationem, & bonam fortunam nato, erit honoratus â magnis uiris, præſertim â prælatis.

Cauda in prima dat perniciem & tribulationem, facit homines deformes,

ueniet

ueniet in periculum perdendi oculos, aut magnum malum in illis patietur.

De ſecunda domo.

SAturnus in ſecunda domo, non in domicilio, uel in exaltatione ſua, ſignificat quòd natus erit modicæ & paucæ ſubſtantiæ, cui omnes male uelint, & erit ſine amicis, ſignificat etiam ablationem ſubſtantiæ, & turbationem amicorum. Si fuerit in domicilio, uel exaltatione ſua, facit hominem diuitem, ſed auarum, & miſerum.

Iupiter, ſignificat multam ſubſtantiam, bonam diſpoſitionem, & ingenium, & nunquam erit pauper.

Mars, ſignificat paucitatem ſubſtantiæ, & ablationem eius per furtum, uel per impetum alicuius ſerui uiolentum, & per turbationem miniſtrorum, facit hominem deſtructorem rei familiaris, & indigentem, qui ſemper obiurgabit ſeruos & ſuos ſubditos.

Sol dat pulchritudinem & lætitiam in collo, & faciet expendere in rebus magnificis, honoratis & liberalibus, dat etiam pulchritudinem oculorum.

Venus ſignificat multitudinem ſubſtantiæ, præſertim ad ornatum pertinentis, ſignificat etiam ſubſtantiam & profectum à mulieribus, etiam magnas diuitias & utilitates à mulieribus, & ab uxore, & non erit magis pauper. Et ſi fuerit ſacerdos, habebit beneficia eccleſiaſtica.

Mercurius ſignificat diuitias & mercationes, & profectum ſubſtantiæ, honorem apud reges, augmenta diuitiarum per ingenium nati, erit fortunatus in ſcripturis & mercaturis, bonus ſcriptor & pictor, ualebitq́ in omni arte mæchanica, erit doctus & ingenioſus.

Luna in ſecunda ſignificat, quòd natus conſequetur diuitias ex piſcinis ſeu piſcibus & animalibus aquæ, & per molendina. Luna infortunata in ſecunda, ſignificat perditionem & mœrorem, & dat dolores & fruſtrationes. Fortunata etiam ibidem dat multas diuitias, & utilitates ex legationibus magnorũ principum et dominorum.

Caput in ſecunda, ſignificat augmentum diuitiarum, & bonam fortunam, ita quòd non erit unquam pauper, habebit hæreditatem uel bona eccleſiaſtica, erit dives & auarus.

Cauda, dat paupertatem, deſtructionem rei familiaris, cadet de loco alto improuiſè, eritq́ homo prodigus & fortunatus in ludo. Cauda ibidem cum Luna, facit diſſipatorem ſuæ ſubſtantiæ.

De tertia domo.

SATVRNVS in tertia domo, ſignificat malum in breuibus itineribus, & odium inter fratres & deſtructionem eorum, uel quod non habebit, niſi unum, & ſi haberet aliquem, ſemper erit in diſcordia cum ipſo, erit infortunatus in uijs, erit parum deuotus, uel hypocrita, omnia eius ſomnia erunt uana.

Iupiter ſignificat proſperitatem in breuibus itineribus, reddit natum fortunatum ex fratribus & propinquis ſuis, erit deuotus & credulus, ſomnia eius erunt uera.

Mars in breuibus itineribus malum minatur, & timendum erit ipſi ab homicidis aut latronibus in illis, aut de uulnerationibus, ſignificat etiam inimicitiam fratrũ & interfectionem eorum inter ſe. Et ſi eſt in domicilio Veneris, erit gaudiũ ex fratribus & ſororibus. Vel Mars in tertia, facit mori omnes fratres nati, & ſemper ſtabit in lite cum fratribus, erit blaſphemator, non timens Deum, & erit infortunatus,

in itineribus. Et ſi fuerit in domicilio Iouis, erit multum diues, & faciet multa nego-cia pro bonis acquirendis. In domicilio Saturni, facit ſemper quærere theſauros. In domicilio Mercurij, erit ſubtilis in rebus quæ pertinent ad diuinationes, habebit multa falſa teſtimonia ex inuidia & pericula. Sed in domicilio ſuo uel Solis, facit la-tronem & deceptorem, & ſimiliter in domicilio Lunæ.

Sol ſignificat itinera in cauſis honoris & reuerentiæ, uel ſignificat officium re-gis, & mutationem per regiones, erit honoratus in itineribus extra patriam, & habe bit fratres honoratos.

Venus ſignificat amorem inter fratres, & quòd diligetur à ſuis fratribus, & quòd ſit fortunatus in breuibus itineribus, ſignificat etiam incontinentiam & ma-lum à malis operibus, & multitudinem amicorum contra Deum. Alij uolunt, quòd ſe abſtinebit à malis operibus, & habebit fratres fortunatos, & habebit multos ami-cos & ſocios, erit honoratus in itineribus extra ſuam patriam.

Mercurius in tertia, ſignificat quòd natus erit conſiliarius fratrum ſuorum, & profectum ſentiet in mercimonijs, & in itineribus propinquis, ſignificat fortitudi-nem fratrum, ſororum & amicorum, dat fratres & ſorores, & multos amicos, erit for tunatus in itineribus. Et ſi fuerit in domicilio proprio, uel Iouis uel Saturni, facit do-ctiſsimos in omni ſcientia, & inueniet res ſuo ingenio, quas nunquã didicit ab alijs, habebit bonam fortunam in profectionibus, & bene uolent illi ſui conſanguinei & fratres, erit fortunatus in rebus eccleſiaſticis, ſcriptura & mercaturis. Et ſi fuerit Mer curius in Geminis aut Libra, facit magnos Muſicos, & cantores perfectos, præſer-tim in coniunctione, uel in bono aſpectu Veneris.

Luna exiſtente in tertia, natus multiplicabit itinera, & raro fixus in uno loco permanebit, ſignificat etiam gaudium ex diuitibus, ſublimitatem à regibus, peregri-nationem, amicos, & negotia cum nobilibus, dat itinera honorabilia, utilitatem & le titiam, & exaltationem à rege, aut magno domino, dat multos amicos nobiles, & u-tentur opera ipſius in legatione, erit inclinatus ad itinera breuia, pacificus cum fra-tribus & conſanguineis.

Caput in tertia, facit nobiles & fortunatos fratres, & natum eſſe deterioris con dicionis, quàm fratres ſuos, dat exaltationem in rebus eccleſiaſticis, facit prælatos ti-mentes Deum, & dat bonam fortunam in profectionibus paruis.

Cauda, ſignificat deſtructionem fratrum & ſororum, & natum eſſe meliorem ſuis fratribus, habebitq; lites cum conſanguineis, uicinis, & infortunam in breuibus itineribus.

De quarta domo.

SAturnus in quarta, non in domicilio, uel exaltatione ſua, ſignificat quòd in rebus immobilibus non proſperabitur, deſtructiones ædificij, & ter-rarum, ſeminum & theſaurorum, & periculum ab ipſis patietur. Talis natus deſtruet id quod habebit. Si non habuerit patrimonium, erit ſem per pauper, mater eius erit de uili conditione, & non diu uiuet. Si au-tem fuerit in domicilio, aut exaltatione ſua, dat diuitias in rebus ſtabilibus, mater eius erit honorata, & homines confident in eo.

Iupiter hoc in loco facit natum fortunatum in poſſeſsionibus immobilibus, & ſignificat gaudium ex reliquijs mortuorum, terris, hæreditatibus, ſecuritatem ab hor ribilibus, inueniet theſaurum, aut bonum non cogitatum, & ſine labore, dat diuitias ex rebus ſtabilibus, in medio uitæ depreſsionem, fortunam uerſus finem, pater eius erit honoratus, & uiuet longo tempore, ſepelietur in loco honorato, erit laudatus omni tempore, etiam poſt mortem.

Mars in quarta, ſignificat deſtructionem domorum, & combuſtionem ex igne

igne, ſic quòd timendum eſt, quòd ædificia eius conſumentur igni, uel alia uia infortunij corruent, ſignificat etiam interfectionem, ſanguinis effuſionem, & in fine tribulationem longam, pater eius cito morietur, uel ſubitò erunt lites inter natum & patrem, diruet res ſtabiles, & erit auctor homicidiorum. Eadem ſtella in imo cœli, dat uulnera, malum finem, peſsimam famam poſt mortem.

Sol in quarta ſignificat acquiſitionem caſtrorum, & locorum habitabilium, quibuſdam regnandi poteſtatem, theſaurum, & apertionem futuri, laudem, ſublimitatem, ſignificat etiam diuitias in bonis immobilibus, & magnos honores in ſenio, uel in fine ſuæ uitæ erit laudatus, poterit ex inſtinctu naturali iudicare de rebus futuris, ſepelietur in loco honorato, & erit etiam laudatus poſt mortem.

Venus ſignificat hæreditates rerum immobilium, & quòd parentes nati erunt in honore hominum, inueniet non cogitata, & habebit domus & poſſeſsiones pulchras, ac magnificas, pater eius erit honoratus, & longæ uitæ, ſed ipſe habebit triſtitiam pro matre in principio, & in fine lætitiam. Finis nati erit laudabilis, honoratus in ſua morte, ſepelietur in locum honoratum, habebit etiam bonam famam poſt mortem.

Mercurius ſi fuerit, acquiret res immobiles ingenio, & cura propria, uaria cum prouidentia, ſignificat etiam mœrorem, contentionem, uel faſtidium, & uerba cum ſuis, ſi ipſe eſt infortunatus, erit deditus agriculturæ, & ædificijs, & ſtudioſus cumulandi pecuniam.

Luna in quarta, facit natum proſperum habere ſtatum, cum matre ſua, & quòd piſcinas & molendina lucrabitur. Si natiuitas fuerit diurna, erit in principio ſuæ uitæ infœlix, ſed in fine laudabilis, & erit multum deditus agriculturæ, & ædificijs, & augendis opibus.

Caput in quarta, dat res ſtabiles, & magnas diuitias, inueniet theſauros, aut bonum non cogitatum, facit patrem nobilem, & longæ uitæ. Sed in aqueo ſigno ſignificat impedimentum in rebus prædictis.

Cauda, ruinam patrimonij, & rerum ſtabilium ſignificat, & quòd quidquid natus acquiſiuerit, deſtruetur, facit quærere res de quibus nunquàm utilitatem habebit, pater erit uilis, & paucæ uitæ.

De quinta domo.

SATVRNVS in quinta domo, ſignificat turbationem & diminutionem gaudij, ſic quòd natus erit triſtis, rarò lætabitur. Idem ſic poſitus, ſignificat deſtructionem filiorum, contentionem cum legatis, mortem filiorum, aut quòd non habebit unquam filios, ſemper delectabitur ut male ueſtitus incedat, etiam ſi Saturnus eſſet in domicilio ſuo.

Iupiter in quinta multiplicat gaudium, ſignificatq; gaudium in rebus licitis, honeſtis, & iuſtis, ſignificat multos filios bonos, utiles, pulchros, honoratos, & longæ uitæ, habebit natus dona & oblata ex hominibus & potentibus, fungetur officio legati. Quòd ſi fuerit natus eccleſiaſtes, habebit multa beneficia, & diuitias ex hæreditatibus, delectabitur in rebus pulchris, odoriferis, & gemmis.

Mars in quinta, ſi fuerit extra domicilium, uel exaltationem ſuam, minatur paucitatem filiorum & filiarum, ac mortem, remotionem gaudij & delectationis, ſignificat etiam multos filios fornicarios, uel etiam non habebit filios, & ſi habuerit, morientur. Si uero fuerit in domicilio uel exaltatione ſua, dabit filios potentes &c.

Sol in quinta ſignificat filios honoratos, & gaudium cum principibus, & hominibus in poteſtate poſitis, ſignificat etiam reuerentiam à uulgo, non habebit filios, & ſi forſan habebit, erunt honorati, habebit dona à magnis uiris, delectabitur ut gerat gemmas & res odoriferas, & utentur eius opera magni domini in legationibus.

Venus in hac domo ſignificat multitudinem filiorum, gaudium & lætitiam, ornamenta ueſtimentorum, delectationes & conuiuia, & impregnationem, ſic quòd mulieres ex ipſo nato facile concipient, uel tribulationem ex filio, poſtea gaudium. Dat etiam lætitiam de filijs, ſed in principio aliquod faſtidium. Et ſi fuerit in Scorpione, Cancro, uel Piſcibus, dat multos filios, præſertim fœminas, ſed in ſigno maſculino ſatis bellos maſculos & honoratos, diuites & longæ uitæ. Natus erit ſemper addictus uoluptatibus, conuiuijs, ſaltationibus, cantationibus, & Muſicis harmonijs delectabitur ut benè & ſumptuoſè ueſtitus incedat, & gerat in manibus gemmas & res odoriferas.

Mercurius in quinta, ſignificat quòd natus erit dimicator, ioculator, faciens aliqua per ſubtilitatem manuum, habebit filios & filias ad quamuis artem appoſitos, ſignificat epiſtolas & rumores, & gaudium de mœrore præcedenti, & fortunam per filium, facit equites, legatos, uel homines qui ambulant per mundum, erit deditus conuiuijs, uoluptatibus, Muſicæ, & in primis ſi fuerit cum Venere, et in omnibus ſtudijs ſuis ſibi dabit quietem, cum exigua cura, habebit faciles & agiles manus, erit bonus pictor & ſcriba, faciet res ingenioſas & pulchras, habebit dona à magnis dominis.

Luna eodem in loco ſignificat inſtabilitatem in conuiuijs, & quòd ipſe eadem multiplicabit, & filios & filias habebit, ac ſemper bona noua de longinquis regionibus, erit multum deditus itineribus, fiet legatus Reipublicæ, habebit multa dona à populo, & ab uniuerſitate, & nobilibus, erit deditus conuiuijs.

Caput in quinta dat multos filios fortunatos & longæuos, ac diuitias maximas aut beneficia, erit miſſus in legatione, cuſtodietur ab omni periculo malo, delectabitur induere ueſtimenta ſplendida & magnifica.

Cauda in eadem exiſtente, natus filiorum uidebit interitum, uel non habebit filios, & ſi habebit, malam habebunt fortunam.

De ſexta domo.

Saturnus in ſexta, ſignificat multitudinem infirmitatum, & inobedientiam ſeruorum, erit inualidus ac infortunatus in animalibus, & patietur dolorem uentris & dentium.

Iupiter in ſexta minuit ægritudines, ſignificat paucitatem infirmitatum, ſublimitatem per ſeruos, & profectum à quadrupedibus, erit honoratus à ſeruitoribus.

Mars in ſexta extra domicilium uel exaltationem ſuam, ſignificat natum paucorum uerborum, & ægritudines multas, præſertim calidas & acutas, mœrorem à ſeruis, & infortunabit eos, aut dat paucos & odioſos, ac infortunatos, uel dat interitum & damnum per ſeruos, & illi erunt infortunati, & odioſi, facit hominem lanium aut carnificem, uel lictorem, dat multas infirmitates, acutam febrem, quæ procedit à

multo ſanguine. Si autem fuerit ibi in proprio domicilio, uel exaltatione, facit bonos Medicos, & dat nato ſeruitores armigeros.

Sol ſignificat ægritudinem cordis & membrorum principalium, tribulationem per ſeruos & ignobiles, dat multas infirmitates, & faſtidium propter ſeruos, ipſe tamen benefaciet ſuis ſeruis.

Venus ſignificat paucitatem ægritudinum, coitus impotentiam ex defectu debilitatis renum, tribulationem per ſeruos & ancillas, & matres, tamen impetrabit quod uult ab illis, habebit rem cum famulabus domus. Et ſi fuerit mulier, habebit rem cum ſuo ſeruitore. Erit idem natus homo ſanus. In mulieris genitura, ſignificat eam laboraturam in partu cum magno uitæ periculo. Et ſi fuerit in domicilio proprio, aut in ſua exaltatione, erit natus fortis & robuſtus, & quaſi nunquam infirmus, habebit fideles ſeruitores, & ipſe benefaciet illis, habebitq; utilitatem de animalibus quadrupedibus minoribus.

Mercurius ſignificat cogitationes impeditas, & malam memoriam, & alienatos ſenſus, immutationem intellectus, obtrectationem, deceptionem, per mulieres & luxuriam. Si ibi infortunatus fuerit, facit hominem male loquentem, deceptorem, deditum luxuriæ, & ipſe etiam erit deceptus à mulieribus, ſeruis & ancillis. Et ſi fuerit cum Marte, uel Saturno, uel cum ambobus, periculum erit, ne occidatur à ſeruis, aut à famulabus, aut ueneno tollatur, aut moriatur in carcere. Vel erit malæ loquelæ. Si in ſexta fuerit Mercurius, erit quaſi inſipiens, uel conuertetur à fide ſua in aliam. Et ſi ibi fuerit impeditus, morietur in carcere.

Luna ſignificat multitudinem ægritudinum, & defectum cerebri, rixam à parentibus, lucrum ex quadrupedibus, dat rixas & contentiones cum conſanguineis, & inimicitias cum muliere, & negotia cum gente uili plus quàm cum nobili. Si Luna fuerit fortunata, erit ſanus, & ſi fuerit infortunata, erit quaſi ſemper infirmus.

Caput liberat natum de infirmitatibus, dat multos ſeruos fortunatos.

Cauda dat multas infirmitates, ſeruos pigros & infirmos, erit infortunatus in animalibus minoribus, & in ſeruis, qui erunt male uoluntatis in dominum, uel natus habebit incommodum ratione ſeruorum.

De ſeptima domo.

SATVRNVS in ſeptima extra domicilium uel exaltationem ſuam, ſignificat malam & prauam uxorem, & natus abhorrebit ab ea, ſignificat etiam deſtructionem uxoris, & effectum malum in fine, nam malam minatur mortem, & uidebit ruinam inimicorum ſuorum. Si fuerit in ſigno aqueo, patietur Hæmorrhoides, aut fiſtulam in pudendis. Si fuerit in domicilio uel exaltatione ſua, dat potentes inimicos, & mulierem diuitem.

Iupiter ſignificat uxorem probam, honeſtam, uiuentem in timore Dei, ac legitimum matrimonium, ſignificat etiam gaudium à mulieribus, & uictoriam ſuper omnes inimicos, uxorem pulchram, diuitem, ſenectus eius erit honorata.

Mars in ſeptima, ſignificat quòd natus erit homicida, mulieres eius morientur. Si fuerit in domicilio ſuo, dat potentes inimicos, & uxorem beſtialem. Si natiuitas fuerit mulieris, decernit ei maritum beſtialem, hominem litigioſum, qui ſe inquinabit omni coitu, dat damnum in omni re, & malum finem, ac forte abſcindentur ei manus, & pedes.

Si in ſeptima fuerit Sol, natus acquiret uxorem magiſtrorum, & potentum, ſignificat etiam contrarietatem à potentibus, & diuitibus, erit in ſenio multum hono-

honoratus, faciet coniugium malum in pueritia ſua cum meretrice, dolebit ex oculis, habebit membra tremula, damnumq́ in ſubſtantia parentum. Si fuerit in dignitatibus ſuis, & fortis, remittetur malum.

Venus in occaſu ſignificat multitudinem nuptiarum, ac ſocietatem cum mulieribus pulchris, & paucitatem contentionis ſeu rixarum, dat ſenectutem fœlicem, & lætitiam cum uxore, quæ erit bella & nobilis, abundans in re familiari, habebit bonum exitum in rebus deſideratis. Ducet uxorem poſtquam canus effectus fuerit, erit tamen potens in coitu.

Mercurius ſi fuerit in ſeptima, natus delectabitur in computationibus & numeris, & contemptores nati erunt aſtuti multum, ſignificat etiam contentionem à mulieribus, & luxuriam. Natus erit bonus & pius, ſed habebit uxorem necromanticam. Et ſi cum Marte fuerit, uel cum Saturno, occidetur, & occidet uxorem ſuam, habebit potentes inimicos, pacietur tractum chordæ, erit iudicio damnatus, morieturq́ propter iudicium, uel propter iuſtitiam.

Luna in occidente, ſignificat multitudinem contentionis, natus cupiet exire de loco ſuo natiuo, habebitq́ bonum à mulieribus. Si ibi fuerit fortunata, dat honeſtam mulierem, inimici non poterunt nocere ei, ſenium eius erit honoratum, habebit uxorem bellam, & diuitem. Si uero fuerit infortunata, erit contrarium.

Caput in occiduo cardine, dat gratiam nato, & forte cum muliere bella, ſua ſenectus erit honorata, & laudata, in fine glorioſa, habebit malum in oculis.

Cauda in ſeptimo loco dat mortem uxoris, & inimicos publicos, ſignificat uxorem ualetudinariam, atq́ etiam uiro præmorituram. Si ſit mulieris natiuitas uir uxori præmorietur, ſignificat etiam detrimentum, & euacuationem inimicorum.

De octaua domo.

SAturnus in octaua, non in domicilio, uel exaltatione ſua, ſignificat malam mortem, mœrorem & triſtitiam cauſa mortis, & longam lamentationem, natus non habebit hæreditatem. Si fuerit in proprio domicilio, aut exaltatione ſua, habebit hæreditates, & morietur bona morte ex longa infirmitate, uel morietur ex peſte, uel de fluxu, & de infirmitate frigida, ſicca, & longa.

Iupiter deſtruit malam mortem, ſignificat laudabilem finem, cadet natus in manus inimicorum, & de hoc habebit finem laudabilem, dat longam uitam, hoc eſt, annos 72. Erit honoratus & laudatus, habebit aliquam hæreditatem, non morietur morte uiolenta.

Mars extra domum, uel exaltationem ſuam, ſignificat mortem uelocem, aut epidimialem, uel interfectionem, aut abſciſsionem manuum & pedum, dat paupertatem, & tandem uituperio adfectos, occidendos ſignificat. Et ſi cum illo fuerit Caput, ſuſpendetur. Si fuerit in domicilio ſuo, dat magnas diuitias, ſed cum rixa, & lite extra domum ſuam.

Sol ſignificat nato mortem, cum poſitus fuerit in dignitate, & quòd honorabitur in morte per reuerentem ſepulturam, perditionem, mortem, & ablationem principum, ſignificat mortem patris, dat hæreditates, ſed dat magnum damnum in rebus familiaribus, quæ ab illo auferentur, per magnos uiros, morietur bona morte, excepto ſi Saturnus, aut Mars aſpexerint Solem de maligno aſpectu. Tum enim ſi fuerit in ſigno aqueo, facit mortem in aquis. Si in igneo, morietur per ignem, aut per ferrum. Et ſi in terreo, morietur ex aliqua ruina, quæ ſuper ipſum cadet, uel quòd ille cadet de alto. Si fuerit in Scorpione, facit illum mori in peſte, uel de rebus uenenoſis, aut per

aut per morſum ſerpentis, aut canis rabidi. Et ſi Sol fuerit in ſigno aëreo infortunatus à Saturno, aut Marte, ſuſpendetur, aut tractum chordæ patietur, aut conijcietur in carcerem.

Venus, ſignificat leuitatem mortis, propter leuitatem ægritudinis, & remouet malam mortem, & horribilem, ſed eadem mortem quoqꝫ matris, & nutricum, & maiorum nati ſignificat, dat diuitias, & hæreditates, & talis natus uiuet longo tempore, & non morietur mala morte.

Mercurius, ſignificat nato mortem ex difficultate cogitationis, & mirabili occultatione rerum agendarum, ſed inimicitias maximas à uicinis, & mendacia cauſa mortuorum notat, ac facit infortunatos, propter maximas inimicitias cum uicinis, & dat infortunium in hæreditatibus. Et ſi Mercurius fuerit in domo ſua, aut in ſua exaltatione, aut in bono aſpectu Iouis uel Veneris, habebit hæreditatem & diuitias. Sed ſi coniunctus cum Marte, aut cum Saturno fuerit, morietur mala morte.

Luna, ſignificat mortem facilem, ac interitum, & depoſitionem regis, falſum teſtimonium, rixas, fugam, & anxietatem, qualem lunatici patiuntur. Dat hæreditates, diuitias & longam uitam. Sed ſi eſt infortunata, natus uiuet parum, & erit lunaticus, & perſequentur illum magni uiri, erit falſificator teſtimoniorum contra ipſum, & multas rixas & carceres habebit.

Caput, facit robuſtos, animoſos, dat paucos dolores, diuitias, & hæreditates, & multos honores, erit liberalis, prodigus magis quàm auarus.

Cauda, dat horrendam mortem, facit perdere hæreditates, nihilominus facit diuitem, & auarum.

De nona domo.

SAturnus in nona, ſignificat malam fidem, & exitum ad malum, facit hominem parum deuotum, & erit Monachus aut ſacerdos, non credet admodum de fide ſua, erit hypocrita, infortunatus in itineribus, ſomnia eius erunt terribilia] & uana. Et ſi fuerit in domo ſua, erunt ſomnia horribilia, & pro maiori parte uera. Verum talis erit etiam hypocrita, ſed honoratus in itineribus.

Iupiter ſignificat bonam & perfectam fidem, timentem Deum, & Dei cultum procurantem, & in hoc laborantem, dat lætitiam, & utilitatem in itineribus, erit honeſtæ uitæ, deuotus, & firmus in ſua fide.

Mars, ſi non fuerit in domo ſua, ſignificat hæreſim, & fidei peruerſitatem, dehoneſtat legem, dat falſa ſomnia, dat infortunium in longis uiagijs, facit incredulum in ſua fide, & impedit cultum diuinum, delectabitur natus in armis & equis. Ac ſignificat etiam potationem uini, incontinentiam, infidelitatem, multa ſomnia falſa, erit prauus, audax, incontinens, infidelis. Si fuerit in domo ſua, uel exaltatione, dat bonam fortunam in itineribus, & erit terribilis, & delectabitur in necromantia.

Sol, ſignificat multitudinem peregrinationum in cauſis honoris, ac dignitatis. & magnitudinem ac fortitudinem fidei, & timorem Dei, facit magnum Prælatum, & religioſum. Et ſi fuerit in Ariete, Leone, uel Sagittario, facit Cardinales, aut Papam, aut magnum Principem, erit honoratus in longis itineribus, erit honoratus in ſuo exercitio. Somnia eius erunt pro maiori parte uera.

Venus, ſignificat bonitatem fidei, & proſperitatem in itineribus longinquis, & multitudinem pollutionum in ſomnijs, & quòd uidebit ſe iacere cum mulieribus actum cum eis perficiendo per apparentiam, quæ in ſomnijs ei aduenit, facit magnum Prælatum Eccleſiaſticum, uiſitabit mundum totum, honoratus & laudatus in

ſuo magiſterio, & ſomnia eius erunt uera. Sed dat animum abhorrentem â coniugio.

Mercurius, ſignificat bonitatem fidei, & contemplationem diuinæ Trinitatis, admirabitur de iuſtitia Dei, & de admiranda ſapientia operum ipſius. Erit mercator in terris longinquis, ſæpius cogitabit de Deo, de Angelis, & ſpiritibus. Idem ſignificat diſciplinam, ſapientiam, Aſtronomiam, laudem à notis, dat multa itinera, & facit honoratos in illis, dat magnum lucrum, & utilitatem, & maximè cum Ioue, & Venere, erit laudatus ab omnibus, erit doctus in Aſtrologia, & omni Mathematica, & in rebus eccleſiæ habebit bonam fortunam.

Luna multiplicat ſomnia, & longa itinera, malas cogitationes, mutationem per regiones, & depoſitionem regni, delectabitur in rebus uarijs, & diuerſis malis cogitationibus, peregrinabitur per mundum, aliquando priuabitur ſua dignitate. Et ſi nona fuerit domus Mercurij, erit magnus Aſtrologus. Si fuerit domus Veneris, delectabitur in muſica. Si fuerit domus Martis, delectabitur in armis, & agricultura. Si fuerit domus Saturni, erit Alchimiſta, Si domus Iouis, erit magnus in religione. Si fuerit domus Solis, habebit ſcientiam, & prouidentiam de animalibus quadrupedibus. Si fuerit in Cancro non habebit ſcientiam de omni re aquatica.

Caput, facit deuotos & Prælatos, in ſuis operibus fortunatos, in profectionibus acquirent famam, honorem, & lucrum, ſed erunt infortunati in fratribus, & ſororibus, ſomnia eorum erunt uera.

Cauda facit uolubilem in fide, & deuotum, infortunatum in itineribus longis, & in ſuo exercitio.

De decima domo.

SAturnus in decima domo, non in domicilio, uel exaltatione ſua, ſignificat infortunium, & malam proſperitatem in officijs & dignitatibus nati, mater eius morietur ſubito, erit de uili conditione, parum honoris habebit & dignitatis, tenebitur diu in carceribus cauſa magnorum uirorum. Si decima fuerit Leo, & fuerit Sol, uel Luna in ea, morietur in carcere, morte condemnatus. Si Iupiter fuerit dominus decimæ, occidetur ſine culpa ſua. Si Mars fuerit dominus decimæ, morietur ex culpa ſua. Si Mercurius fuerit dominus decimæ, morietur per falſum teſtimonium cum magna infamia, & ſi Venus aſpexerit, aut fuerit cum Marte, cedetur uirgis, & torquebitur, & erit condemnatus ad mortem. Si Saturnus fuerit ibi, in domicilio, uel exaltatione ſua, dat dignitates, & honores, & mater eius erit honorata.

Iupiter, ſignificat magnitudinem honoris & dignitatum, & Prælaturam, erit iuſtus rector, ſeu gubernator, dat maximos honores & dignitates, ſpecialiter in rebus eccleſiaſticis, erit honoratus in ſuo magiſterio.

Mars non in exaltatione, uel domicilio ſuo, facit hominem uilem, & ſpretum, iniuſtum, callidum in cauſis iudiciorum, & dat flagella, & pericula, paupertates, malum finem, & inimicitias omnium ſuorum conſanguineorum, etiam patris, & matris. Si uero ibi fuerit in domicilio, uel exaltatione ſua, facit hominem ualidum in armis, habebit etiam bonam fortunam in armis, ſtipendium in bello extra patriam ſuam, faciet multas rixas & lites, de rebus quæ non pertinent ad ipſum, ſignificat hominem faſtuoſum, arrogantem, cum deiectione honoris, & dignitatis.

Sol, ſignificat ſtatum nati multum honorabilem, & magnæ dignitatis, attinget officia magna, & prælaturas, erit rector in populo, imperabit pluribus. Si fuerit

in Ariete, uel Leone, facit magnos dominos, dat regnum, & dominium magnum iuxta conditionem genealogiæ nati, dat diuitias eximias, honorem altum, & magnum nomen ex ſuo exercitio, & magiſterio. Et ſi fuerit pauper, natus de obſcuris parentibus, facit magnum uirum, diuitem & potentem, ultra ſuam conditionem.

Venus, ſignificat honorem magnum, & amorem à regibus, & alijs potentibus, amabitur ab eis, & conſequetur gratiam, aut aliquod bonum ab eis, habebit lætitiam per magnos dominos, & principes aut reges, acquiret diuitias ab illis, erit plus honoratus quàm ipſe merebitur in ſua conditione, mater erit honeſta, longæ uitæ, & multum honorata.

Mercurius, ſignificat natum futurum cancellarium regis, principis, aut ſaltem aliquem ex conſiliarijs eius, negociabitur, & tractabit apud principes ſecreta plurima, unde Secretarius regis, aut principis erit, habebit bonam fortunam in ſcripturis, mercaturis, Arithmetica, Geometria & Aſtrologia, & erit laudatus propter uirtutes ſuas ab omnibus in mundo. Si fuerit infortunatus cum Marte, in ſuo fine erit infœlix, & peſſimus.

Luna, multiplicat honores, dat utilitatem ex magnis principibus, & dominis, etiam à populis, acquiretq́ quæ deſiderabit, ac habebit multos filios.

Caput facit deuotum, & magnum principem, uel dominum, ex ſuo magiſterio acquiret honorem, & famam ac lucrum, erit longæ ac honeſtæ uitæ.

Cauda in decima exiſtente, natus deponetur ab officio, cadet ab alto, mater eius erit infortunata, & breuis uitæ.

De undecima domo.

SAturnus in undecima, non in domicilio uel exaltatione ſua, ſignificat damnum ex amicis, uel amiſsionem amicorum, & dat amicitiam cum uillanis, Iudæis, & fratribus, habebitq́ faſtidium propter amicos, aut non habebit aliquem unquàm, & nunquam habebit illum quem deſiderat, quoniam eius negocia erunt ut plurimum uana, ſignificat etiam multum mœrorem in amicis. Si Saturnus fuerit in domicilio, uel exaltatione ſua, dat amicitiam cum Saturninis, ſicut ſunt magni uiri, maximè ſenes.

Iupiter, ſignificat nato multitudinem fortunarum & proſperitatum, & quòd rerum ſperandarum proſperum, & fortunatũ conſequetur effectum, dat etiam multos bonos; fideles, & utiles amicos, multos filios, & primus erit maſculus, habebit bonum finem de rebus deſideratis.

Mars extra domicilium, uel exaltationem ſuam, ſignificat paucitatem fortunij, & quòd ſpes, & fiducia nati deſtruetur, & dat inimicitias cum amicis. Si autem fuerit in domicilio, aut exaltatione ſua, facit hominem amicum dominis, armigeris, & militibus, habebit honorem, & utilitatem in armis, ſignificat etiam quòd talis natus parum fideliter, concorditerq́ cum domino ſuo ſit uicturus.

Sol, ſignificat ſpem, & fiduciam bonam in rebus pertinentibus ad honores, ac dignitates, & perfectionem officiorum, dat amicitiam magnorum dominorum, & magnum gaudium per amicos ditiſsimos, & per filios, & ſeruitores, & ingenium in hominibus.

Venus ſignificat fortunam, ſpem, & fiduciam bonam in rebus, & quòd ſpem ſuam conſequetur ſine perditione, dat amicitiam amicorum nobilium, & bonam fortunam cum illis, habebit multos filios, ſpes eius non erit uana, ſed pro maiori parte obtinebit ſuum propoſitum.

Mercurius, ſignificat fortunam in ſpe & fiducia in perdiſcendis ſcientijs, do

ctrinis, & rebus occultis, dat amicitiam cum hominibus laudatis, & honeſtis, erit ab omnibus amatus, habebit fortunam bonam in omnibus rebus quas incipiet.

Luna multiplicat ſpem & fiduciam, dat lætitiam, honorem, & utilitatem à magnis principibus, ſiue dominis & à populis, acquiret quæ deſiderab.t, habebit multos filios.

Caput largitur amicitias magnorum hominum, utilitatem & honorem per illos. Sed erit infortunatus in filijs.

Cauda dat modicam gratiam cum amicis. Sed aliquos filios fortunatos, & amicorum diminutionem.

De duodecima domo.

SAturnus in duodecima, non in ſuo domicilio uel exaltatione, ſignificat multitudinem anguſtiæ, tribulationem cum multitudine inimicorum, erit infortunatus in animalibus maioribus, erit timidus in ſuis negocijs, & infortunatus, ſtabit in carcere, aut erit demandatus exilio, & quot planetæ fuerint in duodecima domo, tot uicibus conijcietur in carcerem, maximè ſi Mars fuerit in angulo, ſignificat etiam impedimentum à rege, & quòd capietur ab inimicis. Si uero fuerit Saturnus in domicilio uel exaltatione ſua, ſignificat natum fieri fortunatum in animalibus maioribus.

Iupiter facit ut creſcant inimici nato, & grauamen habeat à uiris altis & potentibus, nam dat inimicos fortes & potentes nato nocituros, dat carceres, ſeruitutes, paupertates. Si uerò fuerit in domicilio uel exaltatione ſua, dat omnium dictorum contrarium.

Mars ſignificat tribulationem, anguſtias multas, uexationes uarias, cum grauitate ſuſtentationis ſignificat etiam carceres, captiuitates, percuſsiones, & ſimilia, ex quibus oritur periculum, dat multos inimicos, ſed obruet illos, ingenioſus furtum faciendo, infortunatus in beſtijs maioribus, tenebitur in carcere, habebit aliquod malum, aut uulneratus erit in pedibus. Significat etiam quòd inimici nati extollent ſe ſuper eum, facient ei malum ſi fortis fuerit Mars. Si uerò debilis fuerit, erunt debiles, nec ei nocere ualebunt.

Sol ſignificat inimicitias à regibus, potentibus, principibus, ac magnis uiris, ab eisq; anguſtias patietur, & tribulationes, dat carceres uel exilium propter aliquod homicidium, uel propter iram domini, perdet rem familiarem, uel ſubſtantiam a q honores, à ſeruitoribus tribulationes habebit, & per homines uilis conditionis. Sed econtra dat bonam fortunam in magnis animalibus.

Venus remouet hoſtes & carceres, tollit tribulationes, & anguſtias, facit fortunatum ex equis & cæteris animalibus quæ equitantur, dat faſtidium & rumores cauſa mulierum, uel propter mulieres, aut propter amorem, & præſertim mulierum de uili conditione carceres aut exilium. Et ſi fuerit in Virgine, Capricorno, aut Aquario, præſertim coniuncta cum Sole, Saturno, aut Marte, minabitur periculum occaſione uel cauſa amoris. Et ſi natiuitas fuerit maſculi, facit eum mollem, & cinædum publicum. Si fœminæ, facit meretricem publicam, & inhoneſtam. Tamen Venus in duodecima, dat bonam fortunam in animalibus maioribus.

Mercurius, ſignificat quòd natus habebit inimicitias à doctis, & ſimilibus Mercurialibus, facit infortunatum hominem, aliquantulum leuem ingenio, & ſemper quæret de rebus ſine fundamento, habebit multos inimicos, & ſæpe uerſabitur in carcere, ſignificat etiam fornicationes turpes & deceptiones. Et ſi fuerit fortunatus, habebit bonam fortunam ex animalibus quadrupedibus. Et non impeditus, ſolet facere homines literatos, & Philoſophos, peritos in omni ſcientia.

Luna

Luna multiplicat hoſtes, & inimicos. Si fuerit infortunata, dat multa impedimenta carceris, exilij. Et ſi fuerit combuſta, coniuncta cum Sole, aut Saturno, aut Marte, iudica nato infinita infortunia, & erit breuis uitæ, morietur ferro, aut peſte, aut in aqua, erit infortunatus in animalibus quadrupedibus. Et ſi fuerit fortunata, non ſignificat tantum malum.

Caput, ſignificat bonam fortunam in animalibus magnis, infortunium in ſeruis, & ſeruabus, dat inimicos occultos, potentes, & paucas diuitias.

Cauda dat ruinam inimicorum, & damnum in animalibus magnis &c.

CAPVT QVINTVM.

De ſignificatione planetarum in domo propria, uel alterius.

Primo de Saturno.

Saturnus in domicilio ſuo in diurna genitura, dat amicitiam nobilium, & magnas diuitias, & ſpecialiter in aſcendente cum parte fortunæ facit hominem grauem, ſapientem, ſuperbum, & melancholicum, erit primogenitus, uel nobilior inter fratres. De nocte dat multas infirmitates, & labores.

In domicilio Iouis, dat pulchritudinem, facit hominem ueridicum, & multarum diuitiarum. In nocturna dat contentiones cum nobilibus, citam mortem patris.

In Martis domicilio, facit hominem duri cordis ſicut ſaxum, ſine miſericordia, & dat iram maximam.

In Solis domicilio, in diurna, fortunam patris auget.

In Veneris domicilio, facit incredulum in ſua fide, amabit mulieres pauperes, & uiles, & de illis habebit damnum, uerecundiam, & magnum impedimentum, propter coitum ſuperfluum, aut per multam crapulam habebit multas infirmitates.

In Mercurij domicilio, dat ingenium, & ſcientias, faciet res occultas, per quas patietur damnum, habebit nonnihil linguam tardam, in furore ſubito faciet omne malum, premetur inuidia, & repræhendetur ſine iuſta cauſa.

In Lunæ domicilio, dat multas infirmitates nato, qui morietur cito, & diruet rem familiarem matris, habebit malum in oculo ſiniſtro in diurna natiuitate. In nocturna uero habebit malum in oculo dextro, faciet iter de quo nunquam redibit, uel tardè redibit cum magno labore. Et idem eſt ſiue natus eſt de die, ſiue de nocte.

De Ioue.

Iupiter in domo Saturni, facit hominem parui animi, qui ſemper cogitat mala, & ea ex re habebit mala, erit infortunatus in rebus eccleſiaſticis, ſed erit multum diues, & ſemper dicet ſe eſſe pauperem.

In domicilio ſuo, ſignificat hominem multum diuitem, & honoratum, potentem, præſidem magni uiri, præſertim in decima, uel in aſcendente. Et ſi Iupiter fuerit in ſecunda, dat diuitias. In nona, decima, uel undecima, facit magnos Prælatos.

In Martis domicilio, facit multum fortunatos, & ſocios regis, aut magni prin-

cipis. Et ſi fuerit in angulo, aut ſuccedenti, aut in ſigno maſculino, dat conditionem magnam in exercitu. Si autem fuerit in ſigno fœminino, dat minus ſtipendium, uel minorem conditionem in bello.

In Solis domicilio, facit hominem ſapientem, bono ingenio præditum, amatum à magnis uiris, & à populo. Et ſi fuerit in angulo, aut ſuccedenti, præcipuè autem de die, erit Rex, aut ſimilis regi.

In domicilio Veneris, dat amicitiam, & negocia cum nobilibus & lætitiam, & magnam utilitatem à mulieribus, aut erit magnus in religione & honoratus, habebitq́; magnas diuitias eccleſiaſticas.

In Mercurij domicilio, facit hominem doctum, magnum mercatorem, fidelem, acquiret diuitias plures, quàm ſui ſocij, & conſanguinei.

In Lunæ domicilio, in angulo, aut ſuccedenti, dat practicam cum magnis uiris, erit homo multum fortunatus, cognitus per multas regiones.

De Marte.

MArs in domicilio Saturni, facit audacē, finiet quidquid incipiet, uſurpabit rem familiarem conſanguineorum, morientur ipſi fratres maiores.

In Iouis domicilio, facit natum nobilem, amatum magnis dominis, erit magnus ductor exercituum, maximè ſi Iupiter fortunatus in domicilio Martis exiſtat.

In domicilio proprio, erit magnus rationalis Geometra, maxime in nocturna geneſi. In diurna ſi non aſpexerit Iouem aut Venerem, erit malignus, & ui coget alios cum ſuperbia, habebit dolores occultos, & cadet ab alto.

In Solis domicilio, ſignificat deſtructionem nati, infirmitatem & dolores oculorum, & ſtomachi. Mors eius erit ſubitanea, aut occidetur per ferrum, aut ignem, morietur extra patriam, delectabitur in uita ſua in rebus de ferro & igne.

In Veneris domicilio, facit hominem furioſum, qui rem habebit cum conſanguineis, uel ducet ſponſam unam, quam primo ſtuprauerit, unde illi ueniet malum. Sed in Tauro dat falſitates & traditamenta. In Libra, dat uulnera ex ferro, uel igne, in loco cooperto.

In Mercurij domicilio, facit pigros, & negligentes, ſed prudentes & aſtutos, uincet ſocios malicia, lucrabitur malo animo, faciet res falſas cum penna, & falſas ſcripturas, docebit artem Sagittariam & militiæ, negociationes, & contentiones, & perdet res multas.

In Lunæ domicilio, facit hominem leuem ingenio, quæret res ſubtiles, & profundas, erit audax facere mala, in loco occulto patietur malum & in oculis, diſſipabit rem matris, quæ habebit longiſsimam infirmitatem.

De Sole.

SOl in domicilio Saturni, in diurna natiuitate, ſignificat quòd erit perfectus in omnibus ſuis operibus. In nocturna geneſi ſic poſito ſole, natus erit inſtabilis.

Si idem fuerit in Iouis domicilio, erit magnus in Eccleſia, erit maior domus ſuæ, luxurioſus & fornicator, habebit rem cum conſanguinea.

In Martis domicilio dat infirmitates in epate, pater morietur peſsima morte, quando fuerit in Scorpione, ſed in Ariete, ſignificat exaltationem nati, & pater eius non morietur mala more.

In domicilio proprio, in angulo, aut ſuccedente de die, facit regem, aut ma-

gnum

gnum principem, aut erit diues, potentiſsimus, robuſti corporis, habebit diuitias nõ cogitatas, & bonam fortunam in itineribus, ſed de nocte ſignificat triſtitiam, & citam mortem patris.

In domicilio Veneris, facit expoſitorem ſomniorum, erit uerax, & inueſtigator rerum occultarum, & amabit itinera.

In Mercurij domicilio, dat multas ſcientias, & bona opera, erit Aſtrologus, amatus à nobilibus, ſi diurna fuerit genitura. Si autem fuerit nocturna, erit pauper, faciet multa mala, maximè in iuuentute. Sed in media ſua ætate, abundabit diuitijs, dolebunt ei oculi & ſtomachus, immiſcebit ſe rebus magicis, & diabolicis.

In Lunæ domicilio, maximè coniunctus Caudę, Saturno, uel Marti, dat malum oculis, multa itinera, ac periculum in aquis.

De Venere.

VENVS in domicilio Saturni, facit fornicatorem cum mulieribus deſponſatis, & Sodomitam, aut ſcortatorem in pueritia, cinædum, & mollem, morietur cito uxor eius, mater erit inhoneſta, aut adultera.

In Iouis domicilio, dat bona per mulieres, uel per eccleſiaſtica, erit diſcretus, honeſtus, & integer, ſed aliquando habebit rixas cum ſuis.

In Martis domicilio, facit natum implicare ſe meretricibus in iuuentute, & ſi duxerit uxorem, uerberabit eam ſæpe, uel occidet eam. Sed Aries, facit quòd odio habebit mulieres, & amabit maſculos iuuenes, uel habebit rem cum muliere meretrice, & inhoneſta, non tenebit legem in coitu, nec Deum timebit, & ſi addiderit Mars ibi teſtimonium ſuum, non curabit mori pro libidine, & turpitudine. Qui habuerit Venerem & Lunam in Ariete, & præcipue quando Sol fuerit in ſigno maſculino, erit inimicus mulierum.

In Solis domicilio, amabit mulieres minores, & pueros, erit luxurioſus ultra modum, ſignificat eadem in Solis domo natum contrahere matrimonium cum meretrice, mulieremq́ eſſe immenſæ libidinis & amoris.

In domicilio proprio, ſignificat magnam proſperitatem & lætitiam, ſed amabit mulieres ſtultas, & de quibus dicitur malum, erit fortunatus in omni re, habebit bonum effectum, & exitum fœlicem in omni ſuo opere.

In Mercurij domicilio, facit conuerſatorem cum perſonis religioſis, amabit multum luxuriam in iuuentute, erit cinædus, & effœminatus, ſed ipſe delectabit ſe potius cum mulieribus, quàm cum maſculis.

In domicilio Lunæ dat luxuriam impetuoſam, facit inſtabilem in omni re, & ſic in omnibus ſignis mobilibus, cuiuſmodi ſunt Aries, Libra, Cancer & Capricornus.

De Mercurio.

MERCVRIVS in domicilio Saturni, facit linguam impeditam, aut balbutientem, uel malè dicentem, negotia habebit cum religioſis, & hominibus ſapientibus, erit profundi ingenij in omni ſcientia.

In domicilio Iouis, facit hominem iuſtum, legalem, qui conuerſabitur cum rege, & magnis uiris.

In domicilio Martis facit malignum, falſum nequam, mendacem, malicioſum, nugacem, loquacem, & faſtidioſum in petendo, uult obtinere res iniuſtas. Dat etiam facundiam, præſertim in Ariete, ſed erit perfidus & aſtutus, affectabit necromantiam, & amabit operatores huiuſmodi rerum, erit malæ ſuſpicionis, feſtinus in ſuis negocijs.

In domicilio Solis, facit ſcriptorem bonæ memoriæ, & intellectus, & profundum in omni ſcientia.

In domicilio Veneris, facit deditum rebus pulchris, magnis uoluptatibus, & muſicis, dat multitudinem amicorum nobilium.

In domicilio proprio, facit ingenioſum, aſtutum, cautum in omni arte, & ſcientia induſtrium, præſertim in Mathematica, Philoſophia, Poëſi, & arte oratoria. Erit aptus facere omnia quæ uidet.

In domicilio Lunæ, facit hominem bonæ uoluntatis, caſtũ, fidelem, fortunatum in mercatura, habet enim numẽ peculiare in cancro, quoniam inde mittit antiſcium ſuum in Geminos.

De Luna.

LVNA in domicilio Saturni, facit pigrum, malæ famæ, dat tuſsim, & malum per tuſsim, debilitatem uel malum in oculis, mater ipſius habebit aliquam infamiam, morieturq́ repente.

In Iouis domicilio, facit inter amicos primum, ſicut regem, de bona fama, ſed multum luxurioſum, erit pro maiori parte ſanus, & longę uitę.

In domo martis, facit natum practicare cum malis hominibus de mala uita, ſtabit in periculo ſubmerſionis, mater eius morietur ſubitò.

In Solis domicilio, dat practicam, & lætitiam cum magnis dominis, erit infirmus, & debilis in oculis, & uiſu, dat dolores capitis, & ſtomachi, & multam iram.

In Veneris domicilio, facit ſatis amabilem, habebit utilitatem à mulieribus, & uxoribus.

In domicilio Mercurij, ſi Luna fuerit, natus erit bonæ uitæ, & intelligentiæ, amabit mulieres iuuenes, erit fortunatus in mercaturis.

In domicilio proprio, cum bono aſpectu fortunæ, hoc eſt Iouis, uel Veneris, dat ſanitatem corporis, & conuerſationem cum magnis dominis, cum utilitate, & honore. Sed infortunata à Saturno, uel Marte, dat diuerſas infirmitates, malum in oculis, & ſubitam mortem matris, natus erit in periculo in aquis, & itineribus, &c.

CAPVT SEXTVM.

De ſignificationibus domini aſcendentis.

SATVRNVS dominus aſcendentis in bono loco ſi non fuerit impeditus, natus erit magnanimus, pius, magnæ exaltationis, notabilis in conſilijs. Sed impedito eo, uel in malo loco exiſtente, erit paruæ rationis, & animi, deceptor publicus, occultator ſuarum cogitationum.

Iupiter dominus aſcendentis in bono loco, non impeditus, ſignificat prudentem animo, exaltatum honore regni. Si impeditus uel cadens fuerit, malicioſum, craſsi animi, iniuriatorem, deceptorem, mendacem ſignificat, & qui plus conſumit, quàm lucratur.

Mars dominus aſcendentis in bono loco non impeditus, audacis animi, ductorem populi, ac bellatorem uictorioſum facit, habebit nomen principale coram principibus & populis. Et ſi Mars fuerit in loco malo, uel impeditus, natus erit parui animi, malicioſus, inuidus, timidus, ſuſpicioſus, deceptor, multi mali conſilij.

Si fuerit Sol dominus aſcendentis, liber in bono loco, non impeditus, natus erit locuples, uelociter dicens ueram & claram ſcientiam magnarum rerum, boni & magni nominis. Si uerò Sol fuerit impeditus, uel cadens ab angulis, erit ſimplicis & leuis

leuis animi, paruæ potentiæ, modicæ ſcientiæ & cognitionis, cadens à bono ſtatu in peiorem.

Si fuerit Venus domina aſcendentis in bono loco in angulis uel ſuccedentibus, non impedita, natus erit pulcher, pius, uelox, dulcis loquelæ, acceptus, & lætabundus. Si fuerit mali eſſe, impedita uel cadens, erit immundus, menſtruoſus, occulti ſecreti, & muliebris uitæ.

Si fuerit Mercurius dominus aſcendentis in bono loco non impeditus, natus erit bonus Orator, ſapiens, pinguis, pulcher, philoſophus & poëta, conſul principum. Si impeditus fuerit, erit mendax, exercens falſitatem, magis ſtultus quàm ſapiens &c.

Scias autem quòd cuicunque planetæ Mercurius iungitur in illius naturam conuertitur. Nam ſi Saturno iungitur, natus erit grauis linguæ, inuidus, occultator ſuæ maliciæ, Chirurgicus, philoſophus, luxurioſus contra naturam. Si Ioui per coniunctionem uel aſpectum, mundum, ueracem, diſcretum, honeſtorum uerborum, Cancellarium & conſulem principum ſignificat. Si Marti, facit mendacem totum, deceptorem omnium, etiam ad mulieres & uirgines. Si Sol, ſociabitur Regibus & eorum ſcriptoribus. Si Veneri, erit amator omnium ſcientiarum, bene loquens, bonus arbiter & procurator. Et nota quòd hæc prædicta omnia de Mercurio, conueniunt etiam Mercurio in domibus, & terminis planetarum eorundem, perinde ac ſi eis coniungeretur &c.

Finis ſecundi libri de iudicijs natiuitatum.

LIBER TERTIVS
DE IVDICIIS NATIVITATVM
D. Ioannis Schoneri Caroloſtadij, Profeſſoris diuinæ Matheſeos, in celebri Germaniæ Noriberga.

PRAEFATIO.

DOCTRINA Genethliaca in duabus rebus conſiſtit, in diſquiſitione apoteleſmatum, ſeu euentuum, & definitione temporis decreti. Hactenus priorem partem duobus libris tractauimus, Tertium alteri parti tribuemus. Quemadmodum autem ſequens doctrina ſine præmiſſa non poteſt conſiſtere, ita præcedens ſine ſequenti parum momenti habet. Eſt enim complementum ſeu perfectio Genethliacæ doctrinæ futuri euentus tempus, quo ſe is potiſsimum oſtenſurus ſit, poſſe definire. Quarè omnes qui aliquid operæ poſuère in artem hanc inquirendi ac definiendi euentus & accidentia nati, maximè in hoc incubuerunt, ut per ſummas etiam difficultates tempora euentuum diſquirerent. Proindè ego quoq; diligentiſsimè quicquid uſquàm dignum relatu de hac doctrinæ parte inuenero in hunc librum congeram. Quid præſtiterimus iudicent, quibus hæc noſtra ſunt futura uſui. Nos certe uix cum maximis laboribus ex his difficultatibus ſumus eluctati. Alij inſcribunt hanc doctrinæ partem, de Reuolutionibus, egò non facile à Ptolemæo diſcedo, qui etſi multum tribuit tranſitibus ſtellarum, tamen neq; introitus Solis in puncta cardinalia obſeruat, ſed Coniunctiones & Oppoſitiones proximè præcedentes, neq; in rebus Genethliacis circa diſcuſsionem thematis Reuolutionis occupatus eſt. Quòd autem Ptolomæus hoc ſibi ſequendum duxerit, indè factum puto, quòd propter Eclipſes in Coniunctionibus & Oppoſitionibus Lunæ, motus ſatis certus habeatur; Immenſa autem è diuerſo difficultas obſtet, quo minus Solis motus ad aliquot ſcrupula exactè habeatur, tum propter inſtabilem & fluxam anni quantitatem, tum quia conſtat per inſtrumenta nulla ratione ad exactam præciſionem, quæ certè hac in parte requiritur, perueniri poſſe. Ne igitur à Ptolemæi ſententia diſcederemus initio docuimus, quomodo per progreſsiones & tranſitus tempora euentuum præuideri debeant. Deinde

his

nis attexuimus Arabum,& aliorum traditiones, quas etſi non contem-
nendas cenſeo, tamen potiores partes Ptolemæo ſemper tribuendas eſ-
ſe iudicauimus. Id quod iam multorum annorum uſus nos edocuit. Bene
uale,& noſtris fœliciter fruere laboribus.

CONTENTA HVIVS LIBRI TERTII.

Caput primum. Qua ratione perquirenda & præparanda ſint ea, quæ requi-runtur ad dijudicationem eorum, quæ euentura ſunt nato, iuxta diſtributionem temporum ætatis nati.
Caput ſecundum. De generalibus gubernatoribus ſeptem ætatum.
Caput tertium. De uitæ ſpacio & temporibus euentuum, per locorum Hylegialium progreſsiones, ſiue directiones iuxta mentem Ptolemæi.
Caput quartum. De generibus euentuum ex progreſsionibus ſiue directionibus præcipuorum Hylegialium locorum.
Caput quintum. De planetis, quos domini generalium progreſsionum ſibi in ſocietatem aſciſcunt, ſeu de Algebuthar, id eſt diuiſoribus annorum.
Caput ſextum. De directionibus ſeu generalibus progreſsionibus iuxta Arabum & aliorum ſententiam.
Caput ſeptimum. De reliquis progreſsionum ſeu profectionum generibus. Item ibidem de domino anni, ac dominis aliarum progreſsionum.
Caput octauum. De Arabum temporum arbitris, quos uocant Alfridarios planetarum.
Caput nonum. De Chronocratoribus ſeu Decenniorum dominis.
Caput decimum. De domino orbis.
Caput undecimum. Quomodo in genere iudicandum ſit ex poſitu ſtellarum in mundo,& themate Reuolutionis tempore, de ijs quæ nato eo anno euentura ſint.
Caput duodecimum. De ſitu planetarum in ſignis Reuolutionis tempore, ſiue de reditu planetarum &c.
Caput decimumtertium. De translatione planetarum, de domibus radicis ad domos reuolutionum.
Caput decimumquartum. De tranſitu planetarum per loca ſeptuaginta duo neceſſaria.
Caput decimumquintum. Quomodo ea, quæ in hoc tertio libro de euentibus & eorum temporibus dicta ſunt, ad uſum ſint accommodanda.
Caput decimumſextum. Quomodo pro ratione cuiuſq; genituræ ſint eligenda idonea tempora actionum, aut negotiorum.
Caput decimumſeptimum. Qui ueſtium & equorum colores, quæ metalla, qui precioſi lapides, quiue ſeptimanæ dies magis minusue ſint nato idonei, aut fœlices, infœlicesue.

Caput

Qua ratione perquirenda, & præparanda ſint ea, quæ requiruntur ad diiudicationem eorum, quę euentura ſunt nato iuxta diſtributionem temporum ætatis eius. Sunt autem octo requiſita. Primo namq; explorandum eſt, ſub cuius planetæ ætate ſit natus, & quis eius ætatis generalis Gubernator ſit.

QVAERE annum ætatis tuæ currentem in Tabula hac ſeptem ætatum, quem ſi pręciſe ibidem annotatum inueneris, ſcias eodem anno currente tuæ ætatis, mox ſequentem ætatem in nato inchoare. Si autem annus fluens tuæ ætatis ibidem expreſſus non inuenitur, uide tum ſub quibus duobus numeris, minori ſcilicet & maiori eo, annus tuus propoſitus compræhendatur. Quoniam tunc natus erit ſub tali ætate, quæ inter duos tales numeros compræhenditur. Vt ſi aliquis eſſet natus, & eſſet in ætate 16. annorum, annus iſte 16. etſi non expreſſus in Tabula iſta ponitur, tamen compræhenditur ſub annis 14. & 22. Quare dico natum hunc fore ſub ætate adoleſcentiæ, & eius generalem Gubernatorem fore Venerem. Sequitur Tabula ſeptem ætatum.

Tabula ſeptem ætatum.

☽	4	Nutritionis & infantiæ.
☿	14.	Pueritiæ.
♀	22.	Adoleſcentiæ.
☉	41.	Iuuentutis.
♂	56.	Virilitatis.
♃	68.	Senectutis.
♄	98.	Decrepitæ ætatis.
☽	102.	Infantiæ rurſum.


De directionibus, ſunt autem Hylegialia loca dirigenda.

QVOD Græci περίπατον, recentiores directionem uocant, Latinè uero profectionem, Progreſsionem, Inambulationem, proprie dixiſſen[t]. Dirigere enim ſignificat latine, obliquum emendare. Verũ cum plane[tæ] tæ poſt regreſsionem dicantur directi, eò quòd obliquũ curſum emen[dant], dant, ac progrediuntur, puto receptum, ut reliquæ etiam planetarũ pro[gre]greſsiones ratione motus diurni, appellentur directiones, licet cõtra latini ſermon[is] proprietatem. Cum autem Hylegia, ſtellæ, aut planetarum aſpectus diurno mot[u] progrediuntur, fit ut mutuo ad conſimiles ſitus in mundi globo deducantur. Velu[t] quando benefica aut malefica ad horizontem, meridianum, aut circulum poſition[is] peruenit, quo in ſitu Hylegialis locus fuerat, aut contra Hylegialis locus peruenit a[d] conſimilem ſitum alicuius ſtellæ uel aſpectus. Talis autem progreſsio unius loci i[n] cœlo ad conſimilem ſitum alterius, dicatur ſanè generalis progreſsio, cum per ea[s] generales Chronocratores, ſeu temporum arbitri conſtituantur. Tempus uero quo[d] labitur dum locus quiſpiam cœli ad conſimilem ſitum alterius deducitur, metitur p[e]riodu[m]

riodum nati, aut definit tempus alterius cuiuſcunq; euentus, ſi id in æquinoctialis partes ſeu tempora reducatur, & pro ſingulis temporibus annus Solaris, menſis, dies, aut hora, pro ratione & quantitate earundem partium accipiatur. Quando ſtella ſeu aſpectus quiſpiam in conſequentibus ſignis deducitur motu diurno ad conſimilem ſitum Hylegij, tunc tempus quod interea elabitur ſimpliciter, ſicut dictum, definit annum futuri euentus, ideoq; hic progreſsionis modus dicitur à Græcis ἀκτινοϐολία, id eſt, radiorum proiectio, quod ſine alia obſeruatione ex ſola radij deductione ad conſimilem ſitum Hylegij tempus futuri euentus colligatur. Sed quando contrà Hylech motu diurno deducitur ad conſimilem ſitum ſtellæ aut aſpectus in ſignis antecedentibus, tempus quod interea elabitur, non definit tempus futuri euentus, ſed ſi bonis planetis, aut eorum aſpectibus prius occurrat Hylech tempus excreſcit. Si malis aut eorum infauſtis radijs, tempus decreſcit ratione diſtantię planetæ, ſeu aſpectus ab Horoſcopo & temporum, ac horarum inæqualium. Dicitur autem hic progreſsionis modus ὡριμαία, quod pręter progreſsionis tempus obſeruentur horaria tempora locorum addentium uel diminuentium. Nam ſi planeta aut aſpectus in ortu ſit, quotquot fuerint horaria tempora eius diurna in diurnis natiuitatibus, aut nocturna in nocturnis, tot annorum numerus integer addendus eſt ad annos inuentos per progreſsionem Hylegij ad locum in antecedentia, & quot deinde horis ab Horoſcopo diſtiterit planeta addens uel minuens, tot decedunt horarijs temporibus aſſes, ita ut in occaſu nihil remaneat quod tempori prædicto addatur, uel ab eo dematur. Priori modo progreſsionis ſeu directionis (ut demus directionem ſignificare progreſionem, quia ita uſu eſt receptum) utitur Ptolemæus in inquirenda periodo nati, quando Hylech inter medium cœli & aſcendens fuerit, quia locus interimens peroritur ſupra Hylech. Poſteriori uerò, quando Hylech eſt inter medium cœli & occaſum, uult enim in tali Hylegij ſitu eum tantum zodiaci locum, qui ſit in occaſu interimere. Porrò notandum etiam quòd Hylech aut alius locus, cuius progreſsio conſideratur, dicitur ſignificator. Sequens autem locus, uel antecedens, ad quem fit reſpectus, dicitur promiſſor. Quod autem ſupra diximus, hos progreſsionis modos, generales dici debere, fecimus ut eſſet, diſcrimen inter eas progreſsiones, & progreſsiones annorum, menſium, & dierum quæ uulgo uocantur Profectiones, quaſi non ſit eadem progreſsionis & profectionis ſignificatio. His, quo rectius intelligantur Ptolemæi aphoriſmi, explicatis, proponemus deinceps breuem formulam dirigendi cum exemplo, uberiora uerò præcepta requirant ſtudioſi in Tabulis Regiomontani de directionibus.

- **Ad habenda tempora directionis uel progreßionis generalis**
  - **25** Secundū ſucceßionē ſignorū, ſi ſignificator fuerit
    - In angulo. Aſcendentis, Occidentis, Medij cœli, Imi cœli — Minue
      - Aſcenſionem obliquam ſignificatoris. ab aſcenſione obliqua promiſſoris
      - Deſcenſionem ſignificatoris. à deſcenſione obliqua promiſſoris
      - Et relinquentur tempora progreßionis uel directionis quæſita
      - Aſcenſionem Rectam ſignificatoris ab aſcenſione Recta promiſſoris
    - **19** Extra angulos quæras diſtātiā ſignificatorū ab angulo: Medij cœli … Terræ — Cum fuerit ſignificator Supra terram / Infra terram
      - poſtea quæras eleuationem poli per 20. Et ad eandem eleuationem quæras, ſi ſignificator fuerit in parte
        - Orientali aſcenſionem obliquam ſignificatoris latitudine ſignificatoris / promiſſoris latitudinis — 7 Carentis, 10 præditi — & M. aſcenſionem obliquam ſignificatoris ex aſcenſione obliqua promiſſoris, & relinquentur tempora directionis
        - Occidentali deſcēſionem obliquam. ſignificatoris / promiſſoris latitudinis — 8 Carentis, 11 præditi — Et M deſcenſionem obliquā ſignificatoris ex aſcenſione / Deſcenſione Obliqua promiſſoris & relinquētur directionis tempora.
  - **26** Contra ſucceſſionem ſignorum, Si promiſſor fuerit
    - In angulo: aſcendendis, Occidentis — M. aſcēſionē / deſcēſiōē — Obliquam promiſſoris ad latitudinem regionis ſumptā ex aſcenſione / deſcenſione obliqua ſignificatoris — Et relinquentur directionis tempora.
      - Medij cœli, Imi cœli — M. aſcenſionem Rectam promiſſoris ex aſcenſione Recta ſignificatoris
    - Extra angulos quæras diſtātiā promiſſoris ab angulo. Medij cœli … Terræ — ſi ſignificator fuerit Supra terram / Sub terra
      - poſtea quæras promiſſoris eleuationem poli, & ad eandem quæras. Si promiſſor fuerit in parte Orientali aſcēſionem / Occidētali deſcenſionem — obliqua promiſſoris quam M ab aſcenſione / deſcenſione — Obliqua ſignificatoris, & relinquentur directionis tempora.

Acenſiones



Deſcenſiones

DIrecturus igitur natiuitatis loca initio, & loca Solis, & reliquorum planetarum ſecundum longitudinem & latitudinem exacto calculo ſupputata in promptu habeat. Deinde etiam cardinum Medij præſertim & imi cœli apices exactiſsimè conſtitutos, à quibus poſt habitas declinationes, & aſcenſiones rectas ſingulorum locorum, diſtantię ſingulorum locorum à meridiano ſumendæ ſunt. Quod ut certius poſsit fieri, tempus etiam ęquatum habendum eſt, quale eſſe uulgare tempus intelligitur, ſed ſi aſtronomicum fuerit tempus per motum ex tabulis elicitum, addenda eſt temporis æquatio, pro thematis cœleſtis certa ac uera conſtitutione. Hac igitur ratione obſeruata natiuitatis propoſitæ tempus uerum, ſeu æquatum fuit 5 horæ poſt meridiem, quibus 75 æquatoris partes reſpondent, quæ coniunctæ cum aſcenſione recta Solis 9 grad. 48 minut. aſcenſionem rectam medij cœli 84 grad. 48 minut. conſtituunt, à quo puncto aſcendens nonagenis, imum uero cœli 180 gradibus per diametrum diſtat, unde aſcenſio Horoſcopi, erit 174 grad. 48 minu. imi uero cœli 264 grad. 48 minut. Reliqua ſequens tabula ordine ſuo diſpoſita exhibebit.

Longitudo G. M.	Latitu. G. M.	Declina. G. M.	Aſc. recta G. M.	Diſt. à me. G. M.	Cir. po. G. M.	diff. aſceſiõ. G. M.	aſcen. & deſc. obliquæ.
♄ ♑ 8 31	S. 0 51	M. 22 23	279 14	In. 14 26	10 48	Sub. 4 31	deſ. 274 43
♃ ♍ 22 10	S. 1 56	S. 4 53	173 34	Su. 88 46	47 34	Sub. 5 20	aſc. 168 14
♂ ♌ 11 40	S. 2 25	S. 19 38	134 51	Su. 50 3	33 23	Sub. 13 35	aſc. 121 16
☉ ♈ 10 40	S. 0 0	S. 4 14	9 48	Su. 75 0	46 17	Ad. 4 26	deſ. 14 14
♀ ♈ 28 0	S. 6 0	S. 16 23	23 46	Su. 61 2	39 10	Add. 13 52	deſ. 37 38
☿ ♈ 17 45	S. 2 0	S. 8 49	15 35	Su. 69 13	44 2	Add. 8 38	deſ. 24 13
☽ ♏ 18 8	S. 4 58	M. 12 29	227 5	In. 37 43	29 26	Add. 7 10	aſc. 234 15
⊕ ♉ 3 28	S. 0 0	S. 12 43	31 13	Su. 53 35	37 21	Add. 9 54	deſ. 41 7
m.c. ♊ 25 14	S. 0 0	S. 23 24	84 48	0 0	0 0	0 0	0 0
i.c. ♐ 25 14	M 0 0	M. 23 24	264 48	0 0	0 0	0 0	0 0
Aſ. ♍ 26 12	S. 0 0	S. 1 31	176 31	In. 88 17	48 0	Sub. 1 42	aſc. 174 49
Se. ♓ 26 12	M 0 0	M. 1 31	356 31	Su. 88 17	48 0	Sub. 1 42	deſ. 354 49

Tabula cuſpidum reliquarum domorum, quæ æquali ab Horizonte interſtitio numerantur.

Cuſpides	S. G. M.	Declina. G. M.	Aſ. recta G. M.	Diſt. à me. G. M.	Cir. poſitionis	diff. aſcẽſiõ. G. M.	aſcẽ. et deſc. obliquæ.
Vndecimę	♋ 26 12	S. 20 58	118 13	Su. 33 25	23	Sub. 9 22	aſc. 108 51
Duodeci.	♌ 26 12	S. 12 49	148 28	Su. 63 40	41	Sub. 11 25	aſc. 137 3
Secundæ	♎ 26 12	M. 10 8	204 17	In. 60 31	41	Add. 8 56	aſc. 213 13
Tertiæ	♏ 26 12	M. 19 21	233 52	In. 30 56	23	Add. 8 34	aſc. 242 26
Quintæ	♑ 36 12	M. 20 58	298 13	In. 33 25	23	Sub. 9 22	deſ. 288 51
Sextæ	♒ 26 12	M. 12 9	328 28	In. 63 40	41	Sub. 11 25	deſ. 317 3
Octauæ	♈ 26 12	S. 10 8	24 17	Su. 60 33	41	Add. 8 56	deſ. 33 13
Nonæ	♉ 26 12	S. 19 21	53 52	Su. 30 56	23	Add. 8 34	deſ. 62 26

HAEC ſunt quaſi fundamenta & initia ipſius Algebuthar, & directionum omnium, quæ ſignificatorum nomine obſerues, ac inde ex his Tabulis deſumas eorum circulos poſitionum, aſcenſionesq́ ac deſcenſiones, quibus opus habebis in directionibus ipſorũ ad promiſſores, hoc enim nomine appellantur ſtellæ, radijq́ tam fœlices quàm infœlices occurrentes, loco ſeu ſignificatori dirigẽdo, uel in antecedentibus uel in conſequentibus ſigniferi partibus, iuxta doctrinam ſuperioris tabulæ. Significatorum igitur præcipuorum horizontes ſeu poſitionum circulos, aſcenſusq́ ac deſcenſus hic tibi præſcripſimus. Sed promiſſorum, ſeu ſtellarum radiorumq́ occurrentiũ loca ſecundum longitudinem & latitudinem ſupra libro primo inter prolegomena ante iudicium natiuitatis conſideranda annotauimus in tabula radiationum, atq́ aſpectuum locorum genituræ propoſitæ, ex qua mutuabere loca antecedentia ſignificatorum, ſeu locum dirigendum, ſi in antecedentia directurus es, aut loca ipſum cõſequentia. Si in conſequentia ſignorum ducendus tibi fuerit, quorum declinationibus, aſcenſionibusq́ tam rectis quàm obliquis, ac horizontibus habitis, age poſtea ſecundum doctrinam directionum, quam ſupra in tabula compræhenſam propoſuimus. Sed nos præcipuorum locorum directiones tanquam exempli loco ſubijciemus, quibus adiutus, reliqua per te facilius poſsis aſſequi.

Directio-

Directiones Horoſcopi in conſequentia ſigniferi loca, ſeu ad promiſſores ſequentes.

Aſcenſio obliqua Horoſcopi eſt 174 grad. 48 minu. Circulus poſitionis ipſius eſt, ſub eleuatione poli 48 graduum, ad quem etiam promiſſorum ſequentium aſcenſiones obliquæ, ex tabulis Regiomontani indagandæ ſunt, ab ijsq; ſubtrahenda obliqua Horoſcopi aſcenſio, ut directionum quæſita tempora habeant, ſecundum methodum Tabulæ ſequentis.

Promiſſores ſequentes	Longitu. S. G. M.	Latitudo. P. G. M.	declinatio P. G. M.	Aſ. recta G. M.	Diff. Aſc. Ad. G. M.	Deſ. obl. G. M.	Dire. quæ. G.	M.
□ ♄ dext.	♎ 8. 31	M. 0. 0	M. 3. 23	187. 48	Ad. 3. 46	191. 32	16.	44
☍ ☉	♎ 10. 40	M. 0. 0	M. 4. 14	189. 48	Ad. 4. 43	194. 31	19.	43
✶ ♂ ſiniſt.	♎ 11. 39	S. 1. 13	M. 3. 30	191. 11	Ad. 3. 53	195. 4	20.	16
☍ ☿	♎ 17. 45	M. 2. 0	M. 8. 49	195. 34	Ad. 9. 55	205. 29	30.	41
☍ ♀	♎ 28. 0	M. 6. 0	M. 16. 23	203. 46	Ad. 19. 4	222. 50	48.	2
✶ ♄ dext.	♏ 8. 31	S. 0. 26	M. 13. 58	216. 16	Ad. 16. 3	232. 19	57.	31
□ ♂ ſiniſt.	♏ 11. 40	M. 0. 0	M. 15. 22	219. 13	Ad. 17. 46.	136. 59	62.	11

Subtractis 174 grad. 48 minu.

Directionis Lunæ in conſequentia ſignorum loca, ſeu ad promiſſores ſequentes, cuius aſcenſio obliqua eſt 234 grad. 15 minut. Sub eleuatione poli 29 grad. 26 minut. ad quam ſequentium promiſſorum aſcenſionibus obliquis accommodatis, aſcenſioneq; obliqua Lunæ ab ijſdem ſubducta, tempora directionum quæſitarum eliciuntur, ut in ſubiecta tabella uidere licet.

Promiſſores	Longitudo S. G. M.	Latitudo P. G. M.	Declinatio P. G. M.	Aſ. recta G. M.	diffe. aſcenſi. G. M.	aſcẽ. ob. G. M.	di. quę M. G.
⚹ ♃ ſiniſt.	♏ 22 9	S. 0 58	M. 17 25	229 58	Add. 10 12	240 10	5 55
△ ☉ dext.	♐ 10 40	0 0	M. 22 6	249 4	Add. 13 14	262 18	28 3
△ ♂ ſiniſt.	♐ 11 41	M. 1 13	M. 23 27	249 59	Add. 14 10	264 9	29 54
△ ☿ dext.	♐ 17 46	M. 1 0	M. 23 56	256 36	Add. 14 29	271 5	36 50
□ ♃ ſiniſt.	♐ 22 10	0 0	M. 23 16	261 28	Add. 14 3	275 31	41 16
△ ♀ dext.	♐ 28 8	M. 3 0	M. 26 29	267 55	Add. 16 18	284 13	49 58
☌ ♄	♑ 8 31	S. 0 51	M. 22 22	279 13	Add. 13 26	292 39	58 24
□ ☉ dext.	♑ 10 40	0 0	M. 23 4	281 36	Add. 13 55	295 31	61 16
□ ☿ dext.	♑ 17 45	0 0	M. 22 19	289 15	Add. 13 23	302 38	68 23

Subtractis 234 grad. 15. minut.

Eodem modo pro directione Solis ſupra inuentum poſitionis circulũ, 46. gra. 17 minut. cũ deſcenſione obliqua eiuſdem 14 gra. 14 minut. aſſumo, & in tabula radiationum annotatorum promiſſorum, ex ſcriptis locis ſecundum conſequentia ſignorum locum ſignificatoris ſequentium, quæro deſcenſiones obliquas ſub eadem poli eleuatione, factaq; ſubtractione deſcenſionis obliquæ Solis à deſcenſionibus obliquis Promiſſorum ſequentium, reliquam facio directionem quæſitam, quæ omnia ſequens tabella ordine tibi ſubijciet.

Promiſſores	Longitu. S. G. M.	Latitudo. P. G. M.	declinatio P. G. M.	Aſ. recta G. M.	Diff. Aſc. G. adde M.	Deſ. obl. G. M.	Dire. quę. G. M.
△ ♂ dext.	♈ 11. 41	M. 1. 13	S. 3. 31	11. 12	3. 41	14. 53	0. 39
☌ ☿	♈ 17. 45	S. 2. 0	S. 8. 49	15. 35	9. 19	24. 54	10. 40
☌ ♀	♈ 28. 0	S. 6. 0	S. 16. 23	23. 46	17. 54	41. 40	27. 26
☌ ⊕	♉ 3. 28	0. 0	S. 12. 42	31. 13	13. 38	44. 51	30. 37
△ ♄ ſiniſt.	♉ 8. 31	M. 0. 26	S. 13. 58	36. 16	15. 4	51. 20	37. 6
□ ♂ dext.	♉ 11. 40	0. 0	S. 15. 22	39. 13	16. 42	55. 55	41. 41
☍ ☽	♉ 18. 8	M. 4. 58	S. 12. 29	47. 5	13. 23	60. 28	46. 14
△ ♃ dext.	♉ 22. 11	M. 0. 58	S. 17. 26	50. 1	19. 11	69. 12	54. 58
⚹ ☉ ſiniſt.	♊ 10. 40	0. 0	S. 22. 6	69. 4	25. 8	94. 12	79. 58

Subtractis 14. grad. 14. minut.

Expe-

Expeditior eſt reliquis medij cœli directio, quæ fit tantum per aſcenſiones Sphæræ rectæ, ſubtracta enim aſcenſione recta medij cœli, 84 grad. 48. minut. ab aſcenſionibus rectis ſequentium promiſſorum, relinquitur directio quæſita, ut in tabula ſubiecta.

Promiſſor.	Longit. S. G. M.	Latitud. P. G. M.	Aſc. recta G.	M.		Direct. quę. G.	M.
✱ ♀ ſiniſter	♊ 27. 52	S. 3. 0	87	37	Subtractis 84 grad. de 48 Minut.	2	49
☍ ♄	♋ 8. 31	M. 0. 51	99	14		14	26
□ ☉ ſiniſter	♋ 10. 40	0. 0	101	36		16	48
□ ☿ ſiniſter	♋ 17. 45	0. 0	109	15		24	27
△ ☽ dexter	♋ 18. 15	M. 2. 29	109	25		24	37
✱ ♃ dexter	♋ 22. 9	S. 0. 58	114	7		29	19
□ ♀ ſiniſter	♋ 28. 0	0. 0	120	6		35	18
△ ☉ ſiniſter	♌ 10. 40	0. 0	133	8		48	20
☌ ♂	♌ 11. 40	S. 2. 25	134	51		50	3
△ ☿ ſiniſter	♌ 17. 46	M. 1. 0	139	54		55	6
□ ☽ dexter	♌ 18. 8	0. 0	140	35		55	47
♌	♌ 23. 50	0. 0	146	10		61	22

Partis fortunæ directiones in antecedentia ſigniferi loca faciemus promiſſoribus locum eius antecedentibus ex Tabula Radiationum adhibitis, & eorum deſcenſionibus obliquis, ſub proprijs poſitionum circulis in tabula collectis, ſubtrahentes eas à deſcenſione obliqua partis fortunæ circuli poſitionis cuiuſq; ſignificatoris, ut directiones eius in antecedentia ſignorum loca habeantur, quę omnia ſequens Tabula complectitur.

Promiſſores	Longitudo S. G. M.	Latitudo S. G. M.	Declinatio P. G. M.	Aſ. recta G. M.	diſtantia G. M.	cir. poſi. G. M.	diff. aſc. promiſ. G. M.	deſc. obl. promi. G. M.	diff. aſc ⊕ G. M.	deſ. obl. ⊕ G. M.	dir. quę G. M
☌ ♀	♈ 28 0	S. 6 0	S. 16 23	23 46	61 S. 2	39 9	A. 13 51	37 37	A. 10 33	41 46	4 9
☌ ☿	♈ 17 45	S. 2 0	S. 8 49	15 35	69 13	44 3	8 38	24 13	12 35	43 48	19 35
△ ♂ dext.	♈ 11 41	M. 1 13	S. 3 31	11 12	73 36	46 59	3 40	14 52	13 36	44 49	29 57
☉ ☌	♈ 10 40	0 0	S. 4 14	9 48	75 0	46 17	4 26	14 14	13 40	44 53	30 35
□ ♄ ſiniſt.	♈ 8 31	0 0	S. 3 23	7 48	77 0	47 45	3 43	11 31	14 22	45 5	34 4
☍ ♃	♓ 22 10	M. 1 56	M. 4 53	353 34	83 I. 46	47 33	S. 5 20	348 14	14 14	45 27	57 13
△ ☽ ſiniſt.	♓ 18 14	M. 2 29	M. 6 57	350 11	85 23	47 11	7 34	342 37	14 4	45 17	62 40
⚹ ♄ ſiniſt.	♓ 8 31	S. 0 26	M. 8 0	340 0	75 12	4 35	8 14	331 46	13 16	44 29	72 43

Habes præcipuorum locorum ſeu ſignificatorum directiones ſecundum doctrinam & tabulas Ioannis de monte Regio, abſolutas ea uia, quam recentiores artifices ferè comprobant & uſurpant. Cæterum ne uel neglexiſſe uel ignoraſſe antiquiorem dirigendi rationem à Ptolemæo traditam uideremur, placuit eius quoqꝫ Methodum paucis commemorare. Opus igitur directionum ſecundum uiam Ptolemæi eiuſmodi eſt. Scias longitudinem utriuſqꝫ locorum tam dirigendi ſignificatoris quàm promiſſoris ad quam fit directio, ab uno & eodem angulo ſecundum horas temporales. Deinde ſi duo loca ſiue termini directionis ſunt ex eadem parte illius anguli, ſubtrahe minorem longitudinem à maiori, & quod relinquitur multiplica per partes horarum loci ſiue termini, ad quem uis dirigere, habebis enim in producto ipſos gradus directionis quæſitos.

Si uero duo termini non fuerint ex eadem parte anguli, ſed angulus fuerit in medio eorum, collige in unam ſummam duas longitudines utriuſqꝫ termini, ſignificatoris ſcilicet & promiſſoris ab eodem angulo, & collectum multiplica, ut prius, per partes horarum eius termini ad quem uis dirigere, ut in producto directio optata ueniat. Et hæc quidem eſt Methodus Ptolemaica in directione, in conſequentia ſigniferi, quam directam appellarunt. Verum in directione conuerſa in antecedentia ſignorum loca, manente reliquo toto opere, illud tantum conuertitur, ut multiplicatio fiat per partes horarum ipſius termini dirigendi. Cuius uiæ ut exempla aliqua, in promptu haberent adoleſcentes, eorundem illorum ſignificatorum (quos ſupra direximus) hic quoqꝫ directiones ſubijcere libuit.

Directiones Horoſcopi ad promiſſores reſpondent prioribus.

Directio-

Dierectiones Lunæ ad promiſſores.

Diſtantia Lunæ ab angulo Mediæ noctis 2 horarum cum ſextante unius.

⚹ ♃ ſiniſt.	5	2
△ ☉ dext.	26	27
△ ♂ ſiniſt.	28	5
△ ☿ dext.	34	57
□ ♃ ſiniſt.	39	27
△ ♀ dext.	47	45
♄ ☌	56	44
□ ☉ dext.	59	19
□ ☿ dext.	66	34

Directiones Solis per aſcenſiones mixtas.

Sol diſtat ab angulo occidentis per horam temporalem, & quadrantem horæ ferè. Cęterum quia planetas in occidua cœli regione tam in antecedentia contra ſignorum ordinem, quàm in conſequentia ſigniferi loca diriguntur, erit primum directio Solis ſiniſtra ſecundum ſignorum ſeriem iſtiuſmodi.

Ad	△ ♂ dexter	0	44
	☿	9	52
	♀	25	20
	⊕	29	9
	△ ♄ ſiniſter	35	23
	□ ♂ dexter	39	46
	☍ ☽	44	47
	△ ♃	52	37

Dextra uero Solis directio contra ſignorum ſeriem, iſtiuſmodi futura eſt in exemplo propoſitæ natiuitatis, ſecundum Ptolemæi ſententiam.

Ad	□ ♄ ſiniſt.	36	0
	☍ ♃	25	38
	△ ☽	30	34
	⚹ ♄ ſiniſt.	40	19
	⚹ ♀ dext.	50	30

Directiones Medij cœli ad promiſſores reſpondent ſuperioribus omnino.

Directiones partis fortunæ in conſequentia ſignorum loca ad promiſſores ſequentes.

Diſtantia partis fortunæ ab angulo occidentis 3 horarum, minus 4 minutis, Directio ſiniſtra partis fortunæ.

△	♄	ſiniſter	5	32
□	♂	dexter	9	31
☍	☽		15	31
△	♃	dexter	21	35
⚹	☉	ſiniſter	43	58
⚹	♂	dexter	45	54
⚹	☿	ſiniſter	52	53

Directio dextra partis fortunæ contra ſignorum ſucceſsionem.

☌	♀		4	45
☌	☿		19	16
△	♂	dext.	28	12
☌	☉		29	8
□	♄	ſiniſt.	32	3
☍	♃		56	10
△	☽	ſiniſt.	60	34
⚹	♄	ſiniſt.	69	11

Pro gradu diuiſionis & diuiſore, quem Algebuthar uocant.

ALgebuthar cognatum quiddam eſt ipſis directionibus. Ab ijs enim aſcenſiones & deſcenſiones tam rectas quàm obliquas locorum cœli mutuatur, ac ſub ſuo quaſuis poſitionis circulo conſiderans particulas ſigniferi ſingulis æquatoris partibus ſub eo circulo ſecundum aſcenſionem aut deſcenſionem, uel rectam uel obliquam debitas annotat, pro ſingulis annis, ſingulos æquatoris inter initia directionum poſitis, circuli gradibus computando.

Supra igitur ex primis duabus tabulis aſcenſiones ac deſcenſiones principalium figuræ cœleſtis locorum deſumtas unà cum circulo poſitionis ibidem aſsignato quære

quære in tabula ad eius eleuationẽ condita loca ſigniferi, ipſis aſcenſionibus aut deſcenſionibus debita, quæ pro loco primo anno natiuitatis conuenienti in capite tabulæ Algebuthar aſsignabis. Poſtea pro ſingulis annis ſequentibus ordine ſingulos gradus illis aſcenſionibus aut deſcẽſionibus adijcies, collectumq́ in ſua Tabula perquirens obſeruabis, cui ſigniferi loco reſpondeat, is enim eo anno diuiſionis ius diſpoſitionemq́ ſibi uendicabit. Vt exempli gratia pro Algebuthar ipſius Horoſcopi, ſupra inuenta eſt aſcenſio eius obliqua, ſub circulo poſitionis ſeu Horizonte, ſuper quem Boreus polus 48 gradibus eleuatur, 274 grad. 49 minut. cui reſpondent in ſua Tabula ♍ 26 grad. 12 minut. Hunc igitur gradum (quia non libet ſcrupuloſe omnia exquirere) primo anno aſsignabis. Poſtea uno adiecto æquatoris gradu ad aſcenſionem obliquam Horoſcopi, 175 grad. 48 minut. aſcenſionem obliquam Horoſcopi, pro anno ſecundo natiuitatis conficies, cui reſpondet ferè in tabula ſua 27. ♍. Atq́ ita æquabili graduum progreſsione ſeu adiectione obſeruata, totam graduum ſeriem tabulæ, pro ſingulis annis nati inſerendorum adminiculo tabulæ ad eam eleuationem factæ comperies. Sic age pro reliquis domorum, & locorum natiuitatis Algebuthar, ſeu diuiſionibus inueſtigandis, iuxta ſuos Horizontes, quorum poli eleuationes ſupra characteres planetarum aſsignatas cernis. Cęterum gradibus diuiſionum ita compertis, poſtea dominos terminorum, tantum adſcribe ex tabula dignitatum eſſentialium, in Iſagoga noſtra præſcripta, qui diuiſorum appellationem, dignitatemq́ hoc in loco obtinebunt. Quibus peractis habebis totam tabulam Algebuthar, ut conuenit, non ſolum diuiſionum gradibus, uerumetiam diuiſoribus ſuis exornatam, qualis ſequitur.

Circulus

Circulus poſitionis.

Rectus

Domus Anni curren.		gradus 48 1 ♍	diuiſor	gradus 44 2 ♎	diuiſor	gradus 29 3 ♏	diuiſor	gradus 4 ♐	diuiſor	gradus 29 5 ♒	diuiſor	gradus 44 6 ♓	diuiſor	gradus 48 7 ♓	diuiſor
1		26	♂	19	♃	17	☿	25	♄	4	☿	3	♀	26	♂
2		27		20		18		26	♂	5		4		27	
3		28	♄	21	♀	19	♃	27		5		5		28	♄
4		28		21		20		28		6		5		28	
5		29		22		21		29		7	♀	6		29	
6		♎		23		22		♑	☿	8		7		♈	♃
7		1		24		22		1		9		8		1	
8		1		24		23		2		10		8		1	
9		2		25		24	♄	3		10		9		2	
10		3		26		25		3		11		10		3	
11		4		27		26		4		12		11		4	
12		4		27		27		5		13	♃	11		4	
13		5		28	♂	28		6		14		12	♃	5	
14		6	☿	29		28		7	♃	15		13		6	♀
15		6		♏		29		8		16		14		6	
16		7		0		♐	♃	9		16		14		7	
17		8		1		1		10		17		15		8	
18		9		2		2		11		18		16	☿	9	
19		9		3		3		12		19		17		9	
20		10		3		4		13		20	♂	18		10	
1		11		4		4		14	♀	21		18		11	
22		12		5		5		14		22		19	♂	12	☿
23		12		6		6		15		22		20		12	
24		13		7	♀	7		16		23		21		13	
25		14	♃	7		8		17		24		21		14	
26		15		8		9		18		25	♄	22		15	
27		15		9		10		19		26		23		15	
28		16		10		10		20		27		24		16	
29		17		10		11		21		28		25		17	
30		17		11	☿	12	♀	22	♄	28		25		17	

Circulus poſitionis.

Rectus

Domus Anni curren.		gradus 44 7 ♈	diuiſor	gradus 29 9 ♉	diuiſor	gradus 10 ♊	diuiſor	gradus 29 11 ♌	diuiſor	gradus 44 12 ♍	diuiſor	gradus 11 ♐ ♑	diuiſor		
31		19	☿	17	♃	25	♄	4	♃	3	☿	9	♃		
32		20	♂	18		26		5		4		10			
33		21		19		27		5		5		11			
34		21		20		28		6	♀	5		11			
35		22		21		29		7		6		12			
36		23		22	♄	♋	♂	8		7	♀	13			
37		24		22		1		9		8		14	♀		
38		24		23		2		10		8		15			
39		25	♄	24		3		10		9		16			
40		26		25		3		11	♄	10		17			
41		27		26		4		12		11		18			
42		27		27	♂	5		13		11		19			
43		28		28		6		14		12		20			
44		29		28		7	♀	15		13		21			
45		♉	♀	29		8		16		14		21			
46		0		♊	☿	9		16		14		22	♄		
47		1		1		10		17		15		23			
48		2		2		11		18	☿	16		24			
49		3		3		12		19		17	♃	25			
50		3		4		13	☿	20		18		26	♂		
51		4		4		14		21		18		27			
52		5		5		14		22		19		28			
53		6		6	♃	15		22		20		29			
54		7		7		16		23		21	♂	♒	☿		
55		7		8		17		24	♂	21		1			
56		8	☿	9		18		25		22		2			
57		9		10		19	♃	26		23		2			
58		10		10		20		27		24		3			
59		10		11		21		28		25		4			
60		11		12	♀	22		28		25		5			

Circulus poſitionis.

Rectus

Domus Anni curren.		1 gradus 48	diuiſor	2 ♏ gradus 44	diuiſor	3 ♐ gradus 29	diuiſor	4 ♑ gradus	diuiſor	5 gradus 29	diuiſor	6 ♓ gradus 44	diuiſor	7 ♈ gradus 48	diuiſor
1	♎	18	♃	12	☿	13	♀	23	♄	29	♄	26	♂	18	☿
2		19		13		14		24		♓	♀	27		19	
3		20		13		15		25		1		28	♄	20	♂
4		20		14		16		26	♂	2		28		20	
5		21	♀	15		16		27		3		29		21	
6		22		16		17	☿	28		4		♈	♃	22	
7		23		16		18		29		4		1		23	
8		23		17		19		♒	☿	5		1		23	
9		24		18		20		0		6		2		24	
10		25		19	♃	21	♄	1		7		3		25	♄
11		25		19		22		2		8		4		25	
12		26		20		23		3		9		4		26	
13		27		21		23		4		10		5		27	
14		28	♂	22		24		5		11		6	♀	28	
15		28		22		25		6		11		7		28	
16		29		23		26	♂	7	♀	12	♃	8		29	
17		♏		24	♄	27		8		13		8		♉	♀
18		1		25		28		9		14		9		1	
19		1		26		29		10		15		10		1	
20		2		26		♑	☿	11		16	☿	11		2	
21		3		27		1		12		17		11		3	
22		4		28		2		13	♃	18		12	☿	4	
23		4		29		3		14		18		13		4	
24		5		29		4		15		19	♂	14		5	
25		6		0	♐ ♃	4		16		20		14		6	
26		6		1		5		17		21		15		6	
27		7	♀	2		6		18		22		16		7	
28		8		2		7	♃	19		23		17		8	☿
29		9		3		8		20	♂	24		18		9	
30		9		4		9		21		25		18		9	

Circulus poſitionis.

Rectus

Domus Anni curren.		gradus 44 8 ♉	diuiſor	gradus 29 9 ♊	diuiſor	gradus 10 ♋	diuiſor	gradus 29 11	diuiſor	gradus 44 12 ♍	diuiſor	gradus 11 + ♒	diuiſor		
31		12	☿	13	♀	23	♃	29	♂	26	♂	6	☿		
32		13		14		24		♍	☿	27		7	♀		
33		13		15		25		1		28	♄	8			
34		14	♃	16		26	♄	2		28		9			
35		15		16		27		3		29		10			
36		16		17	♂	28		4		♎		11			
37		16		18		29		4		1		12			
38		17		19		♌	♃	5		1		13	♃		
39		18		20		0		6		2		14			
40		19		21		1		7	♀	3		15			
41		19		22		2		8		4		16			
42		20		23		3		9		4		16			
43		21		23		4		10		5		17			
44		22	♄	24	♄	5		11		6	☿	18			
45		22		25		6	♀	11		7		19			
46		23		26		7		12		8		20	♂		
47		24		27		8		13		8		21			
48		25		28		9		14		9		22			
49		26		29		10		15		10		23			
50		26		♋	♂	11	♄	16		11		24			
51		27	♂	1		12		17	♃	11		25	♄		
52		28		2		13		18		12		26			
53		29		3		14		18		13		27			
54		29		4		15		19		14	♃	28			
55		♊	☿	4		16		20		14		29			
56		1		5		17		21	♂	15		♓	♀		
57		2		6		18	☿	22		16		1			
58		2		7	♀	19		23		17		2			
59		3		8		20		24		18		3			
60		4		9		21		25		18		4			

Circulus poſitionis.

Planetæ Anni curren.		gradus 48 ♃ ♍	diuiſor	gradus 33 ♂ ♌	diuiſor	gradus 46 ☉ ♈	diuiſor	gradus 39 ♀ ♉	diuiſor	gradus 44 ☿ ♈	diuiſor	gradus 29 ☽ ♏	diuiſor	gradus 37 ⊕ ♉	diuiſor
1		21	♂	11	♄	11	♀	0	♀	19	☿	17	☿	4	♀
2		22		11		11		1		19		18		5	
3		23		12		12	☿	1		20	♂	19	♃	5	
4		23		13		13		2		21		20		6	
5		24		14		14		3		22		20		7	
6		25		15		14		4		22		21		8	☿
7		26		16		15		5		23		22		9	
8		26		16		16		5		24		23		9	
9		27		17		17		6		25	♄	24	♄	10	
10		28	♄	18	☿	17		7		25		25		11	
11		29		19		18		8	♀	26		25		12	
12		29		20		19		9		27		26		13	
13		♎		21		20	♂	9		28		27		14	♃
14		1		21		20		10		28		28		15	
15		1		22		21		11		29		29		15	
16		2		23		22		12		♉	♀	♐	♃	16	
17		3		24	♂	23		13		1		1		17	
18		4		25		23		13		2		1		18	
19		4		26		24		14	♃	2		2		19	
20		5		26		25	♄	15		3		3		19	
21		6	☿	27		26		16		4		4		20	
22		7		28		26		16		5		5		21	
23		7		29		27		17		5		6		22	♄
24		8		♍	☿	28		18		6		7		23	
25		9		1		29		19		7		7		24	
26		10		1		29		20		8	☿	8		24	
27		10		2		♉	♀	20		8		9		25	
28		11		3		1		21		9		10		26	
29		12		4		2		22	♄	10		11	♀	27	♂
30		13		5		2		23		11		12		28	

Circulus poſitionis.

Planetę Anni curren.		gradus 48 ♃ ♓	diuiſor	gradus 33 ♂ ♍	diuiſor	gradus 46 ☉ ♉	diuiſor	gradus 39 ♀ ♉	diuiſor	gradus 44 ☿ ♉	diuiſor	gradus 29 ☽ ♐	diuiſor	gradus 37 ⊕ ♉	diuiſor
31		13	☿	6	☿	3	♀	24	♄	11	☿	13	♀	28	♂
32		14	♃	6		4		24		12		13		29	
33		15		7	♀	5		25		13		14		♊	☿
34		16		8		5		26		14	♃	15		1	
35		16		9		6		27	♂	14		16		2	
36		17		10		7		28		15		17	☿	3	
37		18		11		8	☿	28		16		18		3	
38		18		11		8		29		17		19		4	
39		19		12		9		♊	☿	17		20		5	
40		20		13		10		1		18		0		6	♃
41		21	♀	14		11		2		19		21	♄	7	
42		21		15		11		2		20		22		7	
43		22		16		12		3		20		23		8	
44		23		17	♃	13		4		21		24		9	
45		24		17		14	♃	5		22	♄	25		10	
46		24		18		14		6	♃	23		26	♂	11	
47		25		19		15		6		24		27		12	♀
48		26		20		16		7		24		28		12	
49		26		21	♂	17		8		25		28		13	
50		27		22		17		9		26		29		14	
51		28	♂	22		18		10		27	♂	♑	☿	15	
52		29		23		19		11		27		1		16	
53		29		24		19		11		28		2		17	♂
54		♏		25		20		12	♀	29		3		18	
55		1		26		21		13		♊	☿	4		18	
56		2		27		22	♄	14		0		5		19	
57		2		28	♄	22		15		1		6		20	
58		3		28		23		16		2		7	♃	21	
59		4		29		24		16		3		8		21	
60		4		30		25		17	♂	4		9		22	

Qui ſingulorum annorum ſint diuiſores præcipuorum locorum in geneſi propoſita.

ID facile per ſe intelliget prudens lector, ex Tabula præmiſſa. Nam anno nati currente, in margine Tabulæ deſcendente uerſus ſiniſtram aſſumpto, progreſſus inde uſq; ſub columnulam ſignificatoris, cuius diuiſorem ſcire deſideras, in duobus illis contiguis linearum ſpaciolis, primo diuiſionis gradum, ſecundo diuiſorem aſsignatum inuenies. Præeſt autem diuiſor ſæpè aliquot annis, quare illius ſemper anni gradui eum adiunximus, quo incœpit dominus termini illius diuiſoris gubernationem, officiumq; ſortiri, cuius quidem gubernatio, eo uſq; extenditur, donec alius diuiſor in eodem linearum ordine priori ſucceſſerit.

IIII.

Ad quæ ſigna profectiones annuæ quinq; locorum Hylegialium in annis ætatis nati pertingant inquirere.

FOrmabis Tabulam profectionum tali ordine. Pone in primum ordinem annos ætatis nati ab 1. in 12. In ſecundum ordinem annos à 13. in 24. In tertium ab 25 in 36, & ſic conſequenter uſq; ad annos ultimos ætatis nati. Et in capitibus illorum annorum ætatis ſcribe annos Chriſti, ſic uidelicet: In primo ordine ſupra 1. annum ætatis ſcribe annos Chriſti currentes tuæ geniture, quibus adde 12 annos, & collectum hoc pone ſupra 13 annum ætatis, & ſic ſemper addendo 12 annos, uſq; in ultimum ordinem annorum ætatis. Deinde ad dextram illorum annorum ætatis, pone in directo 1 anni ætatis, Signum aſcendentis, deinde ſignum Lunæ in ſecundo ordine. Item ſignum Solis in tertio ordine. Deinde ſignum Medij cœli. Vltimo ſignum partis fortunæ. Demum à capitibus illorum ordinum deſcendendo, ſcribe ſequentia ſigna ſecundum ordinem ſignorum, & parata erit Tabula. Huius rei exemplum uide hanc Tabulam ſequentem geniture propoſitæ.

Tabula

Tabula Radicum profectionum.

Anni Chriſti	1459	1471	1483	1495	1507	Aſcendentis.	Lunæ.	Solis.	M.C.	P.fortunæ.
	1	13	25	37	49	♍ 26	♏ 18.8	♈ 10	♊ 25	♉ 3.28
	2	14	26	38	50	♎	♐	♉ (40	♋	♊
	3	15	27	39	51	♏	♑	♊	♌	♋
	4	16	28	40	52	♐	♒	♋	♍	♌
	5	17	29	41	53	♑	♓	♌	♎	♍
	6	18	30	42	54	♒	♈	♍	♏	♎
	7	19	31	43	55	♓	♉	♎	♐	♏
	8	20	32	44	56	♈	♊	♏	♑	♐
Anni ætatis	9	21	33	45	57	♉	♋	♐	♒	♑
	10	22	34	46	58	♊	♌	♑	♓	♒
	11	23	35	47	39	♋	♍	♒	♈	♓
	12	24	36	48	60	♌	♎	♓	♉	♈

Ex hac Tabula inuenies quolibet anno ætatis nati ad quod ſignum aliqua profectio annua pertingat, ut anno ætatis nati, cuius hæc eſt Tabula 16. currente, uel inchoante, id eſt anno Chriſti 1474. fuit profectio aſcendentis ad 26. gradum ♐, profectio Lunæ ad 18.8 ♒. Profectio Solis ad 10.40 ♋, & ſic de alijs &c.

Pro diſpoſitione Tabulæ profectionum pro die quo profectio hæc annua ad certum aſpectum uel locum cœli pertinget, ita procede: Primum ſcribe dies 31. ad leuam tabulæ. Deinde in capite tabulæ duodecim menſes: ut Ianuarius, Februarius, &c. iuxta ordinem. Deinde impone numeros graduum & minutorum ad aream tabulæ, incipieudo numerum graduum & minutorum, ſcilicet 0.0. in die natiuitatis. Deinde mox ſequentem diem 0.5, ad tertium 0.10, & ſic conſequentur iuxta ordinem ſicut habet tabula ſequens, & erit completa.

Ne autem lateat te ratio horum numerorum inquirendorum, ac componendi totam hanc tabulam. Scias ſicut annuę profectioni unum ſignum dedimus: ita etiam nos in hac Tabula integrum ſignum in 365. dies partiri. Id autem hoc modo facile fiet, ſi 30 gradus per ſexagenarium in minuta reſolueris, colliges 1800 minuta. Inde ſi rurſus ſexagenaria multiplicatione hæc minuta in ſcrupula ſecundaria transformaueris habebis 108000 ſecunda quæ ſi per 365 dies diuiſeris, colliges in quotiente 296 ferè ſecundaria ſcrupula, quæ faciunt 4 minuta, 56 ſecunda. Hæc ſi à primo natiuitatis die exorſus, ordine continuaris uſq; ad ultimum anni natalicij diem, qui finiatur in recurſu Meridiei, eius diei, quo natus eſt infans, colliges tandem integrum triginta graduum unius ſigni numerum.

Exemplum genituræ propoſitæ.

Tabula pro diebus, quibus profectio annua ad certum locum figuræ cœli pertinget.

Dies	Ianua. G.M.	Febru. G.M.	Mart. G.M.	April. G.M.	Maio. G.M.	Iunio. G.M.
1	23 25	25 57	28 15	0 50	3 17	5 50
2	23 30	26 2	28 20	0 55	3 22	5 55
3	23 35	26 7	28 25	0 59	3 27	6 0
4	23 39	26 12	28 30	1 4	3 32	6 5
5	23 44	26 17	28 35	1 9	3 37	6 10
6	23 49	26 22	28 40	1 14	3 42	6 15
7	23 54	26 27	28 45	1 19	3 47	6 20
8	23 59	26 32	28 50	1 24	3 52	6 25
9	24 4	26 37	28 55	1 29	3 57	6 30
10	24 9	26 42	29 0	1 34	4 2	6 35
11	24 14	26 47	29 5	1 39	4 7	6 40
12	24 19	26 52	29 10	1 44	4 12	6 45
13	24 24	26 57	29 15	1 49	4 17	6 50
14	24 29	27 2	29 20	1 53	4 21	6 54
15	24 34	27 7	29 25	1 58	4 26	6 59
16	24 39	27 12	29 30	2 3	4 31	7 4
17	24 44	27 17	29 35	2 8	4 36	7 9
18	24 49	27 22	29 40	2 13	4 41	7 14
19	24 54	27 27	29 45	2 18	4 46	7 19
20	24 58	27 32	29 50	2 23	4 51	7 24
21	25 3	27 37	29 55	2 28	4 56	7 29
22	25 8	27 41	0 0	2 33	5 0	7 34
23	25 13	27 46	0 5	2 38	5 5	7 39
24	25 18	27 51	0 10	2 42	5 10	7 43
25	25 23	27 56	0 15	2 47	5 15	7 48
26	25 28	28 0	0 20	2 52	5 20	7 53
27	25 33	28 5	0 25	2 57	5 25	7 58
28	25 38	28 10	0 30	3 2	5 30	8 3
29	25 43		0 35	3 7	5 35	8 8
30	25 48		0 40	3 12	5 40	8 13
31	25 53		0 45		5 45	

Tabula pro diebus, quibus profectio annua ad certum locum figuræ cœli pertinget.

Dies	Iulius. G.M.	Augu. G.M.	Sept. G.M.	Octo. G.M.	Nouẽ. G.M.	Decẽ. G.M.
1	8 18	10 51	13 24	15 52	18 25	20 52
2	8 23	10 56	13 29	15 57	18 30	20 57
3	8 28	11 1	13 33	16 2	18 34	21 2
4	8 33	11 6	13 38	16 6	18 39	21 7
5	8 38	11 11	13 43	16 11	18 44	21 12
6	8 43	11 16	13 48	16 16	18 49	21 17
7	8 48	11 21	13 53	16 21	18 54	21 22
8	8 53	11 26	13 58	16 26	18 58	21 27
9	8 58	11 31	14 3	16 31	19 3	21 32
10	9 3	11 36	14 8	16 36	19 8	21 37
11	9 8	11 41	14 13	16 41	19 13	21 42
12	9 13	11 46	14 18	16 46	19 18	21 47
13	9 18	11 51	14 23	16 51	19 23	21 52
14	9 23	11 55	14 28	16 55	19 28	21 56
15	9 27	12 0	14 33	17 0	19 33	22 1
16	9 32	12 5	14 38	17 5	19 38	22 6
17	9 37	12 10	14 43	17 10	19 43	22 11
18	9 42	12 15	14 48	17 15	19 48	22 16
19	9 47	12 20	14 53	17 20	19 53	22 21
20	9 52	12 25	14 57	17 25	19 57	22 26
21	9 57	12 30	15 2	17 30	20 2	22 31
22	10 1	12 35	15 7	17 35	20 7	22 36
23	10 6	12 40	15 12	17 40	20 12	22 41
24	10 11	12 44	15 17	17 45	20 17	22 46
25	10 16	12 49	15 22	17 50	20 22	22 50
26	10 21	12 54	15 27	17 55	20 27	22 55
27	10 26	12 59	15 32	18 0	20 32	23 0
28	10 31	13 4	15 37	18 5	20 37	23 5
29	10 36	13 9	15 42	18 10	20 42	23 10
30	10 41	13 14	15 47	18 15	20 47	23 15
31	10 46	13 19		18 20		23 20

Quomodo dies exploretur, quo profectio annua ad certum locum figuræ cœli perueniat.

EX tabula Radiationum atq; aſpectuum locorum geniture propoſitæ, quæ ſupra libro primo, pagina ſexta ponitur, excipe locum aſpectus, cuius diem quæris, quem ad partem notabis. Deinde ſubſcribe illi Signum, gradum & minutum profectionis annuæ ex Tabula Radicum profectionum, & eum numerum ſubtrahe à primo, & ueniet differentia inter ſignum & gradum &c. radicis profectionis, & locum aſpectus, cuius diem quæris. Vt ſi radix profectionis aſcendentis anno 16. ætatis nati fuit 26. gradus Sagittarij, uolo inueſtigare diem quando pertinget ad corpus Saturni, fuit autem Saturnus in 8. grad. 31. minut. Capricorni, operare ut infra.

Signa	Gradus	Minuta	
9	8	31	Corpus Saturni
8	26	0	radix profectionis annuæ
0	12	31	diſtantia inter radicem profectionis & corpus Saturni.

Hos gradus 12. minut. 31. quæro in tabula præcedenti, & reperio uiciniorem 12. 30. in cuius numeri capite ponitur menſis Auguſtus, & ad læuam tabulæ in ordine dierum 21. Dico igitur die 21. Auguſti profectionem annuam pertingere ad corpus Saturni.

Profectiones menſurnas atq; diurnas ſi cupis, conſule tabulas Directionum M. Ioannis de Monteregio.

Tabula

Tabulæ duæ Alfridariæ uniuerſales omnibus genituris hominum inſeruientes.

Pro diurnis natiuitatibus.

		Anni	dies			Anni	dies
☉		1	156	♃		52	260
☉	♀	2	313	♃	♂	54	156
☉	☿	4	104	♃	☉	56	52
☉	☽	5	260	♃	♀	57	313
☉	♄	7	52	♃	☿	59	208
☉	♃	8	208	♃	☽	61	104
☉	♂	10	0	♃	♄	63	0
♀		11	52	♂		64	0
♀	♀	12	104	♂	☉	65	0
♀	☽	13	156	♂	♀	66	0
♀	♄	14	208	♂	☿	67	0
♀	♃	15	260	♂	☽	68	0
♀	♂	16	313	♂	♄	69	0
♀	☉	18	0	♂	♃	70	0
☿		19	313	☊		73	0
☿	☽	21	260	☋		75	0
☿	♄	23	208	☉		76	156
☿	♃	25	156	☉	♀	77	313
☿	♂	27	104	☉	☿	79	104
☿	☉	29	52	☉	☽	80	260
☿	♀	31	0	☉	♄	82	52
☽		32	104	☉	♃	83	208
☽	♄	33	208	☉	♂	85	0
☽	♃	34	313	♀		86	52
☽	♂	36	52	♀	☿	87	104
☽	☉	37	156	♀	☽	88	156
☽	♀	38	260	♀	♄	89	208
☽	☿	40	0	♀	♃	90	260
♄		41	208	♀	♂	91	313
♄	♃	43	52	♀	☉	93	0
♄	♂	44	260	☿		94	313
♄	☉	46	104	☿	☽	96	260
♄	♀	47	313	☿	♄	98	208
♄	☿	49	156	☿	♃	110	156
♄	☽	51	0				

Pro nocturnis natiuitatibus.

		Anni	dies			Anni	dies
☽		1	103	♀		50	52
☽	♄	2	208	♀	☿	51	104
☽	♃	3	313	♀	☽	52	156
☽	♂	5	52	♀	♄	53	208
☽	☉	6	156	♀	♃	54	260
☽	♀	7	260	♀	♂	55	312
☽	☿	9	0	♀	☉	57	0
♄		10	208	☿		58	313
♄	♃	12	52	☿	☽	60	260
♄	♂	13	260	☿	♄	62	208
♄	☉	15	104	☿	♃	64	156
♄	♀	16	313	☿	♂	66	104
♄	☿	18	156	☿	☉	68	52
♄	☽	20	0	☿	♀	70	0
♃		21	260	☊		73	0
♃	♂	23	156	☋		74	0
♃	☉	25	52	☽		76	104
♃	♀	26	313	☽	♄	77	208
♃	☿	28	208	☽	♃	78	313
♃	☽	30	104	☽	♂	80	52
♃	♄	32	0	☽	☉	81	156
♂		33	0	☽	♀	82	260
♂	☉	34	0	☽	☿	84	0
♂	♀	35	0	♄		85	208
♂	☿	36	0	♄	♃	87	52
♂	☽	37	0	♄	♂	88	260
♂	♄	38	0	♄	☉	90	104
♂	♃	39	0	♄	♀	91	313
☉		40	156	♄	☿	93	156
☉	♀	41	313	♄	☽	95	0
☉	☿	43	104	♃		96	260
☉	☽	44	260	♃	♂	98	156
☉	♄	46	52	♃	☉	110	52
☉	♃	47	208				
☉	♂	49	0				

VI. In ordine nunc de domino orbis ac domo figuræ cœleſtis, quam idem dominus orbis gubernabit determinandum. Pro hac autem re formabis tibi tabulam, ut in promptu omnia habeas ad manus. Pone in primum ordinem annos ætatis nati tui ſecundum ordinem, & pro primo anno, colloca planetam dominum horæ tuæ geniture. Pro ſecundo anno planetam mox ſequentem in ordine orbium planetarum deſcendendo, & ſic in finem uſq; annorum tuorum. In tertium uero ordinem, pone domos, primam pro primo anno, ſecūdam domum pro ſecundo anno, ut in ſequenti tabula, quæ pro genitura propoſita in exemplum dictorum ponitur.

Anni ęta. nati	Domi. orbis	Domus	Anni ęta. nati	Domi. orbis	Domus
1	♀	Prima	31	☽	Septim.
2	☿	Secūda	32	♄	Octaua
3	☽	Tertia	33	♃	Nona
4	♄	Quarta	34	♂	Decim.
5	♃	Quinta	35	☉	Vndec.
6	♂	Sexta	36	♀	Duode.
7	☉	Septim.	37	☿	Prima
8	♀	Octaua	38	☽	Secūda
9	☿	Nona	39	♄	Tertia
10	☽	Decim.	40	♃	Quarta
11	♄	Vndec.	41	♂	Quinta
12	♃	Duode.	42	☉	Sexta
13	♂	Prima	43	♀	Septim.
14	☉	Secūda	44	☿	Octaua
15	♀	Tertia	45	☽	Nona
16	☿	Quarta	46	♄	Decim.
17	☽	Quinta	47	♃	Vndec.
18	♄	Sexta	48	♂	Duode.
19	♃	Septim.	49	☉	Prima
20	♂	Octaua	50	♀	Secūda
21	☉	Nona	51	☿	Tertia
22	♀	Decim.	52	☽	Quarta
23	☿	Vndec.	53	♄	Quinta
24	☽	Duode.	54	♃	Sexta
25	♄	Prima	55	♂	Septim.
26	♃	Secūda	56	☉	Octaua
27	♂	Tertia	57	♀	Nona
28	☉	Quarta	58	☿	Decim.
29	♀	Quinta	59	☽	Vndec.
30	☿	Sexta	60	♄	Duode.

VII. Tabula Chronocratorū ſiue dominorum decenniorū conſtituere.

IN hac diſtributione ſerua ordinem ſequentem, in diurnis genituris incipe à Sole, cui ſuccedat Planeta proxime ipſum in ordine figuræ natiuitatis ſequens ſecundum ſignorum ſequelam. In nocte autem à Luna incipe. Deinde ſubiunge alios planetas, qui eam in ordine ſignorum ſequuntur. Et ſecundum hunc modum Sol dat annum unum, & dies 210. ſecundum Tabulam uniuerſalem ſequentem.

Plane

Planetæ	Anni	Dies
☉	1	210
☾	2	30
♄	2	180
♃	1	0
♂	1	90
♀	0	240
☿	1	240

Vniuerſalis diſtributio temporum dominorum decenniorum.

Ad formandum autem ex his tabulam Chronocratorum, Pone in primum or-
dinem tabulæ planetas iuxta ordinem ſignorũ figurę natiuitatis. Nam in diurna ge-
nitura, pone primo Solem. In nocturna Lunam, deinde alios iuxta ordinem figuræ
natiuitatis. Quibus ita diſpoſitis, aſcribe Soli uel Lunę, ſecundum quòd fuerit natiui-
tas diurna uel nocturna, annos ſuos ex præcedẽti parua tabula. Deinde adde illis an-
nos, & dies mox ſequentis planetæ in ordine figurę natiuitatis, quibus collectis aſcri
be hoc collectum ſuo planetæ. Deinde adde etiam huic collecto annos & dies alte-
rius etiam mox ſequentis planetæ, & ſic quemlibet numerum annorum & dierum,
ſic excreſcentem, appone tali planetæ ſequenti, & ſic uſq; in finem annorũ nati. Ex-
emplum accipe propoſitæ geniture quæ fuit diurna, planetę fuerunt in themate na-
talitio hoc ordine poſt Solem, Mercurius, Venus, Mars, Iupiter, Luna, Saturnus.

Tabula Chronocratorum genituræ propoſitæ.

	Anni	dies		Anni	dies
☉	1	210	♀ ☿	32	50
☉ ☿	3	85	♂	33	140
☉ ♀	3	325	♂ ♃	34	140
☉ ♂	5	50	♂ ☽	36	170
☉ ♃	6	50	♂ ♄	38	350
☉ ☽	8	80	♂ ☉	40	195
☉ ♄	10	260	♂ ☿	42	70
☿	12	135	♂ ♀	42	310
☿ ♀	13	10	♃	43	310
☿ ♂	14	100	♃ ☾	45	340
☿ ♃	15	100	♃ ♄	48	155
☿ ☽	17	130	♃ ☉	50	0
☿ ♄	19	310	♃ ☿	51	240
☿ ☉	21	155	♃ ♀	52	115
♀	22	30	♃ ♂	53	205
♀ ♂	23	120	☽	55	235
♀ ♃	24	120	☽ ♄	58	50
♀ ☽	26	150	☽ ☉	59	260
♀ ♄	28	330	☽ ☿	61	135
♀ ☉	30	175			

VIII.

Conuerſiones ſiue Reuolutiones Lunæ menſtruas perſcrutari.

MEnſium conuerſiones fiunt diebus uiginti octo, horis duabus ac minutis circiter 18. Quos ſi adieceris diebus, horis & minutis annuæ conuerſionis, reſultabit ſequens conuerſio menſtrua. Sin autem addideris dies 56. horas 4. minuta 35. prodibit tempus ſecundæ conuerſionis menſtruæ, & ſic de cæteris, ut in Tabula ſequenti. Si enim cum earum congerie per ſingulos menſes figuras cœleſtes erexeris, quæ quodammodo futura ſit nato uirtus uegetandi, itemq́ corporis atq animæ connexiones commonſtrabunt.

Tabula conuerſionum menſtruarum Lunæ.

Menſes prof.	dies	Horas	Minut.	Secun.
1	28	2	17	37
2	56	4	35	14
3	84	6	52	51
4	112	9	10	28
5	140	11	28	5
6	168	13	45	42
7	196	16	3	19
8	224	18	20	55
9	252	20	38	32
10	280	22	56	9
11	309	1	13	46
12	337	3	31	23
13	365	5	49	0

CAPVT II.

De generalibus Gubernatoribus ſeptem ætatum.

LVNA gubernatrix generalis ætatis infantiæ ab hora natiuitatis in finem quatuor annorum, cum ſit frigidæ & humidæ naturæ, diſpo-nit infantem iuxta ſui naturam, cum multis humiditatibus, unde & linguæ eorum graues ad loquendum, ſicut etiam notatur in il-lis, qui bibunt ad ebrietatem uſq. Sunt enim infantes mobiles, ue-luti Luna, unde & ex quacunq leui cauſa alterabitur infans, præ-ſertim quando Luna in figura radicis atq reuolutionis fuerit malè diſpoſita. Si uerò bene diſpoſita fuerit, uiuet ſanus.

Mercurius quinto anno ætatis nati accipit cum Luna gubernationem gene-ralem annorum pueritiæ, uſq in 14. annum ætatis nati, qui ex natura ſua propria

frigi-

frigidus & ſiccus exiſtit, ſi nulli planetarum commiſcetur. Si uero alicui commiſcetur, induit naturam talis planetæ, ut ſi in radice habuerit commixtionem cum planeta calidæ & ſiccæ naturæ, tunc exacuet linguam nati & loquelam, item rationem, & intellectum pueri, fietq; idoneus ad diſciplinas capeſſendas, ſi Mercurius bene diſpoſitus fuerit, præſertim in aliquo domicilio Saturni. Si uero cum planeta frigido, & humido commiſcetur, uel ſi repertus fuerit in Tauro, uel Scorpione malè diſpoſitus & infœlix, tunc pueri lingua & loquela tardabitur & impedietur, eritq; ingenio rudis. Et quandocunq; in reuolutione Mercurius bene diſpoſitus fuerit, illo anno ad diſciplinas propenſior erit. Si contrarium fuerit, contrarium dicito.

Venus in 15 anno ætatis nati, accipit cum Mercurio regimen hoc generale annorum adoleſcentiæ, uſq; in 22 annum ætatis, quæ eſt naturæ frigidæ & humidæ, natum ad res Venereas, uoluptates, gaudia, amores & muſicam tunc inclinabit. Quæ ſi in radice fuerit in maſculino ſigno, erit pronus ad Venerem, eiuſdem generis, Si in fœminino, ad fœminas. Quòd ſi in Virgine, aut Capricorno fuerit ab infortunis impedita, erit mollis, & impudicus. Si fuerit ſic in mulieris genitura, erit meretrix, uel infamis. Quòd ſi tunc etiam Venus fuerit domina anni, fiet feruentiſsimus in amore, utetur rebus odoriferis, pulchris ornamentis, muſica, lautis conuiuijs, uenationibus, aucupijs, & ſimilibus, quæ animum delectabunt. Hæc gubernatio erit ſecundum eſſe Veneris, ut quando boni eſſe fuerit, natus completus erit, & quando mali eſſe, deficiet in rebus Venereis.

Sol anni 23 ætatis nati fit gubernator generalis ætatis iuuentutis cum Venere, uſq; in annum 41. ętatis nati, qui natura calidus & ſiccus eſt, animum nati à rebus Venereis aliquantulum declinare faciet, & ad gloriæ cupiditatem inclinat, audacem in rebus ſuis facit, acutum, ſagacem, auidum ad opes parandas, & ad honores ac magiſtratus ambiendos. Erit tunc amans iuſtitiæ, retrahet ſe à lucris & ludis, & ad ſeria ſe conferet, perquiretq; gloriam, honorem & bonum nomen. Si Sol gubernator generalis fortunatus fuerit in radice natiuitatis, erit eius gubernatio bona & completa. Si infortunatus, nato accidet damnum in gubernatione eius.

Mars 42. anno fit gubernator generalis annorum uirilitatis cum Sole uſq; ad finem anni 56 ætatis nati, natura calidus & ſiccus, natum ad magiſtratus petendos, & ad rem parandam inclinabit, fiet tum attentior ad rem parandam, iracundus, cholericus, aliquando aduerſas ualetudines experietur. Sed animus ſemper altiora petet. Vires corporis incipient tum deficere, multa inchoabit, ſed uix ad finem uſq; optatum perducet. Mars itaq; cum gubernator generalis fortis fuerit, & in radice ac reuolutione bene diſpoſitus, acquiret magiſtratum &c. Si non, minime conſequetur.

Iupiter anno ætatis nati 57. incipit gubernationem ſenectutis cum Marte, uſq; in annum 68. ætatis nati, natura calidus & humidus, qui hoc ſuo tempore inclinabit natum ad res diuinas ac religioſas, retrahetq; à curis, ac laboribus mundanis, ac deditum faciet natum ocio & quieti, nolens ſe ulterius exponere periculis, quòd indies cogitabit turpia & dicta, & facta relinquere, & ad æterna mentem diriget.

Saturnus in anno 69. ætatis nati fit gubernator decrepitæ ætatis cum Ioue uſq; in annum ætatis 98. natura frigidus & ſiccus. Debilitat igitur iſto ſuo tempore corpus nati, & incuruat, qui tremulus, & baculo innixus, difficulter ambulabit, moleſtus omnibus, gaudia & ſolatia non curabit, ſed odio eos habebit, qui gaudijs & lætitijs uacant, nam alijs rebus ipſe ſemper intentus, ideo de ſuis factis loquitur. Si quis autem nonageſimum octauum annum ſuperauerit, incipient tunc ſecundario in eo anni ætatis Lunæ cum Saturno, fietq; tunc talis ut infans, quoniam tunc eſt ſub annis ſecundis infantiæ, uſq; in finem annorum 102. ultra hos annos pauci ui-

tam agunt, noſtro hoc ſæculo. Si uero hoſce tranſiuerint annos, fient ſibi ipſis atq; alijs tœdioſi.

Notandum tamen quôd planeta generalis gubernator ætatis nati, ſi bene diſpoſitus, atq; fœlix & ſaluus, tam in radice, quàm in reuolutione natiuitatis inuentus fuerit, ſignificata ſua etiam fœliciter, & bene tali anno abſoluet. Si debilis & infortunatus, debiliter & malè ſignificabit. Vt exemplo etiam lucidius capias, Sit ſol in radice fœlix, & in reuolutione ſimiliter, fueritq; in reuolutionis figura in quinta domo, ſignificabit tunc fortunam ex ſignificato gubernatoris, ſcilicet Solis, & de natura domus quintæ, ut fortunam quandam per uoluptates & mulieres: Si infortunatus in radice & reuolutione, & in figura reuolutionis in 12. domo fuerit, ſignificabit damnum ſignificati Solis, ratione ſignificationis 12. domus tali anno reuolutionis.

CAPVT III.

De uitæ ſpatio, & temporibus euentuum, per locorum Hylegialium progreſsiones, ſiue directiones, iuxta mentem Ptolemæi.

QVA ratione ex Arabum doctrina uitæ periodus inquiratur, initio huius operis oſtendimus. Verum Ptolemæi rationem, quæ ex directionum doctrina dependet, placuit in hunc locum differre. Duximus enim ex re ſtudioſorum fore, ſi ueluti in faſciculum, totam rationem præuidendi ex progreſsionibus, ea quæ euentura ſint nato, cum in animi ac corporis, tum in fortunæ bonis, unum in locum colligeremus. Initio uerò Ptolemæi hac in parte ſententiam, quantum fieri poterit dilucidiſsimê explicabimus, cui deinde ſubiungemus quæ nobis præcipua, & maxime utilia ex aliorum traditionibus eſſe uidebuntur. Non autem oſcitantem, aut fugitantem laboris eum Mathematicum eſſe oportet, qui iuxta Ptolemæi ſententiam, periodum uitæ nati conſtituere uoluerit. Et ſi enim uitæ dator, ſeu Hylech non difficilis inuentu fuerit, tamen quando uis datoris uitæ extinguatur, & quæ ſtella ſit ἀτροπος ſeu interemptrix nati, non eſt mediocris operæ, & prudentiæ proſpicere. Conſentaneum quidem eſt Phyſicis rationibus interimere corpora maleficarum, & earum quadratos & oppoſitos aſpectus. Item ſextiles earundem maleficarum quos proijciunt in obedientia ſigna, quibus tanquâm tyranni imperent, aut in antiſcia ſuorum locorum, cum in his uires ſuas exerceant, non aliter ac in locis in quibus commorantur. Hylegij quoq; ſiniſter quadratus, item ſextilis de ſignis multorum temporum aſcenſionum, & trinus paucorum temporum aſcenſionum, ſi ſint infecti, uitæ nati inſidiari uidentur. Præterea quando Luna adepta fuerit Hylegialem poteſtatem, Solis locus etiam interimit. Verùm enimuero hæc loca non perpetuò interimunt. Cum namq; Hylech ſit aut in orientalibus partibus â Medio cœli, aut in locis declinãtibus â Medio cœli, ſi in his fuerit, occaſus tantum Hylech occultare, & uitæ dominium auferre cenſebitur, occurſum autem interimentium locorum diminuere, pro ratione ſupra expoſita de temporibus, ſeu annis generalis progreſsionis, cum interimentia loca ſubeat, neq; ipſa datorem uitæ inuadant. At ſi Hylech in orientalibus locis fuerit, quanquam interimentia loca deducantur ad conſimilem ſitum Hylegij, & Hylech, ſeu uitæ datorem hoſtiliter inuadant, tamen tum demum interimunt, quando ſunt infecta, neq; ſunt in beneficarum finibus, aut uis interimentium locorum per applicationem, uel defluxum de trino quadrato uel oppoſito beneficarum non infringitur, ſic tamen ne Iupiter

piter, aut eius dicti radij, ultra duodecim partes, aut Veneris ultra octo, ab interimen
te loco diſtent: Impeditur etiam nocens uis interimentis, quando eius non eadẽ cum
Hylegio latitudo fuerit. Quemadmodum igitur peritus dux rei militaris prudenter
de euentu militiæ ratiocinari poteſt, cum utriuſq; exercitus duces, militem, ſociorum
ſubſidia, & auxilia inter ſe contulerit: Ita ſagax & prudens Mathematicus, ſi tanquã
duos exercitus, Hylech quod uitam nati defendit, & interemptores, qui eandem op
pugnant conferat, de euentu pugnæ erudite ratiocinabitur. Triplicem aũt euentum
pugnæ fore neceſſe eſt, aut enim uictoria erit penes interemptorem, & tum nihil cer
tius eſt morte nati. Aut penes datorem uitæ, & hæc aut eſt cruenta, cum ſumma diffi
cultate, ſummoq; periculo uitæ, aut eſt minus cruenta uictoria, nẽpe cũ aliquo paruo
uitę periculo. Quis eñ unquam congreſſus cum hoſte ſine damno ab eo abſceſſerit?
In dijudicatione uerò cui cedat uictoria, duo expendenda ſunt. Primũ in Hylegio,
ne plus uiriũ, an illi loco interemptori inſit. Cui nempe plures aſtipulentur, & opem
ferant, quis eorũ ſit efficacior, Hylech ne an interemptor, cuiusq; adſtipulatores ſint
maiore in dignitate poſiti, aut efficatiores, ut ſi unius adſtipulatores eſſent in locis
ſuis, ſeu prærogatiuis, & orientales, alterius aũt non eſſent in ſuis locis, & occidenta-
les. Stellæ uerò à Solis radijs oppreſſæ, neutri parti ſubſidio eſſe poſſunt, niſi in Lunę
directione, quando eſt Hylech. Quia eñ Solis locus interimit maleficæ coniunctus,
eius nocendi uis fit uehementior, pręſertim ſi hoc malum nulla beneficarum auertat.
Alterum aũt eſt, ut conſideremus quibus in locis ſtellæ commorentur, ea in reuolu-
tione quæ ſequitur finem annorum, quos definit progreſsio interemptoris, dum ad
conſimilem ſitum Hylegij deducitur. Proinde cum interemptor plus uiriũ habuerit,
quàm uitæ dator, & inſuper præcipua genituræ loca malignis ſtellarum radijs, ut di-
ctũ progreſsionis generalis tempore, infecta fuerint, uitę dator ſuccumbet, & immi
nebit uitæ certiſsimus finis. Sin autem interemptor potens ſit, præcipua uero geni-
turæ loca tempore decreti à beneficis foueantur, aut contrà interemptor parum ha-
beat uirium, præcipua uerò loca ſint infecta, Climacteras, & maxima uitæ pericula
imminere cenſendum eſt. Deniq; ſi Hylech ſatis uirium habuerit, & præcipua loca
non ſint infecta, tamen interemptor natũ lædet, aut imbecillem reddet. Quòd ſi ad-
huc de uitæ termino dubitaueris, & neſcias cui loco uim interimendi tribuas, poſitus
ſtellarum in genitura diligentius conſidera, & quid maxime temperamento, ſeu na-
turæ nati conueniat, aut aduerſetur, exquire, & coniecturam deinde facito de occur-
ſibus, qui tali temperamento, ſeu cõplexioni infeſtiſsimè aduerſentur. Item quid pro
hibet quo minus ad inſtar diligentis Medici explores, quid nato ab ineunte ætate
euenerit, quam diſcraſiam corporis, aut quos morbos ſenſerit, & quo ętatis tempore.
Deinde ſingulos occurſus in utroq; progreſsionis modo ſub conſpectum ponas, &
conſideres quibus occurſibus, quibusuè alijs cauſis pro geniturę ratione talia euenta
reſpondeant, ac inde erudite de ſequentibus occurſibus conijcias. Sin autem omnia
adhuc nihilominus uideantur æqualia, exquiras quæ directiones, ſeu qui occurſus,
uel ratione ætatis, uel uniuerſalium cauſarum, quæ ad totas regiones pertinent, uel
propter pręteritos occurſus, qui naturam debilitauerint, uel alijs ſimilibus de cauſis,
ſi exitiales ſint, in nocendo adiuuentur, uel ſi boni ſint, deprauentur, ut parum ſuble-
uare natum queant, ac pro rerum circumſtantijs, mortis tempus æſtima. Porrò quem
admodum in progreſsione Hylegij occurſus interemptricum ſtellarum mortis tem-
pus, ſicut oſtenſum, indicant, ita Hylegiorum progreſsiones, quid, & quo tempore, in
omnibus uitę partibus euenturũ ſit nato, definiunt. Aſcendẽtis progreſsio quæ cor-
pori euẽtura ſint, & peregrinatiões determinat. Partis aũt fortunæ progreſsio notat
ea fata, quæ bonis, & facultatibus nati impendent. Lunæ progreſsio, animi mores,
& nati conuerſationes deſcribit. Ex Solis autem progreſsione, de dignitate & glo-
ria nati coniecturam facimus. At Medij cœli progreſsio, cæteras uitæ actiones,

& ami-

& amicitias regit, ac prolis procreationem fouet. Proinde quando tempore decreti ad Aſcendens benefica deducitur, bonum corporis habitum, & fœlices peregrinationes nato decernemus. At ſi malefica Horoſcopo occurrat, contra diſcraſiam corporis, & infœlices peregrinationes nato prædicemus. De reliquorum Hylegiorum progreſsionibus, eodem modo, in ijs quę ſignificant fortunam, aut infortunium pronunciabimus. Si tamen omnibus, aut pleriſq; Hylegijs occurrant loca fortunata, ſumma fœlicitate natus utetur, ſicut Alexander magnus, aut Timoleon. Contra ſi omnibus, aut pleriſq; Hylegijs infauſta occurrent loca, natus in ſummam calamitatem incidet, ueluti in Biblijs Iob, aut in hiſtorijs Phocion, & Bellaſſarius. Sed hæc ſumma fœlicitatis, aut miſeriæ exempla rariora ſunt, Deo hæc ita gubernante. Cum hęc imbecillis natura impar ſit tanto oneri, ut ſummam fœlicitatem, ſummamuè miſeriam ſuſtinere queat. Eruditē igitur dicitur in fabulis, Iouem alternatim nunc fœlicitatis, poſtea miſeriæ pocula mortalibus miniſtrare, ut nihil ſit ex omni parte beatum. Ita unus ex carcere ad regnum euehitur, quod Mathiæ Regi Vngariæ accidit. Alius de ſummis honoribus deturbatur, aut etiam à ſuis deſeritur, & in exilium eijcitur, quod Ciceroni euenit. Alij in una uitæ parte ſunt fœlices, in alia uero miſerrimi, ut ſi quis excellat ingenio, affluat diuitijs, & in dignitate ſit conſtitutus, ſed ſit morboſus aut podagricus, quale fatum Pyrckamerus noſter ſubijt. Antonius de Leua præſtantiſsimus dux exercitus podagricus res maximas ſub Imperatoris auſpicijs geſsit. Dux Saxoniæ Georgius princeps prudentiſsimus, iam orbus liberis è uita deceſsit. Sed deſino exempla colligere, cum tota uita humana talium exemplorum ſit pleniſſima. Vniuerſa autem hæc fortunæ uarietas ex occurſibus ſtellarum ad Hylegia dependet, ut dum Solis generalis progreſsio à beneficis gubernatur, natus dignitate præeminet, at contra deuoluto dominio ad maleficam de honoribus deijcitur, aut in exilium extruditur. At diuerſa ſunt Hylegia, ut qui corporis ualetudine gaudet, eius Hylegij, aut aſcendentis progreſsio à beneficis fouetur. Sed ſi Medium cœli, aut pars fortunæ à maleficis inficiatur, natus interea in omnibus negocijs ſuis, amicitijs, & facultatibus aduerſam ſentiet fortunam, quoniam hij euētus à diuerſis occurſibus ad Hylegia, quæ nihil commune habent, gubernantur. In inquirendo autē uitæ ſpatio, de Hylegio, & interemptricibus tantum ſtellis ſumimus iudicium. In reliquis autem euentibus totius uitæ, de ſingulis Hylegijs, uniuerſis ſtellis, & non ſolum corporalibus coniunctionibus, quadratis & oppoſitis radijs, ſed etiam de Trigonis, & ſextilibus fatalia decreta perquirimus. Quare prædictam fortunæ uarietatem in euentibus totius uitæ præuidere, & tempus decreti definire, plus aliquantulum negocij ſolerti etiam Mathematico faciet, quâm periodi uitę inquiſitio. Tota autem huius rei dijudicatio in quinq; rebus conſiſtit. In electione Chronocratorum & poſitu ſtellarum tempore decreti. In conſideratione prærogatiuæ, quam habent in gubernationis ordine à definitione propriæ & contemperatæ Chronocratorum naturæ reſpectu Hylegij, Item in conuenientia, aut diſcrepantia locorum ſignificantium cum Chronocratoribus, & ſtellarum poſitu. Deniq; in ſolerti uniuerſalium præceptorum ad particulares ſignificationes pro re nata accōmodatione. In electione Chronocratorum is qui in cuiuslibet Hylegij progreſsione per corpus, aut aſpectum Hylegio applicat, primum ſibi temporis dominium uendicat, & regnat uſq; ad occurſum proximæ ſequentis ſtellæ aut aſpectus. Sed ſi neq; ſtella quæpiam iungatur, aut configuretur Hylegio, ſtella uel aſpectus qui proxime Hylech præcēdit, tempus decreti uſurpat, uſq; dum alia ſtella, uel aſpectus occurrat. Hoc modo deinceps per progreſsiones generales uſq; ad periodicum uitæ finem eliguntur ſingulis Hylegijs euentuum generales gubernatores. Finium autem domini in quibus occurſus fieri contingit, gubernationis participes fiunt, ita ut ſtella quæ ex occurſu ad Hylegialem locum dominium ſuſcipit, ſit ceu rex quidam, aut generalis gubernator. Dominus

autem

autem finium ſit locum ſit tenens, ſeu qui eius uicem gerat. Huiuſmodi autem dominus dum Hylegia motu diurno pregrediuntur ſingula zodiaci Dodecatemoria, ſeu ſigna Horoſcopum medium cœli, & reliquorum Hylegiorum poſitionum circulos prætergrediuntur, ſingulis etiam ſignis eius annui magiſtratus tribuitur, patrifamiliàs autem, ſeu domino ſigno conſulatus aſsignatur. Huic annuo magiſtratui ſubleguntur menſtrui & diurni. Menſtrui quidem tredecim ſunt, at longe plures diurni, quia ſingulis menſtruis tredecim diurni attribuuntur. Quibuslibet nanq; 28. diebus, & 2. fere horis ſigno annuæ progreſsionis ordine ſingula attribuuntur ſigna, & eorum domini menſium ſunt gubernatores. Similiter 2. diebus, & trienti ſignum aſcribitur, cuius dominus diurnum magiſtratum gerat, atq; hac lege ordine primo uniuerſales, deinde annuos menſium, & dierum Chronocratores, ſeu temporis dominos Mathematici eligendos cenſuerunt, uniuerſis Hylegiorum Chronocratoribus in unum locum collectis, obſeruatis etiam quibus in locis ſtellæ tempore decreti cõmorentur. Stellę uero quæ occupant, aut inuadunt loca generalium progreſsionum, plurimum momenti in diiudicatione euentuum habent. Cæterũ Saturnus propter tarditatẽ, uires ſuas in generalibus locis maximè exercere ſolet, Iupiter in annuis locis, in ſingulis ſignis progreſsionis annuæ, quia ſingulis annis unum tantum ſignum perambulat. Mars, Sol, Venus, & Mercurius in menſium ſignis, quia per menſes in ſignis commorantur, Marte excepto, qui cum duos etiam menſes ſigno inſideat, duorum etiam menſtruorum ſigno ex iure ſuo dominium ſibi uendicat, Luna uero quia eſt uelociſsimi curſus, in ſignis diurnæ progreſsionis imperium ſuſcipit.

Porrò in decernendis euentibus, in ijsq; perficiendis maioris autoritatis, & efficatiæ ſunt generales Chronocratores occurſuum uidelicet, & finium domini. Particulares autem Chronocratores adiuuant generalium Chronocratorum decreta, ſi his cum illis naturalis conuenientia interceſſerit, aut contra, decretis illorum nonnihil derogant, ſi nulla inter eos conuenientia intercedat. Planetæ uerò qui commorantur in locis occurſuum, aut ea aſpiciunt, augent, uel imminuunt pręfinita accidentia. Hylegij autem locus, & dominus generalium temporum, cum finium domino, ideo reliquis temporum dominis præferũtur, quòd in genere euentuum propriam qualitatem, & ad quod tempus effectus portendatur, ſignificant, quia ſingulæ ſtellæ ijs locis quorum dominium initio natiuitatis ſortitæ ſunt, familiariores fiunt, ut de cætero quaſi hoſpitij iure liberius in eis iuriſdictionem exerceant.

Verum in bonam ne potius an in contrariam partem euentus inclinaturus ſit, depræhendetur, tum de Chronocratorum naturali, aut contemperata naturæ proprietate, ſi ſint de beneficarum, ſeu de maleficarum natura: tum etiam de familiaritate, aut inimicitia eorum cum loco qui occupatur, id eſt, in quo fit occurſus, & unde dominium ſibi arrogant.

Ad quod autem tempus euentus ſe magis oſtenſurus ſit, depræhendetur per configurationes ſignorum annuarum, & menſtruarum progreſsionum ad locos, qui cauſam euentus præbent, & ad eos locos in quibus ſtellæ corpore, aut aſpectibus inambulant. Item de aſpectibus Solis & Lunæ, ad annua & menſium ſigna. Quicunq; enim conueniunt cum locis qui à geniture initio euentum aliquem ſignificauerint, ſi etiam conuenienter illis in tranſitu, ſeu in ambulatione configurentur, bonos euentus efficiunt, ſi uerò non apte cum prædictis locis configurantur, imbecillem poteſtatem in decernendo euentu habent. Contrà qui non conueniunt, aut contrariæ conditionis ſunt cum locis, qui natiuitatis tempore euentum decernebant, & in tranſitu eoſdem quidem oppoſitis aut quadratis radijs pulſant, malorum euentuum autores ſunt, de reliquis uerò aſpectibus non item. Sin autem hæ eædem ſtellæ, & Chronocratores ſint, & propter inambulationes, uel tranſitus dominentur euentui, excellens aliquid, & impermixtum decernent, ſiue natura euentus

tus ad bonum, ſiue ad malum inclinet. Hoc autem non tam fit ratione tranſitus, quàm propterea quòd ſint Chronocratores, & dominentur generi cauſæ, à genituræ uſq; tempore. In omnibus autem ſimul fortunantur, uel infortunantur, qando aut unus & idem locus per generales progreſsiones omnibus, aut pleriſq; Hylegijs occurrit, aut quando diuerſi planetæ, uel radij Hylegijs eodem tempore occurrunt, qui omnes, uel plures benefici, aut malefici ſunt.

Hactenus pro uirili Ptolemæi ſententiam de uitæ ſpatio, & reliquis euentibus indagandis minus fortaſſe ſubtiliter, at diligenter tamen explicauimus: copioſius fortaſſe quædam proſequutus fuiſſem, niſi pleraq; ex ſequentibus perfectius intelligi poſſe ſperaſſem. Tradidit autem Ptolemæus quomodo uniuerſaliter qualitas euentuum, & decreti tempus præuideri poſsit, ſed de euentuum generibus ſingulorum temporum præcepta his ſubiungere præter rem eſſe putauit.

Requirit enim ſolertem Mathematicum, qui propria ſua induſtria, ingenij dexteritate per ſcientiam, ſeu præcepta uniuerſalia euentuum genera aptè ratiocinetur. Verum quo lecturis noſtra aliquam occaſionem ad eam rem præberemus, ſequens caput de generibus euentuum inſtituimus. Iudicaturi autem non ad uerbum hæc in ſua iudicia deſumant, ſicut quidam faciunt, ſed iuxta Ptolemæi, & aliorum ſententiam, reliquas etiam circumſtantias, & obſeruationes diligenter perpendant, niſi temeritatis, & uanitatis crimen ſubire malint, unde tum ſibi ipſis, tum præſtantiſsimæ de effectibus ſiderum doctrinæ ſint dedecori.

Antequam autem ad euentuum genera tractanda accedamus, duximus quorundam uocabulorum rationem tradendam eſſe. Non ignoramus eam rationē quæ de temporibus æquinoctialis Chronocratorem ſumit in tertio de iudicijs à Ptolemæo διαφέσεων uocari, & à reliquis rationibus diſcerni, quibus annuos menſium, & dierum Chronocratores eligimus. Cum autē diuerſæ hæ rationes à ſe mutuò diſcernendæ eſſent, illas directionum doctrinam, has profectionum, recentioribus appellare libuit. Nos quia inter has quoq; rationes cenſemus diſcrimē eſſe oportere, concinnius fortaſſe illas generales progreſsiones, has uero annuas menſium uel dierum progreſsiones uocabimus, ut ita utraſq; rationes ſub eodem progreſsionis nomine complectamur. Siquidem in definiendo genere alicuius euentus, eodem modo de omnibus Chronocratoribus iudicamus quacunq; ratione ſint electi. Et eam ob cauſam crediderim Ptolemæum eodem περίπατον nomine utramq; rationem comprehendiſſe. Hæc tamen non adeò ſtrictè obſeruabimus, ſed prout uſus exigit tum directionis & profectionis, tum etiam progreſsionis nomine utemur, ita tamen ut noſtra ſententia, ſemper intelligatur. Et potuiſſemus ubiq; receptis uocabulis uti, niſi Ptolemæi ſententiam hac ratione ſentiremus rectius intelligi poſſe. In reliquorum traditionibus percenſendis parum aut nihil à communi conſuetudine diſcedemus. Porrò per hanc orationis formulam cum Solis directio ad Iouem peruenit, uel ſimiles, intelligimus plerumq; primum modum generalis progreſsionis, hoc eſt, quando Iupiter qui eſt in ſignis conſequentibus motu diurno deducitur ad circulum poſitionis Solis, Quandoq; etiam accipitur hæc formula pro altero modo. Nos quando dicemus Soli per progreſsionem generalem occurrere Iouem ſecundum primum modum generalis progreſsionis, is occurſus intelligi debet. Sed quando uniuerſaliter, ut in ſequenti capite, dicimus Solj per progreſsionem occurrere Iouem, loquimur tam de directionibus, quàm de profectionibus. Item quando dicimus Solem accedere ad Iouem, intelligimus progreſsionem generalem Solis in antecedentia ad circulum poſitionis Iouis.

CAPVT

CAPVT QVARTVM.

De generibus euentuum ex progreſsionibus ſiue directionibus præcipuorum locorum Hylegialium.

De progreſsionibus aſcendentis aut loci Hylech.

AScendentis aut Hylegÿ progreſsionem perpendimus ad prænoſcendos eos euentus, qui hominibus contingunt ratione complexionum in bona uel aduerſa ualetudine. Quando igitur aſcendenti uel loco Hylegÿ per progreſsionem occurrit Saturnus, uel eius quadratus, aut oppoſitus, portendet is occurſus nato frigidos & ſiccos morbos, uel redundantia flegmata. Item melancholicas animi perturbationes. Hic occurſus periculoſus & funeſtus ſenibus ſe ſolet. Præterea impedit omnem ſucceſſum in conſilÿs & negocÿs nati. Item roſpiciat ſibi quiſq; ſub tali tempore decreti, ne detrimentum capiat à ſenibus, aut iâs à Saturninis, & ab omnibus ÿs quæ Saturno ſubiecta ſunt. Hi enim natum derunt, & ceu inſtinctu quodam ei aduerſabuntur, quod & magiſtratus faciet. Inoluit etiam hic occurſus natum curis grauioribus, & eum animi doloribus quaſi pprimit.

Cæterum diligenter aduertendum eſt, ſi aſcendenti, Lunæ, uel loco Hylech, Sarnus, aut eius radÿ occurrant in ſignis igneæ naturæ, ut ſunt Aries, Leo, & Sagitrius, eos minari nato diſcraſian, de frigidi & calidi inter ſe pugna, quæ corpus nainfeſtet. At in ſignis terreis, ut in Tauro, Virgine & Capricorno, uicioſos, melanolicos humores, & melancholica apoſtemata. In ſignis aëreis, ut in Geminis, Lira, Aquario, excitat de ſigni natura uentos, aut flatus, quæ totum corpus imbecille ddant. Deniq; in aqueis ſignis, ut Cancro, Scorpione, & Piſcibus, flegmaticos huores & frigidos morbos ſuſcitat. Porrò Saturnus nonnunquam deformat nati rpus cicatricibus, aut alÿs læſionibus, ſeu uitÿs quibus membra functiones ſuas ittant, ut in contractionibus, idq; ÿs in partibus corporis efficit, quas eius ſigni tura reſpicit, in quo infauſtus iſte fit occurſus.

Quando uerò aſcendenti, uel loco Hylegÿ occurrit Trigonus uel Hexagonus turni, natum eò tempore magiſtratus, ſenes, & Saturnini diligent, atq; ex uſu nati erit, tum cum his conuerſari, & ea agere, ſeu tractare quæ de Saturni natura ſunt, ſi colat agros, ædificiorum fundamēta iaciat, puteos fodiat, aut ſimile quid tractet. m hæreditates adeat, aut de immobilibus bonis ſe intromittat, theſauros, aut mela effodiat aut aliarum rerum curam ſuſcipiat, quæ à maioribus natu proficiſcun, aut de terra ſumuntur.

Aſcendenti, aut Hylegio ſi occurrit Iupiter, uel eius ſextilis, trinus, aut termis, promittit nato corporis bonam, & proſperam ualetudinem. Item fœlices ſucſus in conuerſationibus & negocÿs cum Epiſcopis, Prælatis, iureconſultis, & prænticribus uiris equeſtris ordinis, ac facile impetrabit tempore huius decreti quæ prædictis petiuerit. Imò negocia, & quidquid ſuſceperit, ei ex uoto, & animi ſenntia ſuccedent, & præcipue ad rem familiarem, & opes augendas proſpera omnia perietur, augebitur & ſoboles nati. Præter iſta nato etiam aliquod emolumentum cedet de natura, & proprietate domus, in qua natiuitatis tempore talis occurſus ntigit.

Quando autem Aſcendenti, uel Hylegio occurrit quadratus aut oppoſitus

Iouis, natus ſentiet religioni addictos, iudices, iuriſconſultos, & de nobilitate hone-ſtiſsimos quoſq;, omnesq; ordines, & homines Ioui ſubiectos, aut de eius natura ſibi aduerſari, & intelliget ſe ſub amicitiæ ſpecie ab ijs circumueniri, dolis & inſidijs pe-ti. Quare ne ideo damnum accipiat, ſibi prudenter proſpiciat.

Aſcendenti, aut Hylegio ſi occurrat Mars, eius quadratus, oppoſitus, uel ter-minus, plurima pericula minabitur nato per calidas ægritudines, peſtilentes febres, iracundiam, ſeditiones, tumultus & bella, infœlicia itinera, uulnera, læſiones ab igne, caſus ab alto, dyſſenteriam, reddundantiam choleræ, captiuitates, deſpoliationes, aut ſimilia quæ Marti ſunt propria. Item negocia nati propter contentiones, & ſimilia impedientur.

Verum quando Aſcendenti, aut Hylegio Mars, aut eius infœlices radij occur-runt in ſignis igneis, uehementes ardores ſuſcitat in uniuerſo corpore, qui cauſam præbeant acutis morbis, calidis apoſtematibus, febribus, aut huiuſmodi morbis, qui de calidis & ſiccis cauſis generantur. In terreis ſignis, lætalem caſum hic occurſus minatur, humores exſiccat & adurit. In aëreis ſignis, diuerſa calida ſymptomata in-ducit. In quibuſuis ſignis, animo intemperatam qualitatem corporis reddit.

Quando uero aſcendenti, uel Hylegio occurrit trinus aut ſextilis Martis, tum is reddit natum audacem & fortem, qui in contentionibus aut bellis uictoriam ob-tineat. Item efficit natum gratum, & acceptum nobilitati, equitibus, militibus & omnibus ordinibus, ac perſonis ſub Martis præſidio. Erigit nati animum ad belli-cas artes exercitandas, ut delectetur armorum tractatione, haſtiludijs, & aueat ſerio etiam cum hoſte congredi. Porrò tempore huius occurſus non infœliciter tormen-ta bellica, ſicut bombardas tractabit, & quidquid arte quadam per ignem, & metal-lorum fuſiones, ut in Alchimiſticis tentabit, pro rei natura nihil aduerſæ fortuna experietur.

Aſcendenti uel Hylegio, quando occurrit Sol, aut eius trinus uel ſextilis, con-ciliat nato beneuolentiam regum, principum & magnatum, redditq; eis adeo acce-ptum, ut ipſi plurimū fidei & authoritatis tribuant. Quare natus bona cum ſpe, prin-cipum amicitiam hoc tempore ambire poterit, inde namq; honores & emolumenta conſequetur, facit & talis occurſus natum cordatum, magnanimum, magnificum, & appetentem honorum & gloriæ.

Cæterum ſi Solis corpus occupat, nonnihil corpus caloribus, & oculorum do-loribus, uel uitijs infeſtat, eandem corporis inæquabilitatem producit occurſus qua-drati uel oppoſiti Solis ad Aſcendens uel Hylech. Quo tempore etiam ſuſpectam habeat amicitiam Regum, principum & magnatum. Eos namq; à ſe alienos ſentiet & niſi ſibi loco cauerit, in pericula & damna ab ipſis incurret.

Aſcendenti uel Hylegio quando occurrit Venus, aut eius trinus, ſextilis, uel terminus, corpus nati ſalubre reddit, & iucunditate, & hilaritate quadam perfundit facit etiam eum acceptū, ac charum uirginibus, & omnibus mulieribus. Quare hoc tempore fœliciter earum amorem ſtudebit promereri, aut de quibuſcunq; rebus alijs cum ipſis agere. Conciliat etiam hic occurſus nato nuptias, & ſuggerit fœlices ſucceſſus in rebus ac negocijs omnibus. Efficit ſectatores conuiuiorum & uolupta-tum, & mirabilem amorem exuſcitat ad Muſicam exercendam aut audiendam, & hoc tempore natus rebus odoriferis præcipue delectabitur.

Contrà uerò cum aſcendenti uel Hylegio occurrit quadratus uel oppoſitus Ve-neris, natus occaſione uirginum, mulierum, libidinum, intemperantiæ in cibo uel po-tu, uel medicinæ ratione ſubibit aliquid periculi, ſiue mortis, ſeu aduerſę ualetudinis aut hoſtium, & captiuitatis alicuius, uel etiam contentionis aut diſcordiæ cum coniu-ge, aut alia muliere, idq; pro natura & proprietate domus, in qua talis occurſus fit.

Ad aſcendens aut Hylech quando Mercurius, eius trinus, ſextilis, uel termi-

nu

ius per progreſsionem uoluitur, natus agiliorem & habiliorem ſe ingenio & intel=
ectu fieri percipiet ad ſtudia ſapientiæ & eloquentiæ, omniaq; ea, quæ de Mercu?
rij natura ſunt, ut ſunt inuentio & exercitatio tam mæchanicarum quâm liberalium
rtium, indagatio cauſarum abſtruſarũ in rerum natura, mercatura, pictura. Magno
utem ſtudio ad eadem ſe cõferet, & fœliciter hoc tempore cum Mercurialibus con
erſabitur, quibus ſe miro ſtudio conformari cupiet.

At quando quadratus uel oppoſitus Mercurij ad Aſcendens aut Hylegij lo?
um per progreſsionem peruenient, non pauca infortunia & contentiones natum
xcipient, maxime Mercurialium gratia, â quibus in contractibus, & alijs Mercu?
ialibus negocijs decipietur, & ſuas res amittet furto, confictis ſermonibus, falſis ra=
ionibus, ſuppoſititijs literis, & ſimilibus technis. Item hic occurſus ubi in infantia
ati contigerit, reddit hebetiores, & qui ingenij culturam non admittant. Præterea
ariolis infantium corpora hic occurſus infeſtat. Item elocutionem aliquando impe=
it per dolores aut uitia dentium, linguæ, gutturis, uel ſimiles cauſas.

Aſcendenti aut Hylegio, quando Lunæ corpus, eius quadratus, uel oppoſitus
ccurrit, nato ſuſcitat frigidas & humidas ægritudines, & aduerſus natum mulierum
t uulgi odia concitat, & exaſperat. Item ſi natiuitas nato pericula uitæ in aquis aut
umidis locis minatur, tunc ſibi tempore huius decreti prudenter proſpiciat, ut hoc
otiſsimum tempore eadem pericula deuitet, quia progreſsionis euentus, quæ in na
uitatibus præſignantur, in actum deducere ſolent, cum eadem ſignificant. Potiſsi=
ium uerò ſi quadratus uel oppoſitus occurrat, tum natus in altercationes & diſſidia
onijcietur, quæ ferê ei cum improbis mulieribus & effœminatis uiris futura ſunt.
tem toto hoc tempore maximè inconſtantem & uariam fortunam cum lunaribus
abebit, quo etiam tempore uix aliquod in uiſu nocumentum euadet.

Contra uerò ad trinum uel ſextilem Lunæ, quando Aſcendenti uel Hylegio
ccurrit, gratum & charum reddit nobilibus mulieribus, & uulgo, ex quorum con=
uetudine gaudia & utilitatem conſequetur. Hoc tempore natus animi gratia itinera
ſcipiet, quæ ei ex uoto ſuccedent. Cum matre aut alijs mulieribus, cognatis, aut
nguine iunctis, quicquid negocij egerit, in ipſius commodum conuertetur, matri=
ionium quandoq; perficit hic occurſus, cum natum mulieribus peculiariter acce=
tum faciat. Cæterum auiditatem quandam cognoſcendi hiſtorias, aut alias res no=
as & inauditas nato ingerit. Item cum ipſe in uarias oras, literas aut mandata mit=
et, tum à diuerſis partibus terræ, literas ut accipiat, natum promouebit.

Aſcendenti aut Hylegio, quando occurrit caput, bonam ualetudinem nati, &
quabilem complexionem denotat.

At cum cauda occurrit aſcendenti uel Hylegio, caueat ſibi natus, ne â ueneno
ut rebus uenenatis, uitę diſcrimen incurrat. Inducit hic occurſus uentris etiam pro?
uuia, & morbis de Saturni, Martiſq; natura corpus nati impugnat, uiſum debilitat,
ni dolores uel partium ani, aut fluxum hemorroidarũ prouocat. Item redigit eum
potestatem inimicorum ſuorum.

Aſcendenti, Lunæ, uel Hylegio, dum fiunt obuiam ſigna ſanguineæ naturæ
cut Gemini, Libra, & Aquarius, bona corporis ualetudine fruetur natus, & ad hila
tatem & mentis ſecuritatem propenſus erit. Signa cholerica, ut Aries, Leo & Sa=
ittarius, faciunt natum pronum ad iram, audacem, temerarium, qui re non delibe=
ata, ſe negocijs ingerat. Reddunt etiam procliuem ad calidas & ſiccas ægritudi=
es. Signa melancholica, ueluti Taurus, Virgo, & Capricornus, animi perturbatio=
es & melancholicas curas in nato excitant. Flegmatica autem ſigna, ſicut Cancer,
corpio, & Piſces, reddunt hominem ſomnolentum & pigrum ad omnia munera
beunda, & multis uicioſis & fluentibus humoribus corpus nati replent. Verum

hæc quæ de ſignis diximus augentur, uel minuuntur, pro natura planetæ aut aſpectus ad ſignum in quo fit occurſus.

De progreſsionibus Lunæ.

QVæ per progreſsionem Lunæ occurrunt, præmonſtrant eos euentus, qui contingunt natis in moribus, animorum affectionibus, & in conuerſationibus cum hominibus, ut cum compoſitis ſint moribus, graues, prudentes, placidi, honeſti, mites, magnanimi, aut contrà leuęs, inſipientes, diſſoluti, truculenti, ſuſpicaces. Item quando hilares, lęti, amatores, deliciarum ſtudioſi, aut contra triſtes, tetrici, quærentes latebras, omnem mundiciam fugientes. Porrò Lunæ in nocturnis natiuitatibus, tanquàm matris ſignificatoris, occurſus notamus, perficiunt & quandoq; nato, quæ Lunæ occurrunt, tempus coniugij.

Cum igitur Lunæ occurrit Saturnus, eius quadratus, oppoſitus, aut terminus, mouet natum ad triſtes & melancholicas cogitationes, quibus perturbatus & agitatus facile in febrim incurrat, de humorum redundantia. Hic occurſus implicat natum multis curis, & ſolicitudinibus, & anxietate animi quaſi opprimit, quam mentis ægritudinem neceſſario corporis languor, & alia incommoda ualetudinis comitantur. Matri uero nati morbos, & quandoq; mortem portendit.

Verum cum ad Lunam trinus uel ſextilis Saturni peruenit, natum idoneum, ac agilem efficit ad excogitanda & tractanda ea, quæ ſunt de agrorum cultura, hæreditatibus & ædificijs. Hoc tempore fœliciter cum Saturninis conuerſabitur, à ſeruis & animantibus minoribus hic occurſus promittit nato utilitatem. Item matri mediocrem corporis, & animi habitum, dummodo huic cœli influxus tempore geneſeos nati non refragetur.

Ad Lunam deuolutus per progreſsionem Iupiter, eius trigonus, hexagonus, aut terminus tum corpus tum animum nati ornat multis modis, facit lætos, iocundos, ſuauiter fruentes bonis, propenſos ad amorem coniugalem, aut ſimiles res, quibus puellis & mulieribus ſtudeant blandicijs, geſtu, inceſſu, & omnibus modis placere. Sunt & hi occurſus fœlices & commodi matri nati.

At Lunæ ſi occurrat quadratus aut oppoſitus Iouis, facit animum nati fluctuantem uarijs, & pugnantibus affectibus. Item aduerſus natum extimulat iureconſultos, religioni addictos, ut prælatos, pontifices, eosq; omnes qui de Iouis conditione ſunt.

Lunæ quando occurrit Mars, eius quadratus, oppoſitus, aut terminus, diſsidia & contentiones nati cum Martialibus ſuſcitat, qui animi motus facile occaſionem præbuerint mutationi alicui periculoſæ corporis nati, & uehementiori alicui dolor oculorum. Quandoq; mortem ſignificat coniugis, aut alterius matronæ, nato ſangui ne iunctæ.

Sed quando trigonus, uel hexagonus Martis Lunæ occurrit, nati animum ſedatum & hilarem reddit, & induſtrium in ijs quę Martis proprietatem, aut naturam ſapiunt. Sectabitur hoc tempore natus ſuauiores conuerſationes & ludos cum Martialibus.

Lunæ quando occurrit Sol, eius quadratus uel oppoſitus, animum nati ad iram frequenter prouocat, & iracundum reddit. Item magnates inſtigat, ut aduerſus natum ſimultates ſuſcipiant, caueatq; ſibi eo tempore natus â calida & uehementiori febri, & à doloribus oculorum.

Contrà uerò cum Lunæ occurrunt fauſti Solis radij, ut trinus, uel ſextilis, conciliat natum nobiliſsimis mulieribus, ut cum eis ſuauiter, & ſumma cum hilarita

& ſ

& ſolatio conuerſetur. Similiter magnates quoq; beneuolentia & officijs natum proſequentur huius decreti tempore.

Quando uerò Lunæ occurrit Venus, eius trinus, ſextilis, uel terminus, nato commodum tempus & ſalubre hæc progreſsio denotat, reddit animum omnibus curis ſolutum, ſuauem conuictorem, mulieribus charũ, charam coniugem tribuunt, uulgus hoc tempore natum ſuſcipiet, & honoribus proſequetur. Eſt & matri fœlix & fauſta progreſsio, pro animi & corporis bonis.

Contra uero Luna ſi occurrit quadrato uel oppoſito Veneris, decernit hęc progreſsio mulierum gratia infortunium, & propter fornicationes infamiam.

Lunæ quando occurrit Mercurius, eius trinus, ſextilis, uel terminus, animum nati eruditis cogitationibus reficit, & auidum facit earum artium, quæ Mercurio tribuuntur, quare Mercuriales ſectabitur, qui uiciſsim eum amore, & omni officiorum genere proſequentur.

Contra ad Lunam per progreſsionem occurſus quadrati, uel oppoſiti Mercurij, natum auertit ab eruditis, uel de Mercurialibus artibus, cogitationibus, & inuiſum reddit artificibus de Mercurij dominio, ac inter natum & eos ſerit contentiones ſeu altercationes gratia alicuius doli aut criminis falſi commiſsi in literis, uel rationibus, uel contractibus. Hic etiam occurſus facit, ut natus male audiat pręter ſuam culpam. Verum hæc omnia pro genituræ modulo accipienda ſunt.

Lunæ occurſus, cum ad ſuum quadratum uel oppoſitum aſpectum pertingit, efficit corpus nati languidum, & inclinatum ad ægritudines de frigidis & humidis cauſis. Hoc tempore natum oderunt tum mulieres, tum uulgus.

Contra Luna, cum ad ſuum trinum aut ſextilem per profectionem peruenit, conciliat nato fauorem nobilium mulierum & uulgi. Hoc tempore lætam fortunam in itineribus, & reliquis negocijs omnibus experietur.

Quando Lunæ occurrit caput, uiſui infert imbecillitatem quandam, cætera ſatis fauſta & læta promittit.

At Lunæ quando occurrit Cauda, præterquam quòd nocet uiſui, conijcit natum in uehementes animi motus, iram & contentiones. Caueat etiam ſibi à uenenis in cibo aut potu, aut à profluuio uentris, præcipuè ſi tale quid influentiæ cœli natiuitatis tempore ſignificauerint.

De medij cœli, & eius domini progreſsionibus.

Medij cœli, & eius domini progreſsiones obſeruamus ad præuidendos euentus de magiſtratibus, & honoribus, quos ſubditi in natum collaturi ſint. Hæ namq; progreſsiones præmonſtrant ad quæ reipublicæ munia ſubditi uocaturi ſint natum, quæ nati ſit futura autoritas, præeminentia, aut amplitudo in magiſtratu, & quantos nato decernent honores. Præter hæc obſeruamus progreſsiones medij cœli, & domini eius, pro dijudicatione actionum, ſtudiorum, & artis genere, ſeu magiſterio nati. Item pro accidentibus nati.

Quando igitur Medio cœli, aut eius domino occurrit Saturnus, eius quadratus oppoſitus, aut terminus, iudicamus ſubditos aduerſaturos dignitati, & honoribus nati, ueluti ſi cogant natum ut à magiſtratu cum ignominia diſcedat, & eum omni dignitate, & honoribus ſpoliēt. Item tempore huius directionis ſtudia, & artes nato infœliciter cedunt, adeo ut etiam per eas damnum faciat. Actiones, & negocia nati ita differuntur, ut uix tandem, & cum detrimento perficiantur. Apud agricolas, &

& ſenes in odio erit. Matrem uero nati, aut occidit hic occurſus, aut graui ualetudine affligit.

Contrà, quando Medio cœli, aut eius domino occurrit trinus, uel ſextilis Saturni, ſubditi, & maximè qui de Saturni proprietate fuerint, natum ad honores & dignitates euehent, in magiſtratum eligent, publica reipublicæ munia ei committent, & quantum poterunt commodis & honoribus nati ſtudebunt. Cæterum in ædificando, agricultura, & quibuſcunq; artibus, aut rebus Saturno ſubiectis, hic occurſus natum fœlicem fore promittit, pro genituræ tamen ratione.

Medio cœli, aut domino eius ſi occurrit Iupiter, eius trinus, ſextilis, uel terminus, confert nato dignitates, & honores per perſonas religioni addictas, quales ſunt Pontifices, Prælati &c. Item ſubleuat natum etiam ex infima ſorte ad honores, & magiſtratus, pro genituræ tamen ratione. Porrò tempore huius occurſus natus ex ſuis actionibus, ſtudijs, aut artificijs, honorem & utilitatem habebit. Item natus, & mater eius bona corporis ualetudine fruentur, modo Luna à maleficis non inficiatur.

Sed cum Medio cœli, aut domino eius occurrit quadratus, uel oppoſitus Iouis, contrà religioni addicti, item iuriſconſulti, iudices, & Iouiales nati honoribus, actionibus, & negocijs aduerſabuntur, & omnibus conatibus natum impugnabunt.

Medio cœli, aut domino eius ſi occurrit Mars, eius quadratus, oppoſitus, aut terminus, facit infenſos nato Martiales homines, ut opponant ſe honoribus, & dignitatibus nati. Quare prudenter ſibi natus caueat, ne ab ipſis, aut eorum gratia deponatur magiſtratu, & præparet ſe ad ferendas iniurias, & calumnias Martialium publicè, & priuatim. Hoc enim tempore ſeſe offerent occaſiones, quibus ſpecimen ſuæ modeſtiæ natus præbeat. Item hic occurſus matri grauem morbum, aut mortem minatur.

At contrà, Medio cœli, aut domino eius quando occurrit trinus, uel ſextilis Martis, honores, dignitates, magiſtratus, aut publica officia à Martialibus, uel eorum gratia largitur, uel natus eadem conſequetur ex artibus, uel actionibus de natura Martis, per militiam, ut per aliquod fortiter factum in acie, aut aliqua oppugnatione, uel per artem aliquam tractandi tormenta bellica, ponendi inſidias, adoriendi hoſtem &c.

Quando medio cœli, uel domino eius occurrit Sol, eius trinus, uel ſextilis, efficit ut magnates, equeſtris ordo, & in genere omnes magiſtratus, nato honores & dignitates conferant, & eum ſummo fauore, & beneuolentia proſequantur, & in magiſtratum ſibi adiungant, ac publica committant munia. Porrò hic occurſus natum quoq; facit magnanimum, honorum appetentem, nihil humile cogitantem, & nullius rei præterquam laudis auarum. Quare omnes actiones ſuas natus eò dirigit, ut reipublicæ proſint, & ipſi laudem, & claritatem pariant, quæ de ſui natura comitantur commoda quàm plurima. Sicut autem eadem hæc matri ſunt conſolationi, & uoluptati, ita etiam iſte occurſus bonam ualetudinem matri decernit, ac reliqua omnia proſpera.

Sed quando Medio cœli, & eius domino quadratus, uel oppoſitus Solis occurrit, læditur autoritas, & dignitas nati per aliquem magnatem, uel equeſtris ordinis hominem. Aut enim per tales priuatur publico munere, aut magiſtratu iubetur diſcedere, aut aliâs actiones & magiſteria eius impediuntur. Denotat hic occurſus matri calidas ægritudines.

Medio cœli, aut domino eius quando occurrit Venus, eius trinus, ſextilis, uel terminus, per matronarum, & mulierum fauorem, euehit natum ad honores, & dignitates. Huius occurſus tempore natus dignitates, aut publica munera à perſonis de Veneris natura conſequitur, & præficitur quandoq; Gynæcijs non inuitus, con-

uerſa

uerſationem enim cum mulieribus omnibus horis ſectatur. Cæterum actiones ſuas, ſtudia, & artes utiliter, & cum dignitate natus tempore huius occurſus exercet. Eſt & matris conditio, tum fœlix, & fauſta.

Sed Medio cœli, aut domino eius quando occurrit quadratus, uel oppoſitus Veneris, implicatur natus cōtentionibus, & altercationibus quibuſdam, quæ famam nati aliqua ex parte denigrent, idq́; mulierum gratia. Hic occurſus matris conditioni etiam aduerſatur.

Medio cœli, uel domino eius occurſus Mercurij, eius trinus, ſextilis, uel terminus, facit ut nato Mercuriales honores exhibeant, aut ut Mercurialium gratia ad honores prouehatur. Quód ſi natus in nullo eſſet publico munere, tum huius directionis tempore promoueretur ad aliquod in republica officium, quod ſub Mercurij eſſet præſidio, ſicut ſunt à libellis, aut præfectum rationum eſſe, aut tale quid, fortunat hæc directio nati actiones, & magiſteria, & ſi mercaturam exercet, eo fœlicius nato ſuccedent actiones. In talibus enim prudentius, & cum maiori animi affectione uerſabitur.

Sed Medij cœli, uel eius domini occurſus ad quadratum, uel oppoſitum Mercurij contra honores, dignitatem, officia, & omnes actiones nati officio perſonarum de Mercurij natura impugnat. Hi namq́; inſidijs, dolis, mendacijs, uarijsq́; technis natum deturbare honoribus, & magiſtratu conabuntur, idq́; facile perficient, niſi genitura repugnet. Item mater nati æque inclementem occurſum ſentiet.

Medio cœli, aut eius domino occurſus Lunæ, eius trini, uel ſextilis, per popularem fauorem, aut nobilium mulierū gratia, nato honores, & dignitates tribuit. Item decernit aliquod publicum officium, & munera, & nonnunquam coniugem.

At Medio cœli, aut eius domino occurrens quadratus, uel oppoſitus Lunę, impedit natum per uulgus, aut nobiles mulieres, in honoribus, & omnibus actionibus & negocijs, ac notat præterea natum aliqua infamia. Eandem experietur mater fortunam.

Medio cœli, & eius domino occurrens Caput draconis, accumulat honores, & dignitatem nati, & eum in omnibus actibus, & partibus uitæ fœlicem efficit. Eſt & hoc tempus matri proſperum, & lætum.

Sed cauda, nati dignitatem, & honores aliqua labe aſpergit. Item actionibus, & negocijs multa infert damna, Matri uerò melancholicas ægritudines parit & uentris profluuium.

De progreſsionibus Solis.

SOlis progreſsiones obſeruamus ad prouidendos euentus de dignitate & honoribus, qui nato conferuntur à Regibus, principibus, aut à quocunq́; magiſtratu ſeu ordine præeminentioris dignitatis. Per Solis nanq́; progreſsiones eruditè licet æſtimare æquo'ne & beneuolo, an iniquo animo principes, & qui rerum gubernaculis præſident affecti ſint erga natum. Item in diurnis natiuitatibus Sol cum ſit ſignificator patris, pro accidentibus patris occurſus eius perpendimus.

Quando igitur Soli occurrit Saturnus, aut eius quadratus, oppoſitus, uel terminus, natus experietur principes, magiſtratus, aut qui eorum ſunt loco, alieno ſemper erga ſe eſſe animo. Patri uero denotat hæc directio ægritudines melancholicas, capitis dolores, uentriculi imbecillitatem. Item tertianam uel quartanam febrem.

Sed ad Solem occurſus, trini uel ſextilis Saturni, confert nato honores & dignitates per principes, aut magiſtratus, idq́; ratione agriculturæ uel prædiorum, quæ

nato per hæreditatem obueniunt aut occaſione architectonicæ, uel alterius rei quæ de Saturni dominio ſit. Hic occurſus patri eſt ſalutifer.

Quando Soli occurrit Iupiter, eius trinus, ſextilis, uel terminus, portendunt nato honores, dignitates, publicam quandam præeminentiam, aut officium quod natus à principibus, aut publicis magiſtratibus cōſequetur. Patris etiam conditio hoc tempore fœlix & fauſta erit.

Sed quando Soli occurrit quadratus uel oppoſitus Iouis, Iuriſconſultos aut perſonas religioni addictos, ut odio natum perſequantur, extimulat.

Quando Soli occurrit Mars, eius quadratus, oppoſitus, uel terminus abalienat principum, aut eorum qui loco principum ſunt animos à nato. Hanc poſtea abalienationem ſubſequuntur alia infortunia, ſicut ſi cum quadam ignominia nato eripiantur publica officia, aut eijciatur in exilium. Verum talia mala intenduntur, ſi Sol & Mars ſint in duodecima domo natiuitatis, & pro natura domus in qua uel ambo ſunt, uel occurſus contingit, eſt pronunciandum de euentu huius occurſus, de re infortunata, aut magnitudine fortunij. Dici ſolet, nullam calamitatem ſolam eſſe, ita hic occurſus non ſolum honores nati impugnat, ſed etiã corpus infeſtat, aut morbis ſiccis & calidis, aut conijcit eum in pericula ignis domi ſuæ, aut equo aliquo deturbat cum uitæ periculo. Patrem uerò exagitat litibus ratione honorum & officiorum ſuorum &c.

At contra quando Soli occurrit trinus uel ſextilis Martis, natus ſubleuatur ad honores, & dignitates à Principibus, & ijs perſonis uel ordinibus, qui ſunt ſub Martis fœlici, aut fauſto dominio. Tales autem honores nato contingunt de actionibus aut artibus Martialibus, ſicut ex militia, legationibus, tractatione, armorum expeditionibus, haſtiludijs, aut ſimilibus. Item tum in iudicio aduerſario ſuperior euadit. Item rem familiarem quidem natus hoc tempore augebit, uerum cum labore, & non ſine periculo.

Porrò quando Soli occurrit ſuus trinus, uel ſextilis, claritatem & emolumenta à principibus & ſuperioribus ordinibus nato pollicentur, & ſimul etiam patri fœlicitatem.

Contra uerò, quando Sol occurrit ſuo quadrato uel oppoſito, contra etiam ſignificat nato indignationem principum, & morbos calidos corpori nati periculoſos.

Si Soli occurrit Venus, eius trinus, ſextilis, uel terminus, efficit ut occaſione nobilium mulierum, uel ornamentorum, aut aliarum precioſarum rerum de Veneris dominio, à principibus natus honoretur, ad dignitatem aliquam euehatur, aut rem faciat. Item decernit lætas ac honorificas nuptias nato, patri etiam fœlicem ſtatum.

Contrà, occurſus quadrati uel oppoſiti Veneris ad Solem, natum propter illicitos, aut inhoneſtos mulierum amores notat infamia, & reddit apud bonos natum odioſum.

Soli, quando occurrit Mercurius, eius trinus, ſextilis, uel terminus, excitatur natus ad literarum ſtudia, & ingenij culturam, & promouetur in actionibus, & officijs Mercurialibus circa principes, primates, aut perſonas de Mercurij dominio.

Contrà uero quando Soli occurrit quadratus, uel oppoſitus Mercurij, deijcitur natus de officijs Mercurialibus, & conijcitur in lites & altercationes. Quare diligenter caueat ſibi ne ſuſtineat calumniam de crimine falſi à Mercurialibus. Hic prę terea occurſus animum nati multis & grauibus perturbationibus inuoluit.

Quando Soli occurrit Luna, eius trinus, uel ſextilis, nato decernitur honeſtum & liberale coniugium, ſecunda fortuna in dignitatibus, honoribus, officijs omnibusq; actionibus & negocijs eius propter fauorem, & beneuolentiam tam ſuperiorum ordinum, quàm uulgi.

Sed quando Soli occurrit Lunæ quadratus, & oppoſitus, uulgi odium in natum

tum commouetur, quare ſe præparet natus aduerſus uulgi oblocutiones, & calumnias. Hic occurſus ſecreta, & arcana nati in lucem profert, & eſt inſuper infeſtus oculis.

Occurſus capitis draconis Lunæ ad Solem, gratum reddit primatibus, quorum opera hoc tempore ad dignitates, & publica munia promouebitur. Significat & hæc directio patri proſpera omnia.

At quando Soli occurrit Cauda, eſt inimica oculis, debilitat uiſum, & præcipuē dextro oculo malum portendit, Aduerſatur etiam dignitati, officijs, & honoribus nati. Eſt etiam patri hoſtilis directio.

De progreſsionibus partis fortunæ.

Partis fortunæ progreſsiones obſeruamus, ad præuidendos euentus, qui accidunt hominibus ratione facultatum, diuitiarum, & rei familiaris. Hinc namq; diſcimus quæ tempora commoda ſint congerendis facultatibus, quæ incommoda, quando lucrum expectandum ſit, quando damnum.

Quando parti fortunæ, aut eius dominio occurrit Saturnus, eius quadratus, oppoſitus, uel terminus, accidit damnum nato in facultatibus, & re familiari, per homines Saturninos, aut res Saturninas. Imò quandoq; euertunt facultates nati, ut quandoq; redigatur ad paupertatem.

Contrà, parti fortunæ, aut eius domino, quando occurrit trinus, uel ſextilis Saturni, nato acceſsionem rei familiaris ex ædificijs, re nautica, agricultura, hæreditatibus, aut quibuſcunq; rebus, & perſonis de Saturni natura decernunt.

Si parti fortunæ, aut eius domino, occurrit Iupiter, eius trinus, ſextilis uel terminus, reddit natum fœlicem in omnibus actionibus, & negocijs, maximè uerò fortuna natus hoc tempore ſplendebit in adminiſtratione negociorum, & rerum principum, magnatum, aut perſonarum religioni addictarum.

Contrà, Partis fortunæ occurſus, aut eius domini quadrati uel oppoſitį Iouis, dat nato in facultatibus damna ratione Iouialium.

Occurſus partis fortunæ, aut eius domini ad Martem, eius quadratum, oppoſitum, aut terminum, efficit ut natus rei familiaris iacturam faciat, aut amittat facultates ſuas, per Martiales perſonas, aut ratione hominum Martialium, & actionum, ac rerum de Martis dominio. Vt ſi quis ſuis fortunis ſpolietur à latronibus, prædonibus, furibus, aut perdat res ſuas in Alchimia, bello, aut ſimilibus occaſionibus.

Sed partis fortunæ, aut eius domini occurſus, ad trinum, aut ſextilem Martis, dat facultates, & auget rem familiarē, per perſonas Martiales, & per artes, ſeu actiones, & res de natura Martis, ueluti ſi ex gubernatione exercituum, emptionibus, aut uenditionibus armorum, equorum, tormentorum, & earum rerum quæ ad militiæ uſum attinent, rem faciat, aut etiam ex Alchimia, & metallorum fuſionibus, & ijs artibus quæ per ignem perficiuntur.

Occurſus partis fortunæ, & eius domini ad Solem, eius trinum, uel ſextilem, auget diuitias nati, fauore principum, aut alijs occaſionibus de dominio Solis, ueluti ſi quis negocietur cum auro, uel hyacintho, aut præficiatur alicui præfecturæ.

Contra, parti fortunæ, & eius domino, quando occurrit quadratus, uel oppoſitus Solis, euertit facultates, per perſonas, actiones, aut res de Solis dominio. Hæc etiam directio nati corpus quandoq; calidis ægritudinibus affligit.

Quando parti fortunæ, aut eius domino, Venus, eius trinus, ſextilis, aut terminus occurrit, promittit nato diuitias per amicos, mulierum donationes, aut per alias occaſiones à mulieribus. Item auget facultates nati ex mercatura, ſeu negociatione

ciatione cum gemmis, unionibus, precioſis ueſtimentis, ornamentis mulieribus, rebus odoriferis, & id genus rebus alijs de Veneris dominio, & quæ habentur in delicijs.

At contra, partis fortunæ, aut eius domini occurſus ad quadratum, uel oppoſitum Veneris, cum mulierculis, aut earum cauſa lites, & contentiones concitat. Tempus etiam huius occurſus diſsipat facultates, ratione mulierum.

Quando parti fortunæ, aut eius domino occurrit Mercurius, eius trinus, ſextilis, aut terminus, lucrum, & ſecundam fortunam promittit nato in mercatibus, computationibus, tractatione artium facientium ad farinam, & peregrinationibus.

Contra uero, partis fortunæ, aut eius domini occurſus ad quadratum, uel oppoſitum Mercurij, ſerit inter natum & Mercuriales lites & altercationes ratione literarum, computationum, aut mercaturæ.

Partis foctunæ, aut eius domini occurſus ad Lunam, eius trinum, uel ſextilem, locupletat natum fauore uulgi, & nobilium mulierum, uel de ijs rebus quę ſunt de Lunæ dominio, ueluti ſi augeat diuitias nati de mercatura argēti, criſtalli, uitri, piſcium, ex molendinis, uel ſimilibus de rebus.

Contra, partis fortunæ aut eius domini occurſus ad quadratum, uel oppoſitum Lunæ, infortunia & damna de prædictis rebus, & Lunæ dominio portendit.

Partis fortunæ, & eius domini occurſus ad caput draconis Lunæ, plurimum diuitias auget, per res, aut perſonas de Iouis & Veneris ſignificationibus.

Contra, partis fortunæ, aut eius domini occurſus ad Caudam, diſsipat, & euertit facultates nati per res aut perſonas de Saturni, & Martis ſignificatione.

CAPVT QVINTVM.

De planetis quos domini generalium progreſsionum ſibi in ſocietatem aſciſcunt, ſeu de Algebutar, id eſt, diuiſoribus.

DIVISORIBVS tam beneuolis quàm maleuolis propria quædam ineſt ſignificatio, in diſpoſitione diuiſionis, ſimiliter eius participantibus per corpus, uel radios, habent etiam potentiam ſignificationis ampliorem, & efficatiorem domino anni. Nam dominus anni unius tantummodo anni dominus eſt, & ſua accidentia ſolum anno tali ſignificat. Diuiſor autem ſignificationes ſuas per plures extendit annos, cum planeta qui ei conparticipat, habent enim maximam uim in uita & rebus nati. Ideo bene conſiderandi ſunt annorum diuiſores.

Pro primo igitur uide, ſi dominus gradus diuiſionis fuerit terminus alicuius ſtellæ infortunantis. Nam ſi ſic fuerit, ſignificat indigentiam illo anno & laborem, niſi dominus anni, & ſigni diuiſionis, & Luna fuerint in bonis locis, & habuerint teſtimonia ſtellarum fœlicium, aut niſi ipſa infortunans fuerit orientalis, & in bono loco, & ſimiliter in radice. Vide etiam quòd non ſit damnatum aſcendens radicis, quoniam hæc ſignificant meliorationem diuiſionis, & ſignificant profectum ſecundum naturam illius fortunæ, quoniam meliorabitur illius anni dominus.

Et ſi dominus anni fuerit fortunans ſtella, ſimiliter conferet, niſi fuerit ſub radijs Solis, quia tunc confert illi termino in quo fuerit partitio.

Et quando dominus anni fuerit fortuna, & in radice natalis in bono loco, nato ſignificat bonum, maxime ſi fuerit orientalis. Infortunantes uerò proijcientes ſuos radios in eum terminum, ſi ſint Luna, Aſcendēs, ſignum anni, & eorum domini ſal-

ui ab

ui ab infortunantibus, cum teſtimonio fortunantium, ſignificant hæc illo anno bonum ſecundum naturam dominantis in anno, & diuiſione.

Quando in natali dominus diuiſionis fuerit fortuna in malo loco & damnato, nullum bonum ſignificat, maximè ſi anni dominus ſit damnatus, ſed malum ſignificat & damnum.

Et ſi dominus diuiſionis fuerit fortuna, & in radice in bono loco, & in aſpectu fortunantium, multiplicabitur & creſcet illud bonum, & tantò plus, ſi fuerit orientalis, & in bono loco.

Et quando locus diuiſionis in radice natiuitatis, aut reuolutionis infortunatus fuerit per coniunctionem, quadratum, uel oppoſitum, uel trinum, infortunantur, ſi etiam diuiſio fuerit ad planetam infortunantem aſpicientem ipſum. Cum his proiectionibus radiorum infortunantium, omnibus modis damnum & malum ſignificat, maximè ſi dominus anni, & Luna fuerint infortunati, quia Luna eſt quę complet omnes planetarum ſignificationes.

Quando diuiſio fuerit ad infortunium, & locus diuiſionis in radice, & reuolutio infortunata, & ſi habuerint radios in reuolutione illa radicis, & Luna infortunata fuerit in radice, & fortuna non aſpexerit aſcendens, & infortunæ ibi aſpexerint ex oppoſito, uel quadrato, ſignificant abſciſionem uitæ nati in illo anno. Et ſi radij fortunantium fuerint in illo termino, licet Luna & aſcendens reuolutionis fuerint infortunati, non timebit natus illo anno mortem, attamen accidet ei graue impedimentum.

Et quando infortunæ applicuerint ad locum Lunæ, & eadem applicante ad ipſam ſtellam infortunantem in reuolutione, maximè ſi ſignificator anni fuerit in malo loco, ſimiliter in domo infortunantium, ſignificant illo anno laborioſam uitam, aut grauem corporis ualetudinem.

Idem etiam erit, ſi Luna applicuerit ad locum infortunæ natalis, & manifeſtius erit, ſi hæc applicatio fuerit in aſcendente natalis, uel in ſexta, uel duodecima domo reuolutionis.

Omnis planeta qui fuerit in ſua partitione, proijciens radios ad terminum in quo fuerit in natali, ſignificat illi ſignificationes proprias ipſius planetæ. Exempli gratia. Ponamus Iouem habere dominium in aliqua reuolutione, & ſit diuiſor, & proijciat radios in terminum natiuitatis, & non ſit infortunatus in radice, & reuolutione, & ſit in bono loco, ſignificat illo anno coniugium & filios, & quòd aſſociabitur nobilibus, & ad dignitatem perueniet, ſecundum quòd fuerit ſignificatio radicis.

Si Sol proiecerit radios ſuos hoc modo, ſignificat illo anno potentiam & dominium, aſſociabitur Regibus, aſcendet ad dignitatem, & lætabitur cum parentibus, & propinquis, & lucrabitur ſubſtantiam ex parte parentum ſuorum.

Et ſi Saturnus proiecerit radios ſuos hoc modo, ſignificat triſtitiam ratione patrum & filiorum, ualetudines malas, & inuolutionem ſenſus illo anno &c.

Et ſi Mercurius hoc modo proiecerit radios ſuos, ſignificat quòd illo anno natus aſcendet ad intellectum & doctrinam, & loquetur res per quas exaltabitur, & augebitur, ac fama & fortuna tam ipſius, quàm filiorum eius, non parua habebit incrementa.

Et ſi Venus proiecerit radios ſuos iſto modo, ſignificat illo anno bonum coniugium nobilium mulierum, & cum his lucrum, & erit in lætitia, cantu, & ludis. Et ſi cum hoc Iupiter aſpexerit Venerem, aut terminum diuiſionis, ſignificat maxima lucra, & lætabitur in rebus odoriferis & ueſtibus. Et ſi Venus proiecerit radios ſuos hoc modo, natus erit in gaudio & lætitia.

Aſpice planetas, dominum termini, uel diuiſorem aſpicientes, & miſce ſignificationes eorum cum ſignificationibus domini termini, quòd ſi dominus termini

ac pla=

ac planetæ ipſum aſpicientes, fortunæ fuerint, erunt ſignificationes eorum in bonum, ſi infortunæ, in malum. Et ſi dominus termini infortuna fuerit, & fortuna ipſum dominum aſpexerit, miſce earum ſignificationes ſimul, & ſecundum hoc iudica. Exempli gratia, ſit Mercurius in aliqua natiuitate dominus termini gradus aſcendentis, & ſi Iupiter ipſum quadrato aſpexerit, & Venus trino, Saturnus uero & Mars ex oppoſito, Mercurius qui eſt dominus termini, dabit nato ſcientiam, & intellectum bonum. Aſpectus uerò Iouis confert ei ornatum, ac magnum ſtatum inter altos homines, habebit natus ſapientum amicitiam, ac Pręlatorum Eccleſiaſticorum, nec non lucrum ab eis. Similiter aſpectus Veneris ad Mercurium dabit nato pulchritudinem, ac amicitiam bonam cum hominibus, ac lætitiam cum uxore, & filijs. Aſpectus uerò Saturni, qui eſt Planeta doloris, fletus & triſtitiæ, ſignificat quòd aliquis ex filijs nati morietur, aut quòd dolores, ac triſtitiæ ipſum propter uxorem, pecuniam, aut melancholiam lucri inuadent. Sed aſpectus Martis ad Mercurium, ſignificat ægritudines calidas, & malum per ignem, uel ſaguinis effuſionem, aut mortis timorem, & forte quòd exulabit, aut ab honore, & ſtatu ſuo deijcietur. Et ſi nullus planetarum dominum termini aſpexerit, ipſe dominus termini erit ſolus diſpoſitor, atq; diuiſor.

Quando diuiſor bene poſitus eſt in radice, ſignificat ſaluationem, ſi diuerſus, diuerſum, ſi infortunatus, infortunium.

Diuiſor aſcendentis in termino mali, ſi poſtea iterum ad terminum mali peruenerit, interimit natum.

Saturnus ſi fuerit diuiſor, licet non proijciat radios ad terminum diuiſionis, & fuerit in malo loco, ſignificat infirmitatem ex frigido, & humido, & abundantiam flegmatis, & humorum crudorum, paralyſim, & longas infirmitates, dolores, triſtitiam, & malas cogitationes, duriciem, & laborē, & tarditatem in negotijs, nec quod optauerit perficiet, uerum ſi Iupiter aſpexerit, diſſoluentur hæc quæ dixi, ueruntamen habebit mœſtitiam filiorum & fratrum cauſa. Et ſi Venus in hoc ſtatu Saturnum aſpexerit, coniugium, & filij, & ſerui erunt nato triſtitiæ, aut ex mulieribus & filijs aliqui morientur illo anno.

Et ſi Mercurius aſpexerit illum terminum, ſignificat damnum ratione ſeruorum, uel ſcripturarum, & computi nomine dandi, & accipiendi. Et ſi Mars cum hoc aſpexerit Mercurium, ſignificat natum in deſtructionem ſui, ratione falſitatis alicuius conniuiſſe. Et ſi Saturnus, & Mars ambo illum terminum aſpexerint, ſine aſpectu Iouis, Solis, & Veneris ad illum locum, uel proiecerint radios de fortibus locis, ſignificant deſtructionem nati. Et ſi Mars ille fuerit qui aſpexerit, ſignificat impedimentum in fratribus. Et ſi fuerit Luna quæ aſpexerit, ſignificat fortitudinem, auxiliumq; in ſignificationibus Saturni, mortem etiam matris, infirmitates ſororum, & mœſtitiam ſenſus.

Et ſi ſol aſpexerit ibi, euadet à morte, ſed ſignificat patris mortem, uel triſtitiam magnam ratione patris.

Et ſi Mars proiecerit radios ad terminum, Saturnusq; aſpexerit Martem à quouis loco, & non fuerint ibi radij fortunæ, ægritudinem ſignificat periculoſam uitæ, aut mortem per manus inimicorum. Et ſi in hoc fuerit Saturnus in bono ſtatu cū Ioue, ſignificat illo anno augmentum ſecundum naturam ſignificatoris Saturni, ut in hæreditatibus mortuorum, & ſuis agrorum reditibus.

Iupiter diuiſor, non participante, uel aſpiciente aliquo planetarum, ſecundum figuram natiuitatis, ſi fuerit in bono loco, ſignificat natum optimę uxori coniungi, in tempore diuiſionis filios charos habere, loquetur cum regibus, & principibus, & cum nobilibus, conciuibusq; ſuis, augmentabitur dignitas eius, honor, & gloria, & ſi fuerit natus mediocris fortunæ, habebit principatum ſuper his qui eiuſdem

fuerint ordinis, dominabiturꝗ Sympatriotis ſuis, & adipiſcetur diuitias. Si uerò fuerit ſuperioris fortunæ, obtinebit dignitatem ſuper ciuitates, & gentes, & earum inhabitatores, augebuntur gloria eius & diuitiæ, naſcetur ei filius, uel eius filio. Si Saturnus ei participat, corrumpit & deſtruit diuitias ſuas paternas, ac teſtimonia maiorum ſuorum, lædetur filius eius, atꝗ parentes contriſtabit, & defectionem animi patietur, erit tardus in operationibus ſuis, & impedietur in negocijs ſuis, erit malè tractabilis, ægrotabit uaria ægritudine, ſed reſtituetur & conualeſcet. Si Mars ei participauerit, ſignificant bonorum confiſcationes, quæ diximus, præcipue eorum, quorum ſignificatio eſt Iouis, & diminutionem, & ſubtractionem. Si Sol ei participauerit, ſignificant ipſum dominari in aliqua dignitate, uel opere, augmentari diuitias, proſperitatem, dignitatem, & gloriam ipſius, & loqui eum cum regibus, & principibus, plures ipſum adibunt, eumꝗ deprecabuntur, erit honorabilis in omni re lætabitur cum parentibus, & conſanguineis ſuis, adipiſcetur dignitatem, uel hęreditatem. Si Venus ei participauerit, ſignificat ipſum coniungi uxori probæ, conſanguineæ & nobili, habebit utilitatem per eam, perſeuerabit in cantilenis & ludis, ac delectationibus, obtinebit proſperitates præclaras. Et ſi ſecundum natiuitatem configurata fuerit Ioui Venus, augebitur proſperitas eius, & famoſas acquiret diuitias, & indumenta noua, induetꝗ regias ueſtes, cultu regio decorabitur, multiplicabitur iocunditas eius. Si uerò fuerit homo mediocris fortunæ, prædicta mediocriter obtinebit. Si Mercurius ei participauerit, & fuerit boni eſſe, ſignificat alacritatem, & utilitatem, propter doctrinam & diſciplinam, creſcet eius ſapientia, & eloquentia, amicitiam contrahet cum nobilibus, & illuſtribus procuratoribus, erit fortunatus in operationibus ſuis, lætabitur ſuper filijs, augebitur proſperitas eius, exaltabitur in dignitate ſua. Si uerò fuerit mali eſſe, minuentur bona prædicta, adipiſcetur quidem, ſed confuſionem patietur pro eis. Si Luna participauerit ei, ſignificat ſanitatem corporis, & bonam habitudinem, gloriam, & proſperitatem, gratulabitur ſuper ſororibus & matre, obtinebit ſperata, à pluribus laudabitur, eritꝗ regibus familiaris.

Mars ſi diuiſor fuerit, & in loco radicis, in exaltatione ſua, uel Iouis, uel termino, uel in aliqua dignitatum ſuarum, & habuerit participationem, aut teſtimonium Iouis, ſignificat nato bonum, & honorem illo anno, & ſi nati genus erit nobile, uel hoc patiatur, habebit illo anno dominium ſuper pręfectos militum, uel duces, intromittet ſe rebus militaribus unde ei lucrum, honoresꝗ accedēt, erit uictor hoſtium, & bona quæ habuerit, uenient ei per rapinas, prædas, cædesꝗ. Et ſi Iupiter aſpexerit, indicat quòd reducetur ad manſuetudinem & iuſtitiam, præcipuè ſi Sol aſpexerit Iouem, Sole in loco forti exiſtente, uel ex trino aſpiciente. Et ſi Mars fuerit in malo loco, nec habuerit teſtimonium, nec aſpexerit aliquem cum Ioue, indicat ualetudines malas, damna, combuſtiones, & febres, ſanguinis effuſionem, uel uulnera. Et ſi Mars uiderit eum terminum, indicat natum cadere in manus ſuorum inimicorum, uel latronum. Et ſi terminum non aſpexerit, iter faciet ſine utilitate. Et ſi cum hoc erit ſignificator anni, & dominabitur in eo, erit illud malum deterius, & diuturnius, & ſi fuerit aſcendens reuolutionis, & Luna ſimiliter infortunata, & Mars ſimiliter, id erit peius. Quod ſi Mars termini diuiſionis dominium ſortitus fuerit, & Mercurius radios ſuos ad eundem terminum proiecerit, non interueniente fœliciſſimi ac benigniſsimi Iouis ſydere, aut aſpectu, portendet nato talis poſitus, animi cruciatus & angores damnaꝗ & carceres, ex occaſione litigiorum, cauſarũ, ſcripturarum, falſorumúe teſtimoniorum. Euitet igitur natus toto hoc tempore omnes irarum cauſas, litium ſemina, contentionum occaſiones, forum, actiones forenſes, cauſidicos ac uniuerſum id genus hominum, quod ex calumnijs & aliorum incommodis ſua comparat commoda.

De reliquorum planetarum, uel ſyderibus, uel radijs, termino Martis occurren
tibus, ſimili prorſus ratione iudicabimus, ſicut de altera infortuna Saturno ſupra
oſtendimus, niſi quòd huius cum Marte commixtiones, ſignificant damna, ac fru-
ſtrationes ſpei & fiduciæ.

Si tamen Solis Veneriſúe, aut Iouis radij ad eundem terminum acceſſerint,
liberabitur natus, ac obtinebit uictoriam in iſtis uitę ac fortunarum periculis, uerum
comitabuntur tamen hanc liberationem ſua incommoda, & uictoriam præcedent
luctæ ac pugnæ ſatis atroces, quam quidem ſatis cruentam habebit.

Ac ſi Mars quoq; Saturno ad terminum ipſius radios ſuos projciente, ſimul
eundem terminum diuiſionis, ac Saturnum reſpexerit, cumulabuntur utriuſq; infor-
tunæ malignitates uniuerſæ, ac genus omne infortuniorum ſecundum commixtio-
nem qualitatum, ac naturarum utriuſq; maleficæ cum triſtitia, ac perturbatione ani-
morum, angore, labore, penuria, ſummiſq; doloribus. Idem natus nec hoſtiles effu-
giet manus, uim atq; iniurias. Et niſi fœliciores ſtellæ Iouis, aut Veneris, regiumúe
Solis ſidus ex fortibus locis ac idoneis, eundem diuiſionis terminum lumine ſuo lu-
ſtrauerint, natus poſt exantlatos maximos labores, ſummaq; uitæ diſcrimina infœli-
ci, crudeli, ac uiolenta morte peribit.

Verum Iouis ad eum terminum aſpectus, dolores ac perturbationes, triſteſq;
luctus, & graues iras à regibus nato minatur, non ſine magnarum dignitatum, hono
rum, ac officij eius nati periculo & amiſsione.

Si uerò Venus eodem radios ſuos proiecerit, damna à mulieribus prouenien-
tia & in filijs ſuis natus experietur.

Si uerò Solis ibidem exiſtant radij, ſignificant combuſtiones & damna ex par
te patris, principumúe ac regum potentum, uel nobilium uirorum. Sed hęc de Mar
te termini diuiſionis domino dicta ſufficiant. Reliqua ex ipſa commixtione ſignifi-
cationum ac qualitatum radiorum, eodem in loco concurrentium induſtrius Ma-
thematicus pro ſua prudentia eruditè uenabitur.

Iam inſtitutæ orationis ſeries poſtulat, ut de Venere quoq; dicamus, cui ſi do-
minium diuiſionis obtigerit, nato res ſecundas, ac proſperos in coniugio ſucceſſus
largitur, maximè ſi anni quoq; & reuolutionis gubernatrix fuerit, & ſi applicuerit ad
locum in quo fuit pars coniugij in radice natiuitatis. Venus enim fortuna, ac ſtella
fœminina, gaudiorum ac uoluptatum eſt domina, iucundaſq; uxores, & dulces na-
tis conciliat amicos. Ac ſi præterea eadem radijs ſuis pertigerit ad illum diuiſionis
ſuæ terminū, fœminam nobilem nato deſponſatam iri ſignificat, ex qua diuitiarum
affluentiam, & ornamentorum muliebrium precioſas opes magnaſq; conſequetur.

Si uerô Iupiter terminum diuiſionis, ac dominij Veneris ſuo illuſtrauerit lu-
mine, eadem omnia pro naturæ ſuæ liberalitate & benignitate, & uberiora & fœli-
ciora nato promittit.

Sin Mercuriales ibidem inueneris radios, ingenij & animi dotes diuinis pla-
ne augebuntur incrementis. Idem tamen pro mobilitate ſua laſciuos ac petulante
motus uagaſq; libidines in animis excitat, & illicit natum ad illicitos meretricum
concubitus. Qui quidem radij ſi in loco eidem termino oppoſito fuerint inuenti
utilitatem aliquam capiet natus ex muliebribus conſilijs. Si uerò alio quouis aſpect
radij Mercuriales terminum diuiſionis, ac gubernationis Venereæ tetigerint, do
lores & animi ægritudinem propter uxorem natus habebit, uel mortem coniugi
ſuæ lugebit.

Si Mars lumine ſuo occupauerit, uel aſpexerit prædictum terminum, uxo
nati triſte minatur fatum mortis, aut longarum ægritudinum, aut conciliat nato l
tes, damnaúe propter mulieres, muliebriaúe negocia, aut earum cauſa forte ſuſtibu
cædetur.

H

His infœlicibus radijs ſi Mercuriales quoq; acceſſerint, natus diſtrahetur, ac cruciabitur damnis grauibus, ac turpibus cauſis, ac ſuccumbet in diſceptationibus, litigationibus, & actionibus forenſibus, cum grauiſsimis malis ſuis, maximisq; damnis ac impedimentis.

Si tamen ad hos maleficarum poſitus, intuitus, ac radiorum concurſus in prædicto termino Iupiter clementiſsimus reſpexerit, hęc mala uel euaneſcent, uel diſcutientur, ac ſedabuntur reconciliatis cum nato malignis aduerſarijs.

Quòd ſi Luna eodem aſpexerit, decernet nato nuptias cum aliqua ex ſuis affinibus, aut coniugem formoſam quidem, ſed degenerem, ex qua tamen magnas ac ſolidas percipiet animo uoluptates.

Verum in quacunq; geneſi Venus proiecerit radios ſuos ad terminum Martis, dum is fuerit diuiſor, aut Mars econtrà in terminum Veneris, quando eadem extiterit diuiſionis domina, præſertim ſi in radice natiuitatis hiſce ſtellis aliqua inter ipſas interceſſerit commixtio, natus præpoſteris ac illicitis amoris affectibus, ac fornicatione ardebit, nefarijsq; ac uagis libidinibus. Nunquam enim caſta eſt Veneris, Martisq; copulatio, uel commixtio, ſed de Veneris termini diuiſionis dominium obtinentis ſignificationibus & commixtionibus cum reliquis ſtellis erraticis ſatis dictum eſſe puto.

Reſtat nobis Mercurius, qui ſi diuiſoris autoritatem & prouinciam conſecutus fuerit ab aliorum erraticorum ſyderum commixtione ſeparatus, bonoq; in loco poſitus, nati ingenium ac iudicium acuet, augebitq; eius intellectũ, magnaq; etiam ſuppeditabit lucra per literas & negocia, in quorum tractatione, & explicatione eo tempore natus uerſabitur.

Quòd ſi diuiſore hoc ita conſtituto, Iupiter uel ipſe dominus Mercurius terminum diuiſionis aſpexerit, magna nato decernẽtur ac ſublimia dignitatis inſignia, quibus ornabitur propter facundiam ſingularem & præſtantem doctrinam, quibus multis præferetur cum ſummo honore ac decore.

Si uerò Martiales radij ad eundem terminum ſeſe extenderint, altera infortunante ſtella in communi ſigno cum eo exiſtente, incidet forte natus in manus hoſtiles, aut uulneribus afficietur grauibus, aut incendiorum pericula, & detrimenta eo tempore ſentiet, aut epilepſia corripietur. Magicis etiam, aut Necromanticis artibus ſeſe inuoluet, diabolicisq; uexabitur præſtigijs. Qui quidem Mars, ſi unà cum domino termini Mercurio quadratis, oppoſitisue radijs eum locum pulſauerit, hoſtiliterq; inuaſerit oppugnaueritq;, grauiſsima ualetudinis impedimenta, aut damnoſas contentiones, ac lites nato minabitur. Eruntq; nati cupiditates & affectus hoc tempore turpes, nefarij & impij.

Vniuerſaliter autem ſiue in genere, ſciendum eſt Diuiſorem ſeu dominum termini potiſsimum ſignificare, quibus magiſterijs ſiue artibus natus ingenium & animum ſuum ſit applicaturus. Idem ſignificat in genere de facultatibus ſeu ſubſtantia nati, diues uidelicet futurus'ne ſit natus an pauper? Quibus in partibus dominus quoq; anni ex parte ſigni applicationis ſua ſibi iura, poteſtatem, & ſignificata uendicat in ſtatu nati determinando. Aliquantò tamen eſt potentior dominus anni diuiſore &c.

CAPVT SEXTVM.

De generalibus progreſsionibus, uel directionibus,

Aphoriſmi iuxta Arabum & aliorum ſententiam.

QVi poſt Ptolemæum ſcripſere plurimum tribuunt datis Alchocoden, & inde uitæ periodum colligunt. Etſi autem ijdem quemadmodum Ptolemæus Hylegij ſeu datoris uitæ progreſsiones obſeruant, tamen eorum pleriq; ſentiunt occurſus interremptricum ſtellarum ante datum Alchocoden lætalem quidem morbum, nõ autem mortem decernere. Nos autem eos potius ſequẽdos putamus, qui Ptolemæi ueſtigijs inſiſtunt. Cæterum quos Græci ἀνάρετας uocant, non uſq; adeo inconcinne appellarunt Abſciſſores, quaſi Atropes (ſicut eſt in fabulis) fungantur munere, uerum plures numerant quàm Ptolemæus. Si enim maleficæ interficiunt, conſentaneum fuerit, reliqua etiam loca, quæ æquè maleficam uim habent, ſimiliter eſſe aduerſa uitæ, eamq; abrumpere, ſed quô loca malefica omnibus ſint in promptu, ea ordine ſubſcribemus.

Abſciſſores ſiue interfectores ſunt:

- Saturnus
- Mars
- Sol
- Luna
- Eorum Quadratus
- Oppoſitus

  } Verum neq; ipſi, neq; eorum aſpectus abſcindunt quando ſunt uitæ ſignificatores.
- Cor Leonis.
- Cor Scorpij.
- Caput draconis Lunæ.
- Cauda draconis Lunæ.
- Cuſpis ſextæ.
- Dominus eius.
- Cuſpis ſeptimæ.
- Dominus eius.
- Cuſpis duodecimæ.
- Dominus eius.
- Cuſpis octauæ.
- Dominus eius.
- Loca tenebroſa
- Loca nebuloſa.
- Locus eclipſis.
- Mercurij oppoſitus & quadratus impedit.
- Saturni, Martis } Sextilis in ſignis paucarum aſcenſionum.
- Saturni, Martis } Trinus in ſignis longarum aſcenſionum.
- Cuſpis quartæ domus quando aquea & infortunata fuerit.
- Pars mortis.
- Pars Azeme.
- Cometa tempore natiuitatis.

Luna in gradu aſcendentis, interficit, & damnat, ſicut Mars, maximè ſi habue rit aliquam dignitatem in octaua.

Cum ſignificatores ad prædicta loca interfectorum uenerint, fortes nec im pediti per radios fortunarum, imminet periculum mortis nato. Si autem aliqua for tunarum ad prædicta loca interfectorum radium ſuum proiecerit, ex forti radiatio ne, liberabit natum â periculis. Et ſi talis proiectio fuerit, maximè in termino fortu næ, & aliqua fortunarum aſpiciat trino, ſextili, quadrato, ſiue oppoſito. Iupiter uide

lice

licet cum Venere tuebuntur natum â periculo, Iupiter in diſtantia duodecim graduum, Venus octo graduum, ſimiliter liberant natum applicatione locali, ſiue radiorum proiectione ſuper locum interfectoris, dummodo interfectoris & ſignificatoris latitudo fuerit diuerſa.

Cum ſtellæ adiuuantes, uel ſaluantes, aut interficientes duæ uel tres fuerint in unoquoq; iſtorum locorum duorum ex applicatione uel radiatione, conuenit ut id quidquid ipſorum duorum ſecundum rerum adiuuantium, uel ſuiipſius fortitudinem fortius eſt conſideremus. Si enim interfector tum radiatione ſua, tum aliarum ſtellarum ſubſidio, in interueniendo fortior liberatore fuerit, mortem nato futuram prædices. Si autem liberator radium porrigens, aut per corpus applicans, interfectore ipſo exiſtat fortior, tum ratione ſui, tum ratione auxiliorum, liberabit natum à periculo, aliquando in parte, aliquando in toto, dummodo planeta liberans, præualeat, interfectore ipſo exiſtente debili, aut ratione combuſtionis, aut retrogradationis, uel aliarum accidentium in parte. Quapropter eorum qui ſunt ſub radijs, in occidendo, iuuando, uel ſaluando nos nihil obſeruare conuenit, niſi quando Luna fuerit Hylech, tunc enim locus Solis erit interfector, & infortuna quæ ſub radijs Solis fuerit, dummodo planeta liberans Solem, eum non intueatur.

Directiones ad loca, aliquando in puncto ueniunt, aliquando fruſtrantur, aliquando antecedunt, aliquando ſequuntur, nunquam tamen limitem annorum excedunt. In puncto eueniunt, dummodo ſignificator cum promiſſore qualitatem contrariam in natura habuerit. Interfector autem planeta uictoriam omnimodam unius ſuper alium obtineat. Fruſtrantur autem, quando promiſſor retrogradatione, aut combuſtione comprimitur. Antecedunt, quando ſtellæ adiuuantes interfectorem, influxum ſuum prius inducunt ex applicatione radiationum præcedentium applicationem ſignificatoris cum interfectore, & uincentium ſuo influxu directionem interfectoris. Quare antequam directio potentialis ſignificatoris ad interfectorem peruenerit, natus ſucceſſiue debilitatur. Quando autem ſignificator interfectori potentialiter coniungitur, mox natus ſpiritum emittit, ut experimur in illis, qui interficientibus radijs Saturninis affliguntur, qui licet ad tempus â periculo mortis liberentur, raro tamen priſtinæ reſtituuntur ſanitati. Sequuntur autem, quando beneuolæ ſtellæ proijcientes ſuas radiationes ſuper locum interfectoris, ſua uirtute uincunt maliciam interfectoris. Tunc ad tempus uitam nati prorogant. Sed poſtquam maleuolæ ſtellæ uim ſuam interfectori porrexerint, & uictoriam ſuper liberantem ſtellam obtinuerint, mox interficiunt natum. Simili modo conſtituentium dignitatem, ſubſtantiarum adeptionem, & fortunarum adauctionem intellige. Aliquando enim in puncto directionum dignitas euenit, aliquando fruſtratur. In puncto eueniunt, dummodo ſignificator cum promiſſore in gradu directorio aliquam habuerit conuenientiam. Fruſtrantur dum promiſſor combuſtione infeſtatus fuerit, in nullo obtinens auxilium beneuolarum ſtellarum &c.

Radij, ſeu aſpectus dextri debiliores ſunt ſiniſtris, ideoq; directiones ſignificatorum cum perueniunt ad dextros radios promiſſorum, quiddam imbecillius efficiunt, præſertim uerò denotant quæ patienda ſunt nato, ut ſunt pati accidentia.

Contra, directiones ad ſiniſtros radios efficaciores ſunt, & ea ſignificant quæ natus agere debet, & hoc modo directio dextra imbecillior cenſenda eſt, quàm ſiniſtra, & hæc actiones nati, illa uero quæ ab alijs rebus, uel perſonis nato perferenda ſunt, ſignificant.

Proinde conſtat directionem ſiniſtram, ad ſiniſtros radios maximè, efficaciorem eſſe, & ex ea de nati actionibus ferendum iudicium. Ad dextros autem radios tam de actionibus quàm paſsionibus nati, Simili ratione patet quomodo dextra di-

re[...] ad dextros radios paſsiones nati ſignificet, eadem uero ad ſiniſtros, & actio[...]nes, & paſsiones nati.

Excellentia, ſiue intenſio ſignificati, per directiones accipi debet tam à ſignificatore, quàm à promiſſore. Vt exempli gratia: Si Sol dirigeretur ad corpus, uel radios Iouis, & eſſet Sol potens, & Iupiter ſimiliter potens, ut ſi eſſent ambo in angulis, aut ſuis dignitatibus, ſignificarent prælaturam, aut iudicij dignitatem maximam uel adminiſtrationem alicuius notabilis rei, uel cum aliquo principe amicitiam.

Quòd ſi ſignificator fortis fuerit, & promiſſor debilis, parum nocebit illa directio. Si uero debilis fuerit ſignificator, & promiſſor malus fortis, tunc accidentis magnitudo erit in eo genere, in quo demonſtratur ab ipſo ſignificatore.

Vide etiam diligenter an gradus directionis aſpiciatur à bono, uel malo planeta. Nam ſi malus aſpicit malam directionem, id eſt malum promiſſorem, intendetur ſignificatum hoc multo plus in malum. Si bonus aſpicit, minuit maliciam directionis.

Quando ſignificator, & promiſſor habuerint declinationes, uel latitudines ſimiles, tunc ſequitur intenſior effectus directionis, quàm ſi eſſent diſcordes in latitudine, uel declinatione.

Significatum directionis durat donec idem ſignificator ad alium ſequentem promiſſorem peruenerit, ſed maximè apparebit eo anno quo talis contingit.

Quando fit directio ſignificatoris ad aliquam ſtellam fixam, malignam, primæ, uel ſecundæ magnitudinis, ingerit magnum impedimentum nato de natura ipſius ſtellæ.

Quando aliqua directio pertinget ad promiſſorem malum, & exinde iterum ad malum, erit magnum periculum.

Directio ſignificatoris ad infortunam, peior eſt quàm directio infortunæ ad ſignificatorem.

Si aſcendens natiuitatis fuerit Hylech, quando perueniet directio eius ad gradum eclipſis, morietur natus.

Si aliquis angulus eclipſis ceciderit in aſcendentem alicuius nati, ui interficiet eum.

Sol & Luna ſi ad eundem locum radium quadratum, uel oppoſitum iaciant, non abſcindent uitam nati propter temperiem reſultantes.

Cometa apparens nocte in aſcendente, uel cum Luna in nocte, ſi Luna habet dominium in ipſa natiuitate, abſcindit uitam nati.

Luna abſcindit aſcendens, & aſcendens Lunam.

Partes & planetæ retrogradi, diriguntur contra ſucceſſionem ſignorum.

Ptolemæus dirigit ſignificatores in medietate occidentali, contra ſucceſſionem ſignorum, cum quo alij omnes non concordant.

Nota quòd ſemper cum aliquis ſignificator peruenerit per directionem, uel profectionem ad aliquem locorum abſciſſorum, ſiue interfectorum, impedietur natus ſecundum quod ſignificat ſignificator. Vt ſi fuerit ſignificator ſubſtantiæ, in diuitijs. Si fuerit ſignificator corporis, in ſanitate, uel ægritudine, & impedietur natus ſecundum naturam abſciſſoris, & loci in quo eſt, ac etiam domus. Ex hoc maxime ſi fuerit in loco, & termino infortunæ. Sed ſi in dicto loco abſciſſionis fuerit corporaliter fortuna, uel radij eius boni, ſignificat quòd natus non habebit dictum impedimentum, & ſi habebit, erit leue. Et ſi fortuna aſpiciens fuerit debilis, grauabitur natus minori modo, quàm ſi non aſpiceret ibi fortuna &c.

Cuſpides domorum cœli diriguntur pro ſuis ſignificatis.

Planetæ diriguntur. Nam Saturnus dirigitur pro patre, & ſenibus progeniei, pro maioribus fratribus, pro rebus occultis, pro infirmitatibus, pro commodo, uel incom-

incommodo hęreditatum. Iupiter dirigitur ad ſciendũ fortunam, amorem, laudem, diuitias, auxilium à nobilibus. Mars dirigitur pro militia, ualetudine, uerſus milites. Venus dirigitur pro coniugio, & amore nati, profectu à mulieribus, gaudio, ſtatu matris, & ſociorum minorum. Mercurius dirigitur pro ſtatu fratrum minorum, loquelæ, magiſteriorum, amicitiarum, ſeruorum &c.

Albumaſar dirigebat per gradus æquales, id eſt Zodiaci, quòd ego in multis natiuitatibus expertus ſum bonum ſic fore, nam ſæpe rei ueritatem ſic inueni &c.

Ego de corporalibus & oppoſitis configurationibus uerum expertus ſum, cæterum reliquæ non ex Zodiaci, ſed Aequatoris partibus ſumendæ ſunt.

CAPVT SEPTIMVM.

De reliquis progreſsionum, ſeu profectionum generibus, Item de domino anni, ac dominis aliarum progreſsionum.

Primo de profectionibus Horoſcopi, id eſt partis orientalis in genitura, Itemq́ Lunæ, quid ſingulis in domibus efficiant.

CVM profectio aſcendentis, itemq́ Lunæ peruenerit ad primam domum, alacritas quædam ſentiri ſolet ſingularis, experiuntur etiã tunc fœlicem fortunam in actionibus, & rebus ſuis, maximè ſi luminaria ceciderint, & ipſa in annua conuerſione fortunata, ac ſi profectio habeat proſperas configurationes radiorum genituræ. Hoc tempus lucrum, principatusq́ ac honores, & charitatem propinquorum ſpondet. Tunc aptum tempus comparare ea, quę corporis, uitæq́ cultus, & cura poſtulat, ueſtes, cibum, iumenta, arma, & quicquid eſt homini neceſſarium ad uictum cultumq́ corporis.

Cum uerò ad ſecundam domum peruenerit horum profectio, opera danda erit emptionibus, & uenditionibus, pecuniæ collocationibus, repetendis nuncijs, totiq́ rei pecuniariæ. Tum luſibus & gymnaſijs uacabimus, ſperabimusq́ de hoſtibus uictoriam, ſed metuantur domeſtica damna flammæ & furtorum.

Cum ad tertiam deuoluitur eorum profectio, in itineribus ſtudeant. Hoc tempore cum conſanguineis, & religioſis apte negocia gerentur. Sed metuant nati occultos morbos & odia diuturna.

Cum ad quartam uenerit aſcendentis aut Lunæ profectio, lucrum ſperandum, & precium operæ, acceſsio hæreditatis, benignitas & fauor parentum, quiq́ illorum loco ſunt, Tum theſauros obrutos terra ſcrutabimur, & argentifodinas excutiemus, arcana, & abſtruſa ueſtigabimus, poſſeſsiones, frumentaq́ comparabimus, aut uendemus. Extruemus ædificia, piſcinarum lucra quæremus, teſtamenta condemus, de ſepultura mandabimus. Hoc autem tempore ſentiemus animi triſtitiam & mortis metum, periculoſum tunc fuerit in aquis uerſari, in ardua conſcendere, militares luſus armorum exercere, glaciem tranſire, coram regibus, & principibus apparere, itinera longa facere, Eodem tempore uilitas & contemptio nato accident.

Cum ad quintam deſcenderit, delectationi eſt nato puerilis ætas, uoluptatem etiam capiet de mulierum conſuetudine, & ex ſodalitijs. Sed pericula impendens mendaciorum, & proditionis. Tum opera danda liberis, amicitiæ, conuiuijs, colloquijs, & confabulationibus, ac circulis. Aptum eſt hoc etiam tempus pacificationibus, contractibus, cõficiendis literis, mittendis nuncijs, nauigationibus, mercatibus, ueſtibus nouis cum incidendis tũ induendis, inq́ ſumma ingenij obſequio. Eſt enim lætificum, & fœlix, præſertim ſi luminaria, atq́ adeo aſcendens & pars fortunæ ce-

 ciderint

ciderint in conuerſione annua. Sicq; hęc profectio proſperis configurationibus à radijs natiuitatis imbuatur.

Cum ad ſextam iuerit profectio, uariorum morborum timenda ſunt pericula, odia, & inimicitiæ excitabuntur, quæ tempore longo durent. Et ut ſemel dicam, nihil fortunabitur rerum omnium. Tunc cautè erga famulos, & ſeruientes mercede nos geremus. Iter non faciemus, non incidentur neq; induentur noua ueſtimenta. Tempus hoc mercatibus aduerſum, omnibusq; contractibus & negocijs, conuentibus, conſilijs, deliberationibus aduerſum & fundationibus, & incœptionibus noui operis, quodq; durare uelimus. Magna tamen diligentia uerſabimur in uſu cibi, & potus, ut morbos effugere poſsimus, qui de leuiſsima occaſione hoc tempore exiſtere ſoleant, maximè cum luminaria quoq; in annuæ conuerſionis domibus infortunatis fuerint, pertigeritq; profectio ad maleficarum corpora, radiosúe geneſeos.

Cum ad ſeptimam uenerit profectio, tum homines laborant animi quadã moroſitate, & impatientia, necnon à mulieribus facile ductantur, pericula ipſis impendent, & domeſtica damna à flammis & furtis, cum mulieribus rem habere conueniens tempus, uxorem petere ducereq;, celebrare nuptias, mercaturas facere, perſequi fugitiuos, inſtituere conciliationes, & pacificationes. Bellis, tumultibus, expeditionibus pœnitus contrarium, maximè ſi luminaria, & aſcendens in conuerſione annua infœliciter ceciderint, aut cum profectio pertigerit ad configurationes noxias. Hoc enim eſt hoſtium tempus, quo ad nocendum potiſsime excitari conſueuere.

Cum ad octauam uenerit, tempus eſt ægrotationum, & detrimentorum, tum uel corpus, uel res affligi ſolet, tum mendacia, perfidia, proditiones metuendæ, tum ipſa mors ingruit. Quare attenti erimus in uictu, cultoq; ac rebus omnibus de quibus naſci morbi poſſent. Itinera non facies, conſultationes, tractationesq; rerum ac conſilia uitabis, nec incidi patiere, nec indues ueſtes nouas, non mercabere, non uendes, non aleæ ſtudebis, non dabis mutuum, non ſpondebis pro altero, ad pugnam proficiſci, litemúe mouere, itemq; uenam incidere, cucurbitulasq; & ſcarificationes, deniq; medicina uti uitabis, neq; quicquam aggrediere quod periculum contineat, maximè ſi luminaria infortunatè ceciderint in conuerſione annua, cumq; profectio ad maleficarum configurationes in geneſi peruenerit.

Cum ad nonam, tempus conueniens longis itineribus, ſi qua in geneſi forte decernantur, tunc ſtudia literarum, ac artium colunt nati, tunc amicitias, & neceſsitudines externorum, aut ab externis fructus acquirunt, tunc apud principes & põtifices uerſari, coramq; apparere, & benignitatem illorum experiri uelle aptũ, ſtudiaq; potiſsimum Aſtrologica & Chymica exercere, literas amanter perſcribere, tabellarios mittere, deniq; ingenium, & aciem mentis intendere auſpicatiſsimum eſt.

Cum ad decimam pertigerit profectio, illo in tempore res gerent apud principes, cumq; illis erunt, aut magiſtratu fungentur, potienturúe honoribus pro loco & ordine ſuo, ſi tamen in geneſi decernantur. Hoc enim eſt tempus ſplendoris, famæ, dignitatis, honoris, ſed damna domeſtica flammæ, & furti metuenda, tunc conuenit à regibus & principibus fortunę augmenta petere, promittitur enim commodę petitionis ſucceſſus, tunc munera capeſſenda, ſubeundæ clientelæ, artibus, & diſciplinis danda opera, proficiſcendum ad bellum, perſequendi hoſtes, uerſandum in iudicijs, & foro, faciendum iter, nauigandum, diſceptandum de iure, celebrandi conuentus, incidenda, induendaq; noua ueſtimenta, & ut dicam ſemel, omnium rerum fœlices tum incœptiones & conatus eſſe ſolent, maximè ſi quam proſperitatem geneſis decernat, ſicq; luminaria loca fœlicia in annuæ conuerſionis themate poſsideant, cumq; ad proſperas configurationes profectio pertigerit. Natus etiam eo tempore magiſterium ſuum renouabit.

Cum ad undecimã uenerit, tũ hilaritas ſentietur, multos & conuenientes, amicos

natus

natus acquiret, quæq; uolet fere conſequetur omnibus in rebus, obtrectatoribus tamen & maledicis non carebit, fortunatiſsimum eſt hoc tempus omnium, quicquid facere moliriq; uelimus, tunc præter ſpem, & opinionem bona contingunt, tunc aptum ad Reges, & principes, adq; illorum præfectus accedere, & cum amicis colloqui, necnon cum hominibus omnium ordinum ac conditionum, negociorum gerendorum gratia commiſceri, præſertim ſi res pecuniaria, & facultatum agatur, tum mercabimur, uendemus, ludemus alea, collocabimus pecuniam, mutuum dabimus, uocabimus in ius, colloquia conuentusq; frequentabimus, faciemus iter terra, induemus noua ueſtimenta, migrabimus, expeditiones, bellaq; mouebimus, pugnabimus, hoſtes perſequemus. Quicquid enim tunc facere incœperimus, fœlicem ſortietur exitum, cum hoc ſit tempus ſummæ, & maxime propriæ fœlicitatis.

Sed ad duodecimam cum peruenerit profectio, tum infeſtabuntur nati ab occultis ægritudinibus, tum diuturnæ inimicitiæ ſe proferent, tum omnibus in rebus difficultates, & aduerſitates natis obijcientur, contrarium tempus itineribus, conueniens hoſtibus, quorum tunc odia, conſilia perfida, conatus inſidioſi aduerſus capita, famam, ac rem nati, potiſsime inualeſcunt. Itaq; pericula carceris, & captiuitatis ipſi impendent. Nemo tunc uelit operam dare mercatibus, frequentare conuentus, & colloquia tranſactionum, mutuum dare, nouas induere ueſtes, tum uenationes, equorumq; ac iumentorum uſus diſcriminis plenus eſt.

Quando profectio aſcendentis pertinget ad corpus infortunæ, uide in quam domum reuolutionis ipſa infortuna ceciderit, quoniam ſignificat damnum in ſignificatis illius domus. Verbi gratia. Sit Saturnus in Libra in quarta radicis; fiat autem profectio aſcendentis radicis ad quartam domum radicis, ad ſignum Libræ, ubi Saturnus fuit in radice, qui Saturnus in eodem ſigno Libræ inuentus eſt in figura reuolutionis, in quinta domo quæ filiorum eſt. Significat igitur eo tempore mortem filiorum, aut ad minus damnum in eis, uel etiam in alijs ſignificatis quintæ domus.

Quando profectio aſcendentis radicis ad caudam reuolutionis fuerit, ſignificat triſtitiam, & damnum à uilibus hominibus.

De natura, & effectione domini anni, quem accipimus eum, qui dominus ſigni profectionalis fuerit, quemq; gubernatorem, ac regem uocant.

Deq; profectionibus illius ad configurationes ſecundas, aduerſasq; geneſeos.

Saturnus rex, & dominus anni.

SATVRNVS ſi fuerit dominus anni, aut cum profectio hæc acceſſerit ad coniunctionem, aut oppoſitionem, quadratamúe configurationem ipſius in geneſi, minatur morbum frigidum, & humidum, abundantiam flegmatis, atræ bilis importunitatem, nihil tum fere omnium incœptionum fœlicem exitum ſortitur. Infeſtos tunc habent principes, præſertim ſi profectio hęc inciderit in geneſi, in VI. VII. VIII. aut XII. domum. Nam ſi in fortunatis fuerit domibus, ut I. II. X. XI. aut acceſſerit ad ſecundas configurationes Saturni, incommoda illa leuius abeunt, & commodum aliquod rerum Saturniarum obtingit nato, ut ſunt hæreditates, poſſeſsiones, agricultura, metalla, quæq; terra ædit, aut maiores relinquere ſolent.

Iupi-

Iupiter, cum dominus anni, id eſt, dominus ſigni profectionalis fuerit, cumq; profectio hæc inciderit in fœlicem geneſeos domum, & ad configurationes Iouis acceſſerit, tum ſperandi erunt fœlices euentus omnium incœptionum, potiſsimè facultatum, uictusq; parandi, & liberorum ſuſcipiendorum. Tunc incrementa promittuntur famę & fortunarum. Tunc Deo hominibusq; grati, & accepti Regibus fiunt nati, facileq; quæ uolunt, & quæ uerecundè petunt obtinent. Sed aptiſsima eſt rerum ſuarum cauſa ad iudicem, aduocatos, cauſidicos, ſenatores, Eccleſiaſticos primates accedere, diſceptareq; in Iure, Tunc bonum continget aliquod, pro domus natura in quam profectio ceciderit. Quæ tamen ſi in VI. VIII. XII. reperta fuerit, tum nobis cauebimus à Iouialibus, â quibus malum tum impendet. Vix tamen manifeſtè dabitur, ſed ſimulatione benignitatis & fidei circumuenientur, genus autem mali domus natura indicabit.

Mars dominus anni cum fuerit, & profectio in fortunatam domum, aut Martis ſecundas configurationes ceciderit, decernit amorem litigationum, belli, tractandi arma, excitat animi fortitudinem, de qua bonum uictoriamq; pollicetur. Sed ſi hæc profectio inciderit in VI. VII. VIII. duodecimamúe domum, aut in geneſi in coniunctionem Martis, illiusúe oppoſitam uel quadratam configurationem, tum erunt ſumma cautione uitanda pręlia, lites, armorum tractatio, tum nemo iter faciat, neq; enim utiliter faciet, ſed aut cum damno, aut miſera ſollicitudine, tum impendet pericula acutorum, & æſtuantium morborum, quæ de flaua, ſeu rubra bili oriantur, tum & afflictiones ferri, flammæ, prædonum pertimeſcendæ.

Sol cum dominationem anni ſortitus fuerit, cumq; profectio in domum inciderit fortunatam, aut ad ſecundas configurationes Solis peruenerit, excitat, animi fortitudinem & uirtutem. Tunc conuenit cum regibus & principibus uerſari, ab illisq; præfecturas, honores, emolumenta, gloriam expectare. Sed ſi profectio in geneſeos domum, VI. VII. VIII. duodecimamúe ceciderit, ſiue pertigerit ad cōiunctionem, oppoſitamúe ac quadratam configurationem Solis, uitabuntur acceſsiones ad Reges, & principes, quos illo tempore infeſtos ſibi, & malè propitios experientur nati. Vix tunc effugi poterunt acuti & æſtuantes morbi, & damna à primoribus data pro natura domus, quæ profectionem exceperit.

Venus domina anni, profectione poſsidente fortunatam domum, aut coniuncta, configurationibusúe cum Venere copulata, pollicetur dilectionem & amores mulierum, quarum beneuolentia animi tum clarè ſe proferet, & boni aliquid conciliabit, pro natura domus hoſpitij profectionalis. Tunc læti, & hilares eſſe conſueuere, indulgentq; genio, epulis, conuiuijs, cantibus, tibijs, fidibus, capiuntur, delectanturq; odoribus, & mundicie. Sed profectio ſi forte in domum VI. VIII. aut duodecimam ceciderit, tunc metuendum malum, damnumq;, à mulierum malignitate, aut Veneris uſu, cibo, potu, medicinis, quibus rebus animus, corpus, res, libertas, conditioúe uniuſcuiuſq; conuellantur. Genus autem mali natura hoſpitij profeſsionis demonſtrabit.

Mercurius cum fuerit anni dominus, cumq; profectio in domo fortunata, uel coniuncta, configurataúe cum illo fuerit, excitat ingenium, & acrimoniam mentis, hoc mercaturæ eſt tempus, & itinerū, & artium, maximè earum quibus cum natura domus hoſpitij profectionis conuenerit. Quę ſi fuerit VI. VIII. duodecimaúe, uitandi tum erunt mercatus, & itinera. Et metuendum malum à Mercurialibus, ut ſunt ſcribæ & mercatores, genus autem mali domus indicabit.

Luna ubi fuerit domina anni, ſi profectio fœliciter ceciderit, aut acceſſerit ad coniunctionem, configurationemúe Lunę, geſtiunt tum animi itinera facienda inſtituere, ex quibus & lucrum promittitur, bonum etiam expectandum à principibus, itemq; mulierum grata, uoluptuariaq; conſuetudo, inſtabilitas autem decernitur om-

nium

nium rerum. Tum uolent, quærentq́ multa cognoſcere, & ſcrutari aliena. Sed profectio hæc ſi inciderit in domum VI. VIII. aut duodecimam, uitentur commertia eius hominum generis, cuius Luna commendationem accipit, ut ſunt tabellarij, circulatores, balneatores, peregrinatores, quiq́ piſcinarios aut aquaticos quæſtus faciunt, quiq́ natura inconſtantes ſunt. Tum & mulierum conſortia uitentur, & cum cautione uerſandum in cibo & potu. Nam ex his omnibus pro domus natura in quam ceciderit profectio, malum decernitur.

De dominis anni ſpecialibus.

Primo de Saturno.

SATVRNVS ſi fuerit anni dominus receptus, & bene fortunatus, liber ab omni infortunio, in exaltatione, uel aliqua ſuarũ dignitatum ſuper terram, in ſigno maſculino, indicat quòd natus erit agriculturæ intentus, & in hæreditatibus mortuorum, aut aquis deducendis, & hæc in ſuo patrio ſolo, dico ſi fuerit in domo, uel exaltatione ſua, & ſi non fuerit in his, & ſit receptus, ſignificat quòd hoc faciet nomine alicuius, & erit in his in bona exiſtimatione. Et ſi ſit peregrinus, & non receptus, erit in his anxius, & quaſi per uim operabitur, & propter amicos anguſtias habebit, uel propter filios ſuos. Et ſi fuerit in nona, uel tertia, eo exiſtente in ſua domo, uel exaltatione, exercebit iuſta facta, ut ſalutem animæ habeat in alio ſæculo. Et ſi fuerit in locis extraneis, & receptus, ibi longa itinera, & in his bonum habebit. Et ſi ibi fuerit in locis extraneis, & nõ receptus eueniẽt nato in itineribus moleſtiæ, & corporis ægritudines & damna. Et ſi Iupiter eum aſpexerit bono aſpectu, et ſimiliter in radice, uel ſit corporaliter cũ eo, in his duobus locis, uel altero eorum, gaudia & honores ab hominibus diuitibus ſignificat, ſed erit tardus in ſuis actionibus, cogitans continuò de rebus ſuis, & tamen cum filijs ſuis gaudebit. Et ſi regale fuerit ſignum, à regibus bona ſuſcipiet. Et ſi Mars aſpexerit, uel iunctus fuerit cum eo, ipſo exiſtente in bono ſtatu, aut aſpexerit amico aſpectu, indicat quòd exercebit ſe in rebus, ex quibus lucrabitur, & à regibus bene tractabitur, & complebuntur bene nati deſideria & leuiter, & indicat expenſarum abundatiam. Et ſi ambo ſunt recepti, uel eorum alter receperit alterum, erunt hæc firmiora. Et ſi ſol aſpexerit ipſum in radice, & reuolutione bono aſpectu, ſignificat bonum ſtatum patri & famæ, & diuitiarum augmenta, & eueniet ipſi proſperitas à nobilibus. Et ſi in uno eorum temporum tantum aſpexerit, & non in alio, & fuerit ex trino, tertiam eius partem, ex his perficiet quas diximus.

Et ſi Venus aſpexerit eum in natali & reuolutione bono aſpectu, aut iuncta eum eo, & inter eos fuerit receptio, & pars coniugij fuerit fortunata, indicat illo anno lucrum ex muliere, & erit omnis abundantia & ornatus in ſua domo. Et ſi hic aſpectus & coniunctio in uno duorum temporum dictorum inueniatur, ex eo quod diximus & eius gaudio, uiles inuidebunt nato, & accidet ei triſtitia mulieris cauſa, & impedimenta & damna aliqua in ſuis rebus, quæ ſunt de natura Veneris, & duricies, & labor in agendis rebus.

Et ſi Mercurius fuerit corporaliter ipſi iunctus, aut eum aſpexerit bene, tam in radice quàm in reuolutione, & ambo in bono ſtatu fuerint, ſignificat intellectus acumen, bonam memoriam, bene cogitare filiorum gaudia, & maximè ſi partes ſuæ fuerint fortunatæ & liberæ ab infortunantibus, & ſimiliter eorum domini, & in bonis locis. Et ſi talis aſpectus uel coniunctio fuerit in uno duorum temporum, minuetur aliquid ex eo, quod diximus.

Et ſi

Et ſi Luna fuerit ipſi iuncta,uel eum bene aſpexerit,configurata ambobus temporibus,& recepta,& fortunata,creſcens lumine & numero,indicat augmenta ſubſtantiæ ex hæreditatibus mortuorum, aut ex ſeminibus uel plantis, uel per riuos,& aquarum ductus,cum bona fama nobilium, matris & mulieris. At ſi talis aſpectus fuerit in uno iſtorum temporum,& non in alio, hæc omnia minora contingent.

Et quando hi planetæ aſpexerint Saturnum malo aſpectu, & ſit ſeparatus cum illo aſpectu,indicat infortunium ſecundum Saturni naturam magnum & graue.

Et quando Saturnus ceciderit ab aſcendente,& fuerit in domo ſecunda aut octaua,ſi fuerit ibi receptus, aut aliquam habuerit dignitatem, habebit bonum ex hæreditatibus mortuorum,aut ex loco incogitato.Et ſi infortunatus fuerit in his locis, & non habuerit ibi dignitatem, nec fuerit receptus,pigritiam ſignificat & miſeriam nati.Sed nota bene,quòd ſi fortuna fuerit in ſexta uel duodecima,indicat egritudinem,carcerem,ſeruorum & animalium mortem, & ſuperari ab inimicis ſuis.

Et quando Saturnus fuerit combuſtus,aut retrogradus,ſcilicet ſi ſit in domo Iouis,uel in nocturna genitura,grauitatem ratione ſenij,& ſeniorum ſuę gentis febres ex humido prouenientes,melancholicasq́;,& ſubſtantiæ damna ſignificat. Et ſi cum his fuerit in ſigno peregrino,euenient ei itinera mala,aut cauſa hominum extraneorum.Et ſi fuerit in domo ſui amici,erit infortunium illud cauſa ſuorum amicorum.

Et ſi Sol eum combuſſerit,non exiſtente aliqua conuenientia inter ipſos,ſignificat fortem carcerationem diuturnam regisq́; metum, aut longam ualetudinem, & malam in loco abſcondito,& damna ex parte patris uel aui.

Et ſi in hoc ſtatu fuerit alicui planetæ iunctus,uel eius Dodecatemorio,damnabit res,quæ fuerint de natura illius planetæ,uel Dodecatemorij eius.

Et quando Saturnus fuerit ſic in die cum dicta conſtellatione, ſignificat quòd tale damnum cito finietur,& hæc mala quæ ſignificat, erunt ſecundum loci & ſigni naturam,in quibus fuerit.

Quando dominus anguli fuerit in angulo,& alius planeta eum infortunauerit ex quadrato uel oppoſito,non recipiendo ipſum,ſignificat fortem laborem, & malum illud erit manifeſtum,& tanto peius, ſi cum hoc fuerit occidentalis, intrando combuſtionem,quia tunc id malum erit ab omnibus partibus.Et ſi in hoc ſtatu fuerit ipſe angularis,uel in ſuccedenti,erunt hæc leuiora & minora &c. Et ſi in cadenti, id malum erit cælatum.

Et ſi cum hoc aſpexerit eum aliquis planeta cadens ab angulo,detegetur hoc quod prius erat cælatum.Et ſi dominus anni applicuerit illi planetæ,qui eum aſpicit ab angulo,illemet homo retrahet bonum eius,& deteget malum & laborem ſuum.

Iupiter dominus anni.

IVPITER quando fuerit dominus anni in bono ſtatu,in radice,& in reuolutione,in domo uel exaltatione ſua, aut domo ſui amici orientalis,& ſaluus ab omni impedimento, indicat amorem & conuenientiam cum regibus & magnis uiris, bonasq́; cogitationes, & res nati bene procedent, eritq́; ſuis æqualibus potentior,& præficietur in ſua ciuitate alicui officio, filiumq́; & proſperitatem,diuitiasq́; ſine multo labore habebit.Et ſi fuerit in decima,erunt hæc ex parte regum,& ſuorum magiſteriorum,Et ſi in ſeptima,erit ex parte mulieris uel coniugis. Et ſi in quarta per poſseſsiones,uel per parentes ſuos.Et ſi in nona uel tertia,uidebit uera ſomnia,& utilitatem in itineribus& undecunq́;.Si in undecima,bonum ab amicis.Si in quinta, lucra cōſequetur, habebit filium bonum,& gaudia multis modis. Si in ſecunda uel octaua fuerit,natus

lucra

lucra conſequetur, & hæreditates, quas non quæſierit. Et ſi in ſexta, uel duodecima, erit laudatus in uulgo & ab animalibus bona, uel propter carceratos uel ſeruientes ſibi habebit, & bonum ex natura ſigni, in quo Iupiter fuerit.

Mars ſi Iouem aſpexerit, & ambo ſint in bono ſtatu, ſignificat quod natus habebit illo anno dominium & magiſteria ſua, intellectum acquiret, & inde laudabitur, & lucra de dominis & nobilibus uiris conſequetur. Et ſi ambo iuncti fuerint in domo alicuius ipſorum, habebit dominiũ in terra ſua, & erit fortis & magni animi.

Et ſi Sol eum aſpexerit de ſextili, Sole exiſtente fortunato, ſignificat bonum coniugium, fortunæ proſperitatem, filium & lætitiam.

Et ſi aſpectus fuerit ex trino, & Iupiter ſit retrogradus, uel quod aſpectus fuerit in uno duorum temporum, & non in alio, hæ ſignificationes, quas diximus erunt minores.

Et ſi Sol iunctus aſpectu fuerit cum eo, & ipſe orientalis, habebit natus lucra, & altum dignitatis gradum à multis partibus, & erit in parentum amore, & ea de re lætabitur.

Et ſi Sol Iouem combuſſerit, accident nato omnium rerum moleſtiæ, quæ ſint ex ſignificatione Iouis.

Et ſi Sol fuerit Ioue potentior in illo loco, forte morietur natus in illo anno.

Et ſi Iupiter fuerit potentior, hæc mala minora erunt &c.

Venus ſi iuncta fuerit cum Ioue, uel eum bene aſpexerit, & ſit in bono ſtatu, indicat lætitiam, & bonum ſtatum ex parte mulierum, aut hominum effœminatorum, bonas ueſtes, lucra ex magiſterijs, eritq; natus appetens odoriferarum rerum, & ab omnibus honoratus.

Mercurius ſi iunctus fuerit cum Ioue, aut bene eum aſpexerit in ambobus temporibus, & ſit in bono ſtatu, natus illo anno dabit operam legibus, & ad appetentiam libertatis impelletur, aſſociabitur ſcribis uel officialibus regum, & erit intentus rebus religioſis, & legalibus, & lucrabitur ex omni re ſui exercitij, uel magiſtratus quem habuerit &c.

Luna ſi iuncta fuerit Ioui in ambobus temporibus, uel aſpexerint eum bene, ſignificat augmenta diuitiarum & potentiæ, & in agendis honorem & proſperitatem, & ad dignitatem illo anno perueniet.

Et ſi Luna in aſpectu fuerit aucta lumine, iſtæ ſignificationes erunt maiores, & illo anno natus ille erit intentus ad prolem generandam, filium etiam acquiret, & in omnibus ſuis rebus proſperitas aderit.

Iupiter ſi per retrogradationem fuerit in malo ſtatu, aut per combuſtionem, uel aliud infortunium, uel occidentalis, uel peregrinus, aut in domo infortunantium, uel in cadenti, aut gradu tenebroſo, minuetur eius bonitas, & damnabit ea quæ ſunt ſuæ ſignificationis parumper.

Si uero in hoc eius malo ſtatu, fuerit ad eum malus infortunantium aſpectus damnabit omnia ſecundum naturam & poteſtatem illius planetæ & ſigni in quo fuerit, ac domus tam in natali quàm reuolutione. Et ſi in ſigno fuerit regali, damnum erit à regibus, & ſic de ſingulis iudicato ſecundum ipſorum naturam & poteſtatem.

Et ſi in hoc Iouis ſtatu Saturnus fuerit, qui eum infortunauerit, damnum erit in ſenibus, rebusq; ruſticis, per patres & ualetudines, quæ ſint difficilis curationis, uel per carceres, uel per aliquam egeſtatem.

Et ſi Mars fuerit qui Iouem infortunauerit, erit impedimentum à militibus, litibusq;, maxime ſi fuerit ſupra Iouem eleuatus in decima.

Et ſi Sol Iouem infortunauerit per quadratum uel oppoſitum, & ſit ſupra eum eleuatus, damnum erit à patribus & regibus, & illi ſubuenient, forte nocebunt uel ſuperabunt eum.

Venus & Mercurius ſi Iouem malè aſpexerint, & ambo infortunati, & in malo ſtatu in natali & reuolutione fuerint, damnū ſignificat in his rebus, quæ fiunt pro ipſorum natura.

Luna uero ſi Iouem male aſpexerit, & ambo ſint in bono ſtatu, idem operantur eius rei, quam ſignificarunt cum fuere in bono aſpectu, & maxime ſi Iupiter fuerit ſupra Lunam eleuatus. Nam ſignificat quòd natus ille aſcendet ad altum ſtatum, & regum gratiam, diuitiasq́, & filium acquiret &c. Et ſi Luna in aliquo horum malorum aſpectuum infortunata fuerit, uel damnata, indicat litigia ſine utilitate, damnaq́ & malum &c.

Quando aliquis planeta fuerit anni reuolutionis dominus, & aſpexerit anni dominum malo aſpectu, & in radice bono, commiſce eorum ſignificata.

Et ſimiliter cum dominus anni fuerit iunctus cum aliquo planeta in natali coniunctione conuenienti, & in reuolutione per contrarium, miſce iudicium ex his contrarijs ſignificationibus.

Venus quando fuerit domina anni, & eiuſdem ſtatus in utriſq́ temporibus, boni uel mali, fortificabitur tunc illa ſignificatio ſua, ſi bona, in bonū, ſi mala, in malum.

Quando planta qui aſpexerit dominum anni, ſignificauerit aliquod bonum uel malum, apparebit illa ſignificatio in temporibus illius anni, quando habuerit maius poſſe in illo anno, & eius ſignificatio erit maior, ſi illo tempore amicus fuerit aſpectus, quo aſpexerit ſignum in quo fuit dominus anni in radice, uel reuolutione illa, aut aſpexerit ſignum ſua applicatione uel aſcendens anni, uel eius dominum.

Quando dominus anni ceciderit in duodecimam domum, peregrinus, ſine receptione, uel fuerit retrogradus, erit nato anxietas per carceres, uel per ſuos inimicos, uel per animalia maiora. Et ſi fuerit infortunatus à Saturno, uel â Marte ex malo aſpectu, accidet ei pœna & labor ex rebus anxijs.

Quando dominus anni fuerit in natali in quauis domo, & in reuolutione acciderit, ut ſit in triplicitate illius domus, accedendo ad ſignum applicationis, uel aſcendentis anni, uel in ambobus temporibus fuerit æqualis ſtatus, fortunę uel infortunę, boni uel mali, fortificabitur illa ſignificatio, quam ſignificat ſecundū naturam ſuam, & domus illius, & hoc maxime ſi aſpexerit locum in quo fuit in natali, & ſi diuerſificabuntur ſtatus, & loca eorum, iudica per admixtionem utriuſq́ ipſorum.

Iupiter quando fuerit anni dominus, & in malo ſtatu infortunatus, & non receptus, damnat ſignificationem illius domus in qua fuerit, damnum decernendo ex ipſius domus ſignificatione & figura in qua fuerit. Quia ſi fuerit in quinta domo, erit pro filijs: ſi in ſexta, pro ſeruis: ſi in duodecima, pro inimicis, & his quę per eam ſignificantur, & ſic dices de alijs domibus.

Et quando Iupiter in radice fuerit in quauis domo, & in reuolutione, in illa eadem domo, ſed in diuerſo ſtatu, miſce ſignificata, & iudica per utramq́.

Iupiter quando in reuolutione fuerit in ſecunda domo, uel ſexta, uel octaua, uel duodecima, quę non aſpiciunt aſcendens, & fuerit receptus, indicat quòd talis natus illo anno non laudabitur, nec precium habebit, uel potentiam, & aliqui ex ſuis conſanguineis uituperabunt natum, uel aliqui ſociorum, & parum illo anno lucrabitur.

Mars dominus anni.

MArs ſi fuerit anni dominus, & in bono ſtatu, & in ſuo lumine directus & auctus in ſuo motu, & in ſua naturali conuenientia, id eſt in ſuo Hayz, & in ſigno in quo habeat aliquam dignitatem, & receptus ſignificat fortitudinem nati, ſpem & ſalutem memoriæ & intellectus, timebitur, & erit audax in ſuis factis, & commodum capiet ex ducibus, & regibus, & erit fortunatus. Et ſi fuerit cum hoc angularis, erit tale bonum ex natura anguli in quo fuerit. Et ſi fuerit in undecima uel quinta, indicat bonum, & læ-

titiam

titiam ex parte ſui generis,uel ſociorum,aut filiorum, & rerum militarium appeten-tiam. Et ſi fuerit abſens à loco ſuo,forte illo anno reuertetur ad ſuos. Et ſi fuerit in nona,uel tertia,erit ipſi bonũ ex itineribus. Et ſi in duodecima,uel octaua,erit in ualetudinibus corporis bonis,& defenſione ab inimicis,& bonũ capiet à parte in qua non habebat fiduciam. Et ſi fuerit in ſexta,habebit bonum per medicinas,& utile ex rebus uilibus,& inimicis,& incarceratis. Et ſi fuerit in ſigno peregrino, eueniet nato bonum ab extraneis. Et ſi fuerit in ſigno ſui amici,erit ipſi bonum ab amicis, & cognatis. Et ſi fuerit in ſigno humano,erit id quod habebit ab hominibus,tali nato ad bonum,& homines de eo bene loquentur. Et ſi in ſigno aqueo extiterit,erit bonum ex ſignificatione aquarum,& ſic dicito de cæteris ſignis,ſecundũ ipſarum naturam.

Et ſi Iupiter eum aſpexerit, & ambo fuerint in bono ſtatu, in utroq; tempore, indicat ei bonum per militiam, & gubernationem prouinciarum.

Et ſi Mars fuerit in Ariete,uel Capricorno, indicat eum eſſe potentiorem ſuis inimicis,& creſcet in audacia, & fortitudine ſua, & adhærebit rebus militaribus, & ducibus,& ab his dominium,uel lucrum ſuſcipiet &c. Et iudica de ſtatu nati à reuolutione anni in aſcendenti Marte poſito,dignitatem ex rebus ex quibus lucrabitur. Et ſi fuerit in ſexta, uel tertia, dic natum illo anno aſcendere ad fortunam, propter ſeruos,uel ſocios.

Sol ſi bene aſpexerit Martem in utriſq; temporibus,ſignificat fortunæ proſperitatem,& forte coniugium ſacrabit optatum,& forte illo anno prolem ſuſcipiet.

Venus ſi Martem in utriſq; temporibus bene aſpexerit, & pars coniugij ſit in domo ſeptima à fortunantibus aſpecta, ſignificat diuitiarum augmenta, & filios, & lætitiam ex parte mulierum,& proſperitatem. Et ſi cum his quæ dixi fuerint, in ſignis in quibus habent aliquam dignitatem, erunt nato bona cauſa uxoris ſuæ, & à partibus cognitis, Et ſi fuerit in ſignis peregrinis, erunt ſignificationes ab hominibus extraneis,aut à partibus ignotis.

Mercurius ſi Martem aſpexerit bene in duobus temporibus natiuitatis & reuolutionis,ſignificat memoriæ, & intellectus augmenta, erit intentus rebus ſuis, & celeriter ſe ad eas mouebit,& eas bene diſcernet.

Et ſi Luna non aſpexerit iſto modo,& ambo nocturni fuerint,& ſit minuta luminibus,indicat nati proſperitatem,gaudia,& bonum rerum ſperatarum exitum.

Mars ſi fuerit dominus anni, & male diſpoſitus,infortunatusq;,aut retrogradus,uel combuſtus,uel in ſuo caſu, indicat ſi non ſit receptus anxietatem, ſenſus inuolutionem,mala cogitamina,ualetudines malas,combuſtiones,damna à latronibus uel animalibus,mala itinera, extra patriam ſuam pericula, malum etiam ſtatum fratrum ſuorum. Et has ſignificationes diuiſim accipies à loco in quo fuerit,quia malum eſt ſecundum ſigni proprietatem,& domus in qua fuerit Mars. Nam ſi combuſtus fuerit,ignis impedimenta,choleræ malos motus,furta, & res cælatas,& grauia impedimenta,ſi retrogradus,metum,& turbationem,ſi peregrinus,iter extra patriam. Si cadens à domo,uel exaltatione,ſignificat captiuitatem. Et ſi in hoc caſu fuerit etiam infortunatus,prædic uulnera, cædem,& interfectionem. Et ſi fuerit cadens ab angulo,indicat detrimentũ,& quòd uilipendetur natus illo anno. Si fuerit in ſexta, ualetudines malas,ſi in duodecima,captiuitatem,uel carcerem ſignificat.

Pars fortunæ,uel eius dominus,ſi ſit cum Marte in combuſtione, natus erit illo anno in metu amiſsionis bonorum,& mortis. Et qualiſcunq; planeta eum aſpexerit, uel ipſi iunctus cum hoc fuerit in malo ſtatu,& damnatus,ſignificat damnum in rebus naturæ illius planetæ. Verbi gratia, Si fuerit Sol, damnum erit cauſa patris, uel ſui regis. Et ſi ſit Saturnus,accident nato damna à ſenibus,infirmitatesq; oculorum, & perditio ſubſtantię patris,& patri infirmitas,laboresq;,ut ethica,uentris dolores, uulnera ex melancholia,febres. Et ſi fuerit Venus, erit damnum propter mulieres.

Et ſi Mercurius, erit damnum propter malos nati mores, falſitates, mendacia, incuriam, & malas uoluntates, unde & hominum conſuetudinem auerſabitur natus. Et ſi fuerit Luna, indicat matris mortem, aut ei euenient graues ualetudines, & nato capitis dolores, maximè ſi Mars ſit in terminis Saturni, & Luna in termino Mercurij, aut Martis, nam indicat quòd amputabitur nato aliquod membrum, & aduerſa in oculis & grauedo erit ſecundum naturam ſigni, & domus in qua fuerit.

Et ſi fuerit in angulo, erit de natura illius anguli, ſed fortius, & magis manifeſtum. Et ſi in ſuccedentibus, ſimiliter erit ſecundum naturam domus, ſed leuius erit. Et ſi in cadente domo, erit minus & leuius, & qualecunq; fuerit ſignum, ſimiliter erit damnum de natura illius ſigni, quia ſi regale fuerit ſignum, erit à regibus, ſi humanum, à latronibus, & ſic de ſingulis. Conſidera etiam ſtatus planetarum in duobus temporibus natalis, & reuolutionis, & eos miſce.

Sol dominus anni.

SOL cum fuerit dominus ſigni reuolutionis anni, erit illo anno iudicandum ſecundum ſtatum domini illius ſigni in quo fuerit diuiſio in tempore ſignificatoris, aut Sol ſit ipſe ſignificator in natali uitę nati, aut alius planeta, & erit cum eo particeps in diuiſione planeta, qui Leonem in natali & reuolutione habuerit, & planeta cui Sol dederit uirtutem. Et ſimiliter ille qui in Leone fuerit in radice, & reuolutione, qui uirtutem ſuam dederit Soli. Et tunc conſidera ubi ſit Sol, & ab eo ſume teſtimonium, cum altero planeta. Et ſi dominus ſigni in quo fuerit diuiſio, Soli uirtutem dederit, tunc Solis potẽtia adimpletur, & affirmatur eius dominium illo anno, unde quando fuerit hoc modo, & ſit in bono ſtatu, domo uel exaltatione, aut ſigno ſibi conuenienti, & ſit receptus, & ſupra terram, & in angulo primæ, uel decimæ, indicat natum eo tempore adhærere regi, uel magnis dominis, & erit poſitus in dignitate magna, & creſcet honor & fortuna nati in omnibus, ſignificat & patri, & fratribus bonũ ſtatum. Et ſi fuerit in quarta, uel ſeptima, indicat amicorum profectum, & filiorum lætitiam, & quòd magiſteria nati bene ſuccedent. Et ſi ſit in tertia, uel nona, ſignificat legum ſcientiam, itinera utilia, deorum prẽmia, fratrum lætitiam, & natum uera ſomniare, & ſi in ſecunda, uel octaua, modicum laborem, lucrum ſine anxietate, & paruum uictum ſignificat.

Iupiter ſi Solem aſpexerit bene, aut Venus applicuerit ei in bono ſtatu cum Ioue in ambobus temporibus, ſenſus, & ſapientię augmenta ſignificat, ſomnia uera, certior erit in ſuis factis. Venus ſi iuncta fuerit Soli, & ſit occidentalis in reuolutione nocturna, aut orientalis in diurna, dummodo ſit extra radios, ſignificat habere à regibus, & filijs bona ex quibus lætabitur, bonam famam, & gaudia ex rebus Venereis. Mercurius ſi ambobus temporibus Soli coniunctus fuerit, & ſit remotus à combuſtione, ſiue orientalis, ſiue occidentalis, indicat natum habere dominium ſupra hominum ſocietatem, & augmenta ſapientiæ, & ex rebus Mercurialibus lucra.

Luna ſi eum aſpexerit, in ambobus temporibus bono aſpectu, aut ex quadrato, & ambo ſint in bono ſtatu, indicat fœlicitatis augmenta. In filijs etiam & dignitatibus, & ab omnibus laudari: & ſi ex oppoſito, habebit multos aduerſarios, litigiaq;, ſed erit uictor in omnibus. Et ſi ſit cum Sole iuncta tamen per ſex gradus diſtans ab radijs, indicat ſui ſtatus meliorationem, in principio tamen triſtitiam, ſed poſtea finis laudabilis erit. Et ſi fuerit ſub radijs, & aliàs in bono ſtatu, intromittet ſe in malis operibus, ſed euadet ab omnibus periculis.

Quando aliquis planeta fuerit in corde Solis, & fortunatus, ſignificat bonum ſecundum naturam talis planetæ. Si autem ſit in malo ſtatu, damna & labores nato euenient.

Sol dominus anni in malo ſtatu, aut per caſum ab angulo, uel cum Cauda, aut

per eclipſim, uel aliud infortunium, indicat damma omnium earum rerum, quas diximus, quæ perpendes ſecundum ſigni proprietatem in quo fuerit, & naturam domus in qua erit.

Et quando aliquis planeta fuerit iunctus cum Sole, aut eum aſpexerit, ipſo exiſtente in malo ſtatu, ſignificat damna ſecundum ſignificationem illius planetæ, ut Venus in coniugio, & ſuis ſignificatis, Mercurius per ſcripturas, nuncios, negociationesq́.

Et quando Sol infortunatus fuerit ab aliquo planetarum malorum, ſignificat damna, malas ualetudines, uulneraq́, ſecundum naturam planetæ infortunantis, & ſigni, & domus, in quibus fuerit in ambobus temporibus natiuitatis & reuolutionis.

Venus domina anni.

Venus domina anni in bono ſtatu, & fortis, indicat lætitiam, ueſtes, donationes, gaudia, amicorum commoda, lucraq́, mulierum concubitus appetentiam, & ſi in aliqua ſuarum dignitatum fuerit, erunt hæc à partibus notis, in quibus ſpem habebit, maxime ſi fortunantes bene aſpexerint. Et ſi in locis extraneis fuerit, erunt hæc ab extraneis, & rebus non ſperatis. Et ſi fuerit extra angulos, indicat bonum, & lætitiam in rebus quę fuerint de natura domus in qua fuerit, & ſecundum ſtatum quem habuerit ad aſcendens, erit ſuum poſſe, & debilitas in ſuis ſignificationibus, excepto quòd non erunt ex bona parte, nec leuiter id fiet, nec benignè.

Iupiter ſi iunxerit ſe cum ea, & in utriſq; temporibus in undecima domo, & ibi ſit pars fortunæ, uel eius dominus, & Luna ſit iuncta cum his, uel aſpiciens eos bono aſpectu, & maximè ex undecima, ſignificat nato quietum ſtatum, & fœlicitatem in omnibus rebus quas optauerit, idq́ fore à diuerſis partibus.

Mercurius ſi Veneri iunctus fuerit, in utriſq; temporibus, uel eam aſpexerit ex ſextili, & ambo in bono ſtatu fuerint, ſignificat hilaritatem, ludos, filiorum gaudia, conuerſari cum his mulieribus quę cantu delectentur, lucrari in ludo, ſcire ſecreta hominum, & forte iter breue facere.

Luna ſi Venerem aſpexerit bono aſpectu, aut quadrato, & fuerit in utriſq; temporibus in bono ſtatu, indicat alacritatem, gaudia, concubitus mulierum, augmenta ſubſtantiæ, itinera bona, ſed erunt nato triſtitiæ ex parte coniugij, & nati mater erit in bono ſtatu. Et ſi ex oppoſito aſpexerit, erunt ei impedimenta, & contentiones ex parte mulierum, uel filiorum, & diuerſarum rerum, quæ mala cito finientur. Et ſi in ambobus temporibus cum ea iuncta fuerit, ſignificat morum augmenta, appetere Venerem, & mulierum incognitarum prius, quas poſtea repudiabit, & ab his malum habebit.

Venus domina anni in malo ſtatu, indicat triſtitiam, penuriam uictus, mœrores, & anxietates mulierum cauſa amicorumq́ & filiorum, & in omnibus his, quæ per Venerem ſignificantur.

Saturnus ſi Venerem infortunauerit, erunt nato dolores ex frigido, paralyſi, & in his quæ ſunt de natura Saturni. Sin retrogradus, peiora erunt.

Mars ſi Venerem infortunauerit, prædic cholericas ualetudines, & impedimenta, uulnera, cum coniuge litigia. Quòd ſi Mars fuerit retrogradus, hæc omnia grauiora contingent.

Venus ut prædicitur damnata, ſi Luna & Mercurius ſe illi aſſociauerint, uel eam aſpexerint in quouis duorum temporum damnati, ſignificat damna in his omnibus, in quibus fortunata bonum ſignificauit. Et ſi ſe aſpexerint bono aſpectu, indicat fore bonam nati famam, ſed luxus, & cogitationes Venereas, & damna in his quæ aget, ſecundum ſignorum naturam, & domus in qua fuerit. Et miſce cum his

Dominus anni in aliquo angulorum infortunatus, abſq; infortunantis receptio-ne ſignificat anxietates, labores, pœnas, & amiſsiones multas. Si autem fuerit remotus ab angulis, damnum hoc erit minus.

Dominus anni infortunatus, & dominus radicis retrogradus, uel combuſtus, & Luna ſimiliter infortunata abſq; receptione, ſignificat quód natus ſeipſum interficiet, aut committet rem propter quam occidetur, uel propter quam magnum damnum & grauitatem recipiet, maximé ſi fortunæ remotæ fuerint & cadentes ab eo.

Dominus anni combuſtus, ſignificat impedimenta, & anxietates, & fortes dolores de natura illius planetæ, qui fuerit dominus anni, commixta cum natura Solis.

Dominum anni conſidera in quo ſigno, & in quam domum cadit, & cum quo planetarum participat in dominio temporis. Quia ſi Saturnus fuerit, ut puta in Cancro, auget humiditates multas, ſputi facit abundantiam, maximé ſi Saturnus fuerit in radijs Martis. Et ſi Saturnus fuerit in quinta, triſtitias promittit, ex parte filiorum, uel occaſione ſignificatorum quintæ domus, & ſic de alijs ſuo modo.

De profectionum partis fortunæ, ſecundæq; domus decretis.

PARtis fortunæ, ac ſecundæ domus profectiones ubi ad primam domum peruenerint, tum eſt aptum rei operam dare, & facultates augere, Tunc & inſperata obtingent bona. Quidquid tunc agere incipiet, proſperum ſortietur exitum, maximé earum rerum, cumq; ijs hominibus, quorum commendationem ſignum aſcendentis in geneſi, illiusq; dominus acceperit, quæ fœlicitas etiam illius in ſtellæ peculiari die, ac hora intendetur, cum ſignum illud ab ortu aſcendet. Quo loco ſciendum fortunam propriam ſingularum domorum maximé reſpondere ſtellæ dominatrici domus, deq; illius natura, earumq; rerum, eorumq; hominum quorum commendationem habet, exiſtere.

Vbi ad ſecundam uenerit profectio, accedit bonum, & lucrum ſperatum. Tunc cum euidenti fructu mercabuntur, uendentq;, ac domeſticam rem augebunt nati.

Cum ad tertiam, tum aliquid commodi ſentiemus à conſanguineis, fratribus, ſororibus, comitibus.

Cum ad quartam, expectandum bonum à parentibus, occultis ſub terra rebus, à fructibus, & agricultura, hæreditatibus, metallis, mercatibus, poſſeſsionum uſu, piſcinis, & aquis.

Cum ad quintam, liberi utilitati, ac uoluptati fiunt natis, utiles amici, fertile ſolum, fructuoſæ arbores, negociationes ſcripturæ, ueſtium, librorum exercendæ, ſperandum bonum à cibo, medicina, amoribus.

Cum ad ſextam, lucrum fit de captiuis famulis, ancillis, pecore, ſuibus, capris, apibus, & ſi quid eſt in re noſtra uile, ac inane.

Cum ad ſeptimam, promittitur commodum ab uxore, ab ætate prouectis mulieribus, à litibus & iure, ab hoſtibus & inimicis.

Cum ad octauam, hæreditates decernuntur, & lucrum uxorium. Hoc tempore cuſtodiemus noſtras domos, ac res cum diligentia, impendet enim periculum à furibus, & prædonibus. Non detur tunc pecunia mutuó, non deponatur, uix enim quicquam recipi poterit.

Cum ad nonam, utiliter fient longiuſcula itinera, bonum aliquod obueniet à

longinquis locis, ab artibus, ab Eccleſiæ primatibus, atq; illis omnibus, quorum commendationem ſignum domus nonæ habuerit.

Cum ad decimam, beneficia principum ſperanda, lucrum artium, & profeſsionis & functionis.

Cum ad undecimam, bonum ab amicis expectandum. Tunc lucroſæ erunt negociationes, fœliciter pecunia tunc mutuò dabitur. Hoc optimum eſt tempus petendæ debitæ pecuniæ, aut meriti beneficij à principibus.

Cum uerò ad duodecimam peruenerit profectio, proderunt captiui, & mala facinora, equi, boues, aſini, & huiuſmodi animalia, Sed tamen ferè aliquid de fortunis minuitur, puta, ut clam, maximè ſi Saturnus, uel palàm Mars hanc domum in geneſi poſſederint, aut ſigni illius domini fuerint nati ſubducantur.

De ſtellarum dominantium ſignis partis fortunæ & ſecundæ domus decretis.

CVM Saturno ceſſerit dominium profectionis annuæ partis fortunæ, uel ſecundæ domus, & cum profectio hæc fortunatum locum tenuerit, aut in ſecundas Saturni configurationes inciderit, promittuntur tum poſſeſsionum augmenta, hæreditates, theſauri, metalla, fœcundum ſolum & agriculturæ opes. Sed eadem profectio in loco infortunato, aut Saturni coniunctione, eiuſdemúe oppoſita, uel quadrata cõfiguratione, ſignificat auiditatem, & ſolicitudinem in augenda re, facitq; illiberales, parcosq;, nec tamen cum ſucceſſu, aut enim facultates nõ augebunt, aut ſi auxerint, aliqua calamitate amittent.

Iupiter harum profectionum dominator, cumq; hæ in fortunata loca ceciderint, aut ad Iouem acceſſerint, uel cum illo configuratæ fuerint, bona facultatesq; augent munificentia Regum & principum, ac nobilium, promittuntq; omnium rerum profectus, potiſsimum autem à primatibus eccleſiæ beneficia. Sed ſi profectiones hæ forte inciderint in loca infortunata, tunc uel bonum ipſum oſtenſum non tribuitur, aut etiam damnum fit & diſpendium, incuria, aut mercaturæ incommodis, aut etiam prodigalitate & temerarijs impenſis, amittitur aut minuitur.

Vbi Mars dominium ſortitus fuerit harum profectionum, ipſæq; fortunatis in locis, aut cum configurationibus ſecundis illius repertæ fuerint, decernitur fortuna belli & pugnarum, principatus ordinum militarium, lucrum armorum, equorum, & rutilantium ac bellicarum rerum, nec non Chemiæ, & quicquid igne elaboratur. Sed cum hæ profectiones uel infortunata in loca, uel in coniunctionem Martis, aduerſasúe configurationes illius incurrerint, contraria omnia ſentientur, tum & damna dabuntur natis à flammis, prædonibus, furibus, mendacibus, hoſtibus & occaſionibus alijs Martialibus.

Cum Sol dominus fuerit harum profectionum, cumq; illæ fuerint fortunatis in domibus, aut ad ſecundas peruenerint Solis configurationes, ſignificat regia beneficia, & facultatum incrementa, benignitate principum, promittit & auri metallum, & ſucceſſum in Chemia, & operibus omnibus quæ ad ignem fiunt. Sed cum inciderint in loca infortunata, aut peruenerint ad Solis coniunctionem oppoſitamúe aut quadratam configurationem, tum uerò à regibus & principibus malum & uis natis afferetur, eripienturq; bona, ac facultates minuentur, Chemia ſpem omnem fruſtrabitur, neq; omnium operum quicquam utiliter ad ignem fiet.

Veneris cum fuerit harum profectionum dominium, cumq; ipſæ ceciderint in figura natiuitatis fœliciter, aut ad coniunctionem configurationesúe Veneris perue-

uene-

uenerint, tum familiaris res augebitur lucris muliebribus, ueſtibus, aromatis, colori-
bus exoticis, precioſis mercibus. Quæ tamen his rationibus pepercit aliquis, ea li-
benter in uſus uoluptuarios epularum, & Veneris impendet. Hæ autem profectio-
nes in locis infortunatis repertæ, decernunt ijſdem ex rebus, quas ſupra commemo-
rauimus detrimenta ac malum.

Si Mercurius fuerit adminiſtrationem harum profectionum adeptus, ipſæq́ꝫ
inuentæ fœlicibus in locis geneſeos, aut Mercurius configurationibus, ſpem faciunt
lucroſarum mercaturarum, ſpondetq́ꝫ emolumenta fori, ſcripturarum, rationum, iti-
nerum, artium & ingenij, & ferè uniuerſæ rei pecuniariæ. Sed ſi profectiones in lo-
ca infœlicia inciderint, tum metuendum malum ab ijs rebus illorumq́ꝫ hominum ge-
nere, de quo diximus, & quod Mercurius commendatum habet.

Luna uerò cum fuerit profectionum harum dominatrix, ipſæq́ꝫ profectiones
repertæ in domo fœlici geneſeos, cumq́ꝫ ad Lunam ipſiusq́ꝫ configurationes perue-
nerint, pollicentur lucra quæſtumq́ꝫ ex itineribus, mulieribus, aquis, et aquaticis locis,
ac omnibus rebus, quarum Luna commendationem ſortita eſt, metallis argenti, inq́ꝫ
repentinis negocijs. Si autem in loca infœlicia hę profectiones ceciderint, ex ijſdem
rebus ſubita damna ſignificantur.

Non etiam ignorandum harum profectionum partis fortunę, & domus unde-
cimæ fœlicia ſignificata ualde intendi, ſi cum Capite fuerint, aduerſa uerò ſi cum Cau-
da. Itaq́ꝫ his cum capite nihil fœlicius eſt, cum Cauda, nihil infœlicius.

De profectionum Medij cœli, & Solis ſignificatis.

CVM hæc profectio peruenerit ad primam domum, tum promittitur
fortuna munerum, & functionum publicarum, artificiorum, imperij,
acceſsionesq́ꝫ amicitiarum, gloriæq́ꝫ, ac dignitatis amplitudo, ſiquidem
hæc nato geneſis figura decreuerit, ac etiamſi hoc ipſo tempore priua-
tus adhuc fuerit, magiſtratum tamen præfecturamúe adipiſcetur, neq́ꝫ
ambitione, neq́ꝫ labore ullo ſuo.

Cum ad ſecundam Medij cœli, Soliſq́ꝫ profectio deducuntur, experientur na-
ti fortunam præfecturarum, benignitatemq́ꝫ regum, ac principum, & artificiorum.

Cum ad tertiam, mediocris fortuna conditionis, & profeſsionis decernitur.
Magis tamen metuendum malum, quàm ſperandum bonum, uidentur tunc orbi fu-
turi patribus, aut amiſſuri conſanguineos.

Cum ad quartam, nihil niſi aduerſum expectetur dignitati, & honoribus, tum
infamia, & parentum odium timendum, & afflictio metuenda à principibus.

Cum ad quintam, tum uerſabuntur cum liberis libenter, & ex illis aliquam ca-
pient uoluptatem, ac fructum, amicitias colent, Sed & libidini indulgebunt, quo fiet
ut ſuæ dignitatis, ac loci immemores, damnum flagitiumq́ꝫ faciant.

Cum ad ſextam, tempus proſperum & ſecundum, faciendis quibuſcunq́ꝫ rebus,
negocijs gerendis, familiæ, iumentorumq́ꝫ uſui accommodatis, ſed dignitatis, famæ,
profeſsioniſq́ꝫ detrimenta, tum labefactationem ſentient.

Cum ad ſeptimam, tum famę profeſsionis, dignitatis, honorum, glorię ſperan-
da amplificatio. Tum & amore implicabuntur nobilium, & ſplendidioris, quàm ſuū
ſit, generis mulierum. Amittent autem morte patres, conſanguineoſúe.

Cum ad octauam, animi erunt triſtes, ſoliciti, anxij, metuenda infamia, & ad-
uerſa fortuna, dignitati, ac profeſsioni, infamia, obtrectatio, deniq́ꝫ omnium rerum
difficultas, & detrimenta.

Cum ad nonam, tum longa portenduntur itinera, quorum faciendorum cau-
ſam

ſam occaſionemq; præbeat dignitas, profeſsio, & magiſterium. Tum externis innoteſcent, cumq; illis utiles, & fructuoſas iungent amicitias.

Cum ad decimam, fœliciſsimus ſtatus promittitur dignitati, profeſsioni, famæ, muneri quo quiſq; fungitur, Tum res meliores faciunt regum, principumq; munificentia, ſuaq; uirtute nouum ſplendorem conſequuntur.

Cum ad undecimam, tum congregant redditus profeſsionum, & munerum, & principalium beneficiorum, ſed & benefici erga ſuos tunc eſſe ſolent.

Cum uerò ad duodecimam uenerit Medij cœli Solisúe profectio, aliquid nato damni facient, quod à regibus & principibus detur, aut profeſsionis, honorumúe detrimenta ſentient, aut principum amittent benignitatem, aut obtrectationibus, inuidia, maledicentia prementur, tum & conſanguinei, aut amici morte eripiuntur.

De dominatrice profectionis ſtella Medij cœli, deq; ſignificatis configurationum illius.

CVm Saturno dominium profectionis huius obtigerit, ipſaq; profectio inciderit in domum fortunam geneſeos, aut ad ſecundas configurationes Saturni peruenerit, decernitur animi acrimonia, diligens cogitatio & cura rerum gerendarum, ſedulitas in exercendis artibus ac ſtudijs. Cum emolumento tum noſtro argenti fodinas ærarias ſcrutabimus, ſtudijs coniungemur, agriculturæ ſtudebimus. Sed hæc profectio ſi fuerit in ſexta, ſeptima, octaua, duodecimaúe domo geneſeos, ſiue ad Saturnum, oppoſitamúe, aut quadratam configurationem acceſſerit, omnibus in rebus tum damna, & aduerſitates decernit, quæ ad dignitatem, famam, profeſsionemq; nati pertinent, tum & animi inertes, ſegnes, & inimici nati ſenes, & agricolæ erunt.

Sed Iupiter ubi dominus fuerit huius profectionis, ipſaq; in loca fortunata, aut configurationes Iouiales inciderit, tum fœlicitatem experientur nati, & proſperos ſucceſſus artium, ſtudiorum, & dignitatis incrementa. Tum ſi quis forte priuatus fuerit, ad honores perueniet, gratus erit primatibus Eccleſiæ & nobilibus, & ab his beneficijs afficietur. Sed in locis infortunatis reperta hæc profectio, contraria omnia à Iouialibus decernit, à quibus impoſturæ, & ſimulationum damna ipſis infligentur.

Mars dominator huius profectionis, ipſaq; reperta in locis fortunatis, ſecundisúe configurationibus Martis, excitat animos, & elatos reddit, confidenteſq; in rebus gerendis. Tum quod edicent nati, nemo contemnet, Chemiæ, operibuſq; quę ad ignem fiunt ſtudebunt, nec non metallicis negocijs, cum lucro. Sed eadem profectio in locis infortunatis inuenta, aut cum Marte, illiusúe oppoſita, ac quadrata configuratione, minatur odia, inuidiam, calumnias, inimicitias, publica munera adminiſtrantibus. Tum & damna metuenda quæ afferant prædones, aut incendiarij. Tum & periculum impendet honoris, & dignitatis imminutio.

Sol dominium huius profectionis ſortitus, ſi ipſa fœlicibus in locis geneſeos conſtituta fuerit, aut ad Solis ſecundas acceſſerit configurationes, tum nati benignitatem, & munificentiam ſentiet regum, ac principum, honoribus & dignitate præditi, tum magnis & arduis negocijs occupabuntur, cum gloria, & utilitate. Si quis tum priuatus fuerit, non magno labore honores conſequetur. Sed in loca infœlicia, aut Solis coniunctionem, oppoſitamúe, ac quadratam configurationem ſi inciderit, tum diuerſum pronunciandum erit. Nam & ab eo hominum genere, cuius Sol commendationem accepit, damnis, maloq; afficientur, & ſpoliabuntur honoribus, & dignitate.

Vbi Veneris erit dominium huius profectionis, ipſaq; fœliciter in geneſi ceciderit, aut peruenerit ad Venereas configurationes, dignitatis & honoris bonis placidè fruentur, mulierum beneficio & opera, uel ſaltem mulierum negocijs dabunt operam nati. Si quis tunc priuatus fuerit, mulierum, Veneriſq; beneficio, ac opera, honores conſequetur. Sed in locis infœlicibus profectio hæc reperta à Venereis, damna, malumq; denunciat.

Mercurius ſi fuerit dominator profectionis Medij cœli, cumq; hæc profectio fœliciter in genitura ceciderit, aut ad configurationes Mercuriales acceſſerit, tum in honoribus, muneribuſq; publicis gerendis gnauiter uerſabuntur nati, unde laudem & famam conſequentur. Si quis tum priuatus fuerit, facile ingenij ſui uiribus ad honores perueniet. Sed infœlicibus in locis geneſeos hæc profectio reperta, multa excitabit maledicta, obtrectationes, inuidiam, aduerſitates fungentibus publicis muneribus, quorum ferè omnium authores ſint ſcribæ, mercatores, & Mercurialis conditionis homines progreſsione ſua, damnis tamen citius quàm commodis afficientur.

Sed ſi Luna gubernationem ſuſceperit huius profectionis, & ipſa fœlicibus in locis geniture, aut Lunaribus configurationibus inuenta fuerit, tunc erunt in adminiſtrationibus, ac profeſsionibus uarij, ac inſtabiles, multas res publicas gerendas, præſertim muliebres capeſſent. Sed infortunata loca profectio ſi hæc tenuerit, multa contraria obijcientur fungentibus muneribus publicis, in quibus adminiſtrandis moleſtias non uniuſmodi ſuſtinebunt, quarum cauſa manabit potiſsimum à populi et uulgi temeritate.

CAPVT OCTAVVM.

De Arabum temporum gubernatoribus, ſeu de Alfridarijs planetarum.

Alfridaria Solis.

ALfridaria Solis in genitura diurna uitam nati gubernãs, inſinuat quòd ita genitus optimè nutrietur, nutritione quidem honorifica ac regali, & multum boni habebunt parentes ipſius, excepto quòd accident eis in primo & ſecundo menſe triſtitiæ, & grauitates, attamen remouebitur illud, & reuertetur ad lætitiam, & gaudium. Per noctẽ uerò ſignificat, quòd natus ita bonum habebit à regibus, ac nobilibus, habebit laudem & honorem præ cæteris conſanguineis ſuis, & opes, ſeu diuitiæ, lætitiæ, ac gaudia ipſius creſcent. Sed ſi Alfridaria Solis acciderit in eius ſenectute, quod accidere poteſt in ſua ſenectute in diurna genitura, poſtquam tranſiuerit annos 75. ſignificat quòd lætabitur cum ſocijs & filijs ſuis, habebit fortunam bonam, uitam completam, & quietam. Et ſi Sol in radice natiuitatis fuerit in exaltatione ſua, uel termino Iouis, uel finibus Veneris, & habuerit in radice ſignificationes fortunæ, ſignificat quòd erit ueridicus, & legalis, ſocijs ſuis fidelis, & honoratus, euadet à moleſtijs ac rixis, creſcet in ſenſu, modeſtia, & intellectu, dabit alijs bona conſilia, & homines in ſuis negocijs ac cauſis petent ab eo conſilium, eius dicta audientur, & recipientur, habebit potentiam præcipiendi in ciuitate ſua, aut familia, ac multum boni faciet genti ſuæ, habebit fortunam, & lucrum, oblectabitur lapidibus precioſis, habebit munera regum ubicunq; fuerit, erit honoratus, diligent eum primates, aſſociabitur uiris nobilibus, habebit in terris dominium aliquod, plantabit arbores, aut copulabitur coniugio liberali, filios habiturus, uel habebunt has fortunas & honorem nati parentes, aut bonum perueniet ipſi, & parentibus. Et ſi Sol non fuerit fortunatus, debilitabitur ſignificatio eius. Si uerò planeta orientalis eum irradiauerit, lætam ſortem nato præſtabit.

Sol &

Sol & Venus per diem, ſignificant quòd natus augebitur in ſuo ueſtitu, amabit parentes, & ipſi diligent eum, uxorabitur ſi fuerit idoneus, & habuerit ſignificationem in natiuitate quòd debeat uxorari, forte faciet iter, aut aliquis ex conſanguineis ipſius ducet eum in aliquod iter, accidet ei infirmitas in loco abſcondito corporis. Per noctem uerò ſignificat quòd exibit de anxietate ſi quam habuerit, augebitur in diuitijs, lętabitur de uxore & filijs, faciet res formoſas, aut emet hęreditates, bonum & elemoſinas faciet pauperibus, faciet itinera lucrifera & honorata, forſitan religionis gratia, uerum accident ei infirmitates in partibus obſcœnis.

Sol & Mercurius Alfridariæ gubernatores ſi fuerint, natus ſeſe ingeret uarijs negocijs, aliquis ex conſanguineis ipſius faciet ei malum & moleſtiam, cadet ab alto, ſiue equo, uentris dolore cruciabitur, ſed citò ſanabitur, accident ei triſtitiæ & labores, in mercibus perdet, & minuentur lucra ipſius. Si uerò natiuitas fuerit nocturna, multa faciet diſpendia, cauſas habebit ex falſis teſtibus, cadet ab alto, accident ei dolores emoroydarum, & ab eis ſanabitur.

Si fuerint Sol & Luna Alfridariæ domini, natus faciet aliqua facta, quæ ipſi conuertentur ad damnum, ex furto & rapinis damna ſentiet in ſuis rebus, uerſabitur in locis aqueis, & humidis, aut faciet itinera per aquas, accident ei infirmitates in oculis, & capite. Et ſi natiuitas fuerit nocturna, natus exponet ſe periculis & rebus quæ ipſi non ſunt neceſſariæ, nec ad eum pertinent, multa affluent lucra, creſcent reditus eius, habebit lucrum in occulto, adiunget ſe mercatibus, & fortaſſe maritimis, & in eis infortunabitur, aſſociabitur nobilibus & altis hominibus, multos habebit amicos, & ſocios, ad agrorum culturam & ædificia procliuior, capitis dolore cruciabitur, & fortaſſe tumore in eo, in fine huius diuiſionis.

Si fuerint Sol & Saturnus Alfridariæ domini, accident ei triſtitiæ, & grauitates de ſocietate domus ſuæ, atqꝫ infirmitas in corpore ſuo abſconſa, & in oculis aliquid ſiniſtri, uel impedimenta per ignem, aut per aquam calidam, ſed euadet ab omnibus hiſce periculis, faciet longa itinera, & accident ei moleſtiæ, & pericula in aquis. Et ſi natiuitas fuerit nocturna, habebit iurgia pro ſocietate domus ſuæ, uel cum eis, habebit infirmitatem in oculis, ſiue opthalmiam, & infirmitates & dolores in uentre, ſed facile euadet, arripiet quoqꝫ longa itinera, ſtudebit mercaturis forſitan maritimis, accident ei pericula, grauitates, & damna per aquam ſiue itinera aquea, aut ex aqua & igne iacturas patietur, propter commixtionem Saturni cum natura Solis.

Si fuerint Alfridariæ domini Sol & Iupiter, augebitur natus in ualore, diuitijs, & ueſtibus, diligent eum conſanguinei ſui, & facient ei bonum, ſed fortè cadet ab alto. Sed ſi natiuitas fuerit nocturna, creſcet eius potentia in precio, ualore, nobilitate & fortuna ſua, habebit dominium & uictoriam ſuper inimicos ſuos, & eos peſſundabit, intromittet ſe de agricultura, euenient ei lucra ſine labore. Sed circa finem huius diuiſionis cadet ab alto, ſiue equo.

Sole & Marte gubernatoribus Alfridariæ, mutabitur ſtatus nati, faciet itinera, & forte uxorem ducet, accident ei moleſtiæ ex morſu canis, aut ictu animalis, uel caſu, aut ex percuſsione cum effuſione ſanguinis. Et peius quod erit in ſignificatione hac, erit in quatuor primis menſibus diuiſionis iſtius. Sed ſi natiuitas nocturna fuerit, mutabitur ſtatus nati de uno magiſterio in aliud, faciet itinera, & uarijs laboribus cruciabitur, faciet iniuſtitiam hominibus, & habebit iurgia cum eis, & ob hoc accident ei moleſtiæ, & inciſio ferri, aut morſus canis, uel alterius animalis, aut infirmatur ſpacio 9. dierum, ſiue 15. aut 19. poſtmodum ſanabitur.

Alfridaria Veneris.

VEneris Alfridaria inſinuat quòd natus erit ad lætitias & gaudia pro-
cliuior, affluent ei lucra, & forte uxorem ducet, & plures ſolito paſcet
ſeruos, & pediſſequas. Sed ſi natiuitas diurna fuerit, habebit multa gau
dia & lætitias, gaudebit cum muliere ſua, uel coniugio iungetur cum
extranea, naſcetur ei filius fortunatus, deſponſabit filiam ſuam, uel ali-
quem ex ſuis alumnis mulieri copulabit, aut ancillam uiro, intromittet ſe de ſeminan
do, aut plantando, augebitur eius ſubſtantia, & forte cumulabit theſauros, uincet ini-
micos ſuos, amicitiam habebit cum nobilibus, & dignitatem magnam, à regibus ho
norē, et ueſtimenta precioſa. Et dixit Hermes quòd huius diuiſionis mali ſunt quinq;
primi menſes, & uiginti dies.

Alfridaria Veneris & Mercurij ſignificat hac temporis intercapedine quòd
furto ſubducetur aliquid de ſubſtantia nati, & illam perdet, accidet ei damnum, fa-
ciet itinera, mutabitur de uno loco ad alium terrore, ne ſibi accidat moleſtia, infirma
bitur. Sed ſi natiuitas fuerit nocturna, multum expendet ex eo quod gubernauerat,
uincetur ab inimicis ſuis, & conculcabunt eum, & fugiet ab eis, multæ accident ei
moleſtiæ, & infirmitates in corpore ſuo, propter malam comeſtionem, aut dige-
ſtionem.

Sub Alfridaria Veneris & Lunæ, natus erit in bono ſtatu, aſſociabitur uiris ex-
celſis, & potentibus, & forte uxorem ducet. Et ſi natiuitas nocturna fuerit, exibit de
miſeria, ſi fuerit in ea, incipient meliorari ſtatus, & negocia eius, habebit dominium
ſuper ſuos æquales, congregabit pecuniā qua gaudebit. Et ſi non habuerit uxorem,
tunc uxorabitur.

Sub Alfridaria Veneris & Saturni, natus erit multum miſer in hac diuiſione,
& ipſi accident moleſtiæ fortes, mulieribus quibuſdam erit infenſus, ipſe etiam mo-
leſtiam à mulieribus recepturus. Sed ſi natiuitas nocturna fuerit, multas etiam triſti-
cias, labores, & uitæ moleſtias habebit, morietur eius uxor, aut infirmabitur infirmi-
tate graui, & ipſe forſitan infirmabitur, habebit iurgia, rixas, & contentiones cum
uxore ſua, & forſitan cornua ponet ei, uel ſi fuerit prægnans, faciet abortum, & illa
occaſione forſitan morietur, & copulabitur alteri meretrici, uel ſeruæ, aut imprægna
bit eam, malum faciet filijs ſuis & alienis, & prima ipſius mulier non durabit mul-
tum cum eo, uel infirmabitur.

Sub Veneris Iouisq; Alfridaria, ſi diuina fuerit geneſis, natus regali nutritione
nutrietur, & pater eius habebit dominium bonum, & diuitias, & mutabitur de malo
ſtatu, & de triſtitia, ſi erat in ea, ad bonam famam, ſi fuerit pauper, ſubito fiet diues
quoniam lucrabitur ſubſtantiam, opes, & terras. Et ſi natus fuerit nobilis, creſcet in
nobilitate, quouſq; perueniat ad ſimilitudinem regis, & dominabitur ciuitatibus &
terris. Et ſi cum hoc Venus fuerit cum Capite, & Iupiter in aſcendente, erit rex ma-
gnus, coronatus & præcipiet mari & terræ.

Sub Veneris Martisq; Alfridaria natus, multas habebit miſerias, faciet malum
fratribus, & forte uxorem ducet, aſſociabitur uiris altis, & potentibus. Et ſi natiui-
tas nocturna fuerit, multiplicabuntur eius miſeriæ, alijs malefaciet, fratres ſui, aut ſo-
cij male habebunt pro eo, ex parte mulierum lætabitur, aſſociabitur uiris potenti-
bus, magnam famam conſequetur, habebit rem cum muliere magnæ progeniei, aut
forte coniugio iungetur cum ea, tamen accident ei grauitates ex parte mulierum
habebit aliquod dominium in uilla ſua.

Sub Veneris & Solis Alfridaria, natus infirmabitur infirmitate grandi, &
euadet ab ea, aſſociabitur nobilibus uiris & potentibus, creſcent diuitiæ eius, & ue-
ſtes, & modeſtia, & doctrina, iungetur forte cum muliere bene morigerata. Sed
ſi natiuitas fuerit nocturna, infirmabitur infirmitate forti, & ab ea ſanabitur

augebitu

augebitur in ſubſtantia, ſeruis, mulieribus & ſocietate, induetur regalibus ueſtimentis ſericis, intrabit domos regum, peſſundabit inimicos ſuos, copulabitur mulieri doctæ, uel quæ ſcit ſcribere. Et ſi Venus, aut Sol in hac diuiſione fuerit anni moderatrix, & fuerit in bono ſtatu, erit melior ſignificatio, in nobilitate & potentia, erit fœlix, & uictor aduerſariorum, habebit xenia multa. Et ſi Venus in hac diuiſione fuerit in aliquo angulorum in bono ſtatu, multiplicabuntur lucra & utilitates, aſſociabitur regibus, qui ſua ſecreta ipſi committent.

Alfridaria Mercurij.

MErcurius Alfridariæ dominus, ſignificat quòd natus in medietate prima huius diuiſionis habebit bonū, & in alia malum & grauitates, ibit de una terra in aliam. Et quando factum fecerit de operibus & factis ſuis, accidet damnum in eo, omnia uerba & dicta ipſius conuertentur in damnum, & morientur aliqui de ſocietate eius, uel de beſtijs infirmabitur, & habebit modicum profectum à medicinis & ſpeciebus. Et ſi cum hoc fuerit Saturnus in malo ſtatu, & aſpexerit Mercurium aſpectu malo, & ex infortunata domo, illo anno morietur, tamen ſi fuerit in bono ſtatu Mercurius, minuentur hæc damna, quæ diximus & conuertentur in melius.

Sub Alfridaria Mercurij & Lunæ, natus erit luxurioſus in comedendo & bibendo, exponet ſe periculis & grauitatibus, & ſi emerit ſeruum, fugiet, aut pediſſequam ſimiliter ſeruitricem, & ſi incœperit ædificium facere, non complebitur illud. Et ſi fuerit maritus, morietur uxor, aut ſe diuidet ab ea. Et ſi non habuerit uxorem, & deſponſauerit ſibi aliquam in hac diuiſione, illud coniugium non complebitur, infirmabitur infirmitate forti, aut forte cadet ab alto, & incurret pericula magna mortis.

Sub Alfridaria Mercurij & Saturni, augebitur eius ſubſtantia, ſed non comedet nec bibet de ea, nec faciet bonum alicui, poſtmodum à latronibus furto ei eripietur, fiet pauper, paucos habebit amicos, morietur eius uxor, ibit de una terra in aliam, accident ei grauamina, & labores in itineribus ſuis.

Sub Alfridaria Mercurij & Iouis, natus lucrabitur ſubſtantiam de diuerſis terris, aſſociabitur ſimilibus regum, uiles homines ibunt contra eum, & litigabunt contra ipſum, euadet tamen ab eis, congregabit aurum & argentum, & forte aſcendet ad magnam dignitatem, faciet ædificium nobile, quo gaudebit, mendacia non diliget & mendaces, faciet magnas expenſas.

Sub Alfridaria Mercurij & Martis, rixabitur & litigabit cum uilibus hominibus ualentibus minus eo, nec cognitis, & recedet ab eis, ibit ad magnos uiros nobiliores ſe, ibit de una anxietate in aliam, euadet ab omnibus, uincet inimicos & aduerſarios ſuos, faciet longum iter. Et ſi ſe applicuerit ad mercaturam, perdet in ea. Si cum aliquo ponet in ſocietate de ſuo, ſocius ille faciet ipſi perditionē & fraudem, accidet ei moleſtia per carcerem, & impedimentum ignis, aut per rem calidam, cadet ab alto, uel quaſi, aut infirmabitur infirmitate forti, uel de qua damnabitur complexio, & cerebrum eius, & hoc tamen ſanabitur. Et ſi hoc tempore uxorem duxerit, morietur uxor eo ipſo anno, uel ueniet quaſi ad mortem. Et ſi parentes uixerint, morietur mater nati, & pater capietur, uel accident ei maximę grauitates.

Sub Alfridaria Mercurij & Solis, augebuntur hilaritates ipſius, gaudia & lucra, ac ualor qualibet die, ac multiplicabuntur homines & ſocij eius, habebit ſcribam & præfectum rationibus & expenſis, accipiet à regibus & nobilibus ſubſtantias & lucra, & ab alijs qui iunguntur ei, forte morietur eius frater maior eo, ſi ipſum

habuerit, copulabitur mulieri formoſæ, habebit rem cum ea extraneo modo, uel cum uxore patris ſui.

Sub Alfridaria Mercurij, Veneris, aſſociabitur mulieribus, fiet remotus à uiris, diliget mulieres, & de ipſis lætabitur, purgabitur eius uxor, & morietur fœtus. Et ſi imprægnabitur eius uxor, & habuerit filiũ, morietur, aut aliquis nutritius eius quem tenet loco filij morietur.

Alfridaria Lunæ.

LVNA Alfridariam gubernante, natus erit in diuerſis ſtatibus, uno in gaudio, alio in triſtitia, & in diuitijs & paupertate, & habebit cauſas graues & grandes cum uxore, & alijs mulieribus, itinera bona & longa faciet, aſcendet ſuo tempore in dominium & gradum altum, lucrabitur opes magnas, poſtmodum deſcendet ab illo gradu, & reuertetur in eum ad modicum tempus, & in fine huius diuiſionis perueniet ad gradum mediocrem, & ad periculum magnum ab enſe, uel quod ei aſſimilatur, aut de carcere. Et ſi natiuitas nocturna fuerit, & Luna in malo ſtatu, accident ei infirmitates & grauitates, abhorrebunt ab eo parentes. Et ſi Luna fuerit in bono ſtatu, ſignificat quòd in hac diuiſione erit ſanus corpore, ac bonæ conditionis, & parentes ipſius diligent & honorabunt eum, & facient ei bonum.

Sub Alfridaria Lunæ & Saturni, habebit cauſam cum regibus & ſimilibus, in dictis ſuis accuſabitur de mendacijs & falſitatibus, & accident ei grauamina in ſeruientibus ſuis, uel ab eo fugient, & morientur pecora de armento ipſius, exibit ab eo una pars ſubſtantiæ ſuæ, debitum faciet, infirmabitur magna infirmitate, forte accidet ei combuſtio ignis, aut inciſio ferri tribus uicibus hoc tempore, uel forte morietur eius uxor, ſi prægnans fuerit. Et ſi natiuitas fuerit nocturna, accidet ei ſcabies ex calore, ſanabitur de ea, accidet ei combuſtio ignis, uel aquæ feruentis, ſed ſanabitur, permutabitur de uno loco ad alium, ibit itinera, & accidet ei grauitas in itinere, & aliqui ex ſeruientibus ipſi facient ei malum, & furabuntur de rebus eius.

Alfridaria Lunæ & Iouis, ſignificat quòd in hoc tempore natus habebit dignitatem honorificam, lucrabitur opes, uincet inimicos ſuos, dicetur bonum de eo, euenient ei lucra & profectus de terris longinquis, & ui leuium operum, plantabit arbores, poſſidebit terram, laborabitq́, emet ſeruos & ſeruas, habebit gaudia multa, ſi habuerit debita, ſoluet ea. Et ſi natiuitas nocturna fuerit, augebitur in omni re, quæ pertinet ad augmentum ueſtimentorum & aliarum rerum, diligent eum parentes.

In Alfridaria Lunæ & Martis, nato accident anxietates, triſtitiæ, ac grauamina magna, perdetur una eius pars ſubſtantiæ quæſtus gratia, ſoluet collecta, ſi fecerit iter accidet ei grauamen in eo quæſtus gratia, ac metus, ob percuſsionem colubris hemicrauea, uel dolor medij capitis, timor de igne, & euadet ab illo, infirmabiturq́ infirmitate grandi, ita quòd perueniet ad periculum mortis, habebit ægritudinem in uiſu, uel in oculis, magnum malum & dolorem in genitalibus. Et ſi Luna cum hoc dominium habuerit in reuolutione anni, hæ ſignificationes affixiores erunt, tamen conuertetur eius ſtatus in bonum, poſtquam hæc partitio fuerit completa. Et ſi natiuitas fuerit nocturna, accident ei multæ infirmitates, & diuerſæ in oculis & uentre, & in membris inferioribus, & percuſſio ab aliquo reptilium, & combuſtio ab igne, uel aqua feruenti, aut aliqua re calida, eripietur ei furto una pars ſui peculij, & aliqui ex ſeruientibus ipſi facient ei malum.

Sub Alfridaria Lunæ Soliſq́ conſtitutus, facit bonum hominibus, dabit de ſuo pro Deo extraneis, & in terris longinquis, lætabitur de omnibus rebus & factis ſuis, habebit dominium ſupra homines, & dignitatem officij regis, infirmabitur

ipſ

ipſe, & uxor eius, forte durabit eius infirmitas 30. diebus, & non plus, & poſtea ſanabitur, & præparabitur eius negociũ primo menſe huius diuiſionis, excepto quòd mulier eius amouebit filium ſuum ſi fuerit prægnans, & hoc primo menſe diuiſionis iſtius, & poſtmodum concipiet. Et ſi natiuitas fuerit nocturna, accidet ei infirmitas, mutabitur de uno ſtatu in alium, faciet iter, lætabuntur parentes de eo, creſcet doctrina & intellectus ipſius.

Sub Alfridaria Lunæ & Veneris, natus erit in bono ſtatu, ac bonorum morum ſufferens, & ſuſpirans pro fœliciore fortuna, uitioſus in omni uitio corporis, & omnibus negocijs ſuis, lætabitur de cantu & ornatu, & rebus odoriferis, & luxuriabitur in coitu cum mulieribus, aſſociabuntur ei uiles homines, & dicent bonum de eo, accidẽt ei in primo menſe huius partitionis de ſeruis res de quibus lętabitur, aſcendet in ualorem & bonum.

Sub Alfridaria Lunæ & Mercurij, aſcendet ad dignitatem, & perdet eam, & reuertetur in illam, & hoc erit forte tribus uicibus in hac diuiſione, grandes habebit cauſas, mendacia & falſitates dicet, occupatus malis moribus, & fraudibus, aut factis inſidioſis, donec faciat falſitates, & fraudes ſocietati ſuæ, à manibus nati tum exibit una pars ſuarum facultatum, & accidet ei metus per aquam, uel ignem, & forte hoc erit in principio huius diuiſionis in primis 17. diebus, & euadet ab illo, & accidet filio eius, ſi quem habuerit, infirmitas mala ex damnatione complexionis, uel ex melancholia. Et ſi natiuitas fuerit nocturna, accident ei grauamina, uerſabitur in fraudibus, ac moribus malis, accidet ei impedimentum pro aqua, uel igne, una pars ſuæ ſubſtantiæ ei furto ſurripietur.

Alfridaria Saturni.

SAturnus Alfridariæ diſpoſitor, ſignificat quòd natus faciet facta, quæ imputabuntur ipſi ad ſtultitiam, & cauſas habebit, in quibus tenebit rationes falſas, erit afflictus ratione filiorum ſuorum, ſi eos habuerit, habebit magnam triſtitiam, & anxietates pro eis, plus expendet quâm lucrabitur, diſſipabit peculium ſuum, habebit lucrum de hæreditatibus mortuorum, uel debitum faciet, occupatus in rebus antiquis, accidet ei impedimentum in ſuo ualore, & precio, magna infirmitate infirmabitur, de qua triſtitiam & anxietatem habebit. Et ſi fuerit in hoc infortunatus à Marte, damnum eius maius, & fortius erit, damnum habebit per ignem, & calores, aut percuſſionem ferri, uel ſimile quiddam, & modicum ualebunt ei medicinæ, & phyſica. Et ſi natiuitas fuerit nocturna, accident ei grauamina, & triſtitiæ multis modis, & diuerſis, aut aliquis ex eius conſanguineis morietur, habebit lucrum ab hæreditatibus mortuorum, furtim auferetur ei una pars facultatis ſuæ, infirmabitur forti infirmitate, faciet multa facta quæ ipſi conuertentur ad malum, & damnum, ſtultè faciet omnia facta ſua, & pro maiori parte fruſtrabitur proſpero rerum ſucceſſu.

Tempore Alfridariæ Saturni & Iouis, ornabunt eum Reges, & eorum ſimiles, ab eis habebit lucrum, & ab alijs hominibus transferetur de una nobilitate in aliam, inter ſeruos habebit multas lætitias, & gaudia, infirmabitur, iter faciet, & fortè illa infirmitas & iter erunt in fine diuiſionis illius: Et ſi natiuitas fuerit nocturna, accident ei res de quibus habebit lucra, profectus magni euenient, ſociabitur hominibus benefacientibus, à quibus bonum habebit, infirmabitur, & bonum habebit in alijs, fortè augebitur in ſeruis, uel uxorem ducet, ſi erit aptus ad hoc.

Sub Alfridaria Saturni & Martis, erit in malo ſtatu, euenient ei grauamina, forte cadet à ſummo domus uel beſtiæ, & propter hoc habebit triſtitiam, anxietatem, & iurgia cum uxore ſua, uel alijs mulieribus, male ei uolent, ac ipſum uincent homines, & conculcabunt ipſum ſui hoſtes, infirmabitur eius uxor infirmitate forti, uel morietur.

Sub Alfridaria Saturni & Solis augebitur natus in precio & ualore, habebit dignitatem aliquam in iudicando homines, lætabitur & gaudebit de domo, ſocietate, & filijs ſuis, faciet itinera, infirmitatem habebit in capite de magno tumore, dolebit ex oculis & uiſu, cauſam habebit maioribus eo, & ipſe uictor erit. Et ſi natiuitas fuerit nocturna, accidēt ei multa ex ſignificationibus iſtis, & ſtatibus quos diximus, ſecundum quod conuenit ætati ſuæ.

Sub Alfridaria Saturni & Veneris, dicentur de eo mendacia, proferentur teſtimonia falſa ſuper eum, habebit longas & fortes cauſas, & euadet ab eis, lætabitur de morte inimicorum ſuorum, ac malo ac impedimento quod eis eueniet, accident ei magnæ infirmitates in uentre, uel in loco abſcondito ſui corporis, & ſanabitur de eis, morietur eius uxor, aut accidet ei magnum malum uel impedimentum, & forte habebit filium in hac partitione, & ſi filios habuerit, infirmabitur aliquis. Et ſi natiuitas fuerit nocturna, accidet ei ex rebus & ſignificationibus iſtis, quantum fuerit conueniens ætati ſuæ, in qua fuerit.

Sub Alfridaria Saturni & Mercurij, habebit debilitatem in omni ſuo negocio, ibit itinera in quibus habebit grauitatem & damnum, infirmabitur eius uxor, & habebit de hac grauamina, aut ratione mulierum, morietur aliquis ex propinquis eius, creſcet fortuna ipſius, ſed aliquid perdet ex ea, gaudebit de fratribus & amicis, de filijs bonum habebit, & ſocietate ſua, & de ſeruis, uerſabitur in ſocietate & rebus diuerſis.

In Alfridaria Saturni & Lunæ, habebit triſtitias, infirmabitur ipſe, & ſui maſculi filij, & eorum aliquis morietur, erit in ſtatu mediocri inter bonum & malum, inter lucrum & amiſsionem, ibit itinera longa, in quibus opes lucrabitur, & forte in hac partitione, erit in loco extraneo, uel accidet ei hoc in fine huius partitionis, & quando de hac partione exibit, aggregabit magnas diuitias, & forte copulabitur alteri mulieri.

Alfridaria Iouis.

IN hac transferetur natus de infimo ſtatu ad bonum, exibit de omni grauamine ad omne bonum & gaudium, aſcendent fortunæ & opes eius, nominabitur inter reges, dicetur de eo bonum, habebit dignitatem honorificam, & magnam. Et ſi Iupiter fuerit in radice, in termino ſuo, uel in termino Veneris, aut in aliquo ſigno triplicitatis ſuæ, quæ ſunt Aries, Leo, Sagittarius, tunc ſignificat melius in ſignificationibus ſuis, & ſignificabit maius bonum & fortunam. Si natus fuerit altæ progeniei, forte rex erit, aut habebit poteſtatem in ciuitatibus & terris, ac multos ſeruos, & ſeruas habebit, uel copulabitur cum muliere nobili, præſentabunt ei reges xenia & diuitias, mulieres & beſtias, habebit lucrum de reditibus, & alijs rebus, faciet theſauros, bonum, & eleēmoſynas, faciet facta nobilia. Et ſi cum hoc fuerit Iupiter in exaltatione ſua, erunt hæ ſignificationes firmiores, & maior erit fortuna.

Sub Alfridaria Iouis & Martis, natus erit triſtis, ſeruiet Regi in rebus de quibus timebunt homines, tamen propter hoc eueniunt ipſi grauamina magna aut metus, & labores pro diuitijs ſuis, ibit itinera longa, habebit anguſtiam ratio

ne mulierum, habebit rem cum mulieribus malis, & forte naſcetur ei filius.

In Alfridaria Iouis & Solis acuetur ſenſus eius, erit præcipuus conſiliarius regis, augebitur eius fortuna, & opes, forte inueniet theſaurum, lucra ſine labore habebit, honoratus erit ab hominibus, dominium habebit ſuper progeniem ſuam, à regibus & alijs hominibus dignitatem, ponetur cuſtos ſuper populum, naſcetur ei filius fortunatus.

In Alfridaria Iouis & Veneris, habebit natus negocia cum regibus, priuatus erit, in rebus ſuis dominium habebit, & fortunam magnam, committetur ei theſaurus in depoſito, uel inueniet theſaurum, aut habebit lucra ſine labore, morientur inimici eius, & faciet itinera. Et ſi Iupiter in hac infortunatus fuerit à Saturno, uel Marte, aut Venus fuerit infortunata ſimiliter ab aliquo eorum, minuetur nonnihil de ſignificationibus prædictis.

Sub Alfridaria Iouis & Mercurij natus erit bonis moribus, modeſtus, benignus & fruſtrabitur de omni opere, ac negocio quod ſit ad utilitatem eius, amici ipſius fugient eum, & eius fient inimici, & homines malum dicent de eo, & diffamabunt ipſum, uxorem ducet, mordebit eum canis uel lupus, aut aliquod aliud animal, deſtruetur domus eius, uel aliqua pars eius, cadet ab alto, & deterior quàm eſſe poſsit in hac diuiſione, eſt in eius medietate.

In Alfridaria Iouis & Lunæ, creſcet natus in ualore, ac precio ſuo, dominium et dignitatem habebit in reditibus regis, ac utilitatem à partibus non præuiſis, eius fiduciæ cõplebuntur, habebit una uice gaudium, alia triſtitiam, ſi fratrem habuerit ſe maiorem, morietur, auferetur ei aliquid de facultatibus ſuis ipſo inuito, faciet itinera in quibus habebit à latronibus metum, eritq; ei ſummũ periculum à latronibus iſtis in principio huius diuiſionis, donec tranſiuerit annus unus. Poſtea ſequentur lætiora & fœliciora omnia.

Sub Alfridaria Iouis & Saturni natus dabit de ſuo pauperibus, auerſabuntur eum fratres, amici & ſocij ipſius, & fient inimici eius, facient ei malum quod poterunt, & aliqui de propinquis itinera facient, nato accidet metus ex parte regum, ac ratione filiorum, difficultates quaſdam experietur in re familiari, & flocci fiet, & ſi aliquid mutuauerit de ſubſtantia ſua non recuperabit illud, & ſi recuperauerit, cum labore id obtinebit & uix tandem poſt annum unum.

Alfridaria Martis.

IN hac natus erit maleficus, & prædator, accident ei labores, & cauſæ magnæ longæq;, mouebuntur inimici eius contra eum, facient malum ipſi, male deferent eius ſtatum apud reges, & magnos homines, accident ei grauamina ex parte parentum, & euadet de hoc toto, accidet ei metus, & impedimentum magnum à lupis, uel igne, aut ferro, uel aqua feruenti, aut ex arte medica, aut phyſica, uel hominibus raptoribus. Et ſi ſeminauerit aliquod ſemen, peribit id propter aquam, itinera longa faciet, infirmitatem habebit ex tumore capitis, & in oculis, & dolorem uentris, & hoc malum durabit uiginti dies, utetur multum in hoc phyſicis. Et ſi Mars in hoc fuerit in termino Iouis, uel Veneris, ſignificat quòd eueniet ei ab inimicis ſuis impedimentum, & euadet ab eo.

In Alfridaria Martis & Solis auerſabuntur amici & fratres, & fugient eum, & ex parte regum accident ei moleſtiæ, capietur ratione ſocietatis, & forte durabit hoc 25. diebus, accidet dolor & infirmitas ipſi in locis abſconditis, forte cadet à ſummitate domus, aut interficiet regem, aut ei ſimilem, morietur uxor eius, damnum recipient eius filij, aut morientur.

Alfridariam gubernantibus Marte & Venere, natus ſtudebit cantilenis, amoribus, ludis, iocis ac gaudijs, ac erit notus in his, ac luxurioſo coitus genere occupatus, coniunctus lenonibus ac ſcortis. Eodem tempote & placida fruetur coniuge, & gaudebit latronum conſuetudine, commercijs ac fructu.

Sub Alfridaria Martis & Mercurij, accidet ei labor, & grauitas, ibit extra locum ſuum per extraneas terras, & accident ei triſtitię, ac impedimenta ratione mandatorum, dicetur malum de eo, dabitur ei malũ nomen, & uocabitur mendax, amici eius fient inimici eius, forte accidet ei occaſio ex qua perdetur.

Si fuerint Alfridariæ domini Mars & Luna, natus capietur, & accident ei grauamina, tandemq́ꝫ euadet incolumis, ſoluet collectas pro facto quod faciet, expendet ſubſtantiam in laborando terras, & ſi fuerit diues, fiet pauper, & quando fuerit pauper, fugiet de terra ſua, & qualitercunq́ꝫ accidet ei, damnum eueniet in ſubſtantia eius, & ſi emerit ſeruum, morietur ei. Et ſi parentes eius uixerint, unus eorum morietur in hac diuiſione, amici eius fugient eum, accident ei lites, & ipſe uincet litigantes cum eo.

Si gubernarint Alfridariam Mars & Saturnus, accident nato moleſtiæ diuerſorum modorum. Si patrem habuerit, morietur, exibit de manu eius pars ſubſtantiæ ſuę, & uilipendetur, infirmabitur magna infirmitate, forte de febre quartana, accidet ei inuolutio ſenſus, ſed euadet de hoc toto, fugient eum conſanguinei ſui, rixabitur cũ uxore ſua, & forte coniuges ſeparabuntur, accident infirmitates filijs eius maſculis, ſi eos habuerit & forſitan morientur, & perdentur.

Si dominabuntur Alfridariæ Mars & Iupiter, exaltabitur natus, & ſi non habuerit precium, incipiet eſſe in precio, & uincet omnes qui aduerſantur ei & omnes litigantes cum eo, uilipendet homines, habebit bonum & lucrum ratione cauſarum, arma diliget, & armorum exercitia, & lucrabitur ea parte, reditus ipſius creſcent, lętabitur uxor & ſocietas, ac eius filij, naſcetur ei filius, & eius filia morietur, ſi habuerit eam, nec fiet feſſus de aliquo opere, uel magiſterio quod faciet.

Alfridaria Capitis & caudæ.

SVB Alfridaria Capitis Draconis natus erit fortunatus, aſſociabitur nobilibus hominibus, erit fidelis in dictis & factis ſuis, præcipiet alijs, aut ſuæ genti, habebit dignitatem lucriferam in terra ſua, lucrabitur diuitias ratione cauſarum, aut hęreditatem mortuorum, ſeruos multos paſcet, à mulieribus diligetur.

Sub Alfridaria uerò Caudæ, accident ei moleſtiæ, auerſabitur amicos ſuos, & odio habebit eos, & contentionem cum filijs & uxore mouebit, damnaq́ꝫ ſentiet plurima uxoris gratia, accident ei moleſtiæ, infirmabitur graui infirmitate, ſed tandem ſanabitur.

CAPVT NONVM.

De Chronocratoribus, ſiue decenniorum dominis.

De Saturno Chronocratore.

SATVRNVS ſi fuerit Chronocrator, uide locum eius in figura reuolutionis anni, an in cardinibus, uel alio loco fuerit, & an ſit diurna reuolutio an nocturna, & quid tam ex ſignis in quibus fuerit, quàm ex loci poteſtate decernat, & ſecundum eius fortitudinẽ & debilitatẽ in tempore

ſuo

ſuo profer iudicium. Si enim in genitura pericula ab ipſo decreta fuerint, tunc exequitur quicquid in genitura decreuerat. Nam ſi orbitatem decreuerat, tunc miſeram filiorum ſobolem crudeli poteſtate proſequitur. Si uiduitatem, tunc matrimonium aut morte, aut diſſenſione interrumpit. Si accuſationes, tunc inimicorum ſuſcitat turbas. Si ægritudines, tunc uicium miſeræ ualetudinis infligit. Si damna, tunc patrimonium uarijs lacerationibus diſcutit. Si uero bene fuerit collocatus, & proſperum aliquid in genitura decernebat, condonationis ſuæ ſecutus poteſtatem, tunc reddit quidquid ante promiſerat, præſertim ſi genituræ dominum bene collocatus in diurna genitura reſpexerit.

Saturnus & Iupiter uitę moderatores, ſi malè ſint in genitura poſiti, & per ipſos periculum, uel ægritudo aut damnum, uel infortunium decretum fuerit, tunc omnes periculorum minę ſalutaris Dei poteſtate mitigantur. Si uerò bene conſtitutus in genitura Iupiter, deputatum ſibi à Saturno tempus acceperit maximę fœlicitatis incrementa largitur, pręſertim ſi fuerit diurna genitura, & ipſe Iupiter in bonis ſignis, uel partibus poſitus, falciferum trigono, uel aliâs fœlici reſpexerit radiatione.

Saturnus & Mars, decenniorum moderator deputatum hic ſibi à Saturno tempus accipiens, omni malicia ſopita, læti decernit temporis gaudium. Inuicem enim ſeſe ex contrarijs uirtutum ſuarum poteſtatibus mitigant.

Saturnus & Sol, cauſas concitant, & iurgiorum contentioſa certamina, ſed ipſæ cauſæ ex maxima parte de domorum, aut fundamentorum proprietatibus inferuntur, præſertim ſi nocturna genitura. Iidem & patri uitæ periculum denunciant, ſic genito autem dignitatis iacturam afferent.

Si fuerint Chronocratores Saturnus & Venus, Venus deputatum ſibi à Saturno tempus arrogans, ab omni quidem infortunio ſeparat, ita ut præcedentis diſcriminis, quod alterius forſitan ſtellæ malicia perpetraſſet, incurſus ſalutari remedio corrigatur. Quòd ſi ipſa Venus nuptias decernit, ita genitis perpulchram dabit uxorem, ſin autem mulieris fuerit genitura, uiro, aut uiduę tunc nuptiali uinculo rurſus copulabitur.

A Saturno gubernationem temporis accipiens Mercurius, ueterum cauſarum ſopitas excitabit ſimultates, & latentia contentionum iurgia rediuiuis rurſum actionibus faciet inferri, & ſuſcitari, aut ex ſcripturis, uel mercibus, fortunarumq; rapinis detrimenta proferet.

Saturnus Lunæ temporis gubernationem communicans, ex uicioſis humoribus ægritudines concitabit, aut ex aqua maximum periculi diſcrimen impinget, aut nouarum faciet litium denunciatione deturbari, ita ut omne hoc tempus uaria pericula, & uarias ſollicitudines ſæpius inducat. Sed hæc ſi fuerit Luna plena luminibus, ſi autem minuta lumina in genitura extiterit, hoſtilibus falciferi radijs pulſata, cũ miſeris calamitatibus infœliciſsimæ mortis minatur incommoda, atq; diſcrimina.

De Ioue Chronocratore.

IVPITER temporum, ſiue decennij dominus, fœlicitatis gloriam, ac lætitias (pro genituræ menſura) decernit, præſertim ſi ipſe genituræ dominus fuerit, tunc enim cuicunq; aut nuptiæ, aut filij decreti fuerint, ſi tempus ętatis admiſerit, cum maxima ratione perficiet, glorias etiam & honores, atq; patrimonij augmenta largitur.

Iupiter cum Saturno Chronocrator, pigra homines conuerſatione faciet ſemper hæbetari, ita ut in omnibus actibus inerti frigoris torpore deficiant, præſertim ſi ſit nocturna genitura, & in genitura poſitus Saturnus malè ſit affectus.

Iupiter cum Marte temporis gubernacula ſortitus, omnem uitæ ac negociorum ordinem mutat, & quidquid præcedenti negociorum diſpoſitione tractatur,

ad alte-

ad alterius uitæ ordinem transfert, ita ut hoc tempore inſtituta prioris officij deferantur, aut certè uarijs diſcriminibus turbentur.

Iupiter & Sol Chronocratores, omnia facient uitæ ſecreta publicari, ac omnes actus uaria ratione conuerti, animum quoque per diuerſa ſolicitudinum genera uarijs cogitationibus deducit, diſsipat etiam quicquid fuerit ante compoſitum, ita ut turbatis fermè omnibus, atque confuſis rationibus, animus per diuerſa ſolicitudinum genera diuidatur. Sed hæc in diurna genitura minuuntur.

Iupiter & Venus Chronocratores, Venus tum deputatum ſibi à Ioue tempus arripiens per noctem, aut nuptias nato conciliabit, aut proſpera tempora cum fœlicitatis commodo donabit. In diurna uerò genitura, aſsiduas amoris concitat illecebras.

Iupiter & Mercurius Chronocratores, tales actus decernunt, ex quibus maxima lucrorum commoda conferantur, & plurimarum ac magnarum amicitiarũ præſidia largitur, ac in omnibus officijs augmenta proſperæ rationis aſsignabit, ita ut ex omnibus actibus proſpera, & lucrorum & fœlicitatis commoda nato conferantur, cum fauſta fortuna.

Tempori præfecta cum Ioue Luna, tranquillæ ſerenitatis quietem, & maxima fœlicitatis incrementa pro genituræ ſubſtantia decernit, tunc enim præcedentium infortuniorum dolor uarijs ſolatiorum generibus mitigabitur, tunc egeſtatis anguſtiæ relaxabuntur, tunc ægritudinum uitia ſanitas conſtringet, tunc periculorum metus proſperis præſidijs ſopientur, tunc in omnibus certaminibus ex cauſis ad uota ſententiæ proferentur, tunc dolor frangetur, tunc ſollicitudo mutabitur, ita ut præcedentium infortuniorum ſquallore deterſo, purum ac mundum fœlicitatis tempus accedat, præſertim ſi Lunam plenam luminibus Iupiter in genitura proſpera radiatione reſpexerit.

De Marte Chronocratore.

MARS decenniorum moderator, actus quidem maximos pro genitur
ſubſtantia, ſed cum præcedente turbatione decernit, ita ut in ipſis acti-
bus qualeſcunque fuerint, uarium periculorum diſcrimen oriatur, præ-
ſertim ſi diurnæ genituræ dominus extiterit.

Imperans cum Marte Saturnus, omnibus conuerſationibus pi-
grum tarditatis pondus imponet, ita ut omnia negocia tardius ſemper agantur, faciet
quoque inefficax tempus, ſordidum, ſquallidum, & ab omnibus conſuetis actibus ſem
per alienum & ſeparatum.

Rex temporis effectus cum Marte Iupiter, omnia proſperitatis commoda de-
cernit, atque ita genitum omnia eius negocia proſpero complere faciet ſemper euen-
tu, lucra etiam & omnia rerum officia largitur, reddet quoque laborantibus requiem,
ægris ſalutem, ſollicitis ſecuritatem, errantibus reditum, litigantibus ſucceſſum, & in
anguſtia conſtitutis abundantiam.

Rex temporis factus cum Marte Sol, maxima periculorum diſcrimina ex aſsi-
dua calamitate decernit, ac omnem uitæ ordinem miſera permutatione conturbat,
turbas quoque excitat, ſeditiones mouet, & oculorum dolores cum maxima ægritud
nis continuatione inducit, uitam etiam omnem maximis periculis & damnorum in-
curſionibus concutit, hæcque erunt ineuitabilia pericula, niſi eis bonum ac ſalutare lo
uis, aut benignum Veneris teſtimonium reſtiterit.

Gubernationem adepta cum Marte Venus, facit quidem proſperum tempu
& ab omni periculorum diſcrimine ſeparatum, ſed ex multarum mulierum coitu ijſ
dem menſibus infamia ſæpius infertur. Quòd ſi in genitura quadrati fuerint, adul

teri

teria tunc faciunt perpetrari, ſed hoc facinus cum Iouis teſtimonio cælant. Cum Mercurio autem, & Sole, etiam cum miſero uitæ diſcrimine, faciunt puplicari.

Imperium temporis obtinens cum Marte Mercurius, ex ſcripturis quibuſdam pericula faciet concitari, aut ex aliquo furto miſerum damnum ſemper infliget, ſed inimicos frequentibus facit turbationibus diſsipari. Quôd ſi in genitura quadrati, uel oppoſiti ſibi inuicem fuerint, tunc maleficiorum, uel adulteræ pecuniç crimen nato impingunt, præſertim ſi Mercurij in finibus, uel domo Saturni, aut Martis inuentus fuerit.

Conſecuta imperium cum Marte Luna, maxima periculorum diſcrimina faciet ſemper inferri, præſertim ſi fuerit plena luminibus, tunc enim periculoſa decernuntur temporum ſpacia, tunc fugç, tunc exilia, tunc miſera periculorum diſcrimina concitantur, tunc nati in cuſtodiam, aut publicum carcerem detruduntur, tunc incendia, tunc febres, tunc graue damnũ cum miſera patrimonij laceratione decernitur, tunc grauis ægritudinis caſus ſemper affertur. Quôd ſi in genitura cum teſtimonio Iouis quadrati, uel oppoſiti fuerint, tunc aut cruentam, aut flebilem, aut repentinam mortem faciunt. Quôd ſi in genitura Saturnus cum Luna fuerit inuentus, & Luna à Marte deputatum ſibi tempus acceperit, etiam tunc mortis acerbæ ex prçcedentibus periculis inferuntur exitia, quæ tamen pericula ex ſignorum uarietatibus ſortiuntur euentum.

De Sole Chronocratore.

SOl ſolus decennij moderator, nihil proſperum decernit, ſed ex eo malè affecto in natalis themate, omnia infortuniorum genera ſperare debemus, quæ tamen in diurna genitura ex parte aliqua mitigantur, Iouisq; aut Veneris teſtimonio ſopiuntur.

Moderationem ſuſcipiens cum Sole Saturnus, in nocturna quidem genitura peſtiferum, ac mortiferum minatur exitium, & in oculo aliquid ſiniſtri, & capitis, ac ſtomachi cruciatus, atq; dignitatis iacturam minatur, & patri mortem. Verum in diurna geneſi maximæ fœlicitatis incrementa decernit, pro genituræ tamen ſubſtantia.

Cum Sole regnans Iupiter, tranquillæ fœlicitatis commoda cum maxima uitæ lætitia decernit, ita ut omni malorum ueſtigio deterſo, proſperum fœlicitatis tempus natum accipiat, tunc enim relaxabuntur damna, tunc ſanitas redditur, tunc homines ex præcedentibus diſcriminibus liberantur.

Cum Sole imperans Mars, patrimonio miſeris lacerationibus diſsipato, extremæ paupertatis incidit anguſtias, ſed & crebras contentionum luctas exagitat, capitis etiam crebros dolores efficit, & in oculo aliquid ſiniſtri, quin & graue periculi diſcrimen inducit, cum aſsidua damnorum continuatione.

Moderatrix cum Sole temporis Venus, in omnibus quidem negocijs proſperum pollicetur euentum, ſed uxoris animus in eum cum quadam maligna diſſenſione ſemper inflammabitur, ita ut tunc ſe prodat, & detegat, uel ſi ei uxor non fuerit, tunc ab aliqua muliere diſcrimen indicit, & propter hoc publicas cauſas, & forenſes ſimultates exagitat, ac turbas cum uiris mediocribus ſæpius excitat.

Gubernator cum Sole Mercurius, negociationes multas, crebros actus, & ex mercibus, aut ſcripturis, ſiue ingenij dotibus, aſsidua lucrorum commoda decernit, ſed quæ cum maximis laboribus, & periculis acquirantur.

Regnans cum Sole Luna, omnem uitam hominis, in ſtabili ſemper uarietate conturbat, ita ut quidquid priſco tempore collocatũ fuerit, rurſus potioribus rationibus auferatur, eritq; ipſum tempus ex uaria inæqualitate mutabile, ita ut anguſtiç repentinis diuitijs releuẽtur, & ipſas rurſum diuitias paupertatis anguſtiç ſubſequãtur.

De Venere Chronocratore.

VENVS decennij domina, coniugales affectus maxima releuat gratia uenuſtatis, ſed & lætitiam ſumma cum ſecuritate decernit, & ita genitum uxorium efficiet, aut mulierem cõnubio iunget ſtabili, propriamq; dicabit.

Chronocrator cum Venere Saturnus, aut cum muliere graues diſſenſiones ſua indignatione peragitat, aut ab uxore uel morte, uel repudio, aut ſimultatibus quibuſdam ſeparat.

Rex temporis cum Venere Iupiter, bonum quidem tempus, & lætum decernit, ſed ex amore quaſdam infamias in eo, uxorem quoq;, aut perpulchram ſobolem præſtabit.

Imperans cum Venere Mars, multa mala, & frequentia dolorum minatur incommoda, tunc etiam animum uarijs amorum illecebris ſemper exagitat, & propter amoris, aut zelotypiæ dura tormenta, grauem animi dolorem ſemper imponit, ita ut propter hęc errantis animi uitia, etiam cauſarum diſcrimina frequenter accedant, turbæ etiam & pericula propter uxores peſsimas, aut ab eis inferuntur, aut enim adulterij crimen exurgit, aut amor quidam impura ac inhoneſta cogitatione conceptus.

Regnans cum Venere Sol, homines faciet ſuas fugere ſemper uxores, aut cum eis diuortium excitabit, & hoc cum capitis periculo, patrimonijq; iactura. Si uerò proſper Iouis radius acceſſerit, ijdem peregrinationis neceſsitatibus ſeparantur.

Cum Venere factus Chronocrator Mercurius, omnia negocia proſpero euentu compleri efficiet, frequentia etiam lætitiæ gaudia præſtabit, lucra quoq; maxima conferri faciet, ac idonea ſubminiſtrabit ſubſidia facultatum.

Cum Venere gubernatrix effecta Luna, omnia fœlicitatis genera præſtabit mulierum patrocinio, à populo honores, uxorem quoq; & prolem dabit formoſam, lucrorum copioſa præſidia, claros honores, & omnia bona ex aſsidua fœlicitate decernit.

De Mercurio Chronocratore.

MERCVRIVS cum temporum dominus fuerit, omni hoc tempore omnia bona aſsiduis fœlicitatibus decernuntur, & omnes actus proſperi ſequuntur euentus, preſertim ſi generalis dominus fuerit, & bene collocatus.

Sed cum Mercurio tempori præfectus Saturnus, fortunarum iacturas & domeſticorum mortes ex aſsidua infortuniorum calamitate decernit, ut parentum, affinium, patronorum, & qui nobis prodeſſe conſueuerunt.

Cum Mercurio regnans Iupiter, dies ſanè quietos, & ab omni negociorum ſtrepitu ſeparatos largitur, atq; in hac ipſa quiete, maxima laudis commoda & lętitiæ gaudia ſemper accommodat, filios etiam non habentibus (ſi genituræ ratio per miſerit) omni ratione decernit.

Cum Mercurio imperans Mars, inimicos ſuſcitabit, accuſationes inferet, litesq; ex noua denunciatione ſuſcitabit, quas tamen bonum Iouis aut Veneris teſtimonium mitigabit.

Dominium temporis ſortitus cum Mercurio Sol, ac malè affectus, maxima patrimonij damna, & maximas animo ſolicitudines ſemper inducit. Si uerò uterq; fuerit in themate fœliciter collocatus, diuitiarum & horum incrementa donabit.

Gubernans tempus cum Mercurio Venus, bona commoda ex aſsidua fœlicitate

tate præſtabit, ſecuritatem quoq; perfectam, animi quietem, corporis ſanitatem, ac pro menſura geniture commoda lucra largietur.

Cum Mercurio regnans Luna, maximas ægritudines, maximaq; languorum uicia denunciat, ſi fuerint male affecti, ſin ſecus, lucra, honores, & optimam corporis ualetudinem pollicetur, & ita genitum ad crebra itinera ſolito procliuiorem efficiet.

De Luna Chronocratore.

LVna decennij moderatrix minuta luminibus, ſi ad Saturnum feratur uel plena ad Martem, omnifariam mortem decernit. Si uerò plena luminibus, beneuolarum fuerit teſtimonijs adornata cum maximis licet laboribus, non modica tamen patrimonij ſiue diuitiarum & honoris incrementa donabit.

Si regnarit cum Luna Saturnus, & Luna fuerit minuta luminibus, & à maleuolis deprauata, ex uitioſis humoribus, aut ex aquis, aut naufragijs miſeras mortes, miſeraq; periculorum decernit exitia. Si uerò plena ſit, faciet quidem hæc eadem, ſed euadendi dabit facultatem.

Si imperium temporis habuerit cum Luna Iupiter, omnia bona cum lætitia & hilaritate decernit, præſertim ſi Luna fuerit plena luminibus, tunc enim pericula, tunc metus, tunc ægritudines ſopiuntur, tunc (pro geniture menſura) fœlicitatis augmenta procedunt, resq; aduerſæ proſperum conſequuntur exitum.

Dominium temporis obtinens cum Luna, Mars: ſi illa fuerit lumine plena, maximas turbationes, ſeditionesq; decernit. Sed ſi Luna in themate geneſeos fuerit Martis uel Saturni quadrata, uel diametra radiatione ſauciata, cruentum calamitatis exitum denunciat.

Rex temporis affectus cum Luna Sol, exuſtiones, ægritudines, & flagrantium febrium, miſeros languores indicit, ſed hæc omnia proſperum Iouis teſtimonium mitigabit.

Venus, deputatum ſibi à Luna tempus accipiens ſi fuerit diurna genitura, ſterilitatis malum minatur nato. Si uerò nocturna, honores claros, & maxima lucrorum incrementa largitur, præſertim ſi Luna fuerit ſplendore ac luminibus diminuta.

Cum Luna Chronocrator Mercurius, frigidas ægritudines cum maxima corporis debilitate potiſsimum denunciat, natum quoq; ad itinera ſolito propenſiorem rediget, & in rebus Mercurialibus fortunatiorem, præſertim ſi fuerint in utroq; themate bene affecti &c.

CAPVT DECIMVM.

De domino orbis.

DIXIT Hermes, quòd dominus circuli ſit de occultis ſecretis huius ſcientiæ, & quòd gens Babiloniæ occultabat, & non oſtendebat niſi ſapientibus, hoc ſcire merentibus, & habet magnam ſignificationem, & fortem in natiuitate, & reuolutione annorum, & cognoſces eius ſignificata hoc modo.

Vide dominum horæ natiuitatis, & da eum aſcendenti, & primo anno natiuitatis, & à ſtatu eius iudicabis ſalutem corporis, & infirmitates eius, ſicut facis à domino aſcendentis radicis.

Et dabis dominum horæ ſecundæ natiuitatis domui ſecundæ radicis, anno ſecundo,

cundo, deinde accipe ſignificationes à ſtatu eius in radice, & in eodem ſecundo anno, iudicabisq́ ab eo ſtatum ſubſtantiæ, & rerum ſimilium, ſicut facis à domino ſecundæ domus.

Dominum horæ tertiæ natiuitatis dabis tertiæ domui anno tertio, accipiesq́ ſignificationes eius à ſtatu eius, in ambabus figuris, & iudica ab eo ſtatum fratrum, & ſororum, & affinia his, ſicut facis à domino tertiæ domus.

Dominum quartæ horæ radicis dabis quartæ domui anno quarto natiuitatis, & accipe ſignificationes à ſtatu eius, in ambabus figuris, & iudicabis ab eo ſtatum parentum, & res alias de ſignificato quartæ domus. Et ſic facias per ordinem horarum, dando dominum horæ cuilibet domui ex domibus radicis, & uni anno, donec tibi cadet dominus duodecimæ horæ ad duodecimam domum radicis, & ad duodecimum annum natiuitatis.

Et huic domino horę dantur duo nomina, unum ſpeciale, & alterum generale, Speciale, eſt quòd nominatur ſecundum nomen domus ſibi conuenientis in ſignificatione, ita quòd dominus primæ horæ, nominatur dominus horæ aſcendentis, & dominus ſecundæ, nominatur dominus horæ domus ſubſtantiæ, & dominus tertiæ horæ nominatur dominus horæ domus fratrum, & ille quartæ nominatur dominus horæ, domus patrum. Et ita nominantur omnes ſecundum ſignificationes domorum. Nomen uero generale eſt dominus orbis, id eſt dominus circuli. Et accipitur ſignificatio à domino cuiuslibet horæ in radice, & reuolutione boni, uel mali, ſicut facis à domino anni.

Poſtmodum ſi dominus horæ primæ, & dominus aſcendentis fuerit in radice in bono ſtatu, ſignificat ſalutem, & ſaluationem corporis in primo anno natiuitatis. Et ſi fuerit in malo ſtatu, dolores & infirmitates ſignificat illo anno.

Et ſi dominus horæ ſecundæ, & dominus horæ ſubſtantiæ fuerint in bono ſtatu, in radice, & reuolutione anni ſecundi, ſignificat proſperitatem, & bonum ſtatum in ſubſtantia. Et ſi in malo ſtatu fuerit, damnum in ea portendit.

Et ſi dominus horæ ſecundæ, & dominus horę domus fratrum fuerint in ambobus temporibus in bono ſtatu, ſignificant proſperitatem, & bonum ſtatum fratrum, & augmentum eorum, ſi ſignum fuerit maſculinum, erit hoc uerum in maſculis, ſi fœmininum, in fœminis. Et ſi fuerint infortunati, ſignificant eis deſtructionem & interitum. Et ſi dominus horæ domus patrum infortunatus fuerit in ſigno maſculino, patri ſignificat malum ſtatum, & ſi in fœminino, matri. Et hoc modo aſpicias in dominis horarum aliarum domorum, & ſecundum hanc regulam iudicabis de omnibus.

Quando inueneris in aliqua reuolutione annorum dominum horæ aſcendentis radicis, & dominum horæ Medij cœli radicis in bono, & fortunato ſtatu, ſignificat bonum ſtatum illo anno, & habebit bona facta, & profectuoſa cum dominio, & lucro. Similiter quando inueneris ſignum applicationis, & dominos horarum iſtarum in bono ſtatu, bonum & proſperitatem iudica nato illo anno. Et quando illos inueneris in malo ſtatu, contrarium iudica.

CAPVT VNDECIMVM.

Quomodo in genere iudicandum ſit ex poſitu ſtellarum in mundo & themate reuolutionis tempore, de ijs quæ nato eo anno euentura ſint.

Genera

In reuolutionibus natiuitatum conſidera

- Generalem gubernatorem ætatis.
- Progreſsiones generales, id eſt directiones.
- Progreſſiones ſeu profectiones annuas, menſurnas & diurnas.
- Dominum anni, qui eſt dominus ſigni progreſsionis annuæ.
- Gradus diuiſionis & diuiſores.
- Alfridarias.
- Dominum orbis.
- Aphoriſmos generales. Item particulares de domibus cœli.
- Chronocratores.
- Tranſitus planetarum, ſiue reditus planetarum.
- Tranſlationes planetarũ ex domibus radicis ad domos reuolutionis.
- Effectus eclipſium, ſi in tempus reuolutionis cadunt.

SEd principales ſignificatores (præter generales progreſsiones) ſunt dominus anni, gradus diuiſionis aſcendentis radicis, & Diuiſor eius. Illis quoq; adiunge Lunam & Aſcendens reuolutionis. Ex his trahe iudicium generale reuolutionis, nam ſi omnes iſti ſignificatores principales, uel maior pars eorum bene ſe habuerint, indicabunt natum in tali reuolutione magis declinare ad bonum, quàm ad malum, uel è contra, ſi male ſe habuerint.

Aphoriſmi generales in reuolutiones natiuitatum.

ANnus reuolutionis, id eſt, Aſcendens reuolutionis, ſimilis radici, ſignificat bonum eſſe nati illo anno.

Figura natalis ſi mala fuerit, ſcias talem reuolutionem non multum nato prodeſſe.

Quando dominus aſcendentis reuolutionis fuerit remotus ab angulis, minus nocebit nato, ſed potius ſignificabit metum uel imbecillitatem quàm damna.

Dominus aſcendentis reuolutionis à Sole combuſtus, grauiora nato detrimenta ſignificat, & hoc ſecundum planetæ naturam, qui anni dominus fuerit, habita etiam Solis natura. At ſi in eo ſtatu fuerit autoritas Lunæ, uel in ſua domo, aut in aliqua ſuarum dignitatum, minuetur id malum. Si autem in huius contrario fuerit, profer iudicium in malo.

Omnis natiuitas quæ fuerit ſub eodem ſigno cum aſcendente anni mundi, ſi in eo fuerit anni dominus reuolutionis, generaliter erit ad bonum, niſi tale ſignum & eius dominus in radice fuerint impediti.

Quando aſcendens reuolutionis peruenerit ad malos radios, uel ad loca infortunantium, & naturaliter ſibi inimica, ſiue radicis, ſiue reuolutionis, magnum eo anno portendit periculum, idq; erit, quando anni dominus ad eundem planetam uenerit, qui eum infortunauerit, poſſet fortaſſe euadere ab hoc periculo, ſi tranſiuerit per lumen alicuius luminaris, uel alicuius alterius ſtellæ fœlicis. Sed nihilominus erit in illius periculi metu non paruo.

Si in anni reuolutione infortunæ fuerint in prima domo, uel in ſignis eam aſpicientibus, nato malum decernit, ſecundum naturam ſigni, & planetæ infortunantis, & domus in qua fuerit.

Fortunantes ſtellæ, ſi fuerint in prima reuolutionis domo, uel illam uiderint, indicant eo anno proſperitatem nato futuram, ſecundum naturam ſigni & domus, ut ſupra.

Iupiter, & alij planetæ cum in reuolutione ad loca radicis perueniunt, oſtendunt illius domus ſignificata. Vt Iupiter in ſecunda, ſubſtantiam, Sol in Medio cœli dignitates, Mars in ſeptima rixas, & ſic de alijs.

Fortuna recipiens Lunam ex trino, uel ſextili, in aliqua reuolutione, bonum ſignificat ſecundum ipſius fortunæ proſperitatem. Sed ſi receptio ex malo fuerit aſpectu, non erit illud bonum ſtabile, & finis erit malus.

Omnis planeta in reuolutione anni fortis & angularis, dat nato bonum ſecundum ſuam naturam, & loci in quo fuerit, Qui ſi fuerit cadens, debilis, aut damnatus, contrarium iudicato.

Si Luna in aliqua reuolutione applicuerit alicui planetæ, dando ei uim ſuam, tunc accipies ſignificationem ab illo planeta, & iudica ſecundum eius fortitudinem, uel debilitatem, & ſecundum aſpectum fortunantium, & infortunantium.

Quando planeta in radice natalis aſpexerit, uel applicuerit alteri planetæ fortunato, & Luna in reuolutione fuerit uacua curſu ſine radijs aliorũ, denotat id quod ſignificauit in radice, niſi Luna fuerit cadens in radice, & reuolutione ab infortunis remota. Nam ſi aliter fuerit, ſignificat nati pigritiam.

In reuolutione, quando infortunæ perueniunt ad loca conuenientia, non nocebunt, niſi ibi habuerint conuenientiam ex radice, fortunantes etiam ſtellæ, ſimiliter non proderunt, niſi habuerint conuenientiam in radice.

Tempus ſignificationum planetarum oſtendit applicatio planetę ad locum radicis, & fiet in menſibus & diebus in quibus ille planeta fuerit potentior, qui fuerit anni dominus. Et ſi erit per applicationem illius planetæ ad locum alterius, apparebit illa ſignificatio in temporibus illius anni, in quo planetæ commixtionem habuerint, unus cum altero, ſiue ſit commixtio bona, ſiue mala.

Quando Luna, uel quiuis alter planeta locum ſuum in quo fuit in radice aſpexerit de quacunq; parte, uel aſpectu demonſtrat, & renouat ſignificationẽ illam quam ſignificauit in radice, niſi hic planeta aſpexerit locum ſuum de quadrato, uel oppoſito, & oppoſitus peior eſt.

Quando aliquis planetarum infortunatur in aliquo loco, & poſtea peruenerit ad quadraturam, uel oppoſitum ſui loci radicis, ſignificat damnum & grauitatem ipſo eodem die. Exempli gratia: Si quis habuerit Lunam in radice, in 22 gradu Libræ, Martem in 24 Geminorum, Venerem 8 Aquarij, Mercurium in 2 Arietis. Quandocunq; igitur Luna in 22 Arietis, Cancri, aut Capricorni infortunaretur, ſignificaret grauitatem ea ipſa die. Sic infortunium Martis in 24 Sagittarij, Virginis, aut Piſcium. Item Venus in 8 Leonis, Scorpij, aut Tauri. Item Mercurij infortunium in 2 Libræ, Cancri, uel Capricorni.

Quando Luna in reuolutione peruenerit ad locum in quo fuit infortuna in radice, eſt mala ſignificatio, ſignificat enim ſicut quando profectio aſcendentis applicat ad infortunam.

Quando Luna applicat in reuolutione ad gradum illum in quo fuit in radice, tunc erit ſignificatio eius completa. Et quando applicuerit ad terminum in quo fuerat in radice, aut ad gradum, eundo ad gradum, ſecundum medietatem diametri corporis eius, uel fuerit ſeparata à gradu, ſecundum quantitatem ipſam, minuitur de ſignificatione eius bona, uel mala. Et ſi fuerit inter eam, & gradum ipſius plus medietate diametri, & ipſa accedit ad gradum, minor hæc eius ſignificatio erit. Et ſi tranſierit gradum in ea quantitate, erit ſignificatio eius debilis multum, quia tunc ſignificat res præteritas, & cogitationes, & exiſtimationes, ac ea quorum pœnitet eum.

Si acciderit in aliqua reuolutione menſium, quòd planeta aliquis applicet in reuolutione menſis ad locum radicis, uel ad locum in quo fuit in reuolutione illius anni, uel peruenerit ad locum alterius planetæ, iudicabis in eodem menſe de ſignificatio-

cationibus ipſius, ſicut in anno iudicaſti. Significationes tamen reuolutionis anni ſunt firmiores, & fortiores reuolutionibus menſium.

Id quòd planeta in radice promiſerit, perficiet cum diuiſio ad eum peruenerit.

Omnis planeta qui in ſupra partitione radios proijcit ad terminum in quo fuit in radice, eo anno exhibebit quod in radice promiſit. Exemplo ſit Iupiter habens dominium in reuolutione aliqua, puta ut ſit diuiſor, & faciat radios ad terminum radicis, & non ſit in radice, & reuolutione infortunatus, dico ſi in bono loco fuerit, quòd natus ille eo anno, aut coniugabitur, aut filios habebit, aut acquiret diuitias, aut dignitatem, & generatim loquendo fortunam & ſucceſſum in ijs, quæ natalis hora promiſerat.

In aſcendente reuolutionis infortuna, uel in ſignis aſcendens aſpicientibus, ſignificat impedimentum & triſtitias de natura ipſius infortunæ, & ſigni in quo fuerit.

Quando Luna fuerit fortunata, uel infortunata in reuolutione ab aliquo planeta, & peruenerit poſtea ad corpus ipſius planetę qui fortunauit, uel infortunauit eam, uel ad eius radios per directionem, dando pro quolibet gradu menſem unum, aut pro quolibet die gradum unum, ſignificat bonum uel malum, ſecundum naturam illius planetæ, ut Luna per oppoſitum Mercurij debilitata in reuolutione, ſi fuerint à Luna in Mercurium 135 gradus, cauere debet ſibi natus à periculo poſt tot dies à die reuolutionis.

Si dominus aſcendentis reuolutionis aſpexerit aliquam domum aſpectu amicitiæ, adducit ſignificationes de natura illius domus.

Quando dominus aſcendentis applicuerit alicui planetæ exiſtenti in aliqua domorum, uel planeta de domo illa applicuerit domino aſcendentis, adducit ſignificationes conuenientes de natura illius domus.

Dominus aſcendentis reuolutionis, ſi fuerit in tertia, ſignificat iter, Si in quarta ſine aſpectu aſtiterit, non faciet iter illo anno, Si in quinta, filium forte habebit, uel ad eum uenient nuncij, uel xenia & dona. In ſexta, ſignificat infirmitatem & malum ſtatum. In ſeptima, coniugium, In octaua infirmitatem & malum ſtatum, triſtitias, carceres, & occupationem ab inimicis. In nona, iter. In decima, ibit ad Regem. In undecima, ſignificat bonum ſtatum, & perueniet natus ad res, quas concupiſcit, & diligit. In duodecima, ſignificat infirmitatem, malum ſtatum, triſtitias, carceres, & occupationem ab inimicis.

Quando Mercurius fuerit dominus anni, & combuſtus, accident anxietates & impedimenta in computationibus & mercimonijs. Et ſi Iupiter fuerit hoc modo, ſignificat damnum in lege ſua, accident ei res turpes & malæ. Et hoc modo etiam de natura Saturni, Martis & Veneris iudicabis.

Quando aliqua infortuna receperit Lunam de trino uel ſextili in reuolutione, ſignificat bonum & profectum de proprietatibus, & naturis ipſius infortunæ. Et ſi receptio illa fuerit de quadrato, uel oppoſito, non durabit ille profectus, & erit eius finis in malo, & damno.

Quando in reuolutione fuerit applicatio ad aliquod ſignum in quo fuit in radice aliquis planeta ſiue fortuna, uel infortuna, & poſtea in eadem reuolutione ipſe planeta aſpexerit ipſum ſignum, uerificat, & affirmat res quas ſignificauerat in radice de bono, uel malo. Et ſi non aſpexerit ſignum, & fuerit cadens ab eo, illæ ſignificationes eius, ſiue fortunæ, uel infortunæ, quas dederat in radice, non apparebunt in illa reuolutione.

Melius quod eſſe poſsit reuolutione eſt, quando planeta dominator in anno intrauerit angulos, & fuerit receptus in eodem angulo, proijciens radios ad fortunam, quæ ſit aſcendens & fortis, quia hoc ſignificat bonum ſucceſſum & proſperitatem illo anno. Tamen ſi planeta dominator fuerit infortunatus, ſeparatus ab angulis,

non receptus, nullum bonum ſignificat, ſed accidet ei impedimentum, depreſsio, & infortunium in ſuis rebus, donec idem planeta inter ſignum à quo aſpiciat locum ſuum primum aſpectu amicitiæ, quia quando fuerit illud, fortificatur dominus reuolutionis, & dirigentur res eius, cauſæ, uictus, honor, & fortuna.

Quando planeta in radice natiuitatis applicuerit alteri planetæ fortunanti eum & fortificanti, & in reuolutione fuerit uacuus curſu, & ſine radijs aliorum, demonſtrat quod ſignificauerat in radice, ac ipſius potentiam ac fortunam, nec obeſt ei uacuitas, neq; caſus, in quo eſt in reuolutione, niſi Luna cadens fuerit in radice, & reuolutione, ſimiliter & à fortunis remota, ſignificat enim illi cuius eſt reuolutio, quòd erit illo anno uacuus, & piger in rebus ſuis.

Quando profectio aſcendentis peruenerit ad ſignum domus ſubſtantiæ, uel domus fratrum, aut domus parentum, aut filiorum, uel mulieris, patefiunt res quas ſignificauerat in radice, de natura illius domus, ſiue ſit bonum, ſiue malum, ſiue damnum, ſiue utilitas.

Quando in reuolutione in aſcendente fuerit infortuna, uel in ſignis aſpicientibus aſcendens, ſignificat impedimentum, & triſtitias de natura ipſius infortunæ, & ſigni in quo fuerit. Similiter quando ibi fuerit fortuna, miſce cum eo planetas recipientes, & aſpicientes ipſam, quia ſi fortuna aſpexerit fortunam, augetur natus in bono profectu & fortuna ſua. Si infortuna infortunam, augetur malum & damnum ipſius. Et infortuna minuit à fortuna de bono & profectu ſuo. Et fortuna minuit ab infortuna de malo & damno ſuo.

Quando Iupiter peruenerit ad domum fratrum, demonſtrat & uerificat res quas ſignificauerat in ratione legis, laudis, itinerum, & aliarum rerum conuenientium ei. Similiter quando ipſemet peruenerit ad ſecundam domum, uerificat utilitates ſubſtantiæ, fortunarum, & rationum ſuarum. Similiter quando Venus peruenerit ad ſeptimam domum, uerificat quod ſignificauerat de rebus conuenientibus ei. Et illud idem fit, quando Sol peruenerit ad decimam domum.

Quando ſignificatio infortunæ conuenit ſignificationi ſigni, malum ſignificat in illa natura, & in illis rebus, ſicut Mars quando eſt in ſeptima domo, ſignificat rixas, inimicitias & contrarietates. Et hoc modo ſignificat Saturnus in octaua & ſexa.

Quando profectio aſcendentis peruenerit ad radium infortunæ inimicum, & contrariũ domino illius anni, ſiue in radice, ſiue in reuolutione, ſignificat quòd anno illo erit in periculo magno, accidentq; ei damna magna.

Quando dominus aſcendentis radicis intrauerit radios infortunæ, ea non recipiente ipſum periculum & impedimentum ſignificat, tamen ſi tunc applicuerit dominus anni ad fortunam fortem eum recipientem, remouet illud malum, & euadet ab illo periculo, ac exibit de illo infortunio.

Luna in quacunq; duodecim domorum cœli, ſi fuerit cum parte fortunæ non infortunata, natus habebit fortunam, & fortitudinem ex ſignificatis illius domus in qua fuerit.

De tempore affectuum.

SI ſignificatio fuerit per applicationem planetæ ad ſuummet locum, apparebit in menſe, uel diebus in quibus idem planeta potentior fuerit domino anni. Et ſi ſignificatio fuerit per applicationem alicuius planetæ ad locum alterius, apparebit illa ſignificatio eius in temporibus illius anni, quibus planetæ commixtionem habuerint unus cum altero.

Quan-

Quantum durabunt effectus.

DVo ſunt modi. Primus, uide quando planeta fuerit in radice in aliquo ſigno, & poſtea peruenerit in reuolutione in illud ipſum ſignum, & in eodem loco figuræ in quo fuit in radice, ſi ſignificauit per applicationem eius aliquod damnum, iudica quod damnum illud durabit quantum reuolutio illius planetæ duplicata, quoniam tempus duplicatur eo quòd applicuit ad ipſummet locum in figura in quo fuit in radice, & nõ ad locum, in quo fuit in figura radicis, & ſignificauit damnum, minuitur illud damnum, & durat quantum reuolutio una illius planetæ. Verbi gratia, Saturnus fuit in radice natiuitatis in aliquo ſignorum, in ſeptima domo, & peruenit in aliqua reuolutione ad ſuum locum, in quo fuit in radice, & fuit ſimiliter illud ſignum ſeptimum ab aſcendente reuolutionis, aut ſeptimum à ſigno profectionis aſcendentis, & ſignificauit per hanc applicationem, grauamina ex parte mulierum, & aduerſariorum, Poſtmodum dixi, quòd hæc res durabit per duas reuolutiones Saturni. Et ſi locus ille eſſet decimum ab aſcendente reuolutionis, uel à decimo ſigno profectionis annuæ aſcendentis, uel in alio bono loco pro Saturno, eo nõ applicante ad illum eundem locum, in quo fuit in figura radicis, dicemus quòd illa ſignificatio eius duraret quantum eſt Saturni una reuolutio. Et hoc modo quando aliquis planeta in aliqua reuolutione peruenerit ad locum ſuum in quo fuit in radice, & ad illum eundem locũ figuræ, & ſignificauit per hanc applicationem eius ad ſignum, & dominum figuræ aliquod bonum, dicemus quòd illud bonum durabit quantum duæ reuolutiones illius planetæ. Tamen quando planeta peruenerit ad ſignum in quo fuit in radice, & ſignificauit per illam applicationem bonum, & applicuerit in figura ad aliam domum, in qua non fuit in radice qui demonſtrauerat bonum in illa ſignificatione, dicemus quòd illud bonum durabit reuolutione una illius planetæ. Quando ſcire uolueris, quomodo accipiantur hæ reuolutiones in hoc opere, aſpice planetam à quo accipitur hæc ſignificatio, & ſi fuerit in ſigno mobili, accipias ſecundum numerum annorum ſuorum minorum horas. Si in bicorporeo, accipias ſecundum numerum annorum ſuorum mediocrium dies. Si fuerit in fixo, accipe ſecundum numerum annorum ſuorum maiorum dies. Et in quocunq; iſtorum neceſſe fuerit duplicare illum eundem numerum quem habueris, & iudicabis quòd ille euentus rerum durabit in bono, uel malo per tempus numeri huius duplicati, & adiuua te in hac ſignificatione ab angulis ſuccedentibus, & cadentibus, & ſimiliter ab aſcenſionibus ſignorum illius terræ.

Secundus modus. Si planeta in radice natiuitatis fuerit in aliquo ſigno, & poſtmodum applicat in aliqua reuolutione aliquis planeta ad illud ſignũ, ſignificat idem planeta, quoniam applicuit ad locum alterius, aliquam rem, & ſignificationem quam ſignificauit hic planeta, ſecundum domos reuolutionis, eritq; ſimiliter cõueniens illi quam ſignificauit ſecundum domos radicis, ſicut prædiximus, & durabit per integram reuolutionem planetæ, & adiunges ei reuolutionem planetę radicis, & hoc donec fuit in illo termino, uel nõ ſit remotus à gradu plus medietate diametri ſui. Et ſi planeta radicis aſpexerit planetam reuolutionis in illa reuolutione, dicemus ſimiliter quòd ſignificatio eius durabit ſecundum quantitatem annorũ ſimul iunctorum. Et ſi hoc diuerſificatur, ut ſit applicatio ad ſignũ, & non ad locũ figurę, ſignificat quòd durabit tantũ, quantũ planetę reuolutio, dummodo non ſit remotus ab eo plus medietate ſui diametri, nihilominus de illa ſignificatione reliquię remanebũt, tantũ duraturę quantum complectitur circulus planetæ radicis. Verbi gratia: Sit Iupiter in radice natiuitatis, in ſigno mobili, & eſto ſignũ illud ſexta domus radicis, & poſtea in aliqua reuolutione applicuit Venus ad illud idem ſignum in quo fuit Iupiter in radice, & fuit illud ſignum in reuolutione ſextum ab aſcendente, uel ſextũ à ſigno profectionis

annuæ aſcendentis, ſignificauit igitur Venus per eius applicationem ad locum Iouis in hac domo infirmitatem & dolorem in gutture. Dicemus namq; quòd hoc durabit ſecundum numerum annorum Veneris. Et ſi Iupiter aſpexerit Venerem in reuolutione, dicemus quòd illa ſignificatio durabit per annos amborum planetarum ſimul iunctos qui erunt 8. Veneris, & 12. Iouis, & iſti erunt dies & horæ. Et ſi hoc ſignum caderet in figura reuolutionis in aliquo locorum qui ſunt boni pro Ioue, & Venere, ſicut quinta, & undecima, dicemus quòd ſignificatio durabit 8. horis, & 8. diebus, & poſtea minueretur illud, remanerent tamen aliquæ reliquiæ uſq; ad 13. dies. Poſt hoc ſi Venus non aſpexerit Iouem, diceremus quòd duraret per unam reuolutionem Veneris. Et ſcias quod poſuimus circulos Veneris & Iouis in horis & diebus, quando fuerint in ſignis mobilibus, & quia fortunæ ſunt ambo, ſignificant quòd cito ſanabitur. Et ſecundum hunc modum faceres in quolibet planetarum, quando peruenerit ad ſuummet locum in quo fuit in radice, uel quando applicuerit ad locum alterius, & accipies hoc modo iudicium, quando ſignificationes habueris ab hac parte, & non amplius. Tamen quando ſignificationes habueris ab hac parte, & ab alijs partibus alio modo iudicabis.

Quando duo planetæ, uel plures in aliqua reuolutione anni applicuerint ad locum in quo fuit unus planeta in radice, uel quando aliquis planeta in reuolutione applicuerit ad locum in quo fuerint duo planetæ uel plures in radice, iudicium et ſignificationem accipies in hoc, ſicut accepiſti per applicationem planetarum ſeparatim unius in loco alterius. Verbi gratia, Luna fuit in radice natiuitatis in Cancro, & poſtmodum in reuolutione applicuit Iupiter, & Saturnus ad illum locum Lunæ radicis, unde iudicare debemus per applicationem Saturni ad locum Lunæ decerni triſtitias & grauitates ratione mulierum. Sed propter applicationem Iouis ad locum Lunæ, emendationem in ſtatu, & ſalute ſua, proſperitatem in corpore, ac ſubſtantia, & noua à longe de quibus lætabitur natus, habebit filium, uel filiam ſi fuerit aptus. Apparebit igitur ſignificatio cuiuslibet horum planetarum in anno illo, & menſe quo ille planeta dominium habuerit, ut in illis in quibus dominiũ habuit, & triſtitia, ſiue grauitas illa quam ſignificauit Saturnus, durabit per integram periodum Saturni, uel donec Saturnus conſiſtet in illo termino, uel donec Saturnus remoueatur ab illo gradu per medietatem diametri ſui. Et ſi Saturnus & Iupiter ambo fuiſſent in radice natiuitatis in Cancro, & poſtea in reuolutione ipſius anni, applicaret Luna ad illum locum in quo ambo fuerunt in radice, dicemus quòd cum Luna applicuit ad locum Saturni, uxorem ducet natus, uel aget cum uetulis. Et quia Luna applicuit ad locum Iouis, ſignificat quòd faciet itinera in locis aquaticis, & quòd ibit de uno loco ad alium. Et ſecundum hanc uiam, & modum iudicabis in omnibus alijs planetis.

Iudicia duodecim domorum cœli in reuolutionibus, cum aphoriſmis ſuis ſpecialibus.

PRIMA domus ſuper eſſe corporis ſignificat & ualetudinem, & uirtutem, ſeu debilitatem eius in ſanitate, uel ægritudine. Vide igitur primo cuſpides aſcendentium, ac dominos eorum in ambabus figuris, radicis ſcilicet & reuolutionis. Secundo gradum diuiſionis aſcendentis radicis, ac eius diuiſorem. Tertio profectionem aſcendentis radicis, & dominum eius. Quarto luminaria omnia in ambabus figuris. Et ſi omnia iſta ſalua fuerint, uel maior eorum pars, & præſertin principales ſignificatores, ſignificant ſaluationem corporis in ſanitate. Si uerò contrarium inueneris, dic contrarium. Quòd ſi omnia iſta, uel maior eorum pars ſalui fuerint, & contingeret profectionem aſcen-

dentis

dentis radicis, eodem anno pertingere ad malum, uel ad radios eius malos, tunc adhuc ſaluationem corporis denotaret, præter unam modicam ægritudinem, quæ erit ex cauſa calida, ſi ad Martem, uel radios eius malos eſſet talis profectio, uel ex cauſa frigida, ſi ad Saturnum acceſſerit. Nota etiam, Si Luna male diſpoſita eſſet in reuolutione, ſignificaret labores & triſtitiam, atq; melancholiam nato, & hoc in illa medietate anni, in qua medietate figuræ reuolutio ipſa inuenta fuerit, ut ſi in quarta, quinta, ſexta, decima, undecima, uel duodecima domo Luna male diſpoſita fuerit reperta, erit hoc in prima medietate huius reuolutionis. In reliquis domibus erit in ſecunda medietate huius reuolutionis. Vide demum etiam ſignificata Alfridariarum, Progreſsionum, Chronocratorum, & Aphoriſmorum ſequentium &c. permiſcendo ſingula cum figura radicis, quemadmodum in ijs hoc fieri oportet.

Aphoriſmi.

QVando dominus aſcendentis radicis in reuolutione à malis aſpicitur, ſignificat nato malum ſecundum naturam planetæ qui aſpicit, ut ſi Mars aſpicit quadrato uel oppoſito, caue iram Martis.

Dominus aſcendentis radicis, ſi bene aſpicitur in reuolutione, ſanitatem largitur, ſi male dic contrarium.

Venus cum Mercurio in reuolutione, eloquentiorem ſolito reddit natum.

Mercurius ex quadrato uel oppoſito, infectus in reuolutione, per planetam ſignificat impedimentum, in quo ſibijpſi conſulere neſcit.

Lunæ locus in omni reuolutione penſandus eſt, maximè in nocturna, nam habet maximam ſignificationem in re corporis & animæ.

Quando aſcendens reuolutionis peruenerit ad partem in qua timetur mors, uel gradus diuiſionis annorum, uel eius dominus, eo anno corpori nati damna minatur, aut ſubſtantiæ diminutionem captiuitatemq;, uel aliquid ſimile.

Impedimenta ſunt grauiora, cum in reuolutionibus annorum anni mundi per profectionem perueniunt ad corpora infortunarum, da unicuiq; ſigno annũ unum, Idem fiet ſi ad eorum malos radios applicuerit.

Aſcendens reuolutionis ad locum radicis Mercurij, & ſi in eadem radice habuerit cum Ioue teſtimonium, uel cum Venere, ſi aliquem horum in ea reuolutione aſpexerit, ſignificat acuitatem intellectus & ſenſuum, & inde bonum. Et ſi Mercurius fuerit in ipſomet ſigno, aut illum bene aſpexerit, ſi ſit liber ab infortunantibus & receptus, lucrabitur ex ſua negociatione, & ſi ſit in ætate, filium habebit.

Cauda in aſcendente reuolutionis, ſignificat melancholiam.

Si uenerit aſcendens reuolutionis ad locum Lunæ radicis, aut quòd ibi ſit in reuolutione, uel bene locum illum aſpexerit, & ſit ſalua à malis, prædic nato corporis proſperam ualetudinem, & ſalutem animi & corporis, rerum incrementa & gaudium, ac etiam ex muliere lætitiam.

II.

SEcunda domus ſignificat ſubſtantiam, uictum, auxiliatores, & miniſtros &c. Pro his uide cuſpides ſecundæ, & dominos earum in ambabus figuris. Item gradum diuiſionis ſecundę domus, & diuiſorem eius, Item gradum diuiſionis. Iouis, & diuiſorem eius, omnia in ambabus figuris. Illis admiſce ſignificata domini anni, Alfridariarum &c. ut ſupra. Et ſi omnes uel maior pars eorum ſalui fuerint, erunt ſignificata domus ſecundæ bona. Si contrarium fuerit, erunt mala.

Apho-

Aphoriſmi.

ANnus reuolutionis, id eſt, Aſcendens reuolutionis, ſi uenerit ad partem Celati, & locus coniunctionis uel oppoſitionis præcedens natiuitatem, ſi ad radios fœlicium peruenerit, diuitiæ ad natum peruenient cauſa alicuius iudicij.

Pars fortunæ in bono loco figuræ, id eſt, ubi fuerint in radice ſtellæ fortunantes, uel eorum boni aſpectus, decernit nato augmentum & lucrum ſubſtantiæ.

Dominus ſecundæ domus reuolutionis in aſcendente reuolutionis, ſignificat quòd ueniet ſubſtantia aliqua ad eum ſine ſuo labore.

Si fuerint ſtellæ primę uel ſecundę magnitudinis in domo nona radicis, uel inter angulum nonæ & decimæ, eo anno quo directio ad eam peruenerit, ſi nonæ dominus non ſit combuſtus aut cadens, natus tali anno fortunabitur. Idem etiam erit, ſi ad eum applicuerit dominus aſcendentis.

Quando natalis hora fuerit aliquis planetarum in aſcendente, uel in reuolutione in ſecunda domo, natus eo anno erit intentus in acquiſitionem ſubſtantiæ.

Planeta peregrinus ſi in radice fuerit in ſecunda, & ſit in reuolutione in aſcendente, ſignificat lucrum aliquod à parte, à qua non ſperauerit. Qui ſi fuerit in tertia, uel nona, erit lucrum illud in terra aliena, uel propter fratres uel affines. Quòd ſi in quarta, à parentibus, uel per hæreditates. Si in quinta, per filios. Et ſic de alijs ſecundum ſignificata domorum. Et nota quòd in hac re non conſideramus aſpectum nec applicationes.

Si uenerit aſcendens reuolutionis ad locum Iouis radicis, & ipſe ſit coniunctus aſcendenti per corpus, uel bonum aſpectum, natus eo anno honorabitur, acquiret diuitias leuiter & filium: ſin uiderit aſcendens malo aſpectu, hæc omnia fient, ſed cum difficultate. Si uerò cum eo ſit aliquis infortunans, damnabit Iouis ſignificata.

Quando dominus Aſcendentis, uel Almuten natiuitatis coniungitur cum ſignificatore ſubſtantiæ, ſcilicet cum domino ſecundæ, aut cum planeta exiſtente, in ſecunda in radice, utilitas promittitur ex ſignificatis ſignificatoris illius. Exempli gratia, Mercurius fuit in ſecunda radicis, quare eſt ſignificator ſubſtantiæ, Idem eſt, & ſignificator ſeruorum, utilitas igitur illa expectanda eſt per ſeruos, in die qua Mercurius, & Iupiter dominus aſcendentis radicis, coniungentur. Et ſicut de ſignificatore ſubſtantiæ per coniunctionem cum domino aſcendentis radicis iudicauimus utilitatem & lucrum, ſimili modo iudicare poterimus de reliquis ſignificatoribus ſuo modo.

Si dominus ſecundæ reuolutionis impediretur à domino aſcendentis in aliqua reuolutione, dic natum eo anno non adepturum diuitias.

Infortuna in ſecunda reuolutionis, ſignificat quòd natus multa diſpendia faciet ſecundum naturam infortunæ. Vt ſi Mars ibi repertus fuerit, minatur diſpendia propter Martiales homines ac res.

Pars fortunæ debet inſpici pro rebus ſubſtantiæ. Nam eo anno quo infortunio afficitur, nemo diuitias aquiret.

Pars fortunæ in reuolutione ſic proijcitur. Quod eſt à Sole in Lunam in radice, proijce ab aſcendente reuolutionis. Si eam in reuolutione aſpexerit aliquis ſuorum dominorum, lucrabitur illo anno natus. Alij uero ſic: Vide quot gradibus pars fortunæ diſtet ab aſcendente radicis, & ſimiliter illum numerum proijce ab aſcendente tuæ reuolutionis, & uide quo in loco fuerit, quæ ſi bene aſpicitur, bonum ſignificat, ſi malè, natus aduerſantibus implicabitur, maximè ſi ſic etiam in natali fuerit.

Melior fortuna quæ in reuolutione nato poſſet contingere, eſt, quòd planeta qui in ea dominabitur ſit fortunatus, receptus & fœlix, radio fœlicium ſtellarum ornatus. Quòd ſi infortunantes eum uiderint, contrarium iudicato. Si utriq; & fortunæ & maleficæ ipſum circumdederint, ſecundum fortiores iudicato.

Quando

Quando dominus domus ſubſtantiæ applicat in reuolutione ad dominum aſcendentis, habebit natus ſubſtantiam leuiter ſine labore. Et ſi dominus aſcendentis applicuerit ad dominũ domus ſubſtantiæ, laborabit pro ſubſtantia, & acquiret eam. Et ſi dominus domus ſubſtantiæ ſeparatus fuerit à domino aſcendentis, non lucrabitur. Et ſi dominus aſcendentis ſeparatus fuerit à domino domus ſubſtantiæ, non erit ſolicitus de ſubſtantia acquirenda. Et hoc modo & uia, iudica de fratribus, filijs & alijs domibus, ſecundum applicationes & ſeparationes. Pars fortunæ ex trino Solis aſpecta in radice uel reuolutione, dat lucrum & commodum.

III.

TErtia domus ſignificat breuia itinera, fratres & ſorores, ac conſanguineos & religionem. Pro illis uide cuſpides ſecundæ, ac dominos earum in ambabus figuris, Item gradum diuiſionis tertiæ domus radicis cum eius diuiſore, etiam in ambabus figuris. Deinde adiunge illis ſignificata domini anni Alfridarij &c. ut ſupra. Et ſi omnes uel maior pars fuerint fortunati uel infortunati iudica ſecundum eos infortunium aut malum euentuum nato &c.

Aphoriſmi.

MArs in reuolutione in loco Mercurij radicis, ſignificat quod exponet ſe periculis lædendi, aut perdendi fratrem, aut aliquem ex ſuis, quem ut fratrem diligit.

Saturnus dominus tertiæ reuolutionis in aſcendente reuolutionis, ſine aſpectu ſignificat quandam turbationem, & melancholiam propter facta fratris.

Dominus tertiæ radicis, ſi in aliquo anno fuerit in duodecima, uitæ periculum fratri talis, cuius fuerit reuolutio, indicat.

Si fuerit dominus tertiæ radicis in aliqua reuolutione in decima, morietur eo anno frater nati.

Si aliqua ex fortinantibus fuerit in tertia reuolutionis, & aſpexerit Solem, ille cuius reuolutio fuerit, amittet fratrem per abortum. Et ſi Luna appropinquauerit ei, patientur nati fratres, qui eo ſunt minores.

Multi planetæ in tertia uel nona, ſignificant crebra itinera.

Dominus tertiæ in decima, quæ eſt octaua à tertia, ſi tertia fuerit maſculi, frater nati diem ſuum obibit, uel grauiter ęgrotabit. Si fœmininum, ſoror morietur, uel habebit iurgia cum illis.

Infortuna in tertia reuolutionis, Solem aſpiciens, ſignificat ut ſupra.

IIII.

QVarta domus ſignificat patrem, ædificia & fines rerum. Pro quibus obſeruabis cuſpides quartę domus, tam radicis quàm reuolutionis, & dominos eorum. Item gradum diuiſionis quartæ domus radicis cum eius diuiſore in ambabus figuris. Quibus adde teſtimonia domini anni, Alfridariarum, & reliqua ut ſupra.

Aphoriſmi.

SOl, Luna, & pars patris cum Marte uel in eius quadrato uel oppoſito in reuolutione, ſi domini ſuorum locorum infortunati fuerint, aut in malo Martis aſpectu, morietur pater nati, & maximè ſi aliquod luminarium fuerit in quarta. Idem erit, cum

cum talis conſtellatio, ſcilicet luminaria fuerint infortunata, dic ex Solis infortunio patrem nati damnari apud regem.

Si fuerint luminaria in ſeptima uel quarta in reuolutione, aut pater aut mater nati morietur, maxime ſi ea loca in radice infortunata fuerint. Da Solem patri, Lunam matri.

Pars patris infortunata in reuolutione, patris mortem ſignificat.

Sol uel Saturnus in quarta domo reuolutionis, ſi ſit etiam dominus anni, uerificantur & patefient res quas ſignificauit in radice de cauſis parentum in bono uel malo, fortuna uel infortuna.

Sol uel Saturnus, quando in reuolutione peruenerint ad ſignum & domum natalis, & planeta ipſis applicans, ſit eius anni dominus, uenient patri res quas in natali ſignificauerant.

Saturnus retrogradus in quarta domo reuolutionis, circa res hæreditarias anxium facit, uel parentum aliquis non rectè habebit. Idem ſignificat dominus decimę in octaua.

Boni in quarta contribuent incrementa ſtabilium, Pars fortunæ ibidem idem faciet.

Si quando filius alicui naſcitur, & Sol ſit dominus quartæ domus, & Saturnus & pars patris fortes in bonis locis, & fortunati, uel ipſorum maior pars, eo anno pater nati proſperabitur, ac etiam donec alter naſcetur ei filius. Similiter dic de matre, & fratribus ſumendo iudicij rationem ab ipſorum ſignificatoribus.

Si fuerint Luminaria infortunata in reuolutione, & ſi pars patris non fuerit in bono loco, & eius dominus in aſpectu Iouis, uel Veneris, dic ex Sole infortunato patrem talis nati à ſuo rege paſſurum. Et Luna infortunata, ſignificat matri & nato animi & corporis ægritudinem, & hoc ſi reuolutio ſit diurna, & Mars Solem aſpexerit. Seu ſi in nocturna geneſi Saturnus Lunam uiderit, uel cum ea ſit hora natalis.

V.

QVinta domus ſignificat filios & iocunditates &c. Pro illis uide cuſpides quintæ, & dominos earum in utraque figura. Item gradum diuiſionis quintæ domus radicis, & eius diuiſorem in ambabus figuris. Quibus adiunge ſignificationes domini anni Alfridariarum &c. ut ſupra.

Aphoriſmi.

SI Iupiter ad partem filiorum peruenerit, uel eam aſpexerit, dabit filium.

Si aſcendens reuolutionis deuoluatur ad ſignum Iouis radicis aut Veneris, ſi Iupiter aut Venus appropinquauerint ſigno aſcendentis, natus habebit filium. Sol in reuolutione, in angulo radicis, uel pars filiorum ſi appropinquauerit ei, ſignificat filium.

Gradus inter Iouem & dominum aſcendentis, ſunt tempus filiorum, dando cuilibet gradui annum unum.

Sol quando intrauerit aliquem angulorum, aut appropinquauerit parti filiorum notat tempora filiorum.

Luna in quinta, ſobolem pulchram donat, & in legationibus ſalutem, & iuuenibus lætam ſortem.

Si fuerit Iupiter per directionem delatus ad Martem, uel ad eius malos aſpectus, perdet natus filium, uel ſi fuerit Iouis ad Martem malus aſpectus.

Applica-

Applicatio Iouis ſi pertigerit ad locum Martis radicis, natus amittet filium eo anno, uel etiam ſi fuerit Iouis ad Martem malus aſpectus.

Saturnus in reuolutione in domo filiorum, in ſigno in quo fuit in radice, ſi fuerit tale ſignum in radice, in quarta domo, & annus peruenerit ad illud ſignum, ſignificat damnum in patrimonio nati, & filij mortem.

Venus in quinta ſalua, ad cupidineos conflictus propenſiorem facit.

Venus cum Cauda ibidem quadrato Saturni ſauciata, aliquando Venerem hebetabit, & Gonorream forſitan prouocabit, aut uentris profluuium.

VI.

SExta domus ſignificat infirmitates, animalia parua, ſeruos, atq; ſeruas &c. Pro quibus uide cuſpides ſextæ, tam radicis quàm reuolutionis, ac dominos earum in utroq; tempore. Item gradum diuiſionis ſextæ domus radicis, & eius diuiſorem in utraq; figura, & commiſce illis reliqua, ut ſupra.

Aphoriſmi.

QVi in radice natiuitatis habuerit Caudam, & Saturnum in Scorpione, quando directio aſcendentis ad eos peruenerit, patietur ſtranguriam, aut fortes corporis dolores.

Pars fortunæ uitæ ſignificatrix, ſiue Hylech in radice, ſi in reuolutione aliqua Eclipſis ad eam applicuerit, eo anno natus luminibus orbabitur.

Quando Sol & Luna fuerint ſignificatores uitæ, & ſi per directionem ad Medium cœli Eclipſis pertingerent, uiſus nati debilitatur, aut perdetur. Si autem non fuerint uitæ ſignificatores, & peruenerint per directionem eorum ad medium cœli Eclipſis, ſignificant detrimentum honoris & ſubſtantiæ.

Si ſtella fixa ex infœlicibus fuerit in reuolutione, in ſexta uel octaua, uel ſi eam in radice habuerit in aſcendente, ſignificat quòd eo anno grauiter patietur natus in corpore, præſertim in capite.

Dominus ſecundæ domus reuolutionis cum aliqua ſtella fixa, quam natus in aſcendente radicis habuerat, ſignificat quòd natus eo anno ex ſquinantia, catharro, aut gutturis paſſionibus patietur, de quibus ſtellis dic per cæteras domos ſecundum ipſarum proprietatem, dando caput aſcendenti, & ſeptimæ etiam caput, & octauæ collum, & ſic per ordinem de cæteris.

Si in reuolutione Luna, & Mercurius ſe mutuò non aſpexerint, nec eorum alter aſcendens, & infortunæ ſint angulares, Saturnus in nocte, & Mars in die, & maxime in Cancro, Virgine, uel Piſcibus, eo anno natus ex aduerſa ualetudine ſenſum amittet, Et ſi aliquis eorum fuerit in dictis ſignis, peius erit.

Luna coniuncta Marti, & Capiti in duodecima radicis, ſi fuerint ambo in quadrato Solis & Iouis, indicant natum fieri gibboſum poſt annum eius duodecimum.

Infortunantes ſtellæ ſi ad eum locum Lunæ applicuerint, & Luna ſi ad infortunantes applicuerit, & anni ſignificator ſit in malo loco, ſignificat illo anno laborioſam uitam, aut aduerſam ualetudinem nato, ſi fuerit in ſexta domo. Idem fieret ſi Luna applicuerit ad locum radicis in quo fuit aliquis infortunantium, idq; magis ſi fuerit in prima, ſexta, duodecima reuolutionis, præcipuè ſi Luna fuerit in radice infortunata.

Luna in reuolutione in loco in quo fuit Saturnus in radice, ſignificat concubi-

tum eius cum uetula, uel ægritudinem eius ex cauſa frigida.

Dominus aſcendentis reuolutionis in octaua retrogradus, ſine auxilio fortunæ, minatur infirmitatem.

Mars reuolutionis, ſi locum Veneris radicis maculat, ſignificat quòd ex nimia comeſtione, uel coitu, natus incurret ægritudinem.

Dominus ſextæ reuolutionis cum cauda, ſignificat quòd eius ſeruorum aliquis, ſeu ancillarum uitæ diſcrimina ſubibit.

Dominus aſcendentis radicis in oppoſito Saturni & Lunæ, cum Cauda in oppoſito Martis, minatur alterationem melancholicam, deinde acutam.

Quando aliquis planeta in reuolutione infortunatus peruenerit ad locum Lunæ, erit damnum per ea quæ Luna ſignificauerit, impedimentumq́ aduerſæ ualetudinis, maximè ſi reuolutionis dominus fuerit in natali infortunatus.

Dominus ſextæ in prima, ſignificat quòd ſeruorum aliquis diem ſuum obibit.

Saturnus in aſcendente, ſignificat ægrotationem de ſui natura.

Sol, uel Luna à quadrato, uel oppoſito Martis aſpectus, caueat ne oculus aliqua ex parte lædatur ex aliquo ictu, aut ne ex alto corruat, neúe ab equo calcitroſo aliquid ſiniſtri ſentiat.

Mars & Mercurius cum Cauda denunciant alterationem melancholicam, cum uentris profluuio.

Profectio aſcendentis ad partem anni in quo timetur mors, uel gradus diuiſionis aſcendentis, uel eius dominus ad hanc partem, ſignificat corpori aduerſa, uel ſubſtantiæ, uel captiuitatem, uel aliquid ſimile.

Dominus aſcendentis radicis natiuitatis, ſi fuerit infortuna, & ſi in reuolutione ad ſignum aſcendentis peruenerit, & idem planeta fuerit dominus & ſignificator anni illius, & aſpexerit illud ſignum applicationis in reuolutione de quadrato, uel oppoſito, ſignificat illo anno infirmitates, dolores & triſtitias, de natura illius ſigni, & de natura illius planetæ, & ſigni in quo fuerit, à quo aſpicit ſignum eius.

Quando gradus aſcendentis fuerit uitæ ſignificator, & profectio anni peruenerit ad locum Eclipſis, excæcabitur natus eo anno.

Quando aſcendens reuolutionis peruenerit ad locum Saturni, uel ad ipſius malum aſpectum, & ipſe ibidem, uel in ipſius loci malo aſpectu fuerit, ſignificat febres cum tremore, uel quartanas ſi fuerit angularis, uel in ſuccedentibus, & ſi Mars eum aſpexerit, incidet natus de una febre in aliam, & ſi fortunæ uiderint eum, liberabitur medicinis.

Aſcendens reuolutionis ad locum Martis deuolutum radicis ſi mali aſpexerint, uulnera, metum, litigia, & incendium, uel febres acutas ſignificat, maximè ſi in angulis, uel ſuccedentibus fuerit, & forte cum metu magno peregrinabitur.

Dominus anni in angulo occidentis cum Luna, & dominus ſigni in ſuo caſu, uel in oppoſito domus ſuæ, infirmitatem minatur.

Sol & Venus ſi ex quadrato Saturnum aſpexerit, ſignificat ægritudinem ex humore craſſo & melancholico, uel timeatur mentis conturbatio, præſertim ſi tunc Luna aut Mars fuerint infecti.

Luna cum cauda, ſignificat humorum corruptionem & malignitatem, cum Capite, augmentum, ſimiliter cum Ioue & Venere, cum Marte inflammationem.

Luna coniuncta, uel oppoſita planetæ exiſtenti in ſexta, dabit membro illi domui ſubiecto infirmitatem, uel ſaltem diſcraſiam, præſertim ſi fuerit infortunata, & in domo mala radicis, uel in domo mala à Luna radicis. Verum ſi talis coniunctio fuerit in aſcendente, dolorem capitis commouebit à cauſa calida, ſi ſit Mars. Si Saturnus, grauitatem, ſi in tertia, in collo, & gutture, & ſic de alijs, præſertim ſi in Tauro. Exemplum ſecundi. Sit Luna in Piſcibus, in radice in nona, quando coniungitur

cum

cum domino ſextæ in Leone, qui eſt in ſecunda radicis, tamen in ſexta loco Lunæ radicis, dat cruditatem ſtomachi, quoniam Leo ſtomachum habet, & Luna eſt dupliciter infortunata, primo, quia in ſexto ſigno à radice ſua exiſtit, ſecundo, quia coniungitur cum domino ſextæ natiuitatis &c.

Luna, uel profectio eius ad quadratum, uel oppoſitum Mercurij radicis, aut reuolutionis ſi peruenerit, aliquam perturbationem ex parte ſeruorum, aut alicuius hominis Mercurialis, uel rei expectetur, cauſa ſignificatorum illius domus in qua Mercurius fuerit, uel cauſa domus, cuius ipſe dominus extiterit.

Cum Luminaria peruenerint ad quadratum, uel oppoſitum locum radicis, & infortunæ ad loca radicis, uel ad quadratũ, uel oppoſitum eorum, & profectio aſcendentis, & Lunæ ſimiliter ad loca mala, ſignificant magnum periculum corporis, ac diſcraſiam, dura negocia, difficultates, & contrarietates.

Saturnus & Mars ſi teſtimonium habuerint in reuolutione, & uiderint ſe quadrato, ſignificant ægritudinem melancholicam, turbationem, uel damnum.

Si Saturnus fuerit dominus anni, & læſerit diuiſorem, uel aſcendens radicis, uel reuolutionem, & præſertim Lunam, ſignificat flegmaticos, & melancholicos humores, & catharrum, præſertim circa inferiores corporis partes, ſi Saturnus fuerit in Sagittario, Capricorno, Aquario, uel Piſcibus.

Saturnus dominus anni, ac dominus profectionis Lunæ, & ſimilium Hylegiorum plurimum, curas animi, & ſollicitudines, turbationesq; uarias, & melancholicas paſsiones decernit.

VII.

SEptima domus ſignificat mulieres, inimicos manifeſtos &c. Pro illis uide cuſpides ſeptimæ, ac dominos earum in ambabus figuris, & gradum diuiſionis ſeptimæ domus radicis, & eius diuiſorem, in utraq; figura, & commiſce illis ſignificata domini anni, Alfridariarum, &c. ut ſupra.

Aphoriſmi de tempore coniugij.

DIrectio Iouis ad partem coniugij radicis, ſignificat nuptias, etiam ſi fuerit fortis aſpectus ad ipſam partem.

Ingreſſus Veneris ad locum Iouis in reuolutione, decernit plærumq; uxorem.

Si dominus ſigni partis coniugij fuerit in eodem loco radicis, cum parte coniugij, completis primis annis illius ſigni, nuptiæ decernuntur. Sunt autem tempora ſignorum Arietis 15. Tauri 21. Geminorum 27. Cancri 33. Leonis 37. Virginis 41. Libræ 41. Scorpionis 37. Sagittarij 33. Capricorni 27. Aquarij 21. Piſcium 15. Hi muneri ſunt pro latitudine regionis $46\frac{1}{2}$. graduum, in noſtra regione ♈ 14. ♉ 19. ♊ 27. ♋ 37. ♌ 41. ♍ 42. ♎ 42. ♏ 41. ♐ 37. ♑ 27. ♒ 19. ♓ 14. Si uero hunc locum non aſpexerit, & ſit alia ſtella ibi, cum tempora illius ſtellæ fuerint completa, nuptias pollicentur.

Quando profectio aſcendentis peruenerit ad ſeptimam radicis, uel ſi aſcendens reuolutionis fuerit ſeptimum radicis, uel directio Lunæ ad ſtellas fixas fortunantes, ſunt propria tempora coniugij.

Quando Iupiter applicuerit parti coniugij, uel pars ipſa ad Iouem, uel gradus ſeptimæ ad gradum domini aſcendentis, uel ad ipſummet aſcendens, uel Iupiter ad gradum Veneris, ſignificant coniugium.

Dominus aſcendentis reuolutionis in ſeptima, à nullo aſpectus, ſignificat coniugium, & in nona, iter. In ſexta, octaua, uel duodecima malas ualetudines, uel

carceris anguſtias, uel malum ab inimicis, In undecima, ſpem bonam, In quinta, fi-lium &c. Quando domini aliarum domorum fuerint in aliјs domibus ſine aſpectu, ſignificant modo prædicto.

Luna coniuncta Soli in reuolutione, ducet natus uxorem.

Oppoſitus Mercurij ad ſeptimam reuolutionis, ſignificat periculum uxoris, & infortunium inimici manifeſti.

Venus occidentalis à Sole, ſi in anni reuolutione fuerit coniuncta infortunan-tibus ſtellis, uel in ipſorum malo conſpectu, mortem mulieris ſignificat eo anno.

Venere coniuncta Caudæ, uxor nati non recte habebit.

Sol & Luna oppoſitis in malis locis, caue fœminarum inſidias.

Applicatio aſcendentis radicis ad ſignum ſeptimum natiuitatis, ſi natus in ætate apta fuerit, eo anno decernit uxorem.

Aſcendens reuolutionis ad locum Veneris radicis, aut ad ſignum ſeptimum radicis, uel ad locum partis coniugij, uel ſi in aliquo illorum fuerint ſignificatores coniugij, uel Iupiter, aut Venus in reuolutione aſpexerit ipſum locum, ſignificat coniugium. Similiter quando Iupiter peruenerit ad locum Veneris in radice, uel aſpexerit eam in domo ſua, uel Veneris de trino, uel ſextili, prædic coniugium futurum, & filios.

Luna exiſtens fortunata ſi Venerem bene diſpoſitam trino aſpexerit in reuolutione, promittet lætitiam ex muliere, augmentum in coitu, & rebus Venereis.

Sol in reuolutione in ſeptima, ſignificat controuerſias aduerſus nobiles, & potentes, atque litigia.

Saturnus in ſeptima reuolutionis, ſignificat diuturnos gemitus, & natum mortuorum cauſa efficit anxium.

Signum reuolutionis aſcendentis ad ſignum ſextum, ſeptimum, uel duodecimum radicis perueniens, indicat eo anno malum futurum, maximè ſi hæ domus in radice fuerint infortunatæ. Sed ſeptima rixas, & litigia multa ſignificat.

Noli quenquam oppugnare cuius natiuitatis dominus fuerit anni reuolutionis dominus.

VIII.

OCTaua domus ſignificat mortem, hæreditates mortuorum &c. Vide igitur cuſpides octauæ, & earum dominos in utroque tempore. Item gradum diuiſionis domus octauæ radicis, & eius dominum, id eſt, diuiſorem in ambabus figuris, commiſcendo illis ſignificata reliquorum, ut domini anni, Alfridariarum &c. ut ſupra.

Aphoriſmi.

OBuiatio mala radiorum ad ſignificatorem uitæ tam infauſta quàm proſpera ſic cognoſcitur in reuolutione annorum nati. Quando loca obuiationis mala fuerint, & infortunata, obſtantia locis principalibus genituræ, tunc conueniens eſt dicere quòd id quod eo anno uenturum eſt, pro certo erit mors. Obuiationem malam intellige planetas infortunantes, uel eorum radios quadratos, uel oppoſitos, & nonnunquam etiam trinos uel ſextiles.

Si uideris per directionem natum aliquo anno iter facturum, & quòd eo anno incurret in itinere aliquod periculum, uide ſi illo anno fuerit in reuolutione abſciſſio, nam tunc iudicato natum ex illo periculo moriturum.

Quando

Quando dominus anni,& dominus radicis fuerint infortunati,fueritq; dominus anni retrogradus,uel combuſtus,& Luna ſimiliter fuerit infortunata a loco in quo nulla ſit receptio,ſignificat quòd ille cuius eſt reuolutio ſeipſum interficiet illo anno,aut committet rem propter quam occidetur, uel propter quã recipiet magnum damnum,& grauitatem,maximè ſi fortunæ remotæ fuerint, & cadentes ab eo. Et ſi ibi fuerit aliquod teſtimonium fortunarum,aliquantulum remouebunt malum,aut iuuabunt ,ut euadat & exeat ab illis impedimentis,& anxietatibus.

Dominus anni cadens ab aſcendente, & Luna uacua curſu,ſignificat uacuitatem,& pigritiam nati in omnibus rebus.Similiter etiam ſi Luna non aſpexerit domum ſuam,& applicuerit planetæ debili.

Quando dominus anni aſpexerit aſcendens,uel ſignum profectionis aſcendentis de quadrato uel oppoſito,eſt ſicut aſpiceret eò infortuna,ſignificat enim malum illo anno. Quòd ſi aſpectus fuerit trinus,uel ſextilis,ſignificat contrarium.

Si fuerit dominus anni combuſtus, accident illo anno impedimenta nato,anxietates,& fortes dolores de natura illius planetæ, qui fuerit dominus anni, commixta cum natura Solis.Similiter ſi planeta idem cum eo quòd combuſtus ſit fuerit auctus lumine,& numero, malum impedimentum, & infortunium minuit. Similiter ſi fuerit in domo ſua,uel in aliquo locorum,in quibus fortificatur uirtus eius,minuit de malo.Tamen ſi fuerit in caſu ſuo,cadensq; ab angulis,& in locis in quibus debilitatur eius natura, creſcit in malo,& impedimento ſuo.

Si reperiatur Cometa in aſcendente reuolutionis,uel radicis,uel in loco Lunæ natiuitatis nocturnæ,peribit natus eo anno.

Fortuna radicis, ſi fuerit dominus loci mortis,& in reuolutione peruenerit ad ſignificatorem uitæ,uel ſignificator ad eum,abſcindit ſicut infortunans ſtella.

Quando Sol & Luna fuerint ſignificatores uitæ, & ſi directio eorum ad aſcendens radicis pertingeret,ſignificat mortem.

Quando gradus aſcendentis fuerit uitæ ſignificator,& profectio eius peruenerit ad locum Eclipſis, ſignificat mortem.

Pars fortunæ ſignificatrix uitæ,ſiue Hylech,ſi ad gradum Eclipſis applicuerit, ſignificat mortem.

Eclipſis Solis in quouis loco ubi fuerit cauda in radice,ſi fuerit in eodem gradu,eo anno natus ille morietur.Si autem prope gradum illum ,ueniet in periculum mortis.

Eclipſis in aliquo angulo radicis,& maxime in aſcendente in ipſomet gradu, minatur etiam mortis periculum.

Si in radice natiuitatis Saturnus fuerit in ſigno igneo,& uitæ ſignificator in aqueo,aut terreo,& Saturnus eò radios iaculetur,erit eo anno mors nati in quo ſignificator ad Saturni radios peruenerit.

Cum fortuna fuerit domina loci mortis radicis, & in reuolutione anni fuerit ad ſignificatorem uitæ,uel ſignificator ad eam,abſcindet ſicut infortunans ſtella.

Cum gradus aſcendentis fuerit uitæ ſignificator ,& profectio anni peruenerit aliquo anno ad locum Eclipſis,ea Eclipſi mortem nato denunciat.

Si luminare fuerit uitæ ſignificator,& peruenerit profectio anni ad locum Eclipſis uel ad medium cœli Eclipſis,damnabit uiſum nati. Et ſimiliter ſi applicuerit ad loca luminarium, aut in radice uitæ ſignificator,damnum erit nato in honore & diuitijs.

Venus in octaua,hæreditatis portionem,& diuitiarum incrementa ſignificat.

Dominus aſcendentis reuolutionis cum cauda,ueneni pocula uitanda oſtendit.

Quoties in reuolutione aliqua dominus gradus aſcendentis peruenerit ad ter-

minum infortunij, & poſtmodum uadit ad aliud infortunium, uix eo annò natus euadet.

Saturnus in anni reuolutione in octaua diurnus, genitorem atque natum mortuorum cauſa efficit anxium.

IX.

Nona domus, ſignificat longa itinera, religionem, ſomnia &c. Conſidera igitur cuſpides nonæ, ac dominos earum, in duabus figuris. Item gradum diuiſionis nonæ radicis, & diuiſorem eius in duabus figuris. Quibus commiſce ſignificationes domini anni &c. ut ſupra.

Aphoriſmi.

Sol in nona, ſignificat honorata itinera, uel ad Regem iter, ſic etiam Iupiter, uel Caput in nona.

Pars fortunæ in nona, ſignificat in itineribus lucrum.

Dominus uel Rex anni in nona, ſignificat iter.

Luna radicis in nona reuolutionis, itinera ſignificat.

Dominus aſcendentis reuolutionis in quarta domo, ſignificat quòd eo anno non faciet iter, de quo uide eius ſtatum in figura, & ſecundum eius fortitudinem uel debilitatem profer iudicium.

Iupiter dominus anni à Sole combuſtus ſignificat damnum in lege nati, euenient ei res turpes & malæ, idem dic de ceteris planetis ſecundum eorum naturam, ut Mercurius impediet eum in computo & numeris, in ſcripturis & conſilijs.

Dominus nonæ in duodecima paruam utilitatem portendit in longis itineribus.

Planeta peregrinus in aſcendente radicis, ſi fuerit in tertia uel nona reuolutionis, peregrinabitur natus eo anno ſecundum naturam domus in qua fuerit.

X.

Decima domus ſignificat dominia, magiſtratus &c. Pro illis aſpice cuſpides decimæ domus, & dominos earum in ambobus temporibus. Item gradum diuiſionis decimæ domus radicis, & eius diuiſorem in utraque figura. Illis commiſce reliqua, ut ſupra diximus.

Aphoriſmi.

Cometam in medio cœli tam radicis quàm reuolutionis, ſi Sol uel Mars aſpexerit, eo anno natus ad dominium, aut ad magnam dignitatem perueniet.

Luna infortunata in reuolutione, ſignificat matri malum, & nato animi & corporis ægritudinem, ſi nocturna ſit reuolutio, & Saturnus Lunam aſpexerit.

Luna coniuncta Soli in reuolutione, natus propriæ dignitatis ornamenta perdit.

Quando aſcendens reuolutionis peruenerit ad ſignum decimæ radicis, natus eo anno magiſterium renouabit ſuum.

Mercurius in reuolutione, in loco in quo fuerit Iupiter in radice, ſignificat dignitatem, & honorem quem ab alio ſe maiore habebit.

Luna applicans domino aſcendentis amico aſpectu, adducit ſignificatum domus

mus in qua Luna fuerit. Vt ſi Luna eſſet in decima reuolutionis, & applicaret domino aſcendentis, ſignificaret in dominio & magiſterio.

Mars & Saturnus in decima, mortem matri minantur.

Aſcendens radicis ſi fuerit Medium cœli reuolutionis, ſignificat honores.

Dominus Medij cœli in aſcendente reuolutionis, ſignificat nato annum honorificum.

Solis locus in reuolutione præſertim diurna penſandus eſt. Nam non poterit quiſquam eo anno honorem adipiſci, in quo Sol aliquo laborauerit infortunio.

Aſcendens reuolutionis ad locum Solis radicis, ſi tale ſignum ſit angulorum radicis, bonum erit nato à regibus, uel magnis uiris, uel parentibus ſuis, & ſi fuerit in reuolutione infortunatus, contrarium & aduerſas ualetudines ſignificat.

Aſcendens reuolutionis ad locum radicis Capitis, ſi caput in reuolutione ibidem fuerit, & Sol, aut Iupiter aſpexerit, dic bonam famam, & laudem natum adepturum.

Si fuerit dominus profectionis Solis infortunatus, & dominus decimæ ſimiliter, natus non exaltabitur illo anno, imò in dignitate ſua, & officio, difficultates & moleſtias patietur.

Vide ſignificatorem anni, cui coniunguntur ſignificationes, teſtimonia, & uirtutes anni, cuiuſmodi ſtatum habuerit in figura illius anni, & figura radicis. Si eum inueneris in ambabus figuris in bono ſtatu, & receptum, iudica illi cuius eſt reuolutio, illo anno nobilitatem, & honorem bonum, & ſucceſſum in ſuis rebus. Si in radice fuerit fortunatus, & receptus, & in reuolutione etiam, ſignificat bonum ſtatum, & quòd annus bonus erit, hilaris, & utilis nato. Quòd ſi ambas ſignificationes in ambabus figuris inueneris, in caſu, & infortunio, erit ſignificatio mala in labore, & anxietate illo anno.

Sol ad quadratum uel oppoſitum aſcendentis radicis, uel domini eius perueniens, ſignificat labores, & difficultates ex parte regis, uel à patre.

Si fuerit Mars in decima domo reuolutionis, præcauendum eſt à caſu ex alto, uel ab equo calcitroſo.

XI.

VNDECIMA domus ſignificat amicos & ſocios &c. Pro quibus uide cuſpides undecimæ domus, & dominos earum in ambabus figuris. Item gradum diuiſionis undecimæ radicis, & eius diuiſorem in ambabus figuris, illis commiſce ut ſupra &c.

Aphoriſmi.

MArs, cum fuerit dominus aſcendentis reuolutionis, & irradiauerit quintam, & undecimam bono aſpectu, ſignificat hilaritates, & uoluptates cum amicis & bonis fautoribus, & cum eis in quibus natus confidit.

Venus domina undecimæ in utraque figura fortunata, idem ſignificat.

Si fuerit Iupiter uel Venus in undecima reuolutionis, nouos non obſcuros amicos conciliabit ſibi natus, cuius eſt reuolutio ſecundum naturam planetæ.

XII.

DVODECIMA domus ſignificat inimicos occultos, & animalia magnæ molis &c. Vide igitur cuſpides huius domus, & dominos earum in ambabus figuris, & gradum diuiſionis huius domus duodecimæ radicis, & eius diuiſorem, etiam in ambabus figuris. Quibus admiſce ſignificationes domini anni &c. ut ſupra.

Apho-

Aphoriſmi.

QVando aſcendens reuolutionis peruenerit ad locum Caudæ radicis, ſignificat natum uenturum in poteſtatem ſuorum inimicorum, & metu arreptu:um fugam. Et ſi infortunæ eam aſpexerint, dic damnum futurum à uilibus perſonis, duritiem atq; laborem in rebus agendis.

Aſcendens reuolutionis ſi fuerit ſignum ſextum, ſeptimum uel duodecimum radicis, ſignificat malum nato eo anno, & maximè ſi hæ domus in radice fuerint infortunatæ. Sed ſeptima rixas & litigia multa ſignificat.

Dominus reuolutionis à Sole combuſtus, ſignificat grauia detrimenta.

Sol in duodecima infortunatus, ſignificat quòd inimici occulti molientur nato multam grauitatem. Hoc idem ſignificat Saturnus reuolutionis in quadrato loci radicis.

Stellæ fœlices ſi in aliquo anno fuerint in duodecima domo, ſignificant quòd inimici nati contra eum præualebunt. Si uero infœlices in duodecima fuerint, dic contrarium.

Aſcendens reuolutionis quando peruenerit ad partem anni, in quo timetur mors, uel gradus diuiſionis annorum, uel dominus eius, eo anno tali nato corporis aduerſam ualetudinem minatur, aut ſubſtantiæ minutionem, aut captiuitatem, uel aliquid ſimile.

Angulus quartæ & ſeptimæ, & eorum domini ſi in aliqua reuolutione fuerint infortunati, eo anno grauia impedimenta decernunt.

Capricornus in duodecima domo, & Aquarius in aſcendente reuolutionis, ſignificat quòd aliqui hoſtes occulti, ultro amicitiam nati expoſtulabunt.

Capricornus uel Aquarius in duodecima reuolutionis, & Saturnus in ſeptima, ſignificant quòd hoſtis occultus fiet nato publicus.

Mars in duodecima, ex quadrupedibus damnum, uel aliquid ſiniſtri ſignificat.

Iupiter in duodecima, ſignificat potentes aduerſarios propter inuidiam, cùm etiam eſt dominus ſextæ, ſed nihil obeſſe poterunt, nam aduerſariorum improbitas conculcabitur, & lingua odioſa obmuteſcet.

Si fuerit Saturnus in Leone retrogradus ab equo aliquid ſiniſtri ſentiet natus, & multa diſpendia propter equos.

Peius quod habere poſsit ille, cuius eſt reuolutio, erit, quando dominus anni fuerit in aliquo angulorum infortunatus à planeta infortunante ipſum ſine receptione de quadrato uel oppoſito; & qui iunctus fuerit cum eo corporaliter in radice, quia tunc in illo anno habebit anxietates, labores, & amiſsiones multas &c.

Nunc de ſignificationibus planetarum, quando fortunati uel infortunati in reuolutione natiuitatis inueniuntur.

SATVRNVS in anni reuolutione infortunatus repertus, ſignificat malum ſtatum, & damnum ſenibus illius progeniei, ac in rebus Saturni, etiam in rebus ſigni in quo eſt Saturnus, & domus in qua fuerit. Sed commiſce illi etiam iudicium gradus diuiſionis Saturni radicis, & eius diuiſoris. Si fortunatus fuerit dic contrarium huius.

Iupiter infortunatus, ſignificat malum ſtatum in uictu, diuitijs, & rebus Iouis, de natura ſigni, & domus in quibus fuerit. Si fortunatus fuerit, profer contrarium, & adiunge etiam iudicium gradus diuiſionis loci Iouis radicis, & eius diuiſoris.

Mars infortunatus in reuolutione, ſignificat malum ſtatum in fratribus, & militia, & damnum in itineribus, ſecundum naturam ſigni, & domus ut ſupra. Si fortu-

natus fuerit dic contrarium,& commiſce ſignificatum gradus diuiſionis Martis radicis & eius diuiſoris.

Sol infortunatus,ſignificat damnum in parentibus,& in maioribus illius progeniei,ſecundum naturam ſigni,& domus in qua fuerit,omnia ut ſupra.Sed ſemper permiſce cum ſignificato gradus diuiſionis,& diuiſore Solis in radice.

Venus in reuolutione infortunata,ſignificat in mulieribus, & concubinis, ueſtibus,amicis,ſocijs & filijs,diſturbationem in uicijs,& appetitu.Si fortunata fuerit, profer contrarium huius. Vide etiam gradum diuiſionis Veneris radicis,& eius diuiſorem & commiſce prioribus.

Mercurius infortunatus in reuolutione,ſignificat impedimentum de quo neſcit ſibi natus conſulere,ignorantiam & damnum intellectus, ingenij & ſcripturarum, & in filijs,atq; ſeruis.Si fortunatus fuerit,ſignificat contrarium dictorum,his permiſce ſignificatum gradus diuiſionis Mercurij radicis,& eius diuiſoris,ut ſupra.

Luna infortunata in reuolutione,ſignificat malum ſtatum,& damnum in ſuo corpore,diminutionem ſalutis,damnum matri,ac nati ſororibus.Item animi,& corporis anguſtias,maximè in diurna reuolutione.Contrarium uero dic,dum fuerit fortunata & fœlix.Commiſce tamen ſemper illis gradus diuiſionis Lunæ radicis,& eius diuiſoris ſignificationes &c.

CAPVT DVODECIMVM.

De ſitu planetarum in ſignis reuolutionis tempore, ſiue de reditu eorum &c.

QVANDO aliquis planetarum redierit in reuolutione ad locum ſuum in quo fuit in radice,adducit illam ſignificationem quam ſignificauit in radice de bono uel malo,maximè quando Luna iuncta fuerit cum illo planeta.

De reditu Saturni.

QVANDO Saturnus fuerit in reuolutione in ſigno in quo fuit in radice,ſignificat quòd mouebitur de una dignitate in aliam. Et ſi ceciderit in reuolutione anni in aliquo angulorum,ſignificat bonum, & dignitatem, & melior angulorum eſt Medium cœli,quia ſignificat regnum,& dominium. In ſeptima,ſignificat quòd habebit à mulieribus bonum, & de rebus ſuis. Et ſic iudica in alijs domibus ſecundum hanc rationem, & ſecundum quod poſſe fuerit,ac debilitas,uel fortunium,aut infortunium ipſius.

Cum uenerit Saturnus,in reuolutione ad locum Iouis radicis,& ſi fuerit in radice,uel reuolutione dominus aſcendentis, aut dominus partis fortunæ, aut dominus loci Solis,in natiuitate diurna,aut loci Lunæ in natiuitate nocturna, bonum ſtatum nati ſignificat,& fœlicitatem in omnibus rebus. Et ſi fuerit homo alicuius ualoris,habebit lucra de terris & reditibus,bene faciet fratribus,amicis & notis.Et ſi nihil habuerit de prædictis,damnum ſignificat in ſubſtantia, terris, & hæreditatibus nati,ſi eas habuerit, & inter ipſum & amicos, & conſanguineos eius accident rixæ, ac cauſæ,& oppugnabitur ab eis.

Cum tranſierit Saturnus in reuolutione ad locum Martis radicis & habuerit in radice,uel reuolutione aliquod ex prędictis teſtimonijs,ſignificat quòd natus peregrinabitur,erit opportunus ſuis fratribus,& amicis,bonũ habebit ab eis,nõ certificabitur in conſilijs ſuis,eius negocia cum difficultate fient,& damnabitur lex,fides,& uoluntas ipſius,ac ideo malum dicetur de eo. Et ſi nullum ex prædictis teſtimonijs habue-

habuerit in radice, uel reuolutione, accident nato anxietates & pœnæ, pro fratribus & amicis ſuis triſtitias habebit, ad loca extranea ibit, & ſi fuerit receptus, diriguntur & proſperantur res iſtæ.

Saturnus cum Sole corporaliter iunctus in reuolutione, ſi habuerit aliquod ex prædictis teſtimonijs in radice, uel reuolutione, ſignificat quôd habebit impedimenta ex parte regis, & per anxietates tranſibit, habebit rixas & iurgia cum mulieribus, & pro eis triſtitias, infirmabitur infirmitatibus calidis, de quibus metum habebit, & ſi non infirmabitur, habebit iurgia & rixas, & aliqua de eius mulieribus morietur, & ſi uixerit pater eius, morietur forſitan illo anno, & perdetur eius dominium, ſi habuerit illud.

Si uenerit Saturnus in reuolutione ad locum Veneris radicis, ſignificat quôd natus ibit itinera, & minuetur eius libido in amore & coitu mulierum. Si aptus fuerit ad habendum filium, habebit illum illo anno, capietur amore.

Saturnus in reuolutione ſi uenerit ad locum Mercurij radicis, minuetur intellectus nati, faciet iter, ſi filios habuerit, triſtitiam habebit de ipſis, exponet ſe periculis, & rebus de quibus metum habebit, loquetur fabulas quę ſibi damnum inferent, eius mercatura & magiſteria damnabuntur.

Saturnus in reuolutione ad locum Lunę radicis pertingens, damnum in mulieribus ſignificat, uel cadet ab alto. In hoc aſpice etiam ad Lunam in quo fuerit ſigno, quia ſi fuerit in angulo, accident ei damna & labores de natura ſigni in quo fuerit Luna. Si fuerit humanum, erit damnum ab hominibus, Si de forma animalium, erit damnum ab eis, Si in forma beſtiarum, erit à beluis, Si in Scorpione, erit à reptilibus ferientibus, Si in Cancro, uel Piſcibus, erit à reptilibus aquarum, uel ipſorum occaſione, & damnabitur regnum, & dominium eius, ſi illud habuerit. Et ſi Luna fuerit in aſcendente radicis, fortem infirmitatem habebit, de qua erit in periculo & timore.

De reditu Iouis.

QVANDO Iupiter peruenerit in reuolutione ad locum in quo fuit Saturnus in radice, ſeruantur ſignificationes Iouis, & minuuntur malæ ſignificationes Saturni, & aptantur, & erit de bona uoluntate, lege & credulitate, & in ſuis negocijs, ac petitionibus fortunatus, bonum habebit à ſuis amicis, & eius inimici fient amici ipſius, & perquirent amicitiam & amorem eius.

Iupiter in reuolutione recurrens ad locum ſuum radicis, renouat & adducit bonum quod ſignificauit in radice, habebit lucra, & ſubſtantiam à parte, qua non ſperabit, nec ſuſpicabitur natus.

Si uenerit Iupiter in reuolutione ad locum Martis radicis, natus faciet itinera, & bonum ex eis habebit, euenient ei lucra, & utilitas ex parte itinerum & locorum extraneorum, ac regum, & hominum armigerorum. Si aptus fuerit, habebit forte filiũ illo anno, & ipſius fratres bonum habebunt, aut illi quos tenet locum fratrum.

Iupiter in reuolutione ad locum Solis radicis recurrens, uel ſi fuerit combuſtus, & Iupiter habuerit teſtimonium in radice natiuitatis, uel reuolutione, aut in ſigno applicationis, natus erit in periculo mortis, donec tranſeat combuſtionem, uel donec tranſeat Sol gradum applicationis, aut gradum aſcendentis reuolutionis, & ſi hoc tranſiuerit, euadet, & accidet ei metus ex parte regis, & abſondet ſe ab eo, accident ei infirmitates ex calore, â ſuis parentibus bonum habebit, uel ab eis qui ſunt ei loco patrum. Et ſi Iupiter in hoc fuerit orientalis, ſignificat magnam fortunam.

Si fuerit Iupiter in reuolutione ad locum Veneris radicis reuerſus, accidet infirmitas ſibi, & damnatio complexionis, eius corpus macreſcet, aſcendet in præcium

& ualo

& ualorem, & eius negocia dirigentur, multos amicos ipſum diligentes habebit, erit completus & bonæ famæ. Et ſi Venus in hoc infortunata fuerit, & aliquod teſtimonium habuerit in radice, uel applicatione, in periculo moriendi illo anno erit.

Si Iupiter in reuolutione locũ ad Mercurij radicis peruenerit, natus aſcendet ad intellectum, doctrinam, ſapientes, nutrices, & ſeruientes, fortunabitur negocium, & domus eius, augebitur in precio & ualore. Et ſi Iupiter in hoc fuerit dñs menſis, aut aſcendentis radicis uel reuolutionis, creſcent eius bonæ ſignificationes prædictæ.

Iupiter in reuolutione ad locum Lunæ radicis ueniens, ſignificat fœlicitatem nati in ſtatu, negocio & corpore ſuo, & incrementum in ſubſtantia, bonis, filijs & lętitijs. Et ſi Iupiter in reuolutione aſpexerit locum Lunę radicis, uel ei iungetur, & fuerit Iupiter in bono loco, exibit de miſeria & neceſsitate, ſi erat in ea, & fortunabitur negocium & corpus eius.

Iupiter in reuolutione anni, ſi ad aſcendens radicis peruenerit, uel ad ſignum quintæ domus radicis, uel ad eorum dominos, aut ad locum Veneris, uel ad locum Lunæ, aut ad patrem filiorum, uel coniungetur alicui horum, uel eos aſpexerit de bono aſpectu, illo anno natus filium habebit, de quo lætabitur, ſi generandi filios ſignificationem habuerit in radice.

De reditu Martis.

QVANDO Mars peruenerit in reuolutione ad locum in quo fuit Saturnus in radice, fortunabitur natus in amicis, & faciet itinera breuia. Et ſi Mars cum hoc teſtimonium habuerit in reuolutione, petitiones, & eius negocia, tardabuntur. Et ſi Saturnus teſtimonium habuerit in reuolutione, minuit malum Martis, quia diſſoluit quod ligat Mars, tarditate & frigore ſuo, accident tamen ei anxietates de uulneribus & percuſsionibus. Et ſi acciderit in anno in quo applicat Mars ad locum Saturni, quòd ſimiliter Saturnus applicet ad locum in quo fuit Mars, ſignificat quòd fugiet illo anno de terra ſua.

Si Mars in reuolutione ad locum Iouis radicis transferatur, natus ibit itinera profectuoſa, lucrabitur ratione beſtiarum, & animalium, & forte filium habebit. Maximæ autem erunt hæ ſignificationes, ſi aſcendens radicis, aut ſignum applicationis anni (id eſt ſignum ad quod eſt profectio aſcendentis eodem anno) uel aſcendentis reuolutionis fuerit domus alicuius eorum.

Mars in reuolutione ad locum ſuum in radice recurrens, ſi fuerit idem locus alicuius angulorum, & habuerit aliquod teſtimonium in reuolutione, & ſignificauit in radice bonum, habebit illo anno ualetudinem, bonum, & lucra ab armigeris, & ſi aſpexerit aſcendens, aut ſignum applicationis, ſignificat itinera bona, augmentũ in hominibus & ſocietate, ac potentia, & ſi cadens fuerit ab aſpectu applicationis & aſpectu aſcendentis, & habuerit teſtimonium in reuolutione, habebit bonum per magiſteria ferri, uel per ſanguinem, aut ſimile quiddam.

Marte in reuolutione diurna iuncto cum Sole, nato accident triſtitiæ & labores ex parte regis & infirmitates calidę. Et ſi Mars fuerit, & cum hoc dominus anni in ſigno calido & ſicco, accidet ei magnum impedimentum, & periculum per calorem aut ignem. Et ſi fuerit in ſigno communi, forſitan occidetur. Et ſi cum hoc reuolutio fuerit nocturna, omnes hæ ſignificationes erunt minores & leuiores.

Si uenerit Mars in reuolutione ad locum Veneris radicis, uerſabitur natus in libidinibus cũ mulieribus, & ex illis multas habebit, eueniet ei labor aliquis propter eas, multos habebit amicos, dilectus erit & completus, & bene famoſus inter homines. Et ſi Mars in reuolutione anni habuerit teſtimonium, infirmabitur ex ſuperflua

com-

commeſtione & coitu. Et ſi Venus habuerit teſtimonium in anno, infirmitates eius erunt ex medicinis, & ex motu ſanguinis, aut forte accident ei dolores in gula. Et ſi Venus cum hoc fuerit in ſigno Virginis infortunata, erit in mortis periculo eo anno. Et ſi fuerit cum hoc prædicto ſtatu applicante Marte in reuolutione ad locum Veneris, & Mars infortunauerit eam, in radice uel reuolutione, per coniunctionem, uel aſpectum, ſignificat magnum malum in appetitu mulierum, & fornicationis cum dedecore.

Si tranſierit Mars in reuolutione ad locum Mercurij radicis, dicet natus falſitates & mendacia, erit in periculo perdendi ſe, & aliquem ex fratribus ſuis minoribus, uel quem tenet loco fratris minoris. Et ſi Mercurius cum hoc teſtimonium habuerit in anno, & fuerit infortunatus à Marte, erit ſimiliter in metu perdendi ſe. Et ſi Mars uice Mercurij habuerit teſtimonium in anno, hæ ſignificationes minores, & leuiores erunt, excepto quòd natus exponet ſe periculis illo anno.

Si peruenerit Mars in reuolutione ad locum Lunæ radicis, & ipſa in bono loco habuerit teſtimonium in anno, ſignificat quòd natus habebit dominium & filium. Et ſi Mars habuerit teſtimonium, eius uice faciet itinera parua, ratione ſocietatis ſuæ, uel mulierum, & ſi habuerit aliquod dominium dominabitur.

De Solis reditu in locum ſuum.

QVANDO Sol in reuolutione anni fuerit in Leone in aliquo angulorum, in bono ſtatu, ab infortunis liber, & habuerit teſtimonium in anno & radice, ſignificat corporis ſanitatem, utilitatem, & lucrum. Et ſi infortunatus fuerit in domo ſua, accident ei dolores. Et ſi fuerit in hoc ſtatu remotus ab angulis, & infortunatus ſuper terram, hæ infirmitates minores & leuiores erunt.

Sol in Virgine ſuper terram, ſi aſpexerit aſcendens, habens aliquod teſtimonium in reuolutione nati, ſignificat ſanitatem, & quòd procurabit, & petet ſubſtantiam, & doctrinam, & ſi cum hoc auxilium habuerit à fortunis, in uoluntate & petione ſuam perficiet uoluntatem. Et ſi habuerit ibi teſtimonium ab infortunis, ſignificat infortunium, & quòd non complebit quòd uoluerit, maximè ſi infortunæ teſtimonium habuerint in reuolutione.

Sol in reuolutione in Libra ſupra terram, habens aliquod teſtimonium in anno, natus faciet iter. Bonum uerò in eo euenturum ſcies à ſtatu Solis, & planetarum, qui commixtionem habuerint cum eo.

Sol in reuolutione in Scorpione in aliquo angulorum, in bono ſtatu, maximè in Medio cœli, ſi habuerit aliquod teſtimonium in reuolutione, habebit natus ualorem & dominium regis, bonum & lucrum, & in hæreditatibus incrementum. Et ſi remotus ab angulis fuerit, & ſaluus ab infortunis & damnis, & aſpexerit aſcendens, uerſabitur in laboribus & agricultura, & ſocij, & conſanguinei eius lætitiam & bonum habebunt.

Sol in Sagittario, habens teſtimonium in reuolutione, ſi fuerit in aliquo angulorum, ac in bono ſtatu, natus habebit bonum, lætitiam & prolem, illo anno. Et ſi fuerit infortunatus, accident ei triſtitiæ multæ, & morientur aliqui ex filijs, ſi quos habuerit.

Sol in reuolutione in Capricorno habens poteſtatem, ac teſtimonium in anno, ſignificat infirmitates, & dolores, triſtitias multas, uilitatem, obſcurum nomen, aſſociabitur illo anno natus hominibus inferioris conditionis quàm ipſe eſt.

Sol in reuolutione in Aquario habens poteſtatem, ac dominium in anno, ſi fuerit ſaluus ab infortunis, ſignificat nato coniugium illo anno, augmentum in ſocietate,

cietate, & nutritis. Et ſi fuerit infortunatus, deſtruentur, aut infirmabuntur aliqui de ſocietate ipſius, habebit aduerſarios, & cauſas, & ſi cum hoc receptus fuerit, erit leuius atq; minus hoc malum.

Sol in reuolutione in Piſcibus habens teſtimonium, & poteſtatem illo anno, ſi fuerit infortunatus, habebit natus multas triſtitias illo anno, malum ſtatum, & fatigabitur in eis. Et ſi fuerit fortunatus, habebit triſtitias ſine iure, & forte aliquantulum boni.

Sol in reuolutioue in Ariete habens teſtimonium, & poteſtatem illo anno, ſi fuerit liber ab infortunis, ſignificat fortunam in ſubſtantia, & bona itinera. Et ſi cum hoc fuerit in aliquo angulorum, habebit dominium à regibus, adhęrebit eis, lucrum, & commodum habiturus. Et ſi fuerit infortunatus, accident ei à regibus triſtitiæ, & labores, maximè ſi ipſe infortunatus exiſtens, fuerit in aliquo angulorum.

Sol in Tauro in reuolutione, ſi habuerit teſtimonium, & poteſtatem in reuolutione, ſaluus ab infortunis ſuper terram, & aſpexerit aſcendens, habebit negocium natus cum regibus, ac utilitatem & lucrum. Et ſi fuerit infortunatus, ſignificat quòd attingent eum pœnæ, triſtitiæ, ac labores ex parte regum, & ſi cum hoc fuerit in aliquo angulorum, peius, & durabilius erit hoc malum.

Sol in reuolutione in geminis habens teſtimonium in anno, ſi fuerit liber ab infortunis, & ſuper terram, & aſpexerit aſcendens, uel ſignum applicationis, ſignificat incrementum, & bonum in ſocietate, ac eius nutritis, & forte prolem habebit. Et ſi fuerit infortunatus, accident ei triſtitiæ, & grauamina, ratione horum prædictorum, nec complebuntur eius petitiones.

Sol in Cancro, in reuolutione habens teſtimonium, & poteſtatem in anno exiſtens ſub terra, ſignificat quòd inimici eius eum illo anno offendent. Et ſi cum hoc eum Luna non aſpexerit, erit peius, & fortius malum.

De reditu Veneris.

CVm Venus in reuolutione anni peruenerit ad locum in quo fuit Saturnus in radice, ſignificat quòd habebit magnum deſiderium coitus. Et Venus cum hoc apparens ſi fuerit egreſſa de ſub radijs, ab infortunis libera, erit quod de hoc fecerit bono modo. Et ſi fuerit apparens de ſub radijs, & infortunata, fiet hoc quod fecerit turpi modo, & fortè uituperabitur inde, Et ſi cum hoc Venus fuerit ſub terra, quod inde fecerit, erit coopertum, & celatum. Et ſi cum hoc habuerit Venus teſtimonium in illo anno, habebit triſtitias ratione mulierum, & aget cum illis in turpibus locis, & fœdis modis accident ei propter hoc grauamina, multum ſequetur eas, & forte illo anno prolem habebit, uel aliquam impræegnabit.

Venus in reuolutione ad locum Iouis radicis tranſgreſſa, ſignificat emendationem in lege, faciet natus itinera ratione legis, & religionis, habebit ſubſtantiam de bonis mortuorum, faciet itinera ad fratres & amicos, lucrabitur amicos honoratos & laudatos, proficiet ex eis, infirmabitur, ſed poſtea ſanabitur. Et ſi Venus illo anno teſtimonium habuerit, infirmitates eius erunt ex uentoſitate, aut dolore gutturis. Et ſi Iupiter habuerit ibi teſtimonium uice Veneris, erunt infirmitates ex melancholia.

Venus in reuolutione pertingens ad locum Martis radicis, ſi unus eorum habuerit teſtimonium in anno, ſignificat coniugium, ac magnum deſiderium & uoluntatem mulierum, & coitus. Et ſi unus aſpexerit alterum, quidquid uolet, &

petierit de lætitijs & ludis, & cauſis mulierum, perficiet & habebit.

Venus in reuolutione ad locum Solis radicis conuerſa, ſi fuerit iuncta cum eo, & ipſa poteſtatem habuerit, ac teſtimonium in anno, & ambo fuerint in aliquo angulo, natus patietur grauamina, & labores, occultabit ſe à rege. Et ſi ab angulis remoti fuerint, accident ei infirmitates calidæ. Et ſi Sol ibi teſtimonium habuerit uice Veneris, creſcet in ualore ac laude, habebit dominium, faciet itinera, capietur amore.

Venus reuerſa in reuolutione ad locum ſuum in radice, ſi habuerit poſſe & dominium in anno, aſcendet in precium & ualorem, perueniet ad dominium, & renouabuntur res, quas ſignificauit in radice, creſcet in ſocietate, nutritione, ueſtimentis & opibus,

Si uenerit Venus in reuolutione ad locum Mercurij radicis, habens poſſe ac teſtimonium in anno, potentiam habebit, ac gloriam in loquendo & ratiocinando, ac doctrina. Et ſi teſtimonium fuerit Veneris, aſſociabitur cantoribus, ioculatoribus. Et ſi ambo infortunati fuerint, uel unus eorum, accident ei grauamina & labores cauſis & rationibus iſtis.

Cum acceſſerit Venus in reuolutione ad locum Lunæ radicis, & fuerit Luna ab infortunis ſalua, & una earum habuerit poteſtatem, ac dominium in anno, proſperabitur ſtatus & negocium eius, & ſocietates ſuæ, uerſabitur cum Regibus, fratres habebit ſi uixerint eius parentes, alioquin lucrabitur amicum, qui ſibi erit tanquam frater.

De reditu Mercurij.

CVm Mercurius in reuolutione peruenerit ad locum in quo fuerit Saturnus in radice, & habuerit Mercurius teſtimonium in anno, fueritq; ab infortunis ſaluus, natus faciet itinera in quibus creſcet eius bonum & ſtatus, forte habebit filium illo anno. Et ſi Saturnus teſtimonium habuerit uice Mercurij, deſtruentur eius filij, ipſe infirmabitur, eius conſilia & cogitationes inuoluentur, damnabitur lex eius, omne factum bonum auerſabitur.

Si uenerit Mercurius in reuolutione ad locum Iouis radicis, & ſi unus eorum habuerit teſtimonium in anno, dignitatem & honorem habebit natus ab alio ſe meliori, augebitur doctrina & ſenſus eius, uxorem ducet, ſi fuerit ad hoc aptus. Et ſi teſtimonium habuerit, & fuerit infortunatus, adducet damnum de genere ſignificationis ipſius infortunij, & inimici aduerſabuntur ei.

Si uenerit Mercurius in reuolutione ad locum Martis radicis, ſi ambo habuerint teſtimonium in anno, natus addet mendacia & falſitates, dicet res quę nunquam fuerunt, nec acciderunt. Et ſi retrogradus fuerit unus eorum, faciet furta. Et ſi teſtimonium fuerit Mercurij ſolius, ſignificat damnum in ſtatu eius, & quòd accident infirmitates ei ex calore & ſanguine. Et ſi per Martem damnatus fuerit in reuolutione, erit in metu moriendi illo anno. Et ſi teſtimonium fuerit Martis eo intrante ſub radios Solis, timebit ne interficiatur anno illo, uel expellatur de terra ſua.

Si uenerit Mercurius in reuolutione ad locum Solis radicis iunctus cum eo, & Mercurius habuerit teſtimonium in anno, & fuerint ambo in aliquo angulorum in bono ſtatu, habebit honorem & dignitatem regis, maximè ſi fuerint in medio cœli. Et ſi fuerint remoti ab angulis hæ ſignificationes, erunt minores. Et ſi

teſtimonium fuerit Solis uice Mercurij, habebit commoda à diſcipulis uel ſeruis ſuis, uel ab hominibus, qui reguntur per eum, qui erunt ei boni & fideles.

Mercurius in reuolutione ad locum Veneris radicis tranſiens, cum habuerit teſtimonium in anno, ſignificat quòd diliget & perquiret Rythmos, Fabulas, cantationes & uerſus, & appetet ſtare in locis ludi & ſolatij. Et ſi Venus in anno teſtimonium habuerit, augebitur propter dignitatem officij regis, & omnia perquiret quibus ſe limpidet, ut pulcher appareat.

Si redierit Mercurius in reuolutione ad ſuum locum radicis, habens teſtimonium in anno, fueritq́ in aliquo angulorum in bono ſtatu, augebitur natus in precio & ualore, habebit bonum & uenerabile nomen. Et ſi ſignificationem habuerit in ſubſtantia, lucrabitur ſubſtantiam. Si in fratribus, habebunt eius fratres bonum. Et hoc modo per omnes domos alias iudicabis. Et ſi damnatus uel infortunatus fuerit, malum & grauitatem ſignificat, pro modo rei in qua ſignificatio fuerit.

Cum fuerit Mercurius in reuolutione ad locum Lunæ radicis, & Luna teſtimonium in anno habuerit, itinera faciet, & habebit in illis cauſas cum inimicis ſuis & aduerſarijs, uel habebit metum de inimicis. Et ſi teſtimonium Mercurij fuerit uice Lunæ, habebit bonum ex parte amicorum, pluresq́ amicos lucrabitur, & proſpere perficiet quæcunq́ ſuſceperit. Et ſi fuerit infortunatus, accident ei grauamina in prædictis.

De reditu Lunæ.

CVm in reuolutione anni Luna peruenerit ad locũ in quo fuit Saturnus in radice, & Luna teſtimonium habuerit in anno, uxorem natus ducet uetulam, uel aget cum ea. Et ſi cum hoc infortunata fuerit, accident ei cauſæ quibus impediet ſe. Et ſi cum hoc infortunio ſignificationem habuerit in anno in octaua domo, habebit metum moriendi illo anno. Et ſi Saturnus teſtimonium habuerit, uenient ei mala noua à longinquis terris, quibus grauabitur, & dolebit.

Luna in reuolutione delata ad locum Iouis radicis, ſi habuerit Luna teſtimonium in anno, & fuerit in bono ſtatu, ab infortunis libera, faciet natus itinera, & tranſibit per loca ubi erunt aquæ multæ, & habebit in itineribus ipſis bonum & lucrum. Et ſi fuerit infortunata, accident ei grauamina & infirmitates, Et ſi teſtimonium fuerit Iouis, & Luna eum aſpexerit, naſcetur ei filius.

Luna in reuolutione conuerſa ad locum Martis radicis, ſi teſtimonium habuerit in anno in bono loco, & ſtatu recepta, dominium habebit natus in quo metum habebit, & aſſociabitur cum hominibus armigeris, naſcetur ei filius, uel filia, ſi fuerit aptus, ad ſobolem procreandam, accident ei infirmitates calidæ & humidæ, ſicut de ſanguine. Et ſi fuerit in malo ſtatu, uel infortunata, hæ infirmitates maiores, & affixiores erunt, & accident ei grauamina ex parte regis, erit in metu moriendi illo anno, uel aliquis filiorum ipſius, ſi quos habuerit. Et ſi teſtimonium anni fuerit Martis, accident ei grauamina, & labores à rege, uel à magnis uiris, faciet itinera in quibus non habebit bonum. Et ſi Luna fuerit in prædicto ſtatu, applicando in reuolutione ad locum in quo fuit Mars in radice, & poſtmodum iuncta fuerit cum eodem aliqua die illius anni, uel aſpexerit eum dominus illius reuolutionis aliquo modo, perdet ſanguinem illa die, maximè ſi Luna fuerit in aſcendente, uel in ſigno applicationis, & Mars dominus illius anni, uel menſis, uel diei, quia tunc erit illa res affixior, firmior atq́ maior, habebitq́ cauſas, & grauamina, Idem ſignificat quando illa hora aſpexerit locum ſuum.

Luna iuncta Soli in reuolutione, ſi habuerit teſtimonium in anno, accident nato grauamina, & damna à rege, & à maioribus ſuis, ſicut patribus, & dominis. Et ſi Sol habuerit teſtimonium in anno, habebit dominium, & bonum, mater erit in periculo, & mulieres ei ſimiles. Et hæ ſignificationes plures, & efficaciores erunt, ſi Luna ingreditur combuſtionem, tamen ſi exiuerit de combuſtione, minus & leuius hoc erit.

Luna in reuolutione diuertens ad locum Veneris radicis, ſi recepta fuerit, & ſalua ab infortunis, ſignificat quòd itinera quæ cogitauit illo anno facere, diſturbabuntur ei, & forte nullum iter faciet illo anno, ſed morabitur in domo ſua, & cum ſua ſocietate, & lætabitur cum amicis creſcet in ſocietate, erit uicioſus illo anno, lætus, completus, & pacatus, hæreditates lucrabitur, aget de eis, & alijs rebus ſimilibus Et ſi fuerit infortunata nato accident grauitates, & triſtitiæ de genere prædictarum rerum, Et ſi Venus teſtimonium habuerit, honorem, laudem, & dominium habebit, faciet bonum ſocietati ſuæ, ibit itinera uoti perſoluendi gratia.

Luna in reuolutione digrediens ad locum Mercurij radicis, ſi habuerit teſtimonium anno, faciet itinera ad loca in quibus non ſperabitur bonum, grauabitur ab inimicis, uel pro inimicis. Et ſi Mercurius teſtimonium habuerit, illo anno, fortunabitur ſtatus, & negocium eius, & lucrabitur ſubſtantiam, & amicos, & habebit bonam famam.

Luna in reuolutione reuerſa ad locum ſuum radicis, ſi fuerit reuolutio nocturna, & ipſa fuerit in aliquo angulorum in bono ſtatu, & ſalua ab infortunis, ſignificat corporis ſanitatem, habebit honorem, bonum nomen, & dignitatem regis. Poſtmodum aſpice cuiuſmodi ſignificationem habeat in radice, & in qua domo habebat uirtutem. Si in domo ſubſtantiæ, aut fratrum, uel in quacunque alia fuerit, tunc ſignificat ſucceſſum, & bonum in illa re.

Nota.

Quando aliquis planetarum in reuolutione peruenerit ad locum alterius planetæ radicis, pone domos primi planetæ, ſcilicet radicis tanquam aſcendentia. Deinde uide quorſum cadant domus alterius planetæ, qui ad locum eius applicuit, & iudica ſecundum naturas domorum & ſignificationes ipſarum, ut exempli gratia: Venus peruenit in reuolutione ad locum Iouis radicis, pono domos Iouis loco aſcendentis, ut infra.

Aſcēdens	♐	domus ♃	Septima ♊	Aſcendens	♓	domus	♃ Septima ♍	
Secunda	♑		Octaua ♋	Secunda	♈		Octaua ♎	do. ♀ mor-
Tertia	♒		Nona ♌	Tertia	♉	do. ♀ itine-	Nona ♏	tem, exe-
Quarta	♓		Decima ♍	Quarta	♊	ra	Decima ♐	quia mor-
Quinta	♈	Vn. ♎ do. ♀ ami-		Quinta	♋		Vndeci. ♑	tuorum.
Sexta	♉	do. ♀ in- Duod. ♒ (cos		Sexta	♌		Duodec. ♒	
		firmitates. & ſocios.						

Dic igitur quòd euadet ab infirmitatibus, & habebit fortunam in ſeruis, & amicis, & ſocijs, eo quòd ambo planetæ ſunt fortunæ.

Dic quòd faciet itinera breuia, fortunata, & lucroſa, habebit bonum â fratribus & amicis, ac conſanguineis, & morietur aliquis ex adhærentibus ei, uel accipiet hæreditatem ex mortuis, quòd ambo planetę ſint fortunę.

Cum

Cum Sol quolibet anno reuertitur ad ſuummet locum radicis, Pone domum eius ſcilicet Leonem aſcendens, & uide quomodo ſignum eius in quo fuerit in radice ueniat iuxta ordinem à domo ſua, & iudica ſecundum hoc in reuolutione bonum ſi Sol bene affectus fuerit, malum ſi male, ut infra.

Aſcendens	♌	Quarta	♏	Septima	♒
Secunda	♍	Quinta	♐	Octaua	♓
Tertia	♎	Sexta	♑	Nona	♈

Ibi fuit locus Solis radicis, ſignificat igitur in itineribus longis, ſcientijs, & religione. Si igitur Sol in reuolutione fuerit fortis & fœlix, ſignificat bonum in itineribus, ſcientijs, & religione tali anno &c.

CAPVT DECIMVMTERTIVM.

De translatione planetarum de domibus radicis ad domos reuolutionis.

CVm planeta peregrinus in radice natiuitatis fuerit in aſcendente, qui poſtea in reuolutione ſe poſuerit ad ſecundam domum, ſignificat quòd natus ille cuius eſt reuolutio ſolicitus erit, & laborabit pro acquirenda ſubſtantia. Qui ſi ſe poſuerit ad tertiam uel nonam reuolutionis, ſignificat iter. Si in quartam, ſtabit firmus, & aget de hæreditatibus & bonis immobilibus. Sic quoque iudicabit in alijs domibus.

Si planeta peregrinus fuerit in radice natiuitatis in ſecunda domo, & in reuolutione inuenitur in aſcendente, ſignificat quòd habebit ſubſtantiam, & lucra à partibus à quibus non æſtimabat nec ſperabat. Qui ſi fuerit in tertia, uel nona, habebit utilitatem à notis & fratribus. Si in quarta, habebit utilitatem à parentibus, terris & hæreditatibus. Si in quinta, à ſeminationibus, & rebus uegetabilibus, uel gaudijs, & conuiuijs. Si in ſexta, à ſeruis & beſtijs. Si in ſeptima, à mulieribus aut ſocietate, aut contentione ſubſtantiam. Et ſi conduxerit ſeruos, bonum ab eis habebit. Et ſecundum hanc uiam iudicabis quoque in alijs domibus.

Si planeta peregrinus fuerit in tertia domo radicis, & in reuolutione in aſcendente, ſignificat quòd ueniet ad illum frater ab alia terra, uel homo quem tenet loco fratris. Et ſi poſuerit ad ſecundam reuolutionis, ſignificat quòd inter ipſum & fratres accident rixæ & cauſſæ. Si fuerit in quarta, fratres nati bonum habebunt à patre, aut homines quos tenet loco fratrum. Si in quinta, naſcetur ei forte filius, uel frater illo anno. Si in ſexta, fratres eius illo anno infirmabuntur. Si in ſeptima, fratres uxorabuntur. Sic quoque iudicabis in alijs domibus etiam iuxta formulam ſequentem.

Planeta in radice à domo	Secunda	Translatus in reuolutione ad domum.	Quintã	Significat quòd	Credet partẽ ſubſtantiæ dilectis perſonis, uel quòd dabit de ſubſtantia ſua filijs ſuis.
	Secunda		Nonam		Propter lucrum plurima faciet itinera, uel accipiet ſubſtantiam à longinquis.
	Quinta		Tertiã		Filij facient itinera breuia.
	Sexta		Tertiã		Subiecti & ſerui peragent plurima itinera.
	Nona		Sextam		Propter frequentem loci mutationem futuram incurret ægritudinem.
	Nona		Duode.		Peraget itinera propter inimicos ſuos, uel ex itinere carceres uel inimicos acquiret.
	Decima		Septi.		Apud magnates habebit negotia & contentiones.
	Decima		Octauã		Timore aut mœrore afficietur in ſuis operibus, ex parte regum uel principum.
	Decima		Nonam		Regum & nobilium uel magiſterij cauſa itinera faciet.
	Decima		Vndeci.		Principum aut regum amicitiam conſeruabit.
	Decima		Duode.		Ex parte regis uel principum inſidias & moleſtias ſuſtinebit.
	Vndeci.		Septi.		Amorem in coniugio ſeruabit, aut firmam amicitiam cum ſocijs ſuis.
	Vndeci.		Octauã		Alicuius amici mortem aut amiſsionem uidebit.
	Vndeci.		Nonam		Amicorum & fautorum cauſa, in itineribus uerſabitur.
	Vndeci.		Duode.		Pro amicis perturbationem, & eorũ gratia labores ſuſcipiet, uel amici fient inimici.
	Duode.		Secun.		Inimicorum occultorum rixæ & cauſſæ contra natum ſtabunt.

Sic quoq; in alijs ratiocinaberis ſecundum propriam tuam induſtriam.

CAPVT DECIMVMQVARTVM.

De tranſitu planetarum per ſeptuaginta duo loca neceſſaria natiuitatis.

TRanſitus planetarum per ſeptuaginta duo loca neceſſaria natiuitatis, fiunt per curſus planetarum in ſignis & gradibus zodiaci. Nam Sol per motum ſuum proprium tranſit in ſpacio unius anni per omnia talia loca, Luna ſingulis menſibus, Saturnus in 30. annis ferè. Iupiter in 12. annis &c.

Si fortuna tranſiuerit per talia loca, diſponit dies eorum iuxta ſui & loci naturam, per quæ tranſit, ut Venus ſi per curſum ſuum tranſiuerit per aſcendens radicis, tunc corpus bene ſe habebit, fiet natus alacer & promptus in operationibus ſuis. Tranſitus autem mali per hæc eadem loca, diſponit dies eorum iuxta ſui ac loci, per quem tranſit naturam. Vt ſi Mars per aſcendens tranſiuerit, tunc corpus nati ſe male habebit iuxta naturam Martis, ut tunc fiet iracundus &c. Lunæ tranſitus, per 3. horas ante & poſt in uigore eſt. Sed aliorum planetarum tranſitus per diem 1. ante & poſt ſentiri poteſt.

Tranſitus domini aſcendentis radicis per gradum infortunæ radicis, infortunat natum illo die, iuxta poſitionem infortunæ, in domo reuolutionis, maximè ſi illa infortuna dominium habuerit in anno. Verbi gratia: Saturnus fuit in 19. gradu Cancri, in medio cœli, in radice natiuitatis, in qua Libra fuit aſcendens, & in reuolutione poſuit ſe Saturnus in duodecimam. Quando igitur Venus domina aſcendentis radicis per tranſitum eius peruenit ad 19. gradum Cancri, fuit natus captus.

Vide tranſitum Lunæ per totum annum reuolutionis, & ad eum locum ſcilicet tranſitus compara locum Lunæ radicis, uidendo aſpectus, & coniunctiones illorum duorum locorum, ſcilicet radicis, & dierum reuolutionis. Nam ſi fuerit aſpectus amicitiæ inter hæc duo loca, uel fuerit coniunctio uel aſpectus Lunæ radicis cum fortuna in diebus reuolutionis, ſignificat diem fortunatum, Vel ſi fuerit coniunctio, uel aſpectus Lunę radicis cum infortuna in diebus reuolutionis, ſignificat diem infortunatum. Hoc autem ſignificatum de bono uel malo erit de natura planetæ, cum

cum quo Luna habet coniunctionem, uel aſpectum, & etiam de natura ſigni, ac proprietate in quo fuerit. Vide etiam quando Luna in anno tranſiuerit per locum infortunæ radicis, quoniam eſt mala ſignificatio.

Pro regimine anni formando ex tranſitu Solis per 12. ſigna Zodiaci.

QVi de Aſtrologia naturali ſcripſerunt, ex tranſitu ſolis per duodecim ſigniferi ſigna, à loco ſolis tempore natiuitatis, tanquam ab Horoſcopo exordium facientes, de actionibus nati annuis conſtituendum eſſe iudicarunt, quorum ſententia ea potiſsimum ratione niti uidetur, quòd uel ſoli perpetuò Hylegialem dignitatem tribuũt, atq; huic etiam loco ipſius uitæ ſignificationem aſcribunt, uel quòd ſicut temporum qualitates, ita nati quoq; inclinationes ad diuerſas actiones, à lumine ſolis fortius reliquis ſideribus alternante primas in corporibus qualitates, maximas accipere mutationes ſtatuerunt. Quorum prius, ut non ubiq; aut perpetuò locum habet; ita poſterius illud non facile repræhendi aut confutari poteſt.

Primæ igitur domus initium (ut dixi) & iudicium fecerunt rerum & actionum, quas ea ſecundum artis præcepta, tanquam proprio iure ſibi uendicat, inchoantes à loco ſolis tempore geneſeos ac tricenis ſigniferi partibus ab eo loco retro numeratis, pro completione primæ domus, poſtea initium ſecundæ domus genethliacæ, actionumq; & rerum ab ea pendentium, prędictiones determinarunt, tricenis Zodiaci gradibus, ut conuenit, æquali in uniuerſum diſtributione obſeruata, uſq; ad ſiniſtrum ſolis Hexagonum, huic quoq; domui anumeratis. Quo in loco poſtea primum quaſi limitem tertiæ domus ſtatuerunt, & eandem planè rationem in reliquis omnibus, atq; adeo ſingulis cœli domicilijs & actionibus ac rebus ſecundum præcepta & obſeruata artificum ijſdem attributis, ſecuti ſunt.

Pro fœlicitate autem, uel aduerſitate illarum rerum & actionum definienda, conſuetum & uſitatum artificibus modum retinuerunt, fœlicium aut infauſtorum radiorum ad locum cœli obſeruatis occurſibus, quorum ſignificationes ſupra ſuo loco recenſuimus.

Porrò tempora fœlicia aut aduerſa rerum & actionum ſingularum ſecundum domiciliorum cœleſtium ſignificata ex tabulis Aſtronomicis aut ex Ephimeridibus mutuati ſunt, Vt cum Sol tricenis gradibus à loco ſuo in geneſi digreſſus motu proprio in ijs depræhenderetur, ſignificata ſecundæ domus exordium ſumere decreuerunt. Quòd ſi eodem in loco, aut in ſequentibus triginta gradibus infauſtis aut proſperis ſtellarum in geneſi radijs applicuit, eo tempore infauſti aliquid aut proſperi de ſignificatis ſecundæ domus nato euenturum iudicarunt.

Exempli gratia, in natiuitate noſtra propoſita, cuius σνσχηματίσμυς & loca omnia in ſubiecta tabella annotauimus, pro actionibus & euentibus annuis ſignificatorum primæ domus aſſumeretur ab illis uerus locus Solis in 10. grad. 40. mi. Arietis tempore natiuitatis inuentus, qui in tabula ſub columna ♈ infra aſsignatus eſt, à quo initio Sol uſq; ad 10. grad. 40. minu. Tauri progrediens, fatales gubernaret euentus ſignificatorũ primę domus, ſecundum fortunam occurrentium radiorum à 22. Martij uſq; ad 22. Aprilis, quod tempus uniuerſum nato in ſignificatis primę domus fœlix fauſtumq; fore inde iudicarent, quòd nullis malificarũ infœlicibus radijs, ab eo exordio uſq; ad initium ſecundæ domus, quod eſt in 10. gr. 40. mi. Tauri, obijcitur. Nam & altera ſtatim die ad trigonum Martis cũ perfecta receptione applicat, & inde uſq; ad undetrigeſimam Martij ad corpus Mercurij prouehitur, & ab eo uſq; ad nonam Aprilis diẽ ad corpus Veneris progreditur, à qua digrediens appulit circa decimã tertiam eius menſis ad locũ partis fortunę tandemq; uiceſima eiuſdem ad Trigonũ

Saturni accedit,quæ omnia ſatis proſpera ſunt ſigna,fortunæ actionum, & rerum à prima domo ſignificatarum, præterquam quòd difficultates quædam in rebus & perſonis Mercurialibus circa uiceſimamnonam Martij propter coitum Solis cum Mercurio decernuntur. Ingenij igitur aut hominum ingenioſorum nonnulla impedimenta eo tempore natus experietur.

Reliqua fœlicia ſunt.Nam & Trigonus Martis cum Sole honorificum,ac utile nato conſortium cum Martialibus hominibus portendit,aut ex rebus Marti ſubiectis boni aliquid eventurũ ipſi oſtendit:& coniunctio Veneris cum Sole nono die Aprilis,quo tranſit Sol per locum Veneris in radice natiuitatis, gaudia ac proſpera omnia à rebus & perſonis actionibusq; Venereis nato euentura decernit. Idem eſt de reliquis occurſibus iudicium eademq; Methodus ſecundum ordinem tabulæ.

Notandum tamen obiter eſt,quòd in tranſitu Solis,ac aliorum planetarum,excepta Luna,non is ſolum dies effectui aſcribendus eſt quo tranſitus ipſe contingit: uerum etiam tàm præcedens,quàm ſequens dies. Nam uirtus influxiua illorum fortis eſt per tres dies,ideo medius ſemper dies aſsignatur. Sed Lunæ tranſitus ternis horis ante & poſt applicationem efficaces cenſentur.

Cæterum ut omnia de euentibus & actionibus primæ domus certius definita & expreſſa habeantur,adhibe in hunc locum quæ ſupra capite ſeptimo de profectionibus horoſcopi diximus, & iudicia duodecim domorum cœli in reuolutionibus cum ſuis aphoriſmis paulo ante tradita,ut de ſignificatis primæ domus noſtrę geneſeos pronunciabis,Sole intra eos quos ſupra dixi terminos decurrente, quòd natus alacritatem & hilaritatem quandam ſingularem tunc ſentiet, experieturq; proſperam fortunam in actionibus & rebus omnibus. Hoc tempus lucrum principatusq;, ac honores & dulces propinquorum coniunctiones conuerſationesq; promittit. Tunc tempus aptum erit,comparare ea quæ corporis uitæq; cultus & cura poſtulat, ueſtes,cibum,iumenta, arma, & quidquid eſt omnium neceſſarium ad uictum cultumq; corporis, & reliqua ut ſupra capite ſeptimo libri huius tertij de profectionibus aſcendentis radicis.

Eandem ſequêris rationem in iudicio rerum & euentuum ſecundæ domus quod tempus à uiceſima ſecunda Aprilis uſq; ad uigeſimam tertiam Maij extenditur. Quod cum ſecundum canones ſeptimi capitis libri tertij, pro ſignificatione ſecundæ domus,aptum ſit,emptionibus,uenditionibus,pecuniæ collationibus,rei pecuniariæ ac contractibus per eam conficiendis natus operam dabit. Tum repetendis nuncijs, luſibus gymnaſijsq; uacabimus, ac ſperabimus de hoſtibus uictoriam. Sed metuantur damna domeſtica,incendiorum ac furtorum.

Quæ autem potiſsimum proſpera aut aduerſa ſint tempora in toto hoc rerum genere,à ſecunda domo ſignificatarum,ut ſupra iudicabimus ex fœlicibus aut malignis ſtellarum radijs ab initio huius domus,hoc eſt à 10.gra. 40. minu. Tauri,Sole diuertente uſq; ad finem eius,hoc eſt uſq; ad 10.grad.40. minu. Geminorum à 22. Aprilis uſq; ad 23. Maij,in radice natiuitatis occurrentibus Soli ſecundũ annuum ac propriũ ſuum progreſſum incedenti. Sic circa uiceſimam tertiam Aprilis,cum obijcitur Sol motu proprio quadratis ac malignis radijs Martis,prædicta damna in rebus domeſticis potiſsimum metuat natus,nec ullis contractibus,aut pecuniæ tractationibus,non luſibus,non gymnaſijs,non conflictibus cum hoſte, non armorum exercitijs,non Chymiæ,aut ſimilibus quę Marti ſecundæq; domui ſubiecta ſunt,operam det. Nam & fraudes hominum & fortunæ malignitas in toto hoc genere rerum & actionum nati ſpem fruſtrabuntur,ac niſi prudenter ſibi proſpexerit à rebus & hominibus

minibus Martialibus uulnera, mutilationes membrorum, damna per ignes & furta in re domeſtica, & Chemia eo tempore experietur.

Sic circa ultimam Aprilis diem Sol aduerſis Lunæ radijs in geneſi motu ſuo occurrit. Quare tum quoq; à Lunaribus rebus & perſonis in ſignificatis ſecundæ domus aduerſa nato pericula damnaq; & odia nato imminebunt.

Verùm à quarta die Maij, qua benigno Iouis Trigono Sol offertur uſq; ad 23 anni eiuſdem, qua ad hexagonum ſuum diuertit proſpera omnium rerum & actionum ſecundæ domui ſubiectarum incrementa natus ſentiet. Tum lucra ſplendida & honeſta à magnatibus & diuitibus, religioſis ac principibus uiris ſperanda, natus conſequetur. Atq; hæc eadem iudicandi procedendiq; Methodus adhibita inferius ſubiecta tabula, cum Ephemeride pro motu ſolari, in reliquis omnibus domiciliorum genethlianorum iudicijs obſeruanda eſt.

Quam rationem etſi nos non omnino improbamus, ſunt enim in ea pleraq; phyſicis conſentanea rationibus, quas & nos ſupra in conſiderando tranſitu ſtellarum per ſeptuaginta duo loca geneſeos, ſecuti ſumus: Tamen ad fidem meam pertinere duxi, quid in ea erroneum aut alienum à præceptis ac rationibus Aſtrologicis eſſet ſignificare.

Sicut autem non negamus magnam ac penè præcipuam eſſe tùm in alterandis qualitatibus in corporibus, tum in inclinationibus quoq; animorum diuerſis ciendis, uim ſolaris luminaris: Ita non concedimus ediuerſo, cùm Sol pro diuerſo poſitu in figuris genethliacis diuerſas uires ſignificationes ſortiatur, ab eo perpetuo primæ domus initium ſumendum eſſe.

Nam ita demum Phyſicis in hac arte rationibus indulgendum eſt, ut Aſtronomiæ tanquam reginę ac dominæ huius, ſuus quoq; honos locusq; tribuatur, nec alia prima domus nato ſtatuenda, quàm ea, quam natura ac ratio motus cœleſtis nato prodeunti in lucem, artisq; Aſtronomicæ certi primam fecere.

Poſtea, ut ſupra, cenſeo tranſitus Solis per ſingulas cœleſtis thematis domicilia, quod naſcenti primum affulſit conſiderandos eſſe. Vt in natiuitate propoſita de euentibus annuis rerum & actionum primæ domus per tranſitum ſolis ab Horoſcopo à 26 parte ♍ uſq; ad 18 ♎ adhibita, ut ſupra, abula inferius poſita & Ephemeride, motus Solis iudicandus eſt. Pro rebus uero & actionibus ſecundæ domus ſole tranſeunte à 18 ♎ uſq; ad 17 Scorpij iudicium faciendum eſt, eodem prorſus modo ut ſupra docuimus tantum ueris initijs ex cœleſtis thematis, quod nato prodeunti in lucem fulſit, conſtitutione deſumptis, lumina quoq; ſtellarum & tempora proſpera aut maligna, ut ſupra, indaganda ſunt. Hæc uera eſt ratio quam ſequeris, nihilq; habet diuerſum à priore præterquàm quòd ueram retinet ac naturalem domorum cœli conſtitutionem, quæ luxit naſcenti.

Tabula

TABVLA CONTINENS
LOCA SEPTVAGINTA DVO, PER
quæ tranſeunt planetæ, quæ eſt pro exemplo noſtræ propoſitæ geniture.

gra.	♈	♉	♊	♋	♌	♍	♎	♏	♐	♑	♒	♓	Mi.
0													
1													
2						XII						VI	
3		⊕			XI						V		⊕ 28
4													
5													
6													
7	☍ præcedens												☍ 18
8	□	△		☍		△	□	✱		♄		✱	♄ 31
9													
10	☉		✱	□	△		☍		△	□	✱		⊕ 40
11	△	□	✱		♂		✱	□	△		☍		♂ 40
12													
13													
14													
15													
16													
17	☿	IX	✱	□	△		☍	III	△	□	✱		☿ 45
18	VIII	☍		△	□	✱	II	☽		✱	□	△	☽ 8
19													
20													
21													
22		△	□	✱		♃		✱	□	△		☍	♃ 10
23					☊						☍		☊ 56
24													
25			X						IIII				
26						I						VII	
27													
28	♀		✱	□	△		☍		△	□	✱		
29													
30													

Tranſitus autem Lunæ per hæc eadem 72. loca Zodiaci, quæ quia uelox eſt in motu, interdum uno die tranſit per plura loca, ideo eius tranſitus in diebus & horis conſideratur, & hoc tali uia: Si locus Lunæ in meridie maior fuerit quàm locùs alicuis huius tabulæ, qui locus radicis dicitur, ſubduc locum radicis à loco lunæ meridiei, & differentia oſtendit horas ante meridiem, quaudo ſcilicet Luna per ſuum tranſitum ad locum radicis pertinget. Si uero locus radicis maior fuerit, & locus Lunæ in meridie minor eo, ſubtrahe locum Lunæ à loco radicis, & differentia præbebit horas poſt meridiem, accipiendo tamẽ pro quolibet gradu diſtantiæ horas duas, eò quòd Luna in duabus horis unum perambulat gradum.

Exemplum Volo tranſi- um Lunæ nno Chriſti 510. die 21. prilis cu- us locus Lu- æ in meri- ie fuit gra- ius 9. minu- a 12. Libræ	8. 31. ♎ □ ♄ radicis 9.12. ♎ locus ☽ in meridi. 0.41. diffe. facit ferè horam 1. (ante merid.	Quare Luna tranſiuit die 21. aprilis.	ante meridiem horis 11. ferè per □ ♄ radicis
	10.40. ♎ ☍ ☉ radicis 9.12. ♎ locus ☽ in meridi. 1.28. diffe. facit ferè tres horas (poſt meridiẽ		poſt meridiem tribus horis per ☍ ☉ radicis
	11.40. ♎ ✱ ♂ radicis. 9. 12. ♎ locus Lunæ in merid. 2. 28. different. facit 5. horas (poſt meridiem.		poſt meridiem 5. horis per ✱ ♂ radicis
	17.45. ♎ ☍ ☿ radicis 9.12. ♎ locus ☽ in meri. 8.33. differen. facit horas $16\frac{1}{2}$ (poſt meridiem.		poſt meridiem $16\frac{1}{2}$ horis per ☍ ☿ radicis.

Reliqui autem tranſitus habent ſignificationes ſuas ſicut directiones & profectiones, ſed ſunt minus fortioris ſignificationis, quod bene notabis.

CAPVT XV.

Quomodo ea quæ in hoc tertio libro de euentibus & eorum temporibus dicta ſunt, ad uſun ſint accommodanda.

Anno Chriſti 1486. currente, ſed ætatis nati 27. perfecto.

NATVS tunc fuit ſub generali gubernatione Solis, quæ ætas iuuentutis dicitur, qui cum in figura radicis & reuolutionis bene diſpoſitus ſit, ſignificat animum nati à rebus Venereis aliquantulum declinare, & ad gloriæ cupiditatem inclinari, facit natum audacem in ſuis rebus, acutum, ſagacem, auidum ad opes parandas, & honores &c.

Directiones, ſiue generales progreſsiones ſic fuere: Directio aſcendentis fuit adhuc ſub ſignificato eius ad ſextilem Martis, quare per hoc totum ſuum tempus uſq; ad mox ſequentem eius generis directionem, reddit natum audacem, & fortem, qui in bellis aut contentionibus uictoriam obtinebit. Item efficit natum gratum & acceptum nobilitati, equitibus, militibus, & omnibus ordinibus ac perſonis ſub Martis præſidio, erigit nati animum ad bellicas artes exercitandas, ut delectetur armorum tractatione, haſtiludijs, & aueat ſerio etiam cum hoſte cõgredi. Porrô tem-

rō tempore huius occurſus non infœliciter tormenta bellica tractabit, & quidquid arte quadam per ignem & metallorum fuſiones ut in Alchimiſticis tentabit pro rei natura, nihil aduerſæ fortunæ experietur.

Directio Lunæ ad trinum Solis, conciliat natum nobiliſsimis mulieribus, ut cum eis ſuauiter & ſumma cum hilaritate ac ſolatio cōuerſetur. Similiter magnates quoq; beneuolentia & officijs eo tempore natum proſequentur.

Directio Solis ad corpus Veneris 27.26. efficit ut occaſione nobilium mulierum, uel ornamentorum, aut aliarum precioſarum rerum de Veneris dominio, à principibus natus honoretur, ad dignitatem aliquam euehatur, aut rem faciat. Item decernit lætas ac honorificas nuptias nato, etiam patri fœlicem ſtatum.

Directio medij cœli ad trinum Lunæ, hæc directio adhuc in uigore eſt, per popularem fauorem, aut nobilium mulierum gratia, nato honores et dignitates tribuit. Item decernit aliquod publicum officium, & munera, & nonnunquam coniugem.

Directio partis fortunæ adhuc ſub Mercurio, lucrum & ſecundam fortunam promittit nato in mercatibus, computationibus, tractatione artium facientium ad farinam, & in peregrinationibus.

Iupiter diuiſor ſiue diſpoſitor uitæ huius temporis quamuis debilis ſit in radice & reuolutione, eſt tamen fortis in mundo in hac reuolurione in trino Solis, qui natū dominari in aliqua dignitate, uel opere ſignificat, dat augmentum diuitiarum, proſperitatem, dignitatem, & gloriam, loquetur & conuerſabitur cum regibus, & adipiſcetur dignitatem, lætabitur cum parentibus ſuis, & conſanguineis. Sed omnia iſta præſtabit cum tarditate, eò quòd eſt retrogradus.

Profectio aſcendentis eſt ad 26. gradum Sagitarij in quarta domo radicis ſignificat per integram hanc reuolutionem, lucrum ſperandum, & precium operæ, acceſsio hæreditatis, benignitas & fauor parentum, quicq; illorum loco ſint. Tum theſauros obrutos terra ſcrutabimur, & argenti fodinas excutiemus, archana & abſtruſa ueſtigabimus, poſſeſsiones frumentaq; comparabimus, aut uendemus, extruemus ædificia, piſcinarum lucra quæremus, teſtamenta condemus, de ſepultura mandabimus. Hoc autem tempore, ſentiemus animi triſtitiam, & mortis metum, contrarium tunc fuerit in aquis uerſari, in ardua cōſcendere, militares luſus armorum exercere, glaciem tranſire, coram regibus, & principibus apparere, itinera longa facere. Dies huius profectionis ſunt, Die 15. Aprilis ad △ Veneris dextrum. Die 21. Auguſti ad corpus Saturni. Die 16. Septembris ad quadratum Solis dextrum. Die 11. Decembris ad quadratum Mercurij dextrum. Die 16. Decembris ad ſextilem Lunæ ſiniſtrum. Die 4. Februarij ad trinum Iouis ſiniſtrum.

Profectio Lunæ eſt ad 18.8. Aquarij in quinta domo radicis, in qua perdurabit uſq; ad 26 Iunij. Delectationi nato eo tempore erit puerilis ætas, uoluptatem etiam capiet de mulierum conſuetudine, & ex ſodalitijs, ſed pericula impendent mendaciorum, & proditionis. Tum opera danda liberis, amicitiæ, conuiuijs, colloquijs, & confabulationibus, ac circulis. Aptum eſt hoc etiam tempus pacificationibus, contractibus, cōficiendis literis, mittendis nuncijs, nauigationibus, mercatibus, ueſtibus nouis cum incidendis, tum induendis, Inq; ſumma genij obſequio, eſt enim lætificū & fœlix &c. A 7. Septembris in reliquū reuolutionis, eſt hęc profectio in ſexta domo radicis, tunc uariorū morborum timenda ſunt pericula, odia & inimicitię excitabuntur quæ tempore longo durent, & ut ſemel dicā, nihil fortunabitur rerum omnium. Tunc cautè erga famulos, & ſeruientes mercede ſe gerat natus, iter nō faciemus, non incidentur neq; induentur noua ueſtimenta. Tempus hoc mercatibus aduerſum, omnibusq; contractibus, & negocijs, conuentibus, conſilijs, deliberationibus &c. Dies huius profectionis ſunt, Die 22. Martij ad quadratum Lunę ſiniſtrum. Die 27 Martij ad partē Celati, Die 30 Mai ad ☊ in quinta radicis, Die 18. Iunij ad

ſextilem

ſextilem Veneris dextrum in quinta radicis, Die 25. Nouembris ad ſextilem Saturni ſiniſtrum in ſexta radicis.

Profectione Solis eſt ad 10. 40. Cancri in decima domo radicis aduſq; diem 19. Decembris, fœliciſsimus ſtatus promittitur dignitati, profeſsioni, famæ, muneri quo quiſq; fungetur, tum res meliores faciunt, Regum, principumq; munificentia, ſuaq; uirtute nouum ſplendorem conſequuntur. A 19. Decembris, in reliquum reuolutio eſt in undecima domo, tum congregant reditus profeſsionum & munerum, & principalium beneficiorum, ſed & benefici erga ſuos tunc eſſe ſolent. Dies huius profectionis ſunt: Die 22. Martij ad quadratum Solis ſiniſtrum. Die 16 Iunij ad quadratum Mercurij ſiniſtrum. Die 22 Iunij ad trinum Lunæ dextrum. Die 8 Auguſti ad ſextilem Iouis dextrum. Die 19 Octobris ad quadratum Veneris ſiniſtrum in decima domo. Die 19 Ianuarij, ad partem regni in undecima domo.

Profectio Medij cœli eſt ad 25 gradum Virginis in prima domo radicis uſq; ad 27 diem Decembris, hoc tempore promittitur fortuna munerum, & functionum publicarum, artificiorum, imperij, acceſsionesq; amicitiarum, gloriæq; ac dignitatis amplitudo, idq; ſine ambitione aut labore ullo ſuo. A 27 Decembris uſq; in finem anni, eſt in ſecunda radicis, hoc tempore experietur fortunam præfecturarum, benignitatemq; regum, principum & artificiorum. Dies huius profectionis ſunt: Die 2 Septembris, ad quadratum Saturni dextrum in prima domo. Die 28 Septembris, ad oppoſitum Solis in prima. Die 9 Octobris ad Sextilem Martis ſiniſtrum in prima. Die 24 Decembris ad ☍ Mercurij in prima.


Profectio partis fortunæ eſt ad 3.28 Leonis in undecima domo radicis uſq; in 4 diem Martij. Bonum ab amicis expectandum, tunc lucroſę erunt negociationes, fœliciter pecunia tunc mutuabitur, hoc aptum eſt tempus petendæ debitę pecuniæ, aut meriti beneficij à principibus. A 4 die Martij in finem reuolutionis eſt in duodecima domo. Proderunt tunc captiui & mala facinora, equi, boues, aſini, & huiuſmodi animalia, Sed tum ferè aliquid de fortunis minuitur ui aut clam. Dies huius ſunt: Die 17 Aprilis ad partem regni. Die 20 Iunij ad trinum Solis ſiniſtrum. Die 2 Iulij ad corpus Martis. Die 12 Septembris ad trinum Mercurij ſiniſtrum. Die 16 Septembris ad quadratum Lunæ dextrum. Die 25 Nouembris ad caput Draconis. Die 16 Ianuarij ad trinum Veneris ſiniſtrum, in undecima domo.

Nota: Quandocunq; aliqua profectio pertinget ad bonum aſpectum, uel ad corpus fortunæ, ſignificat bonitatem ſignificati talis profectionis & domus in quam ceciderit, ac iuxta naturam talis planetæ, cuius eſt aſpectus. Si ad malum, econtra malignitatem portendit.

Iupiter dominus anni, id eſt, dominus ſigni profectionalis, à principio huius reuolutionis in 9 uſq; diem Maij in reuolutione in medio cœli repertus, ſignificat fœlices euentus omnium rerum, potiſsimè facultatum, uictusq; parandi, liberorum ſuſcipiendorum, tunc incrementa promittuntur famæ & fortunarum, tunc Deo hominibusq; grati, & accepti regibus fiunt nati, facileq; quæ uolunt & uerecundè petunt, obtinent, tunc bonum continget pro natura domus, in qua Iupiter repertus fuerit &c.

Saturnus dominus anni à 9 die Maij, in reliquum reuolutionis minatur morbum frigidum & humidum, abundantiam flegmatis, atræ bilis importunitatem, &c.


Pro Reuolutione uiceſima ſeptima huius propoſitæ genituræ, quæ reuolutio fuit Anno Chriſti currente 1486. die uiceſima prima Martij, poſt meridiem horis 18, minutis 10, iuxta tabulas Ioannis Blanchinij, ex quibus etiam deſumpti ſunt motus huius radicis.



Fortitudines & debilitates Planetarum ac domorum radicis huius.

Saturnus fortunatus eſt & fortis.
Iupiter debilis & infortunatus.
Mars eſt fortunatus receptione Solis.
Sol in angulo & exaltatione ſua fortis eſt.
Venus in octaua retrograda, debilis exiſtit.
Mercurius combuſtus & Retrogradus, debilis cenſetur.
Luna ſalua iudicatur, & cuſpides, domorum omnes, remotis ab earum initijs maleficarum ſtellarum radijs.

Fortitu-



Fortitudines & fortunia Planetarum, & domorum cœli in Reuolutione hac.

Saturnus debilis eſt.
Iupiter fortis.
Mars fortis.
Sol mediocris.
Venus fortis.
Mercurius debilis.
Luna fortis.

Cuſpides domorum damnatæ VIII & II. Saluæ ſunt reliquæ remotis ab earum initijs malignis ſtellarum radijs.

Alfridaria eſt Mercurij, & Martis, ſignificat autem quòd rixabitur cum uilibus hominibus, & recedet ab eis, ibit ad magnos uiros nobiliores ſe, ibit de una anxietate in aliam, & euadet ab omnibus, uincet inimicos, & aduerſarios ſuos, faciet longum iter &c.

Chronocratores, Venus & Luna, omnia fœlicitatis genera præſtabunt mulierum patrocinio, à populo honores, uxorem quoq; & prolem dabit formoſam, lucrorum copioſa præſidia, claros honores, & omnia bona ex his aſsidua fœlicitate decernit.

Dominus orbis eſt Sol, qui gubernat domum quartam radicis, qui quamuis ſit cadens in hac reuolutione, eſt tamen fortis in radice in ſua exaltatione, ſignificat igitur ſignificata quartæ domus fœlicia per hanc reuolutionem.

Pro iudicio primæ domus huius reuolutionis.

Cuſpis aſcendentis	Radicis 26 ♍	Salua	dominus eius	☿ debilis	Significant mediocritatem ſanitatis, & ægritudinis.
	Reuolutionis 27 ♈	debil.		♂ fortis	
Gradus diuiſionis 15. 51 ♎	Radicis ☍ ☉ ☍ ☿		♃ diuiſor	debilis	
	Reuolutionis ſaluus			fortis	

Quia itaq; hæc ſignificant mediocritatem in ſalute, & infirmitate corporis nati. Sed Luna in utraq; figura ſalua, applicans ad locum ſuum radicis, Item Iupiter dominus anni in decima reuolutionis, plus inclinant ad ſalutẽ corporis, quàm ad ęgritudines, Ideo natus iſte per hanc reuolutionem plus declinabit ad ſanitatem, quàm ægritudinem. Sed metuenda tum profectio aſcendentis ad corpus Saturni circa 21. diem Auguſti, quæ nato minatur melancholiam ex frigore, & ſiccitate, ægritudinem facile tamen curabilem. Item circa diem 16 Septembris quoq; timorem habebit, & aliquam ſuper calefacientem ægritudinem, propter eandem profectionem Aſcendentis ad quadratum Solis. Nam etiam dominus anni Saturnus à 9 Maij in reliquum reuolutionis eadem minatur.

Pro iudicio decimæ domus huius reuolutionis.

Cuſpis decimæ	Radicis 25 ♊	Salua	dominus eius	☿ debilis	Ecce ſignificatio eſt plus mala quàm bona. Sed quia ſunt particularia, & multa uniuerſalia fortiora, ut ſunt.
	Reuolutionis 12 ♑	debilis		♄ debilis	
Gradus diuiſionis 20 ♋	Radicis □ ☿		♃ diuiſor	debilis	
	Reuolutionis ſaluus			fortis	
Gradus diuiſionis ⊕ 26 ♉	Radicis ☍ ☽		♄ diuiſor	fortis	
	Reuo. in loco ♀ □ ♂			debilis	

Generalis gubernator ætatis Sol, Directiones quinq; locorum Hylegiorum, Item Iupiter diuiſor aſcendentis, & dominus anni in decima reuolutionis, Profectio Solis ad decimam domum, Profectio partis fortunæ in undecima, & eiuſdem die 17 Aprilis ad partem regni, Item Chronocrator Venus cum Luna, hæc omnia natum hunc ad magnam dignitatem euehebant ſicuti promiſit radix natiuitatis eius, & ſtirpis ſuæ origo. Sub hoc tempus 1486 die 9 nona Aprilis coronã regni adeptus eſt Aquiſgrani. Sic quoq; ratiocinaberis circa alias domos colligendo teſtimoni fortiora. Semper tamen effectus Eclipſium, Directionum, Profectionum, ac tran ſitus Planetarum præmittendo.

Pro iudicio, & tempore mortis huius nati.

Ann

ANno Chriſti fluente 1518, die 7 Iunij poſt meridiem horis 16. min. 48 ferè fuit principium Eclipſis Solaris, undecim punctorum in 26 gradu Geminorum, cuius gubernator Mercurius, qui etiam fuit dominus Aſcendentis, & Medij cœli natiuitatis Diui Maximiliani. Cuius effectus cum ſtatu ſuo incœpit die 24 Iunij eiuſdem anni, & ſæuiebat ſic in ſtatu ſuo uſq; in diem 18 Martij anni 1519, fuitq; ea funeſta huic nato. Nam locus Eclipticus poſuit ſe in cuſpidem decimæ domus, & ſic feriebat aſcendens huius genituræ per quadratum. Item Alchocoden oſtendebat annos 59 ferè. Item directio aſcendentis natiuitatis fuit ad ſextilem, id eſt ad quadraturam Saturni, præbet gradus 57. minuta 52, quæ etiam immediate acceſsit ad quadraturam Martis.

Anno igitur Chriſti 1519 fluente die 12 Ianuarij hora 11 ante meridiem in Wels Auſtriæ amiſit uitam unâ cum imperio. Vixitq; annis 59. diebus 354 cum horis 18 ferè.

CAPVT DECIMVMSEXTVM.

Quomodo pro ratione cuiuſq; genituræ, ſint eligenda idonea tempora actionum aut negociorum.

ELectiones quæ fiunt ex directionibus, profectionibus, uel etiam per tranſitus ſignificatorum per loca neceſſaria, ex ſupradictis in hoc tertio libro, ſatis abundè colligi poſſunt adminiculo regularum ſequentium.

Prima regula earum quæ concernunt uitam & corpus hominis.

SI uelis eligere tempus idoneum pro medicina confortatiua ſumenda, uel pro alia quacunq; re, quæ pro ſalute corporis fieri debet, Vide ut uitæ gubernator ſiue Hylech, ſit in bonis locis figuræ cœli. Similiter etiam Sol & Luna atq; aſcendens, ita tamen quòd profectio Aſcendentis, & Lunæ, ac gubernatores eorũ, non ſint in locis malis, ſcilicet ſexta, octaua uel duodecima, neq; in locis Saturni, uel Martis, neq; in radijs eorum quadratis uel oppoſitis radicis, neq; in loco Caudæ draconis &c.

Secunda regula de electionibus quæ fiunt pro rebus ſubſtantiæ.

SInt profectiones, partis fortunæ & ſecundæ domus in bonis domibus figuræ, ſcilicet in prima, ſecunda, decima uel undecima, ſed melius in prima, uel in domibus luminarium, uel Iouis, uel Veneris, uel applicent eorum coniunctionibus, uel aſpectibus, uel applicent alijs planetis, qui in radice in bonis locis fortunati fuerunt, ita tamen quôd in omnibus incœptionibus præ omnibus ſit aſcendens, ſecunda, decima, uel undecima domus radicis, ſignum in quo ſtetit pars fortunæ in radice, uel quôd in prima ſit profectio partis fortunæ, uel ſecundæ domus, ſitq; eius gubernator fortunatus & fœlix.

Tertia regula de electionibus pro domino, dignitate, honore, officio uel magiſterio.

SInt profectiones Medij cœli, & Solis in bonis domibus figuræ cœli cum fortunis & eorum bonis aſpectibus, uel in domibus fortunarum aſpicientes luminaria ex bonis aſpectibus.

Quarta regula de electionibus pro rebus omnibus.

VIde quæ domus cœli habeat ſignificatum tuæ electionis, ut ſi pro itine re breui uelis electionem, pone ad tertiam domum, unam uel plures profectiones ſcilicet Aſcendentis Solis, Lunæ, Partis fortunæ, uel Medij cœli, ſed profectio Aſcendentis & partis fortunæ ſunt meliores, hæ autem profectiones applicent, uel ſunt cum fortunis, uel eorum bonis aſpectibus, uel ſint ad minus in domibus fortunarum, ſintq́ gubernatores eorum ex fortunis quæ in radice ſaluæ permanſerunt. Si igitur ex his duo uel tria teſtimonia habere poteris, fac ut etiam Luna ſit in tali domo. Si hoc non poteſt fieri, ſit talis domus in aſcendente, & Luna in alio bono loco, uel apud gubernatorem talis rei non impedita. Exemplum: Si uelis iter longum arripere, quod eſt ſub ſignificato nonæ domus, & ſi in tali nona domo eſſet profectio partis fortunæ, quæ ibidem perduraret per integrum annum, tunc tali anno eſſet electio conueniens, & utilis pro itinere. Quòd ſi magis idoneum tempus quæreres, fac ut etiam ad hanc nonam domum pertingant profectiones Solis & Lunæ, tunc diſpone Aſcendens, decimam uel undecimam domum, ita tamen quod in radice in talibus domibus, non ſteterit infortuna, & quòd gubernator Aſcendentis uel Lunæ etiam ſit beneficus Planeta, qui in radice ſaluus fuerat in bono loco, uel quòd nona domus ſi ita fortunæ in ea fuerint, aſcendens ſit, ſed Luna non ſit in aſcendente, ſed aliàs in loco bono figuræ, nam ipſa malè locatur in prima.

Si autem in electionibus, gubernatores omnes uel maior eorum pars eſſent in malis domibus, uel infortunati, & non eſſet immorandum tali electioni, tunc incipe quando Luna fuerit in domo fortunata & bona, & ad hoc ordinabis Aſcendens fortunatum quod propoſito inſeruiat. Si adhuc tempus expectari non poſſet, donec Luna in domum fortunatam poſſet peruenire, tunc elige melius aſcendens quod habere poteris pro hac re, in qua profectio partis fortunæ, uel aliæ fortunæ fuerint, & quòd dominus eius in natiuitate fortunatus, & in bonis locis ſteterat, & adiuuabis te cum aſpectibus Lunæ. Sed in aſcendente maior latet uis in omni re. Scias igitur quòd in omnibus electionibus præſertim diurnis, ſignum in quo eſt Luna, non aſcendat, neq́ ſit in ſexto, octauo, uel duodecimo ſigno ab aſcendente.

Electiones iuxta coniunctiones & aſpectus Lunæ cum locis planetarum radicis.

SI fuerit Lunæ aſpectus Trinus uel Sextilis tui propoſiti die cum Saturno radicis, tunc cum Saturninis res tutè ages, etiam uendendo & emendo bona immobilia. Si Luna fuerit in quadrato uel oppoſito Saturni radicis, cauebis prædicta.

Si fuerit Lunæ coniunctio & aſpectus tui diei cum Ioue radicis, eſt dies fortunata communiter in omnibus rebus, præſertim cum Iouialibus, & in rebus in quibus Iupiter dominium habet, ut emendo & uendendo, & omnibus rebus ſubſtantiæ.

Lunæ ſextilis uel trinus tui temporis cum Marte radicis, dat fortunam & uictoriam in lite, armis, equis, & omnibus quæ ad rem bellicam ſpectant, emendo præparando & induendo, inimicis ſe obuiam dando, bonum eſt agere res cum principibus, equeſtribus & militibus.

Lunæ coniunctio, quadratus uel oppoſitus cum Sole radicis, nocet in omnibus præſertim cum regibus & principibus, ſed eorum trinus uel ſextilis ſunt fortunati cum illis.

Lunæ coniunctio & aſpectus cum Venere radicis, dant fortunam cum mulieribus & uirginibus, conducendo famulos & famulas, noua ueſtimenta induere bonum, & omnia quæ ad iocunditatem ſpectant præſumenda.

Si fuerit Lunæ coniunctio & aſpectus tui temporis cum Mercurio radicis, bonum eſt emere & uendere, age tute res tuas cum ſcribis, mercatoribus, atq; doctis, fac iter, ſcribe epiſtolas, mitte nuncios.

Luna cum peruenerit ad locum partis fortunæ radicis, uel ad eius profectionem uel ad ſecundæ domus profectionem, erit dies fœliciſsimus emptionibus & uenditionibus, & omnibus actionibus ſubſtantiæ & omnibus rebus.

Luna cum peruenerit ad locum Capitis Draconis radicis, erit dies fœliciſsimus in rebus dominorum, uel quæ ſunt de natura Iouis & Veneris. Si ad Caudam radicis, erit infœlix dies, ſicut ſi ad Saturnum & Martem pertingeret.

In omni electione in genere non cadat Almuten natiuitatis. Sed ſi eſt infortuna, ſit in ſuccedente tantum. Aptentur aſcendens & decimum natiuitatis. Laudabile eſt, ſi aſcendens decimum uel undecimum radicis ſit aſcendens electionis, ſi ſaltem libera ſint. Caue ne aſcendens electionis ſit ſextum, octauum, uel duodecimum radicis: Præ omnibus apta aſcendens natiuitatis, eius dominum, Lunam aſcendens electionis, eiusq; dominum.

Inchoa omnia opera tua in hora illa, qua aſcendit illud ſignum, quod aſcendebat in tua genitura, ita tamen quod in quatuor angulis nō ſit aliquis malus, niſi eſſet dominus aſcendentis. Hoc eſt uerum cum in factis tuis caſualibus fueris fortunatus, oportet ergo ut teipſum conſideres. Si uero in communibus tuis factis fueris infortunatus, incipe opera tua in ea hora qua aſcendit ſignum, quod in natiuitate tua fuerit in quinta, uel undecima domo. Et ſemper bonum eſt, ut luminaria ſint in angulis uel ſuccedentibus.

In minutione ſanguinis & omni electione ante omnia conuenit ſcire natiuitatem alicuius hominis, ne aſpicias aſcendens inimicum radici natiuitatis, ſicut illud quod fuit in ſexta, octaua uel duodecima aut in quo fuerunt infortunæ, uel eorum radij quadrati, uel oppoſiti. Et in minutione elige ſigna contraria complexioni, ſicut ſanguineo, terrea: Flegmatico, ignea: Melancholico, aërea: Cholerico, aquea.

Natus nihil noui incipiat quando Luna fuerit in aſcendente, ſexta, ſeptima, aut duodecima, aut quando fuerit in loco Saturni, uel Martis radicis, uel in eorum malis aſpectibus, aut in ſigno quod hora natiuitatis fuerit impeditum.

Quoties Luna uenerit ad ætatem in qua fuerat hora natiuitatis, illa ætas erit nato fortunatiſsima, habilior & conformior cum ſua natura. Ideo natus plus fortunabitur circa ætatem talem Lunæ in ſuis actionibus quàm alijs temporibus. Quare electiones eſſent nato plus conuenientiores alijs, ſi circa illam ætatem poſſent haberi.

CAPVT DECIMVMSEPTIMVM.

Qui ueſtium & equorum colores, quæ metalla, qui precioſi lapides, quiúe ſeptimanæ dies, magis minusúe ſint natis idonei aut fœlices infelicesúe.

COlores ueſtium, & equorum, lapides precioſi, metalla, dies & noctes alicuius planetæ, qui in aliquo angulorum figuræ cœli repertus fuerit (ſeptima excepta) cum dignitate, uel abſq; dignitate, à radijs malorum ſaluus, uel ſi quis in ſuccedente fuerit in aliqua ſuarum dignitatum à radijs malorum liber, erunt nato conuenientes & boni. Si in ſuccedente

abſq; dignitate, uel in cadente cum dignitate à radijs malorum liber, erunt nato indifferentes uel mediocres. Si in ſeptima uel in cadente abſq; dignitate fuerit planeta, Item etiam planetarum retrogradorum, & combuſtorum colores, erunt nato infauſti.

Tabula complectens colores, lapides precioſos, Metalla, dies noctesq́; planetarum.

	Colores ueſtiũ & eq̃rũ	Lapides precioſi	Metalla	Dies	Noctes
♄	Niger, ſchwartz Cinereus, aſchẽfarb Pullus, Erdtfarb	Bruces Nigri & Turbidi	Plumbum	Saturni Samſtag	Martis
♃	Ceruleus, Blaw Flauus, Honigfarb Purpureus, rotprauu	Smaragdus Saphyrus Ametiſtus	Stannum	Iouis Dõderſtag	Solis
♂	Rubeus, Rot	Iaſpis Hemanites	Ferrum	Martis dinſtag	Veneris
☉	Aureus uel Fuluus, Goldtfarb	Hyacinthus	Aurum	Solis Sontag	Mercurij
♀	Viridis, Grün Fuſcus, Braun Fuluus, Leberfarb	Margaritæ, Carbũculus, lapides pro ornamentis.	Cuprum Auricalcum Specula	Veneris Freitag	Lunæ
☿	Exoticus, gemengt vilferbig/frembd Cæſius, Graw	Allectorius, lapides ſculpti imaginibus magicis	Mercurium	Mercurij Mitwoch	Saturni
☽	Pallidus, Bleich Croceus, Gelb Albus, Weiß Criſeus ad albedinem tendens, Weißgraw	Criſtallus	Argentum Vitra	Lunæ Montag	Iouis

CAPVT DECIMVMOCTAVVM.

Quæ regiones, ſiue loca magis conuenientia, quæúe fugienda ſint natis.

REGIONES, Ciuitates, ſiue loca, quæ ſubſunt ſignis, primæ, ſe cundæ, decimæ, uel undecimę domorum. Item quæ ſunt ſub ſigno partis fortunæ, Veneris uel Iouis radicis, ſi non fuerint impedita à malis, uel eorum malis aſpectibus, ſunt nato regiones uel loca proſpera. In illis tutè fac moram, & omnia quæ uelis proſperari age in illis. Sed loca ſub ſignis tertiæ, quintæ, uel nonæ ſunt nato indifferentes, id eſt mediocres. Regiones uero ſub ſignis domorum ſextæ, ſeptimę, octauę, uel duodecimę, etiam quartæ, ac ſub ſignis Saturni, Martis, uel etiam Caudæ draconis radicis, ſunt aduerſæ & contrariæ nato.

♈♌

♈♌♐ Orientalis. ♉♍♑ Meridion. ♊♎♒ Occidenta. ♋♏♓ Septentro.

Si Aſcendens fuerit ex his ſignis, erit nato talis plaga mundi à loco ſuo natiuo fortunata. Et plaga illi oppoſita infortunata, ut ſi cui plaga orientalis fuerit fortunata, erit illi quarta occidentalis infortunata, & econuerſo &c.

Vndecima, duodecima, prima, Oriental. Secunda, tertia, quarta, Septentrionalis. Quinta, ſexta, ſeptima, Occidentalis. Octaua, nona, decima, Meridionalis.

Si aliqua ex his domibus tenuerit partem fortunæ, uel dominum eius, Iouem, uel Venerem, erit talis plaga mundi nato fortunata. Si uero aliqua ex his tenuerit Saturnum, Martem, uel Caudam, erit talis plaga nato infortunata.

Regiones mundi, prouinciæ, & ciuitates, quæ ſubſunt ſignis duodecim zodiaci.

ARIES habet Germaniam, Britaniam, Galliam, Baſtarniam, Syriam, Paleſtinam, Poloniam minorem, Burgundiam ſuperiorem, Sueuiam, Sileſiam ſuperiorem, partem Vueſtriæ, Neapolim, Florentiam, Capuam, Ferrariam, Vicentiam, Veronam, Bergamum, Imolam, Patauium, Brunſuicum, Vtricham, Lindauiam, Cracouiam, Marſiliam, Sarrogoſſam.

Taurus habet Parthiam, Mediam, Perſiam, Inſulas Arcipelagi, Cyprum, Aſiæ minorem partem ad mare, Poloniam maiorem, Ruſsiam albam, Campaniam, Rhetiam, Heluetiam, Franconiam Lotharingiam, Hyberniam, & Suetiæ partem, Irlandiam, Palerniam, Bononiam, Sene, Mantuam, Tarentum, Parmam, Panormum, Thuregium, Lucernam, Herbipolim, Caroloſtadium, Metim, Brixiam, Caput hiſtriæ, Gneſnam, Poſnam Nouogardiam, Nanceium, Burgim Hiſpaniæ, Lipſiam.

Gemini habent Hyrcaniam, Armeniam, Martianam, Cyrenaicam, Prouinciam, Marmaricam, inferiorem Aegyptum, Angliam, Sardiniam, Brabantiam, Vuirtenburgenſem ducatum, Flandriam, Longobardiam, Viterbium, Ceſanam, Taurinum, Rhegium, Vercellum, Noribergam, Louanium, Moguntiam, Babenbergam, Brugim, Villacum, Kitzingum, Hasfordiam, Londinum, Cordubam.

Cancer habet Numidiam, Africam, Bithyniam, Phrygiam, Colchiden, Carthaginem, Regnum Franciæ, Regnum Scotiæ, Regnum Granatæ, Comitatum Burgundię, Pruſsiam, Holandiam, Selandiam, Conſtantinopolim, Thuniſſam, Venetias, Mediolanum, Genuam, Lucam, Piſam, Lubecum, Treuerim, Magdeburgum, Gorlitium, Bernam, Eboracum, S. Andream. Meo Iudicio Noriberga, & meæ opinioni accedit Ptolemæus grauiſsimus autor in ſecundo de Iudicijs capite de familiaritate locorum cum triangulis.

Leo habet Phœniciam, Chaldæam, Orchiniam, Italiam, Galliam Tugatam, Syciliam, Apuliam, Regnum Bohemiæ, Thurciæ partem, Aemiliam, Sabinam, Damaſcum, Romam, Rauennam, Syracuſam, Peruſium, Cremonam, Pregam, Vlmam, Confluentiam, Linceam, Cremiſium.

Virgo habet Meſopotamiam, Babyloniam, Aſſyriam, Græciam, Achaiam, Cretam, Ciliciam, Croaciam, Ducatum Athenienſem, Carinthiam, Sileſiam inferiorem, Atheſanam, Prouinciam, partem Rheni, Rhodum, Alexandriam, Hieroſolymam, Corinthum, Papiam, Nouariam, Aretium, Cumanam, Brunduſium, Vratislauiam, Erdfordiam, Baſileam, Heidelbergam, Segniam, Lutetiam Pariſiorum, Lugdunum, Toloſam.

Libra habet Bactrianam, Caſpiam, Seres, Thebaidam, Oaſim, Trogloditicam, Aethiopiam, Thuſciam, Auſtriam, Alſatiam, Sundgauiam, Liuoniam, Sabaudiam,

diam, Delphinatam, Caietam, Laudam, Sueſſam, Placentiam, Argentoratum, Viennam Auſtriæ, Francofordiam ad Mœnum, Spyram, Halam Sueuorum, Haylprunnam, Vuimpinam, Landshutam, Friſingam, Moſpachium, Veldkirchium, Arelatum, Lyſibonam.

Scorpius habet Matagonitidam, Commagenam, Capadociam, Syriam, Iudæam, Idumæam Mauritaniam, Getuliam, Nordbegiam, Suetiam occidentalem, Cataloniam, Bauariam ſuperiorem, Foroiulium, Trapezontium, Algeram, Aquileiam, Paduam, Vrbinum, Piſtorinum, Camerium, Brixiam, Taruiſium, Maſſanam, Gedanum, Lipſiam ſecundum aliquos, Monacum, Aychiſtadium, Viennam Allobrogum, Valentiam Hiſpaniæ.

Sagittarius habet Arabiam fœlicem, Tyrrheniam, Celticam, Hiſpaniam, Portugaliam, Vngariam, Dalmatiam, Morauiam, Sclauoniam, Myſnam, Volaterram, Mutinam, Coloniam Aggrippinam, Stutgardiam, Rotenburgum ad Tuberim, Iudenburgum, Budam, Caſchouiam, Narbonam, Auinionem, Toletum, Noribergam ſecundum Ioannem Vuernerum.

Capricornus habet Indiam, Ariamam, Gedroſiam, Macedoniam, Illyriden, Thraciam, Buſſniam, Albaniam, Bulgariam, Græciam, Lituaniam, Maſſouiam, Saxoniam, Thuringiam, Heſsiam, Marcham ſtyriæ, Brandenburgum, Anchonam, Fauentiam, Tortonam, Foroiulium, Auguſtam Vindelicorum, Conſtantiam, Iuliacum, Cieuoniam, Bergam, Gandauum, Mechliniam, Vilnam, Oxonium, Orchades inſulas.

Aquarius habet Oxianam, Sogdianam, Arabiam petræam, Azaniam, Aethiopiam, Sarmatiam, Tartariam magnam, Daniam, Ruſsiam rubeam, Amaxobiam, Suetiæ meridionalem partem, Vualachiam, Pedemontium, Vueſtphaliam, Moſellanos, Alkeyram, Monferrat, Piſaurum, Tridentum, Hamburgam, Bremam, Saltzeburgum, Ingoloſtadium, partem Bauariæ.

Piſces habent Phazaniam, Nazomonitidem, Garamantes, Lydiam, Ciliciam, Pamphiliam, Calabriam, Nordmanniam, Parentium, Ratisbonam, Vuormaciam, Rothomagum, Compoſtellam, Hyſpalim, Roanam, Sybiliam.

DE ÆQVATIONIBVS DOMORVM COELI.

CVM mihi uniuerſum hoc doctrinæ genus de iudicijs natiuitatum pro mea uirili diligenter ac fideliter explicandum ſumpſerim, non alienum ab officio & inſtituto meo eſſe putaui, ſi hoc loco breuiter ſtudioſos admonerem, primum de uarijs opinionibus ac rationibus conſtituendorum thematum cœleſtium à diuerſis, ac maximè neotericis autoribus inuentis ac traditis: Deinde etiam de modo Ptolemæi, ac ueterum Aſtronomorum, quem tam in erigendis figuris cœleſtibus, quàm in obſeruationibus ac præceptis huius diuinæ artis ſecuti ſunt ingenioſiſsimi ac præſtantiſsimi rerum cœleſtium inquiſitores, à quorum autoritate & regulis, niſi nouam prorſus uellemus effingere artem (quod profecto non unius eſſet ſeculi, nedum hominis opus) nobis non eſt diſcedendum. Nolo autem hac in parte cuiquam obſtare meum iudicium quo minus ipſe uel fingat, uel retineat qualeſcunque uel ſuas, uel aliorum opiniones: Tantum hoc admonitum uelim lectorem, iſta præcepta quæ in hoc opus congeſsimus, ſicut à ueteribus deſumpta ſunt, ita ad æquationem duodecim domorum cœli, priſcis illis artificibus uſurpatam, referenda eſſe.

Primum

Primum igitur uetuſtiores quidam ante Campanum, domos ſeu loca cœli diſtinguebant, per circulos magnos in utroq; polo mūdi coeuntes, qui cum meridiano & horizonte totum zodiacum atq; adeo uniuerſum cœlum in duodenas partes (inæquales tamen) diſtribuebant hoc modo: Conſtitutis primum quatuor cœli cardinibus, & habita Aſcenſione recta Medij cœli, obſeruabant partes zodiaci horizontem orientalem & occiduum occupantes, quæſitisq; earum aſcenſionibus rectis, pro conſtituendis geminis domicilijs in parte cœli orientali, ſubtrahebant aſcenſionem rectam Medij cœli ab aſcenſione recta Horoſcopi. Deinde interuallum hoc in tres æquales arcus diuidebant, ac in termino primi arcus à medio cœli uerſus ortum numerando, conſtituebant principium undecimæ domus. In termino uerò ſecundi arcus ab eodem loco, initium duodecimæ determinabant. Simili prorſus ratione pro geminis occidentalibus cœli locis, nona ſcilicet & octaua domo inquirendis, aſcenſionem rectam gradus occidentis, ab aſcenſione recta Medij cœli ſubducebant, arcuq; reſiduo, ut ſupra, in tres portiones æquales diſtributo, in fine portionis primę à Medio cœli uerſus occaſum limitem nonæ domus promouebant, ſed in extremitate ſecundæ portionis principium numerandæ aſcenſionis rectæ octauæ domus faciebant. Hiſce ſingulis æquatoris arcubus reſpondentes zodiaci partes ex tabula Sphæræ rectæ eliciebant: Subterraneas uero domus ex oppoſitis illarum locis facilime definiebant. Iſtis poſtea ſucceſſerūt Campanus & Gazulus, qui Cardinalia quidem puncta eadem retinentes, reliqua cœli domicilia diſtinxerunt per quatuor circulos magnos tranſeuntes utrinq; per communes interſectiones horizontis & meridiani. Deinde per zenith cuiusq; loci imaginabantur circulum magnum ad angulos rectos Sphærales incidentem tam meridiano quàm horizonti. In hoc circulo ſumebant interualla prædictorum circulorum, domos cœleſtes diſtribuentium, ad tricenos gradus eiuſdem. Sed hæc opinio cum priori iam pridem à Regiomontano uiro doctiſsimo exploſa eſt, qui docuit interualla iſtorum circulorum non in uerticali, ſed in æquinoctiali circulo, regulatore primi mobilis, capienda eſſe ad tricenos eiuſdem gradus. Ingenioſè ſunt hæc & eruditè tam cogitata quàm tradita. Ac facile his, præſertim Clariſsimi Mathematici Regiomontani noſtri demonſtrationibus & rationibus aliorum artificum acquieſcerem, niſi me & Phyſicæ rationes, & antiquior Ptolemæi & aliorum autoritas aliò potius inclinarent, quos præſtantiſsimos ac uetuſtiſsimos artifices ſequutos eſſe non dubitamus. Nam antiqui illi ſapientes, cum, haud dubie duce Deo, animaduertiſſent ſtellas errantes uiam Solis tanquam Regis ac Ducis ſui ueſtigia ſectari, ac in circulo obliquo quem poſtea à duodecim imaginibus zodiacum appellarunt, uarias ac inſignes ciere mutationes, ac uiciſsitudines in corporibus ac rebus inferioris naturæ, pro diuerſis concurſibus ac configurationibus in eodem limite, partim inter ſe, partim etiam cum ſtellis hærentibus, diuina planè ingeniorum ſagacitate, primum obſeruatis punctis, æquinoctiorum ac Solſtitiorum, circulum ipſum per duos coluros in quatuor partes diſtribuerunt, ijsq; quatuor temporum anni uiciſsitudines diſtinxerunt. Poſtea eundem in duodenas ęquales partes (quibus ſignorum appellationem dederunt) propter duodenas Lunæ, Solisq; ſynodos in annuo ſpacio, ſeu reuolutione Solis fermê contingentes, ſubdiuiſerunt, circulis magnis utrinq; per polos zodiaci deductis, ſingulorum ſignorum initia finesq; diſcernentes. Singulis deinde duodenis eius circuli tricenas aſsignarunt partes, diligenter obſeruantes, quæ quibus in partibus, cuiusúe qualitatis, aut naturę eſſent ſidera. Item qui ſingulorum planetarum in diuerſis partibus eius circuli effectus eſſent.

Hoc modo primum conſtituto influentiarum circulo (cuius obliquitatem Philoſophus quoq; affirmat eſſe cauſam generationum & corruptionum) cum depræhendiſſent, poſtea longo rerum cœleſtium ac communium uſu edocti, diuerſos eſſe

ſtellarum

ſtellarum ac ſignorum effectus in alijs atq; alijs cœli partibus, ijſdem prorſus rationi
bus, monſtrante uiam experientia, ſitus ſignorum ſeu translationes partium zodia-
ci, ſingulis mométis in ipſo cœlo diſtinxerunt. Primũ in quadrantes, officio horizon
tis, & circuli magni utrinq; per polos zodiaci ac loci uerticem tranſeuntis: Deinde
ſingulos quadrantes in ternas duodenas æquales prius conſtituti influentiarum cir-
culi, per circulos magnos ex polis eiuſdem (ut ſupra) deductos partiti ſunt, quas do-
mos cœleſtes appellarunt, ſequuti plané & numerum & rationem duodecim ſigno-
rum, & ad eundem influentiarum circulum omnes obſeruationes ſuas referentes, &
decanos, & terminos ſignorum in illis duodecim locis diligentiſsimé, cum ſuis ac
ſtellarum in ijs congredientium effectibus, notarunt. Et ſicut uidemus eos primum
in uniuerſum pro ſignorũ naturis definiendis qualitates quatuor elementorum imi-
tatos eſſe, ita ut primum quidem zodiaci ſignum igneum conſtituerint, alterum ter-
reum, tertium aëreum, quartum aquoſum: quo etiam ordine ac modo ſignorum tri-
plicitates diſtributas eſſe apparet: Sic in his quatuor cœli cardinibus, ſeu angularibus
cœli domicilijs conſtituendis, eandem prorſus rationem qualitatum primum in ge-
nere eos ſequutos fuiſſe conſtat. Eo pacto ortiuum quidem cardinem, qui nobis So
lem caloris & ſiccitatis autorem ſingulis diebus aduehit, igneum eſſe, oppoſitum ue-
ro occidentem aquaticum eſſe, quia nobis Solem aufert, cuius diſceſſum frigiditas &
humidæ ſubſequuntur tenebræ. Medium autem inter utrunq; cardinem (quod Me
dij cœli culmen appellarunt) ab orientali quidem parte caliditatem, á cadenti uero
humiditatem mutuari, ac aëream conſtitutionem referre ſenſerunt. Huic uero oppo
ſitum angulum ad ſeptentrionem, ab occaſu quidem frigiditatem, ab orientali uero
parte ſiccitatem ſibi aſciſcere, atq; terræ naturam ſeu qualitatem imitari dixerunt: ita
ut ſi ab ortu per meridiem, dehinc in occaſum, ab eoq; uerſus imum cœli naturas car
dinum expendas ac numeres, & ordinem, & qualitates elementorum in ipſis cardi
nibus agnoſcere poſsis. Atq; huic cardinum diſtributioni ac deſcriptioni ipſorum
etiam uentorum ab eiſdem flantium qualitates reſpondent, ac ſuffragantur, ut non
inanem tantum ſpeculationem, ſed ipſius naturæ quaſi ſuffragium & conſenſum in
hac diſtributione cardinum ſequuti eſſe uideantur. Quin ipſa etiam ſigna in quoui
themate cœleſti, quatuor angulos ſiue cardines occupantia, ſecundum hanc uiam an
tiquiſsimorum ſapientum ſemper qualitates quatuor elementorum referunt, adeo u
in his cardinibus cœli conſtituendis erudité etiam reſpexerint ad cauſas generatio
num & corruptionum, inq; ipſo cœlo naſcendi moriendiq; principia inueſtigarint
Tantusq; eſt horum cardinũ inter ſe conſenſus, ac ſimilitudo præter illam qualitat
diuerſitatem, ut ſi in uno cardine fuerit ſignum mobile, reliqua etiam tria in alijs car
dinibus ſimiliter ſint mobilia, ſin fixum fuerit unius cardinis ſignum, fixa ſint & re
liqua neceſſe eſt. In hanc ſententiam Albumaſar laphar dictus in ueteri translation
qui fuit poſt Ptolemæum annis 694. maioris ſui introductorij tractatu ſexto, diffe
rentia octaua, inquit. Omnia indiuidua ex quatuor elementis efficiuntur, per ſigni
cationes ſignorum. Nam cum fuerit Aſcendens alicuius animati aliquod ſignoru
ex ſignis zodiaci, inuenies ſigna ſignificantia quatuor elemẽta in angulis, ut comm
ſceantur ad inuicem. Verbi gratia: Cum fuerit Aſcendens Aries igneus, erit Capr
cornus terreus in decima domo, & Libra aërea in angulo ſeptimæ, Cancer ue
aquaticus in 4. domo. Item Abrahamus Auenezre, qui fuit poſt Chriſtum ann
1145. in libro ſuo introductorio, qui principium ſapientiæ inſcribitur, capite tert
ſequens Albumaſarem dicit: Si Aries fuerit aſcendens, erit decima domus C
pricornus &c. Atq; eadem eſt etiam uia & ordo ſuccedentium atq; cadentium &
Ioannes etiam Hiſpalenſis unus ex recentioribus in ſuis Iſagogis hanc æquale
domorum diſtributionem uidetur innuere cum dicit: In omni hora firmamentu
in duodecim partes diſtribuitur, quæ domus dicuntur, & prima incipit á grad
Aſce

Aſcendentis,& comprehendit totidem gradus ſequentis ſigni,& ſic uſq; ad duodecim domos per gradus æquales. Idem ſenſit ſummus ille Aſtrologorum princeps & inſtaurator harum diſciplinarum Ptolemæus,qui uixit poſt Chriſtum annis 150. qui tractatu tertio,capite nono,ubi de his qui non creuerunt,ſcribit de figura æquicruria,quæ accidit in æquatione domorum,quæ fit per gradus æquales, cuilibet domui annumerando 30.grad.zodiaci. Quòd tantum contingeret in noſtra eleuatione 49½ graduum,ſecundum ſupradictos tres modos æquationis domorum, dum Sol fuerit in principio ♋,cum ille hũc canonem generalem eſſe uoluerit. Idem Ptolemæus eodem tractatu,cap.10.de uitæ ſpacio uult quòd 5.grad.ſigniferi præcedentes cuſpidem domus,& 25.mox ſequentes, teneant uirtutem talis domus, ita quòd quælibet domus contineat æqualiter 30. gradus zodiaci. Idem autor tractatu 4. cap.5. de filijs dicit: Quoniam de filijs poſt patrimonium conſequenter tractandum eſt,planetas qui in circulo per Zenith capitum noſtrorum &c. Hinc poteſt intelligi circulum qui tranſit per Zenith capitis noſtri, & per polos zodiaci non temere,aut hodie primum à nobis poſitum eſſe. Is enim ſingulis momentis diſtinguit quatuor quadrantes cœli,ac cõſtituit figuram Aequicruriam,de qua ſupra dixit Ptolemæus noſter determinans initium decimæ domus,quæ media eſt inter Aſcendens & Occidentem. Item ex Pontani quoq; uerbis colligi poteſt, quæ extant lib.2.cap.1.de rebus cœleſtibus, ubi inquit: Fit autem ut cum ſigna 12. ſigniferum conſtituant, 12. quoq; cœli loca, ſiue 12. (ut hodie à noſtris uocantur) domus conſtituendæ ſint. Omnem igitur cœli orbiculationem ab Horoſcopo progreſsi eodem regredientes in loca 12.partiemur. Quòd autem inter Medij cœli apicem, gradumq; horoſcopantem ſpacij interiacet, tum quadram,quadraturam, quadrantemúe uocabimus. Quò fit ut ſignifer ipſe quatuor etiam in partes ratione hac diſtribuatur,unde quadræ dictæ ſunt. Audis hic primo ueteres conſtitutionem 12.locorum cœli à ſignifero ſumpſiſſe. Audis à gradu horoſcopante in gradum Medij cœli quadrantem circuli numerandum,audis zodiacum ipſum in quatuor partes hac ratione diſtribui, quæ inde quadrarum appellationem retinuerunt, quæ aliter conſtitui nequeunt, niſi poſito circulo illo quem diximus tranſire per Zenith cuiuſq; loci,& per polos zodiaci. Idem paulo poſt cap.3.apertius fatetur. Placet autem Ptolemæo cæteriſq; diſciplinæ huius inſtitutoribus partes quinq; Horoſcopum progreſſas,ipſi Horoſcopo attribuere,atq; inde proficiſci, donec 30. graduum numerus compleatur. Idq; etiam cæteris in locis è triginta ſimul partibus ſtatuendis ſeruandum tradunt. Hæc Pontanus,quamuis in ſequentibus labaſcens nonnihil: Tamen in his uerbis præceptoris ſui Iulij Firmici ueſtigia pulcherrimè ac planiſsimè referens. Qui quidem Firmicus primus Aſtrologiam latinè conſcriptam nobis reliquit,ac fuit poſt Ptolomæum annis 170. Hic lib. ſuo 2.cap.22. hanc diſtinctionem 12.domorum cœli ſecutus longiſsimè proſequitur. Neq; uerò obſcurè teſtatur domiciliorum cœleſtium antiquitus perpetuò æqualem fuiſſe in ſignifero diſtributionem illa uetus domorum conſtitutio in figura ſedecim laterum, quam à ueteribus acceptam,etiam hodie recentiores medici in iudicio dierum Criticorum obſeruant,in qua quælibet domus uicenis,biniſq; gradibus ac ſemiſſe unius in zodiaco tantum diſtinguuntur,ab Horoſcopo æquabili facto progreſſu. De qua re Auguſtinum Niphum de calamitatibus huius ſæculi. Lege etiam quartum Pontani caput, eiuſdem libri 2. de 12. ſigniferi locis,& manifeſtè depræhendes,cum loquitur de locis 12. præcipuè uerò de 3.& 4.domo,ipſum ad hunc modum æqualem reſpexiſſe. Nam & primam inquit irradiationem eſſe inter primam & tertiam. Et de quarta inquit. Sic non prodibit ſupra terram primus Arietis gradus,niſi Cancer Imum cœli locum tenens,motu atq; detruſu ſuo gradus illos Arietis in altum propellat. Hæc uideat ſtudioſus, utrum in ſupradictis modis perpetuo uera eſſe poſsint. D. Hieronymus

ronymus Cardanus Mediolanenſis,uir magnæ & excellentis doctrinæ, ſcribit de
quodam paride Cereſario,qui in diuidendis domibus eclipticam per æqualia ſeca-
uit,deductis ex eius polis circulis,ſic inquiens:Par enim erat diuiſionem circuli re-
ctam fore,& per polos eoſdem eſſe,nec domorum diuiſio particularis eſſe poterat.
Nam quemcunq; ex tribus alijs modis amplexus fueris,non habebis inſeruientem
uniuerſis,& qui in gelida,& qui in feruida habitant regione. Quapropter cum co-
geremur aliquem punctum in ſumma fortitudine exiſtentem ſupponere, hic autem
ſuper uerticem neceſſario erat,uiſum eſt,ut punctus ille ſeorſum quaſi cor cœli pone-
retur,atq; ediuerſo contrarius ſub terra. Alia eſt enim ratio fortitudinis, alia ſignifi-
cati,hæc ille. Porrò in hoc Ptolemæus,ac penè omnes conſentiunt Aſtrologi, quòd
domus ſecunda,ſexta & octaua non aſpiciant Aſcendens,qui Aphoriſmus per alios
tres modos ęquationis domorum te ſæpiſsime fallet,nec poteſt eſſe perpetuo uerus,
niſi in hac æquali diſtributione domorum in zodiaco. Quia cum uiceſimus gradus
Capricorni aſcendit in latitudine regionis 54.graduum,tunc ſecundum modum ra-
tionalem Ioannis Regiomontani,erit initium ſecundæ domus uiceſimus Piſcium,
ibi ſecunda domus aſpicit ſextili aſpectu partili aſcendentem. Item in octaua erit
uiceſimus Virginis,qui gradus ex trigono intuetur uiceſimum Capricorni,quem
Horoſcopum occupare diximus. Conſideremus adhuc aliud exemplum,quo oſten-
demus manifeſtiſsimè,quòd ueteres ſuas obſeruationes influentiarum ad hunc do-
morum canonē haud dubie retulerint. Ptolemæus uerbo 37. Centiloquij dicit. Qui
habuerit ♍ uel ♓ in aſcendente,illi ipſi erunt cauſa ſuæ potentiæ. Nam quando Vir-
go aſcendit,erunt ♊ (alterum ☿ ſignum) in decima,qui locus eſt honoris,magiſterij,
ac poteſtatis. Sic qui Piſces in aſcendente habuerit, Sagittarium in medio cœli cul-
mine habebit. Item qui habuerit Capricornum in aſcendente,erit intentus in acqui-
ſitionem ſubſtantiæ,quoniam habebit Aquarium in ſecunda, quorum dominus eſt
unus & idem planeta Saturnus. Quantum autem abſint â ueritate horum Aphoriſ-
morum reliquæ domorum æquationes, & ipſe experieris haud difficili calculo, &
ſupra uidiſti in unico exemplo. Ac talia præcepta adhuc plura reſtant in Aſtrologia
conſideratu digniſsima,quale ſupra etiam recitauimus de qualitatibus ſignorum in
quatuor cardinibus, quæ omnia euerti neceſſe eſt, ſi quem alium modum præter
iſtam æqualem domorum in zodiaco diſtinctionem ſecuti fuerimus. Imò ipſa pror-
ſus principia artis corruant oportet,omnesq; influentiarum ſignificationes â ſigni-
fero ad alios ficticios transferantur circulos neceſſe eſt,ſi alios modos uel retinere
uel defendere uoluerimus,quod tamen nemo niſi prorſus ignarus ueterum Aſtro-
logiæ conceſſerit. Eandem prorſus rationem uidemus ſecutos eſſe artifices harum
diſciplinarum in diſtributione domorum cœli, pro regimine annuo deſcribendo,
ibi enim initio primæ domus aſsignant ſignum,gradus & minuta loci Solis,nume-
rando deinceps reliquarum cuſpidum initia ad tricenas zodiaci partes, ſicut ſupra
docuimus in capite de regimine annuo ex tranſitu Solis &c. Eundem prorſus mo-
dum in reliquis ſignificatoribus obſeruarunt,ſicut in præcedentibus capitibus uide-
re potes,& in pleriſq; antiquioribus Aſtronomis. Supra dixi me pro mea fide ſin
cuiusquam contumelia admoniturũ ſtudioſos de uera & antiqua uia erigendi figu-
ras cœleſtes,Id quod nunc quoq; proteſtor. Tantũ enim abeſt, ut cuiuſquàm repræ-
hendẽdi uel ſtudio uel animo iſta dicta uelim,ut ingenuè fatear,me laudare ingeniũ
illorum in indagandis illis rationibus æquationum domorũ cœleſtium,ac me etiam
quemcunq; domorũ conſtituendarũ modum tolerare poſſe,ſi ſimul cũ thematũ mu-
tatione,ueterũ quoq; de hac arte pręceptis(ꝙ neceſſe eſt)& obſeruationib. repudia-
tis,ipſa nouũ prorſus ac ſuis æquationibus conſentientẽ Aſtrologiã & obſeruaſſen
de integro,& ſtudioſis explicatã tradidiſſent. Sed cũ præcepta ueterũ fundamenti
innitentia,nemo uel mutarit uel repudiarit hactenus, ac reliquæ omnes æquatione

duode-

duodecim locorum cœleſtium ab illis regulis alieniſsimæ ſint, putaui ſtudioſos pro mea fide ea de re eſſe admonendos, ne errarent in iudicando ſecundum regulas priſcorum ſapientū in tanta figurarum ſeu thematū cœleſtium diuerſitate. Quare mihi ignoſcant, quibus uel rationes Regiomontani (quas nec ego damno) uel aliorū ſententiæ arrident, per me enim licet, ut cuiqꝫ ſuus placeat mos. Ego cum uiderem hæc à Phyſicis rationibus obſeruationibusqꝫ, ac præceptis ueterum diſsidere, quæ mea eſt fides, hæc diſsimulare nec potui nec debui. Alia eſt enim ratio ſignificationis qualitatis, aut influentiæ duodecim locorū cœli, quæ ab inuentoribus Aſtrologię ad zodiacum relata eſſe apparet, alia temporum ac directionū, quę illis ſubſeruire, non pręferri, aut imperare debent. Motum enim ſtellarum quem in zodiaco conſideramus & naſcendi, & moriendi cauſam eſſe conſtat inter philoſophos: tempus uerô fluere è motu, eſſeqꝫ eius, quaſi obſeruationem quandam, non eſt Mathematici dubitare, cuius autorem eſſe Solem etiam indocti uident. Cæterum ut hoc quoqꝫ obiter admoneam: Quæri poteſt in æquatione domorum æquali, cur ab Horoſcopo potius quàm ab alio quouis cardine inchoauerint numerationem domorum. Id pulchrè & eruditè explicat his uerbis Pontanus libro 2. ca. 2. Cœli pars aſcendens genituræ tempore, qui ὡρόσκοπος græcè dicitur, primam nati ætatem indicat, Culmen, id eſt, cœli medium ætatem nati eiuſdem mediam, occaſus ipſe ultimam, Imum mortem uitæqꝫ ipſius exitum, quiqꝫ poſt mortem futuri ſint honores, aut opprobria, Rectè quidē atqꝫ appoſitè hæc omnia. Etenim ſi cœli ac ſtellarum motus orbiculatioqꝫ cauſa ſunt omnium, quæ in parte hac mundi tum generando, tum corrumpendo fiunt, & eſt aliquod, ut quidem eſt, uitæ principium, quemadmodū homo in lucem uenire, hoc eſt, in uitam dicitur, quo tempore ex utero matris prodit: ſic cœli pars ipſa quę ſupra terras tunc exit, comitaturqꝫ motu atqꝫ aduentu ſuo prodeuntis hominis ex utero motum, uidetur primæ huius commotionis, primæqꝫ ætatis ius iudiciumqꝫ penes ſe meritò quidem aſſumere: quæ uerò ei opponitur occidens cœli pars, obitus atqꝫ corruptionis. Vnde à nobis in Vrania noſtra non temere dictum uideri poteſt.

Vita tibi motusqꝫ animi quærendus ab ortu,
Vnde etiam toto lux ipſa effunditur orbe,
Surgit ab occaſu mors importuna maligno,
Qua tenebræ, qua nox nigrantibus aduolat alis.

Verum de duodecim domibus, ſeu ut ipſe uocat, de duodecim ſigniferi locis, lege copioſius caput quartum eiuſdem libri. Hinc uidemus omnes Aſtrologos magnam uim tribuere illi parti, ac principio monere, ut uerificetur gradus aſcendentis, quantum fieri poſsit propinquius, non obſcurè ſignificantes, hoc uerificato, cæteras etiam omnes cuſpides iam fore notas & conſtitutas.

Canon autem huius æquationis facilimus eſt: Quære aſcenſionem rectam ueri loci Solis temporis tui propoſiti, cui adde aſcenſiones horarum & minutorum temporis propoſiti, & colliges aſcenſionem rectam Medij cœli. Cum ea intra tabulam eandem Medij cœli, & per eam excipe ſignum, gradum & minutum Medij cœli, quod ſeorſim Cor cœli nominabitur, Deinde adde huic aſcenſioni rectę Medij cœli 90. gradus, & colliges aſcenſionem obliquam aſcendentis. Per hanc aſcenſionem obliquam aſcendentis, accipe ex tabula Regionis tuæ ſignum & gradum &c. Aſcendentis. Deinde fac ſimilem numerum graduum aſcendentis ad quamlibet domum, & inſcribe ſigna à ſigno aſcendentis iuxta ordinem ſignorum, nullum ſignum omittendo. Quòd ſi, ut aliquando contingere poſſet, quòd cuſpis alicuius domus initium ſuum ſumeret in ultimis quatuor gradibus alicuius ſigni, tunc tota talis domus dijudicanda erit ſecundum ſignum mox ſequens illos ultimos gradus. Vt ſi cuſpis domus ſecundæ eſſet 26. Tauri, illa domus non eſſet dijudicanda iuxta Taurum, ſed iuxta Geminos, quare tunc Mercurius eſſet dominus ſecundæ; Sic de reliquis.

And.

And. In æquandis domibus malo ſequi autoritatem Ptolemæi & Regiomontani ſummorū artificum. Ptolemęus enim apertè domos diuidit, ſecto in 12. partes æquales Aequatore, & ex communi interſectione Meridiani ac Horizontis, per eaſdem circulos magnos deducit. Quod autem obijcitur de 5. gradibus ante, & 25. poſt, item de aſpectibus domorum, eruditè explicat Cardanus in ſuis commentarijs ſuper quadripartitum, ad cuius ſcriptum potius lectorem mittere, quàm ea pluribus hic commemorare, libuit. Hoc tamen ſilentio prætereundum non eſt, me à quodam amico audiuiſſe, Lutetię quendam, neſcio quam nouam diſtinguendi rationem fingere, quæ non, ut reliquæ, particularis, ſed uniuerſalis, ut inquit, quaſi uero ille rationabilis modus uniuerſalis non ſit. Et ſi autor, fortaſſe lucem ueritus, tantam artem non prodat, attamen facile conijcio, hac eum uia uti. Circulum Aequatorem proculdubio diuidit in duodecim partes æquales, incipiendo à Meridiano, & per ſectiones ex mundi polis circulos domorum educit, & ita fit, ut rarò prima domus ſit eadem cum parte Zodiaci, quam Horizon ſciat, ſed ut quandoque ſupra, quandoque infra finientem cadat, idq; uel uetuſtiores ignoraſſe, uel certe poſteris tradere noluiſſe, O inſigne inuentum, ſed huius claudo inuento in noſtris Aſtrologicis ſupra Ptolemæum annotatiunculis breui reſpondebimus. Alij fingunt Ptolemæum neſciuiſſe immutata eſſe puncta æquinoctia à prima Arietis ſtella, ideoq; Aſtrologiam priſtino nitori reſtituere conātur, ac reiectis Dodecatemorijs Zodiaci Aſtariſmis utuntur, ſed & hi primum Ptolemæi, ubi de finibus circa finem loquitur, ſe nondum legiſſe, & præter meritum tantum artificem inſcitiæ inſimulare, ſatis declarant.

Sed eo impudentiæ uentum eſt, in petulantia ingenia, ubi ſcriptum aliquod per tranſcennam uiderint, ſtatim carpant, reijciant, ac de tantis autoribus ſine ullo iudicio ſententiam dicant.

F I N I S.

TABVLÆ ASTRONOMICÆ, quas uulgo, quia omni difficultate & obſcuritate carent, Reſolutas vocant, ex quibus

cum erraticorum, tum etiam fixorum ſiderum motus, tam ad præterita quàm futura, quantumuis etiam longa ſecula, facilime calculari poſſunt, per Ioannem Schonerum Mathematicum diligentiſsimum correctæ & locupletatæ.

Præfatio D. Philippi Melanchthonis in eaſdem Aſtronomiæ commendatoria.

AMPLISSIMO SENATORVM ORDINI CIVITATIS Noricæ Dominis prudentiſsimis, Ioannes Schonerus Caroloſtadius, S. P. D.

ASTROLOGIAM olim, P.C. non niſi apud ſummos Reges in precio fuiſſe, nemo qui temporum legerit hiſtorias, ignorat. Sublimior enim ea cognitio habita eſt ſemper, quàm ut uulgi humilitas ad eam aſcendere poſſet unquam. Nam naſcendi, moriendiq́ cauſam ex motu prouenire cœli, tanquam occaſum ab ortu, aut finem ab initio, à non niſi ſummis ingenijs percipitur ſatis. Quinetiam uniuerſa illa rerum natura, quid aliud eſt, quàm ordinata quædam, ſibiq́ ſemper conſtans immutatio, atq; conuerſio? Quid illa rerum cum generatio, ut uocant, tum corruptio; quid deniq; uita & mors eſt animantium, quàm quidam ab initio ad finem uſq; motus? Præterea quid motus ille cœli, tum ſtellarum aliarum radiationes mortalium generi præſtent, ex ipſius Solis & Lunæ motibus exiſtimare licebit. Sol enim non ſemper eaſdem & ſimul æquales in corporibus noſtris excitat qualitates, ſed pro ea regione cœli quam peragrat, dum eſt aut propinquior aut remotior à conſpectu noſtro, agere manifeſtiſsime comprobatur. Quare cum hæc ita eſſe intelligerem, operæ precium me facturum exiſtimaui, ſi motus cum errantium, tum fixarum ſtellarum, earundemq́ longitudines, & latitudines; Itemq́ coniunctiones, oppoſitiones & aſpectus luminarium & planetarum adinuicem; Deniq; etiam rationem æquationum duodecim domorum cœli, iuxta modum omnino rationabilem, quo uſus eſt iam ante nos uir calculis doctorum omnium incomparabilis Ioannes de Monte regio, in lucem æderem; quæ nunc omnia cura & diligentia mea non ſolum emendatiora, ſed & iuſta laboris mei acceſsione locupletiora, auctioraq́ habere poſſunt ſcholæ. Etenim hunc laborem meum & ſcholis noſtris prodeſſe ratus ſum plurimum, dum eo ingenia iuuentutis præclara, ad præclariſsimum (ut ita dicam) deorū munus pertinaci ſtudio perſequendum inuitarem, & eos qui alioqui ſua ſponte Mathematicas diſciplinas amor complectuntur, mihi redderem coniunctiores. Iam uero cum ſciam neminem melius mereri de humano genere, atque eos qui recta ſtudia promouere, ipſeq́ mihi hanc prouinciam iam pridem ſubeundam cenſuiſſem, tamen ultro currenti calcar addere Epiſtolis ſuis uoluerunt, uri in omni rerum honeſtarum ſcientia excellentiſsimi, Philippus Melanchthon, & Iacobus Milichius; quorum illi ob incredibilem eruditio

ne

nem,& uariarum linguarum cognitionem,ſimul totius VVittenbergen
ſis Academiæ, publico cum Electoris Saxoniæ, tum aliorum doctorum
ſuffragio decreta & commiſſa eſt,& ſumma & caput. Hunc autem,quia
reliquam multitudinem in Aſtrorum ſcientia facile ſuperare uidetur,non
contemnendo ſtipendio prælegendis Mathematicis diſciplinis præfe-
cerunt. Edocti enim uiri optimi iam longa experientia rerum, uident
quòd quibus non eſt incognitus motus ille communis cœli,eos compen
dio peruenire poſſe in cognitionem Theoricę planetarum,quos quidem
à Sole & Luna maximè uires & operationes ſuas accipere fatemur. Por-
rò has tabulas, quæ utiles utiq; ſunt Scholis publicè, & iucundæ priua-
tim res cœleſtes tractantibus,ſub ueſtro P.C.potiſsimum nomine publi-
candas putaui, tum quòd ad huius ueſtræ urbis meridionalem ſunt con-
fectæ,tum quòd ſicut in Germania regiones multæ,ſuas maximè merces
ex hiſce ueſtræ urbis pomœrijs, in ſua inferunt mœnia, ita ex hoc ueſtræ
urbis meridionali circulo,ſuum quæq; elicere poteſt. Valete,unà cum flo
rentiſsima Repub. ueſtra,diu fœlices. Ex urbe ueſtra Norica s. Kalend.
Septembris,Anno ſalutiferi partus M. D. XXXVI.

VIRO DOCTISSIMO
IOANNI SCHONERO MATHE-
matico, Philippus Melanthon S. D.

CVm Vrbs Noriberga multis ciuilibus ornamentis abun-
det, hoc decus profecto non in poſtremis numerandum
eſt, quòd aliquot iam ſeculis perpetuò in ea urbe, ſtudia
Mathematum magna cum laude floruerunt. Atq; ita ge-
nius urbis huic pulcherrimæ parti Philoſophiæ fauet, ut
non ſolum aliunde accerſiti ſint à Repub. homines do-
ctiſsimi, qui eius doctrinæ poſſeſsionem retinerent, ſed etiam procrearit
ipſa urbs multa fœlicia ingenia, quæ in his artibus excelluerunt, colantq;
has diſciplinas non ſolum pauci quidam ocioſi, ſolis dediti literis, ſed alij
etiam multi, occupati tum priuatis negotijs, tum Reipub. procuratione.
Meo quidem iudicio glorioſius eſt Athenis, quòd philoſophiæ & om-
nium optimarum artium, quæ ad bene beateq; uiuendum neceſſariæ
ſunt, inde uſq; à Platonis ætate ad Antoniorum tempora annos ferè ſex-
centos domicilium perpetuum fuerunt, quàm quòd principatum Græ-
ciæ tenuerunt annos ſeptuaginta, qui non ſolum nihil utilitatis attulit
uenturæ ætati & reliquis gentibus, ſed tunc quoq; Athenis ipſis calami-
toſus fuit. Ne Miletum quidem tam ornarunt ampliſsimæ opes, quàm
uir doctiſsimus Thales, qui non ſolum in ea urbe, ſed in tota Ionia pri-
mus excitauit ſtudia doctrinæ de rebus cœleſtibus, oſtendit ſiderum mo
tus, & certam anni rationem deſcripſit. Nec Alexandria nobilior eſt con
ditore Alexandro, quàm perpetua philoſophiæ conſeruatione & pro
pagatione. Itaq; hæc doctrinæ ſtudia iure commemoramus inter præ
cipua urbis Noribergæ ornamenta. Hæc enim urbs fouit ingenium Io
annis de Regiomonte, habuit & ciues ſummis ingenijs præditos, qu
has diſciplinas tum coluerunt, tum etiam illuſtrarunt. D. Ioannum Ver
nerum; D. Præpoſitum Melchiorem Pfintzing. D. Bilibaldum Pyrca
merum. D. Cholerum. Nec ulla tam celebris eſt Academia, in qua ho
die maior ſit frequentia eruditorum in hoc genere quàm Noribergæ
Nec tantum fruitur ipſa urbs uoluptate huius doctrinæ, ſed quod e
honeſtiſsimum, præclare meretur de omni poſteritate. Multa enin
utilia monumenta æddiderunt homines doctiſsimi, Ioannes de Regio
monte, qui huius urbis hoſpitio, & multis beneficijs uſus eſt, & alij ci
ues, quorum extant ſcripta. Hæc beneficia philoſophiæ ſtudioſos agno
ſcere decet, & huic urbi gratiam habere ex animo, eamq; in primis ama
re, tanquam huius præſtantiſsimæ doctrinæ hoſpitium. Etſi auten
poſſeſsionem huius laudis multi in urbe ueſtra retinent, tamen hoc no
mine tibi doctiſsime Schonere plurimum debent ſtudioſi, quòd in

duſtria

duſtriam tuam ad has artes propagandas & illuſtrandas confers. Nam
& iſtic docendo multorũ excitaſti ingenia, & ſubinde monumenta ædis,
apta ſcholis, & magnopere utilia diſcentibus. Nec uero quidquam eſt, ut
ego arbitror, homine philoſopho dignius, quàm ſumma ope curare, ut
doctrina utilis uitæ, tanquam publicum patrimonium, ut Seneca uocat,
conſeruetur, & ad poſteros explicata, & non acciſa aut corrupta perue-
niat. Debet enim Philoſophus ad optimarum artium ſcientiam uolunta-
tem adiungere bene merendi de rebus humanis, præſertim cum intelli-
gat has artes diuinitus oſtenſas eſſe, non priuatæ oblectationis cauſa, ſed
ad communem utilitatem, & norit philoſophum omnes actiones, & ui-
tam omnem ad communem ſalutem atq; utilitatem referre debere. Ma-
ximè enim decet Philoſophum eſſe κοινωνικόν. Quanta autem ſint merita
quæ ad uitam confert, non difficile eſt iudicare. Videmus enim ipſas di-
ſciplinas, quæ Mathemata uocantur, ad uitam neceſſarias eſſe. An carere
poſſumus Arithmetica & Geometria? Qualis confuſio eſſet, ſi anni de-
ſcriptione carerent Reſpublicæ? Nulla extaret memoria rerum ueterum,
denicq; mera barbaries eſſet talis uita. Reliqua philoſophia fontes conti-
net legum & omnium honeſtorum officiorum. Eſt & magnum orna-
mentum religionis. Facis igitur honeſtiſsime, quòd alijs doctrinam tan-
tarum rerum, tamcq; utilem uitæ ſedulo impertis, quòd æditione utilium
ſcriptorum communia ſtudia iuuas. Nonnihil autem debebit tibi ciuitas
Noriberga, quòd ex tuis monumentis apparet, huius philoſophiæ ſtu-
dia ibi uigere. Sed multo plus debebunt tibi omnes, quorum ſtudia tuis
laboribus & commouentur & adiuuantur. Eſt animi philoſophici, de-
lectari ipſa uirtute, etiam ſi non contingant alia præmia pro laboribus.
Sed ſi tempora erunt tranquilla, Deo uolente, uoluptatẽ etiam magnam
ex diſcentium ſtudijs capies. Nam inſtructa idoneis libris iuuentus faci-
lius ad hæc ſtudia reuocari poterit. Vides autem aliquot locis, profeſſo-
res bonarum artium, quantum contendere poſſunt, ad colendas has di-
ſciplinas iuuentutem inuitare. Quod igitur hoc tempore ædidiſti & ex-
poliſti tua diligentia atq; induſtria Tabulas reſolutas, egregiam operam
nauaſti. Quia in ſcholis præcipue opus eſt his Tabulis, cum theoricas,
ut uocant, motuum cœleſtium ad uſum transferant, & monſtrent faci-
lem & compendiariam rationem computandi motus cœleſtes. Quare
ſine eis theoricæ prorſus luce carent. Et cognitis his tabulis iam ma-
gnum fructum capere diſcentes ex hoc ſtudio poſſunt. Nam quod ex-
tremum eſt in arte, ac finis doctrinæ de motibus, id compendiaria uia ex-
hibet hic libellus, uidelicet ut poſsimus motus planetarum ſtatim compu-
tare aliquot ſeculorum, ſeu præteritos ſeu uenturos. Hæc meta eſt artis,
quam auidiſsime expetunt ſtudioſi. Interdum deſperatione abijciunt ali-
qui ſtudia, cum non proſpiciunt metam, cum non capiunt fructum ali-

quem ex ſuis laboribus. At cognitis his tabulis, non ſolum eximitur ani-
mis deſperatio, ſed animaduerſa tam facili computatione, ſpes & magni-
tudo utilitatis generoſa ingenia ad diſcendum accendunt. Quę eſt autem
diuinitas, tam breui uia, tam paruo negotio conſequi ſummam artis, ut
poſitum cœli conſiderare poſſe, quorumcunq; annorum? Quis non mi-
retur tam breui libello tot annorum deſcriptionem includi poſſe? Miren-
tur alij ligneas columbas, aut alia opera automata. Hæ tabulæ multo
magis ſunt dignæ admiratione, quæ omnium ſiderum poſitus oſten-
dunt, nec unius tantum anni, ſed multorum ſeculorum. Hæc eò pręfatus
ſum, ut admonerem iuuenes, qui hæc lecturi ſunt, & quantum debeant
Schonero iuuanti publica ſtudia editione talium librorum, quibus in
Scholis opus eſt, deinde ut utilitate harum tabularum excitati ad diſcen-
dum inuitentur. Illa admonitione hoc loco non putaui opus eſſe, ne ſe
ab his artibus ſtudioſi deterreri ſinant inſulſiſsimis iudicijs indoctorum,
qui totum hoc genus doctrinæ de rebus cœleſtibus ſuperbiſsime deri-
dent. Nam mediocriter eruditi in philoſophia facile iudicare poſſunt,
magnam cum dignitatem, tum ſuauitatem, & utilitates ingentes eſſe do-
ctrinæ de motibus ſiderum. Hoc mirificum ſpectaculum, uidelicet tot
pulchra lumina, tam uarios curſus, qui miras uices certiſsimis legibus con-
ficiunt, non fruſtra poſuit nobis ob oculos Deus, ſed uoluit ut nos inde
anni deſcriptionem, & temporum ſpacia, uicesq; ſumeremus, & diuerſa
temperamenta annorum proſpiceremus. Poſtremo ut hic pulcherrimus
ordo motus, & conſenſus moneret nos de opifice, hæc non extitiſſe ca-
ſu, ſed ab aliqua æterna mente eſſe orta, & gubernari. Quare generoſa
ingenia decet abhorrere auribus atq; animis ab Epicureis illis, qui hanc
certiſsimam motuum ſcientiam aſpernantur. Magna uero etiam uis &
utilitas eſt etiam alterius partis, uidelicet doctrinæ prædictionum, quæ
ſumuntur à cauſis cœleſtibus. Nam & Galenus autor grauiſsimus affir-
mat affici animantium corpora à lumine planetarum, magnamq; uim
omnium planetarum eſſe in temperamentis & miſcendis & turbandis.
Et quidem grauiter reprehendit eos qui diſſentiunt. Ait enim experi-
entiam manifeſtam teſtari hanc uim eſſe ſiderum: Sophiſticum uero eſſe,
negare manifeſtam experientiam. Multa iudicari poſſunt ex poſitu
Aſtrorum de ualetudine corporum, de ingenijs & inclinationibus, deq;
multis in uita caſibus, de tempeſtatibus, de mutationibus rerumpub. Plu-
rimum autem tantarum rerum conſideratio & animaduerſio conducit
prudentibus. Nec pugnat religio Chriſtiana cum hac ſententia, nec
damnant has prædictiones ſacræ literæ. Sunt enim pars quædam phyſi-
ces, ſicut Medicorum prædictiones. Sumuntur enim à cauſis natura-
libus. Diuinitus alia uis eſt indita Soli, alia Lunæ, ut uis eſt alia piperis, alia
maluæ, & pium eſt agnoſcere opera Dei, & obſeruare uires illis inditas.
Sed

Sed hæc diſputatio longior eſt, quàm ut hic tractari tota poſsit, & exſtant libri eruditiſsime ſcripti multorum, qui Pici & aliorum ſimilibus calumnijs reſpondent. Illud tantum adijciendum eſſe putaui; iniquum eſt pronunciare, priuſquam cauſam cognoueris. At illi uituperant hanc doctrinam qui ſimpliciter eam ignorant. Quare eorum iudicia merito deridentur. Non temere diſſentiendum eſt ab eruditiſsimorum & prudentiſsimorum hominum iudicijs, qui cum harum artium uim & uſum cognouiſſent, poſteris eas, tanquam uitæ utiles tradendas eſſe putauerunt. Et arrogantia eſt cum ſumma ſtultitia coniuncta, uenari choragium aliquod gloriæ ex inſectatione artium, quæ ſunt graui autoritate doctorum & prudentum receptæ. Sed de hac controuerſia alibi diſputabimus prolixius. Bene uale doctiſsime Schonere, & perge de publicis ſtudijs bene mereri. VVittebergæ Menſe Auguſto, Anno M. D. XXXVI.

DOCVMENTA GENERALIA, EX REGVLIS ARITHMEticæ de minutijs phyſicalibus, pro uſu harum tabularum neceſſaria præmittere.

TANTO reuera digniorem primam cauſam iudicare debemus, quanto mirabiliora ab ea dependentem naturam operari uidemus, teſte Philoſopho in libro de cœlo & mundo. Ex ſui namq; operatione extrinſeca eius excellentiam facile contemplamur. Voluit enim Deus glorioſus & ſublimis, cuius nomen ſit in æternum benedictum, & ultra, quicquid natura occulte operatur & intrinſece, per ſigna patefacere exteriora. Cœlo igitur tot fulgentia impinxit ſydera, ut rationalis creatura ad diuinæ trinitatis exemplar facta in ipſo cuncta futura legeret, atq; eo ordine uenientia intelligeret, quo ab æterno à diuina ſunt prouidentia præuiſa, quod ex nulla pręiacente materia, omniq; corruptione expers in rerum naturam produxit, tot & ſtellis et motibus tam fixis quàm errabundis ornauit, ut iſta ſuſcitarent inferiora ſingula producendo, quæ ſub mobili ſphęræ lunaris uertigine agitantur, noſtræ deniq; ut forent ratiocinationis occaſio.

Hinc Aſtrologicam ſcientiam ſumpſiſſe exordium recte arbitramur. Sol enim atq; Luna omnium in hoc mundo uiuentiũ uita ſunt poſt Deum, inquit Hermes ille antiquus aphoriſmo primo &c. Aſtrorum igitur ſapientes cum hæc inferiora regi à ſuperioribus intellexiſſent, iuxta illud Ptolomæi: Vultus huius ſeculi ſubiecti ſunt uultibus cœleſtibus, uerbo nono ſui centiloquij mutationum cauſas huius elementaris regionis, ex ſuperioribus attendi debere concluſerunt, dicente Philoſopho: Solus motus in obliquo circulo eſt cauſa generationis & corruptionis iſtorũ inferiorum. Et ſecundo phyſicorum: Homo generat hominem et Sol. Volentes autem diſcretius deuenire in cognitionem cauſarum certiorem prædictorum, condictiones ſupercœleſtium, & reſpectum quo ad nos & ad ſeipſa obſeruare tenentur. Quare priſci philoſophantes zodiacum primi mobilis tanquam ſpacium, ſub quo cætera mouentur mobilia, in duodecim interſtitia diſtinxerunt æqualia, ut rectius cuicunq; interſtitio quodcunq; mobile, tempore quolibet ſubiaceret, compręhenderent, quæ duodecim ſigna appellarunt, eo quòd uim ſigni haberent ſuper elementis. Tales autẽ intercapedines cum eſſent maximæ partes prædicti zodiaci, quamlibet in 30. minores, & ſic totum in 360. gradus ſubdiuiſerunt zodiacum, eò quòd gradientium planetarum ſucceſsiuo ordine aſcenſum uel deſcenſum perceptibiliter, commonſtrarunt. Cum itaq; uniuerſitas partium in hoc numero compræhenderetur, eſſetq; ille numerus prope dies ſolares anni, tot ſectiones intercapedinesúe in circulo zodiaci aſsignarũt inquit Albumazar differentia 2. tractatus 2. Diuiſerunt inſuper gradum quemlibet in 60. particulas, quas minuta uocabant, eo quòd iam minutæ exiguæq; poſt gradus partes extabant. Pariformiter minutum quodq; in 60. ſecarũt æqualia, eaq; ſecunda uocarunt, eo quòd iam ſecundario poſt ipſos gradus continuum ſecarent in partes ſubtiliores, nec à tali ſexagenaria ceſſabant diuiſione, donec quodcunq; ſecundum in 60. tertia, ac tertium quodlibet in 60. quarta. ſic quartum in 60. quinta, quintumq; in 60. ſexta, atq; ſexta ſingula in 60. ſeptima, ſeptimum etiam quodlibet ſubdiuiſerunt in 60. octaua, & ſic in infinitum & uſq; in partes adeo minimas, quòd oculus aſpicientis penè iudicaret puncta indiuiſibilia, & hoc ideo quatenus haberi poſsit determinatiſsimus punctus pręďicti zodiaci, atq; oſtendi ſub quo cẽtraliter ſit quilibet planeta

planetarum tempore quocunq;. Prædictæ etiam partes poſt gradus minutiæ dictæ ſunt, ſecundum numerorum proceſſorum naturalium ab unitate incipientium, quæ primæ fractioni, hoc eſt, minutis accommodabitur. Secundæ uero fractioni, ſcilicet ſecundis, dualitas. Ternarius uero fractioni tertiæ, hoc eſt, tertijs: Quaternarius autem quartis, & ſic in infinitum, ſecundum quod talis quantitas apta eſt diuidi in infinitum. Hac itaq; diuiſione minutiarum numerus in infinitum partes continui auget diſcrete, quas ſecundum quantitatem continuam diminuit integrorum puta ſignorum & graduum ſemper manente finita. Non aliter & ipſum tempus computandum erit, iſto duntaxat adiecto, quòd in tempore horæ ſunt integræ quemadmodũ gradus in motu. Quicquid autem erit ante illas, ſunt dies, ante quos accipi quandoq; contingit menſes, quandoq; uero ſine his ſimiliter annos. Hæc de numeratione tam motus quàm temporis ad præſens ſufficiant.

De Additione.

SI itaq; numeros plures, ſiue diuerſæ denominationis fuerint, ſiue eiuſdem ſibi inuicem addere uolueris, ſcribe prius utrunq;, tam illum cui debet fieri additio, quàm addendum, diſtincte unamquanq; denominationem ſub genere ſuo, ſignorum ſcilicet numerum ſub ſignis, graduum ſub gradibus, minutorum ſub minutis, ſecundorum ſub ſecundis, tertiorum ſub tertijs, quartorum ſub quartis. Sic omnes numeratores eiuſdem denominationis ſibi inuicem ſubſcribantur, ſcilicet prima figura addendi ſub prima illius, cui additio fieri habet: ſecunda ſub ſecunda &c. quibus ſic ſtantibus, incipe operari à dextris uerſus ſiniſtram procedendo, ut integrorum iubet ars, addeq; primam ordinis inferioris, primæ ſuperioris, uel ergo ex tali additione unius ad aliam excreſcit digitus uel articulus, aut numerus compoſitus. Si primum loco ſuperioris deletæ, ſcribatur digitus excreſcentiæ: Si ſecundum loco ſuperioris deletæ, ſcribatur cyfra, & ſiniſtretur articulus, iungaturq; proximo ſequenti. Si numerus compoſitus loco ſuperioris, ut prius deleti, ſcribatur digitus, qui eſt pars illius compoſiti, & ſiniſtretur articulus ut ſupra. Quo facto ad ſecundum figurarum ordinem eiuſdem denominationis procedatur, ſub quo eandem formã repete operationis qua ſub primo ordine figurarum uſus es. Hoc unico obſeruato, quòd quotieſcunq; ex additione figurarum eiuſdem ordinis ſecundi, ſenarium cumulaueris, qui ſemper ſexaginta ratione ſui ordinis repræſentat, eo deleto, loco ſuo ſcribatur reſiduum ſi quid fuerit, & ſiniſtretur unitas toties primæq; figuræ groſsioris denominationis immediate ſequentis adijciatur, quoties ſenarius in ſecundo ordine præcedentis denominationis fuerat repertus. Nec à tali operatione ceſſandum erit, donec ad integrorum puta graduum locum fuerit deuentum, quorum 30. ſignum commune, 60. uero phyſicum conſtituere dinoſcuntur. Quare 30. ſemper eiuſdem loci abijciantur, ac pro eis deletis unitas ſequenti ſignorum, ſcilicet loco addatur, ſi ſigna fuerint communia, uel 60. ſi denominatio ſequens phyſica fuerit. Quotieſcunq; etiam in eodem loco puta ſignorum ex tali additione 12. fuerint communia ſigna, uel 6. phyſica collecta, quæ integram reuolutionem faciunt, eis ſemper deletis, loco uero eorum ſcribatur reſiduum ſi quid fuerit, uel figura nihili, ſi præciſa reuolutio fuerit accumulata. In fractionibus etiam temporis eiſdem præceptis utendum erit, donec ad horas fuerit deuentum quarum 24. continue quia integra ſunt diem perficiunt. Quare tot ſemper abiectis unitas denominationi groſsiori conglomeranda erit, & hoc ideo, quia in quę unumquodq; diuiditur ex eiſdem componi neceſſe eſt.

De Subtractione.

SVbtractio hac operatione perficitur. Numeratores ſignorum, graduum minutorum, aliarumq́ denominationum, ſuis locis diſtinctæ ſcribentur, illius ſcilicet numeri, à quo debet fieri ſubtractio, ſub quibus numeratores ſubtrahendi debite unuſquiſq́ ſub genere ſuo ea diligentia deſcribentur, puta ſigna ſub ſignis, gradus ſub gradibus, minuta ſub minutis &c. ut in præcedente dictum eſt. Quo facto à denominatione ſubtiliori incipiendum erit, ſubtrahaturq́ prima inferioris à ſibi ſupra poſita, ſi fieri poſsit, & ſcribatur reſiduum, ſi quod fuerit in locum ſuperioris deletæ, uel o, ſi nihil remanſerit. Si autem inferior à ſuperiori auferri minime poterit, quod contingit, dum inferior ſuperiorem excedit, hoc caſu unitas à ſequenti uerſus ſiniſtram eiuſdem denominationis huic accommodatur, quæ ſemper reſpectu prioris decem ſignificat, ſi in eadem denominatione reperiatur, fiatq́ ſubtractio inferioris à tali articulo uel numero compoſito, ſecundum quod operatio depoſcit, remanente tamen reſiduo, ut dictum eſt loco ſuperioris deletæ. Si autem accommodanda unitas in eadem denominatione inueniri non poteſt, à denominatione proxima uerſus ſiniſtram, non uacante ſurripiatur, quæ ſi fuerit in loco reperta ſignorum in denominatione graduum 29. in ſubtilioribus uero ab hac 59. toties relinquantur, quoties prædicta unitas per aliam denominationem traducta fuerit, quæ in termino ad quem ſi graduum locum tranſierit 60. ſemper, ſi autem in ſitu graduum fuerit finita 30. ſolummodo repræſentabit, in his ut præfertur ſtantibus, omnes figuræ inferiores à ſupra poſitis auferantur, reſiduo tamen ſemper loco ſuo remanente. Nec ab operatione illa uacandum erit, donec ſinguli numeratores denominationum quarumcumq́ à ſubtiliſsima inchoando ad uſq́ groſſiſsimã incluſiue ſuprapoſitis fuerint delati, & conſummabitur tota hæc ſpecies. Vnico tamen illo non ignorato, quòd quandocunq́ numerus inferior à ſuperiori ſubtrahi non poteſt, propter defectum ſignorum illius à quo ſubtractio fieri debet, tunc integra reuolutio, quæ ex 12. ſignis conſtat, reuocetur toties, quoties operatio requirit, fiatq́ ſubtractio modo prætacto &c. Cum autem duplatio nihil aliud ſit, quàm alicuius numeri bina acceptio. Mediatio etiam alicuius numeri medietatis inuentio, quæ ex iam habitis ſpeciebus abunde luceſcunt, igitur de eiſdem ſpecialior operatio hic non expectatur.

De Multiplicatione.

MVltiplicare deniq́ minutias quaſcunq́ per alias, in propoſito nihil aliud eſt, quàm quatuor conſtituere numeros proportionales. Quorum primus in phyſicis eſt integrum, uel integra puta gradus, ſecundus multiplicans, tertius multiplicandus, quartus uero proueniens ex ductu unius per alium, producti nomen ſibi uendicat. In quacunq́ enim proportione habet ſe integrum ad multiplicantem, in eadem & multiplicandus ad illud quod excreſcit. Verbi gratia, ſicut unus gradus habet ſe ad 6. minuta multiplicantis in decupla proportione, ita triginta minuta multiplicandi ad tria minuta producti in eadem decupla proportione. Et ſcias hoc generale totius operationis, quòd ex tali ductura unius per aliam minutiam ſemper productam in ſubtiliore denominatione proueniet.

Regulæ Multiplicationis.

SEquentibus igitur regulis tota multiplicatio prout noſtro ſufficit propoſito perficitur. Prima, ſi gradus fuerint multiplicati per gradus, gradus cum ſignis produci uiderentur, ſi numerus producti ad hoc ſufficeret

Secu

ecundum ſi minutiã quamcunq; multiplicaueris per gradus, hæc ipſa minutis proeniet cum groſsioris denominationis minutia immediate ſequentis, ut multiplicanlo gradus per minuta, prouenient minuta cum gradibus. Si gradus per ſecunda muliplicaueris, ſecunda cum minutis produces. Si gradus per tertia multiplicentur, ertia ipſa cum ſecundis prodibunt &c. Tertia, quandocunq; minutiam unam muliplices per alterã, proueniet minutia denominata â numero quem denominatores nultiplicantis & multiplicandi ſimul additi conſtituunt. Verbi gratia. Minuta per ninuta ducta, ſecunda producunt. Si ergo denominatores iſtorum inuicem addilerimus, ſcilicet, minutum ad minutũ, duo congregabimus, & ſic conſtituitur denoninator producti, puta ſecundũ. In temporis uero multiplicatione eiſdem utimur reulis, nõ aliter quàm in motu, ſcilicet, ſi multiplicas horas per horas, horę cõſurgunt. Si minutiã quancunq; per horas, aut é conuerſo horas per minutiam, hęc ipſa proueiit minutia. Si quoq; minutia temporis per minutiam eiuſdem multiplicata alteram ignit minutiam à ſe, ut ſupra. Sed ut huius operatio multiplicationis facilior haeatur, compoſita eſt tabula proportionis ac illis inſerta. Quæ tabula numero ſexaenario tam in ſuperiori margine tranſuerſaliter, quâm à latere deſcendendo extenlitur. Cuius uſus ſic habetur: Quæratur unus numerorum, cuius partem proportioialem habere cupis, ſecundum proportionem ad 60. gradus, in capite tabularum, & lter numerus in latere eiuſdem tabulæ, & quod inuenitur in angulo communi erit ortio quæſita, ea conditione, ut numerus anguli in ſpaciolo dextro contentus, eſt ilius denominationis, quam denominatores ſimul iuncti, ut ſupra dictum eſt, conſtiuunt; & numerus in ſpaciolo ſiniſtro erit proximæ minutiæ maioris dominationis equentis. Si autem in alterutro numerorum, de quorum parte proportionali agis, cilicet tam multiplicante quàm multiplicando fuerint fractiones diuerſæ, cum quaibet diuiſim, cũ toto reliquo numero erit intrandum, & quod in angulo (ut ſupra) nuenitur, aggregandum, quodlibet ad ſuum genus. Si autem in utroq; fuerint diueræ fractiones repertæ, cum qualibet unius, ut cum qualibet alterius, ſeorſum fiat inroitus ut prius, & reſultat propoſitum (ſecundum denominationum exigentiam) quod quærebatur. Sed ut res facilior ſit, Tabulam denominationum minutiarum cum exemplo ſubiunximus.

Tabula denominationum.

gra.		gra.		ſigna.		gra.
gra.		minu.		gra.		minu.
gra.		ſecun.		minu.		ſecun.
gra.		tert.		ſecun.		tert.
gra.		quart.		tert.		quart.
minu.		minu.		minu.		ſecun.
minu.	per	ſecun.	prodibunt.	ſecun.	cum	tert.
minu.		tert.		tert.		quart.
minu.		quart.		quart.		quint.
ſecun.		ſecun.		tert.		quart.
ſecun.		tert.		quart.		quint.
ſecun.		quart.		quint.		ſext.
tert.		tert.		quint.		ſext.
quart.		quart.		ſept.		octa.

Exem-

Exempli gratia, placuit ex tabula proportionum ſumere partem proportionalem,
cum arcus minutis 39. ſecund. 54. tert. 17. de 60. ad differentiam mi. 53. 29. 45.
Quæro primo minuta arcus in margine ſuperiori in linea transuerſali, quæ duco in
omnes differentiæ numeratores, quos in linea lateraliter deſcendente uerſus ſini-
ſtram inquiro, & occurrunt in angulo communi ex ductura 39. mi. arcus in 53. mi.
differentiæ, 34. in minutis & 27. in ſecundis. Deinde eadem arcus minuta in 29.
duco ſecunda, & extrahuntur 18. ſecund. & 51. tert. Demum prædicta mi. arcus in
45. tert. multiplico, quorum angulus communis 29. in tertijs & in quartis 15. oſtendit
quæ ſimul addita producunt 34. in mi. 46. 20. 15. Quibus expeditis mi. arcus abij-
cio, eiuſdem uero ſecunda, ſcilicet 54. modo dicto per omnes numeratores dictæ
differentiæ multiplico, & primo per eiuſdem minuta, quæ 47. ſecund. & 42. tertia
producunt. Secundo uero per differentiæ 29. ſecund. unde 26. tertia, 6. quart. tunc
prouenient. Tertio etiam per 45. tertia duci debent, quo facto 40. quarta 30. quæ
quinta prodibunt, quæ ſimul iuncta prioriq́ aggregato unita 35. mi. 34. ſecun. 29. 1.
& 30. conſtituunt. Haud ſecus operandũ erit cum 17. tertijs arcus, quę etiam in 53.
mi. differentiæ multiplico, & proueniunt 15. tertia & unum quartum, deinde quoq́
in 29. ſecunda eiuſdem differentiæ, & eorum communis angulus 8. quarta, 13. quin-
ta oſtendit, ultimo uero prædicta 17. tertia arcus in 45. tertia differentiæ ducta, 12.
quinta & 45. ſexta producunt, quorum omnium collectio proximoq́ aggregato ad-
iecta præcedenti, ſummam totius producti demonſtrat, ſcilicet 35. mi. 34. ſecund.
44. 10. 55. 45. quæ eſt pars proportionalis totius differentiæ reſpectu proportionis
aſsignatæ arcus præfigurati.

De Diuiſione.

Diuiſio etenim non eſt aliud, niſi multiplex diuiſoris de diuidendo ab-
ſtractio, & in tribus continue uerſatur numeris, quorum diuidendus
eſt primus, qui in præcedenti producti nomen ſibi uendicabat. Se-
cundus uero diuiſor appellatur, & in multiplicatione non differt à mul-
tiplicante. Tertius uero quotiens dictus, quem multiplicatio denomi-
nabat multiplicandum, quæ cum ſint ſpecies oppoſitæ, eadem diſciplina adipiſcun-
tur. Sicut ergo per tabulam uulgo de parte proportionali dictam, ipſa perficitur mu-
tiplicatio, ita & præſentis ſpeciei operatio per eandem tali modo extrahitur. Quæ-
ratur primo diuiſor ipſe in denominatione groſsiori in fronte tabulæ, & in colum-
nula eius deſcendatur, donec numerus diuidendo æqualis aut proximus eo mino
inueniatur, in cuius é directo linea numeri ſiniſtri lateris, quotiens cõmonſtrabit, qu
ſemper ſupra caput diuidendi poni debet in loco ſibi debito, ut dicetur infra. Dein-
de idem quotiens per omnes figuras quarumlibet denominationum diuiſoris, mul
plicetur per præcedentem, & productum diuidendo in locis debitis ſubſcribatur, a
eo ipſo de diuidendo ſubtracto, ſi quid tamẽ diuidendi remanſerit, de eo ipſo mor
dicto quotiens denuo inquiratur, ſubtiliori tamẽ denominationi immediate ſequẽ
ſubiacebit, repetaturq́ prior operatio, donec nihil inueniatur de numero diuidẽdo
aut iam diuidendi nulla ulterior urgeat neceſsitas. Si autem inueniri non poterit al
quis numerus denominationis ſubtilioris immediate cõtinuans quotientis ordine
loco ipſius ſcribatur cyfra, & quæratur numerus denominationis ſequentis, & pri
redeat operatio. Cuius autem denominationis ſit, & in quo loco quotientis ponen
dus, quilibet numerus in diuiſione modo dicto repertus, regulę ſequentes edoc
bunt. Prima, ſi gradus diuiſeris per gradus, dummodo diuidendi ſunt diuident
bus pares, in quotienti ueniunt gradus, quare tunc numerus quotiens ſcribenduse
ſupra gradus diuidendi. Secunda quãcunq́ minutiam per gradus diuiſeris, numer
quotie

quotiens erit in eadem denominatione, cuius eſt minutia diuidenda, quare ſupra caput eius poni debet. Tertia, ſi minutias per alias diuiſeris, quia tunc diuidendæ ſemper ſubtiliores eſſe tenentur reſpectu diuidentium, aliàs diuiſio fieri non poteſt, denominator quotientis proueniet, quem numerus relictus poſt ſubtractionem denominatoris diuidentis à denominatore diuidendi denominabit, uel exibit minutia quotientis, tantum ab integro diſtans, quantum diuidenda à diuidente. Hæc eadem operatio motuum diſtributioni temporis accommodabitur, hoc unico obſeruato, quòd quicquid prius de gradibus præcipiebatur, hic denominationi horarum attribuitur. Cum autem ſingula hic explicentur exemplis, præſensq́ propoſitio conuerſa ſit immediate præcedentis: ſupradictum igitur exemplum in propoſito ſic repetatur. Sit diuidendus 35 mi. 34, ſecun. 44. 10. 55. 45. diuiſor uero 53. mi. 29. ſecun. 45, cuius minutia groſſior in fronte tabulæ reperitur, ſub qua deſcendendo in eadem columnella 34 mi. 27 ſecunda diuidendo propinquior inuenitur, & in eius edirecto linea numeri uerſus ſiniſtram 39. ſcilicet quotientem demonſtrat minutorum numerum per tertiam regulam, & ſupra caput diuidendi ad denominationem ſimilem debent ſcribi, atq; per omnes diuiſoris figuras multiplicari per præcedentem, ſic producentur 34. mi. 46. ſecun. 20. & 15. quibus de diuidendo ablatis remanebunt 48. ſecun. 23. tert. 55. 55. 45. Cum numerus etiam ſecundorum & tertiorum illius reſidui in columnella præfato diuiſori directe ſubiecta inueniri non poſsit, eo proximo minor ſcilicet 47. ſecun. & 42. recipiatur, cui 54. ſiniſtrorſum in linea numeri adiacere uidentur, quæ cum immediate ſuccedent denominationem prioris quotientis erunt ſecunda, quare ſupra caput ſecundorum diuidendi ſcribi debent, & eorum multiplicatione facta cum omnibus figuris denominationum diuiſoris, eiuſdemq́ producti à diuidendo ſubtractione 15. in tert, 9. in quar. 25. in quin. & 45. in ſextis remanere neceſſe eſt. Erat namq; tale productum 48. in ſecun. 8. in tert. 46. & 30. Deinde pro habendo nouo quotiente, fiat iterum introitus ſub diuiſore priori, puta 53. quærendo in eadem columnella reſiduum diuidendi ſcilicet 15. tert. & 9. quarta, quod in propoſito non reperitur præciſe, numerus ergo proximo eo minor, puta 15. tert. 1. quar. recipiendus eſt, & linea numeri è directo 17. loco affert quotientem, ſub tertiorum tamen denominatione, quæ cum toto diuiſoris numero multiplicata 15. tertia 9. 25. & 45. adducunt, quibus ut præcipitur de diuidendo abſtractis, tota diuidendi ſumma conteritur, quod erat propoſitum.

De motibus medijs.

FActa generalis documenti oſtenſione de forma operandi huic noſtro propoſito admodum neceſſaria, iam Dei inuocato auxilio glorioſi, ad praxim motuum accedentes, ueris medios præponemus, ſeu æquales, quibus ignoratis ad ueros mobilium motus deuenire non poſſumus. His enim mediantibus illi inueniuntur, licet etiam motus cuiuſq; planetæ in ſemetipſo ſit naturalis & æqualis. Nec augetur quandoq; plus nec minus, motus tamen planetæ cuiuslibet in ſuo circulo breui, id eſt epicyclo, & epicycli in eccentrico computatus in circulo ſignorum eſt multiplex, diuerſus & non uniformis, inquit Albumaſar differentia 4. tractatus 5. Quicquid etiam in iſtis tam ueris quàm medijs motibus de ſignis, gradibus, alijsq́ minutijs inuentum fuerit, ut completum accipiatur atq; per tranſitum.

DE MEDIO MOTV.

Medium motum cuiuslibet planetarum per ipſius tabulas ad tempus quodcunq; propoſitum inuenire.

Propoſitio I.

PReſcribe tibi tempus, ad quod uel in quo planetę motũ inuenire deſide-
ras, ab annis uerbi incarnati ad uſq; tẽpus propoſitũ per annos, menſes,
dies, horas, minuta, ſecunda &c. ſingula tanquã pertranſita in locis con-
gruis, ut præfertur. Intra itaq; tabulam radicum mediorum motuum an-
norum collectorum planetæ illius, cuius motum ſcire prępoſnis cum an-
no tuo completo, quem ſi inueneris præciſe, motus penes eum in tabula poſitus, erit
radix anni ſine ulteriori operatione.

Si autem annum propoſitum in columna annorum collectorum præciſe non
inueneris, primo intrabis cum minori propinquiori, & ea quæ de motu, ſignis ſcili-
cet gradibus & minutis &c. iuxta eum reperies, extra ſcribe per loca ſua. De-
mum hunc annum minorem in tabulam miſſum ab anno per te propoſito ſubtrahe,
& reſiduabuntur anni, qui dicuntur expanſi. Cum quibus itaq; denuo intrabis in
tabulam annorum expanſorum, & ubi eoſdem inueneris, illic in tabula ſimilis tituli,
ut in annis collectis accepiſti, ſuſcipe motum, ſcribeq; ſub priori unumquodq; ſub
ſuo genere, quæ ſimul iungas ſecundum artem traditam, à ſubtilioribus incipiendo.
Quidquid autem facta additione prouenerit, erit radix anni currentis, quæ non eſt
aliud niſi arcus alicuius orbis ſecundum æqualem motum per tranſitus interceptus
inter principium, à quo talis motus computatur, & inter lineam eundem motum ter-
minantem ad principium anni currentis inuentus.

Principium autem currentis anni ſecundum practicantes motus pro anno Ro-
manorum fit ſemper in meridie ultimæ diei Decenbris, in hac ſyllaba, ſcilicet ſill in
qua etiam finitur annus completus, uel tanquam completus, Finis nanq; unius, ſcili-
cet lapſi, eſt principium alterius uidelicet labentis continuorum more. Radice
itaq; habita cum reliquo temporis, primo tamen cum menſibus, ſi qui fuerint ad ta-
bulam eorundem menſium anni communis, ſi annus tuus currens communis fue-
rit, aut biſextilis ſi fuerit b ſextus annus propoſitus, intrabis, ac motum planetæ tui
in eius tabula eiuſdem menſis inuentum recipe, radici ſubſcribendo in locis qui de-
bentur. Deinde cum numero dierum ſi qui ſuperfluxerint ad dierum tabulam in-
grediendo tui planetæ, motumq; iuxta ſcriptum extrahas præſcriptis ſubiungendo
more ſolito. Haud ſecus cum horarũ numero faciendo arbitrare, mittendi ſcilicet in
tabulam horarum, ſi tempus acceptum aliquot ultra dies incluſerit horas, & motum
ibidem repertum prædictis ſubſcribe per differentias ſuas, Eodem quoq; modo
cum minutis ac cæteris fractionibus temporis te operari oportet per tabulam hora-
rum & ſuarum fractionum, ſi quas ultra horas propoſuiſti, eadem nanq; tabula ipſis
horis, horarumq; minutijs, quarumcunq; denominationum fuerint inſeruiet. Si au-
tem aliquam denominationem tui temporis uacare contigerit, eiuſdem nominis ta-
bulam ingredi non erit neceſſe. Et ſcias quòd cum qua minutia temporis dictam
tabulam intrare contigerit, ſemper prima eius riga poſt lineam numeri eandem in
motu denominationem obtinebit. Variabilis etenim eſt continuę lineæ primæ de-
nominatio tabulæ dictæ, ad denominationem numeri in tabulam mittendi, ut ſi mit-
tantur minuta habebit minuta, ſi ſecunda ſeruabit ſecunda, ſi tertia mittantur, ſic ter-
tia ipſa adducentur &c. Intra igitur primo cum minutis & motum quem reperies,
ſcribe ſub prius extractis. Deinde cum ſecundis, & fac ſimiliter &c.

Hoc non ignorato, quòd ſi numerus in tabulam mittendus lineæ numeri commu-nis exceſſerit multitudinem, tunc etenim duplici introitu intrandum erit, ſcilicet primo cum 30. deinde cum toto reſiduo eiuſdem denominationis, & motus cuiqꝫ correſpondens extrahatur, quem prioribus ſubſcribas, nec de tali operatione ceſſandum eſt, donec omnibus fractionibus propoſiti temporis motus correſpondentes penitus extraxeris. Quo facto omnes Numeratores cuiuſqꝫ denominationis ſimul adde, unumquodqꝫ ad ſuum genus, ut in additione fieri ſolet, & aggregatum oſtendit motum medium quem quæſieras, ad Norimbergenſem meridianum ad quem has Tabulas principaliter reduximus, ob celebriorem præfati oppidi famam, ut uſui communi reddantur accommodatiores, nec alijs locis ab huius meridiano notabiliter diſcrepantibus, niſi reductiue inſeruire poſſunt. Quòd ſi forte loco habitationis conſiderationisúe exigente ad alium meridianum motus ſupercœleſtium corporum inueſtigare propoſueris, neceſſe eſt ut tempus diſtantiæ meridianorum tuæ conſiderationis locum & Norimbergam interiacens, addas tempori propoſito ad quòd motus inuenire deſideras, ſi tuæ conſiderationis locus fuerit occidentalior Norimbergæ, aut ſubtrahas, ſi fuerit orientalior, prout tabula huius rei gratia facta te abunde informabit, & tempus illud quod facta additione conflatur, uel poſt ſubtractionem relinquitur, inſeruiet exacte tuo propoſito, ad quod ſi motum alicuius planetæ uel mobilis inueneris, non aliter eueniet, quàm ſi tabulæ noſtræ ad meridianũ conſiderationis tuæ uel habitationis eſſent compoſitæ. Sed in hac re tali fruamur exemplo: iubeor inuenire medium motum Solis anno domini currente 1502. ad 4. diem menſis Aprilis hora 17. minuta 34. ſecund. 10. tranſactis ad meridianum Norimbergenſem. Quæro ergo hunc annum ſcilicet 1501. completum in tabula collectorum annorum in linea numeri, & eum nuſquam inuenio præciſe, propinquiorem ergo illo minorem ibi repertum 1488. ſuſcipio, motumqꝫ ei correſpondentem in loco Solis 9. ſigna, 19. grad. 15. mi. 1. ſecund. extra ſcribo, quo facto, annos collectos ab annis propoſitis ſubtraho, reſiduabuntur 13. qui dicuntur expanſi, penes quos in tabula eiuſdem tituli in loco Solis 11. ſigna 29. gradus 50. mi. 57. ſecund. inueniuntur, quæ prius notatis adijcio, ut radix Solis anni concreſcat currentis 9. ſigna 19. gradus 5. mi. 58. ſecund. Sic radix cuiuslibet mobilis ad principium anni currentis, uel tanquam currentis conſtituatur. Cum etiam tempus propoſitum ultra annos integros includat menſes, dies &c. Quare cum tranſactis menſibus ſcilicet Martio tabulam menſium anni communis intrabo, & motum Solis penes Martium repertum 2 ſigna, 28 gra. 42 mi. 29 ſecun. radici ſubſcribo. Deinde 4 dierum motum Solis 3 gra. 56 mi. 33 ſecund. in tabula dierum inuentum præſcriptis ſubiungo. Haud ſecus cum 17 horis ex horarum tabula de columna Solis, 0 gradus. 41 mi. 53 ſecun. extrahendo cum ſupra poſitis ſcribo. Sed quia cum 34. mi. horarum tabulam ſimul ingredi non poſſum, numeri enim communis linea eiuſdem tabulæ ultra 30 non extenditur. Igitur primo cum 30 mi. inuenio 1. mi. 14 ſecund. deinde cum reſiduo minutorum numero ſcilicet, 4 ex eadem tabula 0 mi. 10 ſecund. ſecundario introitu reperta cum prænotatis ſubſcribo. Vltimo uero cum 10 ſecundis eandem tabulam ingrediendo in prima eius linea occurrit ſecundorum numerus, propter conformem denominationem prædicti numeri in tabulam miſſi, hoc modo 0 in ſecundis, quo facto omnes differentias motus inuicem addo debito ordine & prodibit motus Solis medius ad tempus propoſitum 0 ſigna, 22 gra. 28. mi. 17. ſecund. Sic te in omnibus operari oportet, quorumcunqꝫ ex noſtris tabulis medios motus inueſtigare prætendis.

De planetarum augibus.

DE PLANETARVM AVGIBVS.

Propoſitio II.

SI augem alicuius planetæ ad tempus quodcunq; ſcire deſideras, præ‑ſcribe primo illud diſtincte per ſuas differentias, ut aſſolet. Et intra cum annis Chriſti completis tabulam radicum augium planetarum annorum collectorum, quærendo in linea numeri annum tuum fini‑tum, quem ſi præciſe inueneris, recipe de tabula planetæ tui motum iuxta poſitum, & habes intentum. Si uero annos Chriſti tranſactos præciſe non in‑ueneris, tunc fiat introitus cum minore uiciniori, circa quem accipe motum extra ſcribendo. Non aliter cum reſiduis annis quos expanſos uocamus, ex tabula anno‑rum expanſorum te facere oportet, tabulam dico hanc in cuius fronte numerus an‑norum collectorum primi introitus fuerit repertus. Motum ergo ibidem ſcriptum priori adijcias, & inueniſti radicem augis anni propoſiti.

Notandum tamen erit, quòd tabulæ augium in annis collectis ſunt tales, quòd cuilibet planetæ ſeorſum una ordinata eſt, præterquàm Soli & Veneri, quibus ſimul una eſt propter eundem utriuſq; augis locum. In expanſis uero ſemper una dunta‑xat planetis omnibus ad 20. inſeruiet annos, illa ſcilicet quæ in fronte annos tuos collectos geſtare cernitur. Eodem modo una & eadem tabula menſium, alteraq; dierum cunctis planetis ſuffecturæ cenſentur. Cum nullam temporis poſt dies ipſos differentiam in præſentiarum ob augium motus nimiam tarditatem dignum duxi‑mus eſſe curandam. Deinde cum menſibus & diebus tranſactis ſuccedentibus completis annis aſſignati temporis redeat operatio canonis præcedentis. Illo ſe‑cluſo, quòd ſi contigerit te practicare per annum biſextilem, & dies propoſitus ſe‑quatur Februarium, intrandum erit cum die ſequente. Hac etiam utere cautela ſi placet, nec inde ſubcreſcit error ſenſibus, exemplum in calcem transfertur facilita‑te ſuadente.

Argumentum Solis elicere.

Propoſitio III.

SOlis argumentum mediante eius motu medio, atq; eius auge tali modo uenatur: Habeas medium Solis motum per primam, & augem eius per præcedentem, ſubtrahe demum augem Solis de ipſius medio mo‑tu accommodata reuolutione integra, dum ſubtractio fieri non poſſet, & reſiduabitur argumentum, uerbi gratia: Medius motus Solis ad tempus ſupra poſitum eſt 0 ſigna, 22 gra. 28. mi. 17. ſecund. Aux uero eiuſdem 3 ſigna, 1 gra. 11. mi. 55 ſecund. qua ſublata de medio motu Solis, remanebit. Solis ar‑gumentum ſcilicet 9 ſigna, 21 gra. 16 mi. 22 ſecund. idem fiat in cæteris.

De medijs argumentis trium ſuperiorum.

Propoſitio IIII.

ARgumentum medium uniuſcuiuſq; trium ſuperiorum ſic inuenies, ha‑beas primo medium motum Solis atq; planetæ aſſignati per primam ad hoc tempus ad quod argumentum tale ſcire feſtinas. Reijce ergo medium motum planetæ de Solis motu medio, & quicquid remanſe‑rit, erit tui planetæ argumentum medium quod quærebas, ut exemplo clareat, Sit motus Martis æqualis ad tempus, ut ſupra 4 ſigna, 6. gra. 2 mi. 26 ſecun. per pri‑mam

mam, quem abſtraho de medio motu Solis ad idem tempus reperto, relinquitur medium argumentum Martis, ſcilicet 8 ſigna, 16 gra. 25. mi. 51. ſecun. Argumenta autem Lunæ, Veneris & Mercurij media, cum habeant tabulas proprias, per primam propoſitionem quærenda ſunt,

De Centro Lunæ medio.

Propoſitio V.

Centrum Lunæ medium pro quocunque tempore inuenire.

INquirantur motus Solis & Lunæ medij ad tempus conſiderationis tuæ, per primam, quo facto auferatur medius motus Solis de medio motu Lunæ reuocando integram circulationem, ſi alias ſubtractio fieri non poſſit, & quicquid reſiduabitur, dupliciter, ſic enim centrum Lunæ prodibit, quod alio nomine diſtantia duplex, ſeu duplex interſtitium uocatur. Diſtantia nanque ab auge ſua ſemper eſt duplex, reſpectu elongationis eius à Sole, & ideo in inquiſitione centri Lunæ medius motus Solis de æquali motu Lunæ ſubtrahitur, & relictum duplicari præcipitur. Exempli cauſa, motus Lunæ medius ad ſupra dictum tempus eſt 11 ſigna, 27 grad. 7. min. 46. ſecund. de quo ſi motus Solis medius ad idem tempus repertus fuerit ſublatus, remanebit 11 ſigna, 4 gra. 39 mi. 29 ſecund. luminarium diſtantiam repręſentans, qua duplata centrum Lunæ ſcilicet 10 ſig. 9. gra. 18, mi. 58. ſecund. concreſcit.

De medio centro quinque planetarum.

Propoſitio VI.

Centra media 5. planetarum pro aſsignato tempore conſtituere.

INuenias medium motum planetæ tui per primam ad terminum propoſitum, & augem eius per 2 quam de medio motu planetæ tui abſtrahe, & remanebit medium centrum. Quod in Venere cum argumento Solis concordare oportet, propter mediam coniunctionem eorum perpetuam, atque unam & eandem utriuſque augem. Sed exemplo præſente plus forſitan certificeris. Iouis medius motus ad ſæpe dictum tempus eſt 1 ſigna, 12 gra. 5. mi. 29. ſecun. Aux autem ipſius ad idem tempus 5 ſigna, 23 gra. 23 mi. 32 ſecund. qua ſemota de motu æquali remanebit 7 ſigna, 18 gra. 41 mi. 37 ſecund. centrum Iouis ad tempus propoſitum.

Augem tu ſubtrahe à medio motu planetæ,
Vt habeas centrum, in Sole ſit argumentum.

De tabularum æquationum expoſitione.

Propoſitio VII.

Ex Tabulis æquationum cognita earum diſpoſitione, nec non generali forma intrandi, earum æquationes, hoc eſt centralia puncta pro ueris motibus eliciendis extrahere.

DE TABVLARVM AEQVATIONE.

Dispoſitionem itaq; tabularum æquationum lineis numeri, ſignis communibus gradibusq; centrorum, & argumentorum inſeruientibus primo numerorum ordine poſitis ſimiles eſſe feré in ſingulis cernimus. Signa autem partim in fronte partim etiam in calce tabularum poſita inueniuntur. Gradus uero eorundem in lineis numeri deſcendendo aſcendendoq; augentur. In cæteris uero ordinibus numerorum, ut uideri poteſt in titulis iuxta exigentiam diſsimilis earum reperitur diſpoſitio, & ut particulatius rem intelligas, in tabula æquationum octauæ ſphæræ tres Solum tabulæ deſcriptæ ſunt. Aequationes enim ſignis & gradibus correſpondentes è directo tantum ad quartã circuli partem ſunt compoſitæ, hoc eſt ad 3. ſigna communia. Tabulæ tamen illæ & æquationes omnibus ſignis accommodantur, ut de numero ſignorum ibi apparentium conſtabit. In ſuperiori enim parte numeri ſignorum tali ponuntur ordine 0. 1. 2. 6. 7. 8. ſed in calce tabulæ ſic ordinantur, 3. 4. 5. 9. 10. 11. Sub quibus aſcendendo uel deſcendendo è directo graduum linearum numeri æquationes ponuntur, ut ad ſenſum tabulæ habent. In tabulis autem æquationum Solis, Lunæ ac planetarum aliorum 9. tabulæ ponuntur partiales, quæ in una zodiaci medietate extenſæ ſunt habentes ſingulæ binas lineas longitudinales, cum gradibus deſcendendo uel aſcendendo creſcentibus. In fronte uero tabularum de 0. uſq; ad 5. incluſiue, & in pede ſimiliter à 6. aduſq; 11. ſignorum numerus conſcriptus eſt, Ex oppoſito etiam graduum æquationes continue ſcribuntur, in Solis quidem argumenti tantum, in Lunæ autem & aliorum planetarum æquatio centri, minuta proportionalia, in Lunæ iterũ diuerſitas diametri. In reliquorum uero tabulis longitudines adijciuntur, longior, ſcilicet ac propior, item differentiæ æquationum quæ non aliud ſunt, quàm exceſſus æquationis maioris ſuper minorem, inſcribuntur cum titulis adde uel ſubtrahe. Sic etiam differentiæ titulos. A quidem additionem deſignans, M. uero ſubtractionem in extremitatibus linearum ſuarum geſtare ſolent. Hic aduertendum quòd ubicunq; in æquationũ tabulis paragraphus occurrit, illic in differentia tam in ſuperiori quàm in inferiori margine duæ literæ, uel A & M, uel M & A una ſcilicet ſuper aliam poſitæ inueniuntur, quarum ſuperior ſemper æquationibus & differentijs ſupra paragraphum poſitis, Inferior autem eiſdem infra dictum deſcriptis, inſeruiet, hac permiſſa itaq; declaratione tabulę æquationum patebunt intuenti, quarum uſus talis eſt. Quandocunq; ſignum in tabulam mittendum fuerit in fronte eius repertum, tunc gradus completi currentis ſigni in linea numeri ſiniſtri lateris deſcendendo quærendi ſunt, & angulus eorum communis æquationem adducit optatam. Differentiam uero æquationis eius linea collateralis oſtendit, & tituli utriuſq; in fronte reperiuntur ſecundum quos partes proportionales reſiduis correſpondentes regulari oportet. Si autem pes tabulæ ſigno mittendo deſeruiret, haud ſecus cum reſiduis gradibus in dextri lateris linea aſcendendo angulus communis, tam æquationem, quàm differentiam amplectẽs inueſtigatur, nam eo caſu linea ſuperior collateralis angulo communi differentiam ipſam, ſicut ima tabulæ planicies titulos elargitur congruos.

De ueris motibus.

Propoſitio VIII.

Locum augis communis, ex qua propria cuiuſq; planetarum aux elicitur, ad tempus quodlibet inuenire.

Habeas primo motum augium & ſtellarum fixarum, per 1. ad tempus propoſitum. Similiter motum acceſſus & receſſus octauæ ſphæræ ad idem tempus, demum octauæ ſphæræ motum mitte in tabulam æquationum

tionum eiuſdem circuli octaui,quærendo ſigna in fronte uel calce. Gradus autem in lineis numeri collateralibus,ut in præcedente expoſitum eſt,& in eorum congreſſu communi æquationem compræhenſam eiuſdem anguli accipe extra, per ſua loca ſcribendo cum titulo ſuo additionis uel ſubtractionis,unà cum differentijs utriuſq;, quam æquationi per debita loca ſubiunge. Deinde inquire partem proportionalem per multiplicationem ſupra traditam exiſtens æquatio octauæ ſphæræ minutis correſpondens & alijs minutijs, æquationes nanq; duntaxat ad ipſos gradus tabulatæ ſunt. Cum autem ultra gradus ut frequenter habeamus in operatione noſtra minuta & fractiones alias, quibus per numerum proportionalem ęquationem debitam procreamus, ipſamq; partem proportionalem appellamus, quam æquationi præinuentæ in locis proprijs ſemper ſubſcribemus cum ſuo titulo. Hanc etiam præfatę æquationi addere, uel ab ipſa ſubtrahere ſecundum exigentiam differentialis tituli, ut æquatio emergat æquata oportet; ultimo uero iam æquatam æquationem, ſi motui medio augium & fixarum ſtellarum adieceris prius comperto, ab eodemúe dempſeris, pro ut æquationis titulus admonet, augem communem ad tempus propoſitum te intelligas inueniſſe. Eam igitur augem communem radici augis Chriſti cuiuslibet planetæ addas, quam tabula oſtendit annexa,& habebis augem planetæ propriam de quo negociaris.

Radices augium planetarum incarnationis Chriſti.

Signa	gradus	minuta	Secund.	
2	11	25	23	Solis, Veneris.
7	23	23	42	Saturni.
5	3	37	0	Iouis.
3	25	12	13	Martis.
8	10	39	33	Mercurij.

Poteris etiam ſecunda propoſitione duce planetarum auges alio inueſtigare modo, & ad idem redit.

Exemplo tamen adiecto præſenti clarius introduceris, uolo inquirere augem communem ad præfatum tempus, ad quod motus augium ſtellarumq; per 1. inuentus eſt ille, 0. ſigna, 11. gradus 1. minu: 47. ſecund. Motus uero acceſſus & receſſus ad idem 2. ſig. 16. grad. 25. minu. 2. ſecund. Quæro igitur in tabula acceſſus & receſſus æquationem octauæ ſphæræ, ſigna trepidationis motus ſcilicet 2. quæ in eius fronte conſpiciuntur. Gradus uero in linea numeri deſcendendo ſcilicet 16. in quorum angulo communi 8. gra. 43. minu. 50. æquationem poſitam extraho cum titulo additionis. Tituli enim ſemper ex eadem parte recipiendi ſunt, in qua ſigna completa inueniuntur &c. Differentia autem hic eſt 2. minu. 12. ſecun. exiſtens reſiduum cum quo introitus fieri non potuit, unde pars proportionalis ſcilicet 55. ſecund. ferè producetur quam habitæ adiungo æquationi ſuadente tituli nota, prodibit æquatio 8. gra. 44. minu. 45. ſecun. æquata. Cum etiam eius titulus importet additionem coniungo ipſam motui augium & ſtellarum fixarum & motus augis communis ad tempus quo ſupra conſtitutus, ſcilicet 19. gra. 48. minu. 32. ſecund. Si uero ulterior opportunitas eiuſdem planetæ ſingularem propriamúe depoſcat augem, tunc eiuſdem planetę radix de tabula augis Chriſti recepta huic addatur & conſletur propoſitum, ut exemplariter appareat. Aux Solis hoc modo reperta, 3. ſig. 1. gra. 11. minu. 55. ſecund. oſtendit.

Vera loca ſtellarum fixarum ad quodcunq; tempus inuenire.

Propoſitio IX.

TABVLA ſtellarum fixarum notabiliorum in fine harum tabularum
adiecta eſt, quarum loca uerificata fuere per Alfonſum ſuper annos
Chriſti 1251. completis 5. menſibus. Si autem loca earũ, ad quodcunq;
aliud tempus uerificare cupis. Præſcribe primo augem cõmunem Al-
fonſi, ſcilicet ſig. 0 gra. 17. minu. 15. ſecund. 34. Deinde quære augem
communem ad tempus tuum propoſitum, ad quod ipſas uerificare præſumis, & ab
ea auge communi, ſubtrahe augem communem præſcriptam Alfonſi, & hoc ſi tem-
pus ad quod ſtellas uerificare uis, fuerit poſt annum 1251. menſes 5. uel ſubtrahe ab
ipſa auge præſcripta Alfonſi, ſi tempus tale præceſſerit annum domini 1251. men-
ſes 5. & quod poſt ſubtractionem manebit, erit motus ſtellarum fixarum temporis,
quod eſt inter annum Chriſti 1251. menſes 5. & ipſum annum propoſitum, ad quod
eas ſtellas uerificare uolueris. Hunc igitur motum adde ad locum cuiuslibet ſtellæ
poſitum in iſta tabula, ſi tempus tuæ uerificationis ſequitur annum uerificationis Al-
fonſi, uel ipſum ſubtrahe à loco cuiuslibet ſtellæ, in hac tabula poſito, ſi tempus tuæ
conſiderationis pręceſſerit, & habebis loca earum in longitudine uerificata ad tem-
pus tuum propoſitum. Gradus uero & minuta latitudinis ſtellarum non mutabis.
Latitudines enim earum inuariatæ manent: niſi quod minimæ ſenſibilitatis conſe-
quentur motu trepidationis. Iſto modo uerificabis etiam omnes ſtellas Alfonſi.

De uero motu Solis.

Propoſitio X.

Verum motum Solis ad quodcunq; tempus inuenire.

CONSTITVAS primo ad tempus propoſitum medium Solis mo-
tum per primam. Augemq; eiuſdem per octauam, nec non argumen-
tum ipſius per tertiam. Cum argumento itaq; intra tabulam æquatio-
num Solis quærendo ſigna in fronte uel pede. Gradus autem in lineis
numeri, & de angulo communi æquationem Solis accipe una cum dif-
ferentia & titulis earundem. Duc deinceps reſiduum argumenti in tabulam non
miſſum in totam differentiam, partem conſtituendo proportionalem, quam addere
aut ſubtrahere oportet æquationi præinuentæ ſecundum exigentiam tituli, ut ęqua-
tio proſiliat æquata. Hanc itaq; ultimatim addas medio motui Solis concordante ti-
tulo, uel ab ipſo reſcindas, ſi titulus idem præceperit, & illud quod remanet, certiſsi-
mum indicat punctum zodiaci primi mobilis, ſub quo centraliter Sol reſidet tempo-
re aſsignato. Sit exempli cauſa medius motus Solis ad tempus quo ſupra inuentus
ſig. 22. gra. 28. mi. 17. ſecun. per primam propoſitionem. Aux uero eiuſdem 3. ſig. 1
gra. 11. min. 55. ſecun. per ſecundam, qua ſubtracta de medio Solis motu, argumen-
tum eius relinquitur 9. ſig. 21. gra. 16. mi. 22. ſecund. quo mediante de tabula æqua-
tionum Solis 1 gra. 59. minu. 41. ſecun. æquatio illa inuenitur. Angulus enim com-
munis compertus per 9. ſig. in calce tabulæ poſita, & 21. gra. aſcendendo in linea nu-
meri eam repręſentat cũ additionis titulo. Eodẽ modo 49. ſecunda loco differentia
adducit cum titulo defalcationis, quę per reſiduũ argumenti in tabulam non miſſum
puta 16. min. 22. ſecund. multiplicata, partem hanc gignit propotionalem 13. ſecund

22. tert

22.tert.quà dempta præinuenta æquatione, pro ut titulus admonet differentialis, remanebit æquatio æquata 1.gra.59.minu.28.ſecun.ferè,quæ ſi finaliter medio Solis motui præfato fuerit adiecta, uerum locum Solis oſtendit in zodiaco 0.ſig.24. gra.27.minu.45.ſecun.ad tempus propoſitum,diebus tamen non æquatis.

De uero motu Lunæ.

Propoſitio XI.

Punctum zodiaci certum ſub quo Luna directe quolibet tempore conſtituatur perſcrutare.

INquirantur per primam,medius motus Lunę pro aſsignato tempo
atq; eius argumentum medium. Similiter & centrum ipſius per 5.ad
idem tempus,illis etenim mediantibus, locus uerus Lunæ inueſtiga-
tur,ut autem progreſſus noſter diſtinctior habeatur. Scias te per cen-
trum Lunæ duo quærere debere,æquationem ſcilicet centri, & minu-
a proportionalia. Totidemq; per argumentum,uidelicet argumenti æquationem
t diuerſitatem diametri circuli breuis. Nec illud te lateat generale,ut quicquid de
abula ęquationum fuerit extractũ,per partem proportionalem ſemper fore æquan-
lum,niſi differentia eſſet nulla,aut denominationes omnes poſt gradus ipſos de nu
nero in tabulam mittendarum minutiarũ uacarent,tunc nanq; pars proportionalis
enitus fruſtra attemptaretur. Quicquid enim angulus communis tali introitu facto
ommonſtraret,cum actu æquatum ſit,ulteriori æquatione non egeret. Scribe ergo
numquodq; præinuentum ſeorſum,& ſerua ad partem. Quo facto,cum centro Lu-
æ medio tabulam æquationum Lunæ ingredere,ſigna quærendo in capite,uel cal-
e. Gradus uero in lineis numeri,& accipe quod in directo eius inueneris de ęqua-
one centri, & circa ipſam, titulorum denominationem ſcilicet adde, uel minue
riptam conſidera. Similiter differentiam eiuſdem cum ſua nota A.uel M.recipe
ribeq; ſub prius extractis, debito ordine ita, uidelicet, quod ſingulæ eiuſdem de-
ominationis & ordinis minutiæ ſe inuicem reſpiciant. Accipe etiam ibidem, ubi
ım centro Lunæ intraſti, minuta proportionalia,quæ ſerua ad partem unà cum eo-
ım differentia literaq; titulorum ſcilicet A.uel M. A.quidem additionem, M uero
btractionem importat. Si quid igitur utrorunq; illorum circa differentiam inuene-
s,quæras partem proportionalem,& fac cum ea æquationem centri ęquatam,atq;
ınuta proportionalia,per eadem uerifica,ut explicatur in multiplicatione. Deinde
quationem centri, ut præfertur æquatam, iuxta monitionem tituli adde uel ſub-
ahe medio argumento Lunæ,& emergit argumentum uerum uel æquatum. Mi-
ıta autem proportionalia æquata ſerua ad partem. Mitte demum ſigna & gra-
ıs ueri argumenti Lunę in tabulam æquationum Lunæ,more conſueto,in quorum
ncurſu communi æquationem argumenti repertam cum ſua differentia,& titu-
accipe ſubſcribasq; argumento eiuſdem Lunæ,& ſine diſceſſu diuerſitas diame-
i eodem introitu inuenta extrahatur,haud abſq; differentia propria,tituloq; diffe-
ntiali quam ſubſcribas,minutis proportionalibus prius ad partem cuſtoditis. Fac
einceps æquationem utriuſq;,tam argumenti quàm diuerſitatis diametri per nu-
erum proportionalem, non aliter quàm in operatione centri, ſupra negociatus
ıſti, & prodibunt ambæ æquatæ, quo facto multiplica minuta proportionalia,
æcuſtodita per totam diuerſitatem diametri æquatam productum ſubſcribens
argumenti æquationi æquatæ nuper inuentæ, ſemperq; ſimul additæ medio
otui Lunæ finaliter adijcias, ſi titulus æquationis argumenti additionem impor-
uerit, uel ab eo reſcindas, dum de numero fuerit decreſcentium. Si autem
inuta proportionalia præciſe 60. fuerint, Tunc etenim tota diuerſitas dia-
metri

metri abſq; omni multiplicatione in minuta proportionalia æquationi adijciatur. Et quicquid his peractis remanſerit, uerum punctum zodiaci primi mobilis, ſub quo centrum corporis Lunæ graditur pro aſsignato tempore examuſsim oſtendit, de quorum oſtenſione accipe exemplum ſubſcriptum. Medius motus Lunæ conſtitutus ad ſupra dictum tempus eſt 11. ſig 27. gra. 7. minu. 46. ſecun. Argumentum uero medium eiuſdem 6. ſig 5. gra. 26. minu. 54. ſecund. Centrum autem Lunæ medium 10. ſig. 9. gra. 18. minu. 58. ſecund. Mitto itaq; centrum Lunæ medium in tabulam æquationum eius, & occurrit æquatio centri 7. gra. 23. minu. cum nota ſubtractionis, cuius differentia eſt 8. minu. cum litera M. diminutionem importans, ſimili modo 9. minu. in loco minutorum proportionalium inuenio, quorum differentia cum ſit nulla, ea pronuncio æquata, ad partemq; ſeruo. Duco deinceps reſiduum centri non miſſum in tabulam, ſcilicet 18. minu. 58. ſecun. per differentiam æquationis ſcilicet 8. mi. & procreabitur pars proportionalis 2. minu. 32. ſecund. ferè, quam ſubtraho de centri æquatione ſuadente titulo, remanebit æquatio æquata 7. gra. 20. minu. 28. ſecund. minuenda. Igitur ipſam ſubtraho de argumento Lunæ medio, reſiduatur uerum argumentum 5. ſig. 18. gra. 6. min. 26. ſecund. Sed huius æquatio ex tabula eſt 11. mi. 18. ſecun. cum differentia 5. minu. 38. ſecund. quorum tituli diminutionem important. Diuerſitas diametri ſimili modo inuenta eſt 0. gra. 8. minu. præſcriptis ſubiungenda, & differentia eius 4. minu. cum nota M. Deinde differentiam æquationis argumenti per reſiduum multiplico argumenti pro habenda parte proportionali, qua alijs numeratoribus poſt gradus æquationem debitam procurare ſolemus & prodibit 36 ſecund. pars proportionalis minuenda, quam de æquatione argumenti abijcio, reſtat æquatio argumenti 10. minu. 42. ſecund. prima examinata. Eodem modo pars proportionalis diuerſitatis diametri fractionibus argumenti correſpondens producitur 26. ſecun. cum titulo M. Subtraho ergo illam â diuerſitate diametri præinuenta, & remanet 7. min. 34. ſecund. diuerſitas diametri æquata. Iam hanc diuerſitatem per minuta proportionalia multiplico prius ad partem ſeruata, & producitur 1. minu. 8. ſecund. quod æquationi argumenti primo examinatæ adiungo, & oritur æquatio argumenti ultimo examinata, ſcilicet 11. minu. 50. ſecun. Finaliter autem hanc æquationem de medio motu Lunæ ſubtraho iubente eius titulo, remanebit uerus motus Lunæ 11. ſig. 26. gra. 56. minu. 56. ſecun. ad tempus datum, quod quærebatur diebus non æquatis.

De uero motu quinq; planetarum.

Propoſitio XII.

Verum locum zodiaci, ſub quo ſit quiſpiam 5. planetarum certo computo inuenire.

HAbeas primo medium motũ eius ad tempus propoſitum, cuius uerum locum ſcire deſideras per primam, & argumentum ſimiliter, in tribus quidem ſuperioribus per 4. In Venere autem & Mercurio cum habe ant proprias tabulas per primam ſuorum argumentorum. Inſuper & centrum medium per 6. quæ ſingula extra ſcribenda ſunt. Cum centro itaq; medio inuenienda eſt ſolum æquatio centri hoc modo, quære in tabulis æquationem tui planetæ ſignum centri in fronte tabulæ uel calce, & in columna qua intitulatur æquatio centri, è directo graduum centri â dextris aut ſiniſtris ſecundum exigentiam repertorum, accipe æquationem centri cum ſua differentia quodlibet ſuo ſignando titulo. Multiplica tandem differentiam in reſiduum centri, & pars proportionalis emergit, quam adde uel ſubtrahe, prout titulus indicat diffe rentialis, æquationi centri, & habebis æquationem centri æquatam, per quam for mar

nare debes, utrunq; uerum, tam centrum ſcilicet quàm argumentum. Similiter &
ierum locũ epicycli hoc modo, ſi æquatio centri habuerit additionis titulum, ipſam
nedio centro adde. De medio autem argumento eandem ſubtrahe, & iterũ ipſam
dias medio motui planetæ, & habebis omnia uera, ſcilicet, motum epicycli, argu-
nentum & centrum. Sed ſi dicta æquatio centri haberet titulum minutionis, am-
)utari deberet à medio centro & à medio planetæ motu, Addi tamen medio argu-
nento, & prodirent omnia uera, ut prius. Cum æquatione enim centri æquata ſem-
er agendum eſt ſecundum formam tituli pro habendis uero centro, ueroq; motu
picycli. Pro uero autem argumento habendo, contrarium ſemper tituli ipſius fieri
lebet, quibus peractis, æquatione centri ulterius non eges. Tandem in præfatis tui
'anetæ tabulis, ſigna & gradus ueri centri quæras modo dicto, quorum è directo
xtrahas minuta proportionalia de tabula eorum cum titulo eius ſuprafcripto, longi-
r ſcilicet aut proprior differentiamq; eorundem cum ſuo titulo, quæ ſingula æquan
la erunt per partem proportionalem, ſeruandaq; ad partem, nec ulterior neceſsitas
perandi aliqua, centrum reuocabit. Iam uero ad argumentum uerum eundum eſt,
uo mediante duo ſunt quærenda, æquatio ſcilicet argumenti & diuerſitas diametri
irculi breuis. Quære itaq; ſigna & gradus ueri argumenti in æquationum tabulis
lanetæ tui, & è directo graduum, ſuſcipe æquationem argumenti in grad. & minu.
ıb titulo ipſi appropriato, cum differentia tituliſq; earundem, accipe etiam ibidem
iuerſitatem diametri, de altera tabula longitudinum ex iſta uidelicet, de qua ſunt
ninuta proportionalia prius ad partem cuſtodita. Si enim minuta proportionalia
er te comperta haberent ſupra ſe titulum Longior, tunc de longitudinibus illa reci
iatur, quę inſcribitur longitudo longior, & è regione ſi Propior, tunc de longitudi-
e propiore diuerſitas eſſet recipienda, ponendaq; ſub minutis proportionalibus
er debita loca, unà cum differentia & ſuo titulo. Aequa deinceps unumquodq; iſto
um, ſcilicet tam æquationem argumenti quàm diuerſitatem diametri per partem
roportionalem de ſua differentia, & prodibunt ambæ æquatæ. Iam uero pro finali
:quatione habenda, multiplica minuta proportionalia per diuerſitatẽ diametri, ſub-
:ribaſq; productum æquationi argumenti per loca ſua. Facta autem multiplicatio-
e, ſi titulus minutorum proportionalium fuerit longior, abijce tale productum de
rgumenti æquatione. Si uero fuerit propior, idem productum æquationi adde ar-
gumenti, & proueniet æquatio argumenti finaliter æquata, pro uero epicycli loco.
Hanc ergo æquationem ſi habet titulum additionis, adde uero epicycli loco, aut ab
odem minue, ſi habeat titulum decreſcentiæ, ſic enim congregabis uel reſiduabis
ierum locũ in zodiaco primi mobilis, ſub quo diametraliter planeta graditur tuus,
ıro aſsignato tempore. Verbi gratia: Inueſtigaturo mihi uerum motum Saturni ad
ıræfatum tempus, occurrit æqualis motus ipſius per primã 2. ſig. 21. gra. 30. mi. 35.
ecun. Similiter eius argumentum medium 10. ſig. 0. gra. 57. minut. 42. ſecun. Cen-
rum quoq; eius medium per 66. ſig. 8. gra. 20. mi. 21. ſecund. Cum illo autem tabu-
as æquationum ingredior Saturni, & ſigna in calce tabulæ, gradus autem in latere
lextro reperio, quorũ communis angulus hanc centri præſentat æquationem, o gr.
7. min. cum titulo additionis, cuius differentia eſt 7. minu. cum nota A. quam duco
n reſiduum centri, prodibit pars proportionalis 2. min. 22. ſecund. ferè. Illam igitur
ıræinuentæ ęquationi adiungo, iubente eius titulo producitur ęquatio centri ęquata
). gra. 59. mi. 22. ſecun. quam addo medio centro, propter titulum iuxta poſitum, &
colligitur centrum uerum 6. ſig. 9. grad. 19. minu. 43. ſecun. addo ſimiliter eandem
nedio motui planetæ, & conflatur uerus motus epicycli 2. ſig. 22. gra. 29. min. 57.
ecun. Subtrahoq; prædictam æquationem centri æquatam de argumento medio,
elinquitur uerum 9. ſig. 29 gra. 58. mi. 20. ſecun. Quo facto æquationem abijcio, &
ntro cum centro æquato ad eandem tabulam pro minutis proportionalibus inueſti
gandis,

gandis, quæ offerunt ſe numero 60. propiora abſq; differentia, & ideo pro æquatis
habenda ſunt, ſcribendaq; ad partem, quo facto centrum penitus abijcio. Cum argu
mento autem de tabulis Saturni modo expoſito ipſam æquationem ſub titulo ęqua-
tio argumenti, inuenio 5. grad. 8. minu. cum titulo ſubtractionis, cuius differentia ad
ſequentem angulum eſt 4. minu. quæ per reſiduum argumenti multiplicata produ-
cunt 3. minu. 53. ſecund. loco partis proportionalis. Hæc igitur pars proportionalis,
ſuadente eius titulo de ipſa æquatione argumenti amputari debet, & reſiduabitur
æquatio argumenti æquata 5. gra. 4. mi. 7. ſecun. primo examinata. Deinde minuta
proportionalia præinuenta uidentur habere titulum propior appellatum, quapro-
pter ſub longitudine propiori præfatæ tabulæ diuerſitatem diametri extraho de an-
gulo communi per ſigna gradusq; ueri argumenti conſtituto, ſcilicet o. gra. 20. mi.
de facto æquatam propter cyfram in linea differentiali dicti anguli poſitam. Pro fi-
nali autem argumenti æquatione habenda in loco epicycli, hanc diuerſitatem pe
minuta proportionalia prius ſeruata ad partem multiplico, & excreſcunt 20. min.
Illud autem productum tam propter titulum minutorum proportionalium, quâm d
uerſitatis diametri, uidelicet propior, æquationi argumenti primo examinatæ adiun
go, & colligitur 5. gra. 42. mi. 7. ſecun. Aequatio argumenti ultimo examinata, qua
contingit loco tranſitus epicycli, quâm aufero, de uero loco centri epicycli, ſupra in-
uento ſecundum tituli ſui præceptionem, remanebit locus Saturni uerus, ſcilicet. 2.
ſig. 17. gra. 5. mi. 50. ſecun. in Zodiaco primi mobilis, ad tempus propoſitum, uera-
citer adinuentus, quod erat attentandum.

De cautelis obſeruandis in operatione tabularum.

Propoſitio XIII.

CAVTELAS in operatione obſeruandas explanare. Si conti-
gerit centrum aut argumentum in tabulas mittenda nihil eſſe i
ſignis, nihil in gradibus, in minutis tamen aliquid, aut alijs fractio-
nibus, tunc nulla eſt æquatio ſignis & gradibus correſpondens.
Quatenus autem habeatur fractionibus ęquatio debita: Accipier
da eſt prima differentia cum ſuo titulo æquationis centri, ſi cun
centro negociaberis, aut argumenti, ſi cum illo intrandũ fuerit, ue
longitudinis pro tunc occurrentis pro diuerſitate habenda de tabula ſub o. ſig. o. gr
Ipſa etenim prima differentia idem eſt cum æquatione penes primum gradum po-
ſita, quapropter idem eſt accipere differentiam aut æquationem. Tandem ducatu
illa differentia in ſingulas reſidui fractiones more conſueto, & producetur ęquatio
eiſdem correſpondens minutijs. Cum qua agendum erit, pro ut indicat eius titulus
adde uidelicet, aut ſubtrahe. Si etiam hanc omiſeris æquationem, modicum inde di
gni erroris naſcetur.

Si etiam contigerit motum in tabulam mittendum aliquid eſſe in ſignis, &
nihil in gradibus, eo caſu unum ex ſignis in 30. gradus reſoluatur, & fiat ingreſſu
cum remanentibus ſignis ac 30. gradibus, more ſupra tradito. Quandocunq; circ
æquationem repertam in tabulis differentia fuerit nulla, tunc ipſa æquatio de facto
æquata habetur, quare cum ea agatur iuxta notam oppoſitam. Si in minutis pro-
portionalibus nihil fuerit diuerſitas diametri, quæri non debet, & ob id ſolum pe
æquationem argumenti æquatam motus finaliter rectificandus erit. Nam tun
æquatio primo examinata, erit etiam æquatio ſecundo examinata. Et tunc centrum
epicycli Lunæ, cum de Luna agitur, erit in auge deferentis, uel ualde prope. Si o. d

diuerſi-

diuerſitate diametri inueneris, quoniam tunc minu. proportionalia, nullius erunt operis. Tunc etiam æquatio primo examinata, erit etiam æquatio ſecundo examinata, & centrum corporis Lunæ erit tunc in auge uera, uel oppoſito augis ueræ epicycli, & ex conſequenti, erit argumentum uerum, o aut 6 ſigna præciſe. Si minuta proportionalia fuerint 60. tunc tota ipſa diuerſitas æquata abſq; ulla uariatione loco producti accipiatur, addaturq; uel abijciatur æquationi argumenti æquatæ, & habebitur æquatio argumenti ſecundo examinata. Quoniam tunc centrum epicycli, eſt in oppoſito augis deferentis, uel ualde prope &c.

De Genzahar Lunæ.

Propoſitio XIIII.

Verum locum Genzahar Lunæ reperire.

GEnzahar Lunæ dicitur punctus ecentrici Lunæ, qui exiſtit ſub ecliptica, de quo altera medietas dicti ecentrici ſeptentrionem, altera uero auſtrum uerſus incipit declinare, quem uulgo caput draconis dicimus. Cuius tamen uerus locus facilime quæritur. Inuento namq; medio motu eius per 1. ad tempus oblatum, quo de 12 ſig. ſubtractis, reſidua- bitur uerus locus Genzahar Lunæ. Et in gradu huic oppoſito, uerus locus caudæ eiuſdem draconis in zodiaco collocatur.

De planetarum paſsionibus.

Propoſitio XV.

Latitudinem Lunæ per tabulas inuenire.

PER uerum argumentum ſeu æquatum latitudinis Lunæ ſua latitudo quæri debet, ſed illud duplici uia inueſtigabitur. Nam ſubtracto uero motu capitis, de uero motu Lunæ, aut addito uero motu Lunæ cum capitis motu æquali, argumentum latitudinis Lunæ uerum prodibit. Intra igitur cum hoc argumento tabulam latitudinis Lunæ, quærendo ſigna in fronte uel calce tabulæ, gradus in latere reſpectu quorum angulus communis latitudinem Lunæ adducit, quam æquabis per partem proportionalem ad 60 mi. ſi opus fuerit.

Hæc autem latitudo dicitur ſeptentrionalis aſcendens, ſi argumentum latitudinis Lunæ æquatum fuerit minus tribus ſignis communibus. Quod ſi fuerit à tribus ſignis ad uſq; ſex ſigna, erit dicenda ſeptentrionalis deſcendens. Si uero præfatum argumentum habuerit plus in ſignis quàm ſex, minus tamen quàm nouem meridionalis deſcendens appellabitur. A nouem autem ſignis uſq; ad duodecim ſi dictum concreuerit argumentum, tunc præinuenta latitudo meridionalis aſcendens denominanda eſſet. Si uero argumentum Lunæ æquatum fuerit o. ſig. uel 12 præciſe, tunc Luna eſt in capite draconis. Si uero fuerit 6 ſignorum pręciſe, tunc erit deſcen- ſus eius abſq; latitudine, eſſetq; in cauda draconis, ſi deniq; prædictum argumentum fuerit pręciſe trium ſignorum, tunc Luna habet ſeptentrionalem latitudinem, & poteſt dici aſcendens reſpectu latitudinis immediate pręcedentis, & deſcendens reſpectu latitudinis immediate ſequentis. Simili modo eſt dicendum, dum argumentum ſæpe dictum fuerit pręciſe 9 ſignorum, tunc enim Luna habebit latitudinem meridionalem, & uocabitur aſcendens & deſcendens reſpectu diuerſorum, ut ſupra, Si autem ſcire deſideras, an Luna in ſuperiori uel inferiori parte ſui epicycli

diſcurrat, argumentum Lunæ uerum animaduerte, quod ſi minus fuerit quâm 3 ſig.
& 5. gra. uel plus 8. ſig. 25 gra. tunc Luna erit in ſuperiori parte epicycli, ac tarda cur
ſu, nam eo caſu gradus & ſigna cadunt ſupra paragraphum circa æquationem maio
rem argumenti poſitum. Si uero argumentum Lunæ uerum, fuerit plus tribus ſi
gnis, & 5 gra. aut minus 8 ſig. 25 gra. profecto, tunc Luna in parte ſui epicycli infe
riori commorabitur, eiusq; argumentum ſub paragrapho clauditur, eritq; uelox cur
ſu. Si etiam dictum argumentum fuerit 3 ſignorum, aut 9. erit Luna curſu æqualis.
Idem comperies dum eius motum uerum diurnum comparaueris 13 gra. 11 mi. qui
bus ſi fuerit æqualis, erit curſu æqualis, ſi minor, tarda, & de quanto maior, de tanto
uelocior. Exemplo ſequenti magis te iuuabis. Volo inquirere latitudinem Lunæ ad
tempus ſupra dictum, ad quod uerus ipſius motus eſt 11. ſig. 26 gra. 56 min. 56. ſe
cund. medius autem capitis motus ad idem 10 ſig. 28 gra. 35. mi. 26 ſecund. quibus
coniunctis, oritur argumentum latitudinis Lunæ uerum 10 ſig. 25 gra. 32 mi. 22 ſe
cund. quo mediante de tabula latitudinis Lunæ iſtam extraho latitudinem 2 grad.
51 min. 57 ſecun. cuius differentiam ad immediate ſequentem multiplico in reſidu
um argumenti latitudinis, naſcitur pars proportionalis 2 mi. 19 ſecund. quam aufero
de latitudine præinuenta, eò quòd ſequens angulus ſit minor pręcedente, & reſidua
tur latitudo Lunę æquata 2 gra. 49 mi. 38. ſecund. Cum autem uerum argumentum
latitudinis Lunę ultra 9 ſig. ſe extendat, meridiana pronunciabitur ipſa, aſcendensq;

De latitudine trium ſuperiorum.

Propoſitio XVI.

Trium ſuperiorum latitudinem reperire.

NOtandum quòd quilibet trium ſuperiorum habet duas tabulas, pri
mam pro latitudine ſeptentrionali, ſecundam uero pro meridiana lati
tudine. Nam Saturni & Iouis geſtant tam in ſeptentrionali quàm me
dionali primæ partis in capite ſigna centri ueri, & in linea extrema a
læuam, gradus eiuſdem argumenti deſcendentes. Areæ autem tabu
larum continent minuta proportionalia. In ſecunda uero parte in capite & pede ta
bulæ ſunt ſigna ueri argumenti, & in linea lateris ſiniſtri extrema ſunt gradus eoru
dem aſcendentes aut deſcendentes, prout res poſtulare uidetur, in corpore tabula
rum ſunt gra. & minuta latitudinis. Tabulæ Martis continent in prima facie, tam i
capite quam in pede ſigna ueri centri. In ſecunda ſunt conformes tabulis Saturni &
Iouis. Latitudo eorum quæritur cum centro & argumento uero. In Saturno & Io
ue quære ſigna centri ueri in capitibus tabularum. In Marte autem in fronte u
calce, gradus uero in linea graduum ſiniſtri lateris & in annulo communi ſignoru
& graduum centri inuenias minuta proportionalia, quæ ſerua ad partem. Deind
cum argumento uero in eam tabulam ingredere, in qua minuta proportionalia a
cepiſti, & quod in communi angulo inueneris de latitudine ſeptentrionali aut me
dionali, extra notabis cum parte ſua latitudinis aut ſeptentrionali, quæ efregion ſ
ptentrionale dicitur, aut meridionali, quæ efregion meridionale nominatur, & ſic
tituli in capitibus tabularum admonent. Demum accipe de latitudine iſta parte
proportionalem, ſecundum proportionem minutorum proportionalium ſupra ſe
uatorum ad 60. Nam proueniens latitudinem planetæ manifeſtabit, denominati
nem ſumens ab inſcriptione adiecta, ut ſi operationem per primam Tabulam a
ceperas, erit latitudo ſeptentrionalis, aut meridiana, ſi per ſecundam tabulam op
raris.

Se

Sed per exemplum forſitan lector rem clarius intueris. Latitudinem igitur Saturni ad tempus quo ſupra calculamus, cuius argumentum uerum, ut ſupra eſt 9. ſig. 29 gra. 58 mi. 20 ſecun. Centrum uerum 6 ſig. 9 gra. 19 mi. 43 ſecund. Signa igitur centri ueri, ſcilicet 6 reperio in ſecunda tabula Saturni, & 9 gra. centri ueri in linea graduum extrema deſcendendo, & reperio in angulo communi, 31 mi. proportionalia ad partem ſeruanda. Deinde quæro 9 ſig. argumenti ueri in eadem tabula, quæ reperio in calce huius tabulæ. Gradus autem 29 argumenti ueri in ſecundo ordine numerorum aſcendendo, & iterum in angulo communi ſignorum & graduum, reperio 2 gra. 15 mi. e regione meridionale, id eſt latitudinem meridianam, de qua ſcilicet 2 gradibus, 15 mi. & 31 minutis proportionalibus ſupra ſeruatis, accipio partem proportionalem ſecundum doctrinam de multiplicatione & diuiſione ſupra traditam, ad 60. & reperio 1 gra. 9 min. 45 ſecun. latitudinem meridionalem Saturni ad tempus præſignatum. Planetarum ſuperiorum aſcenſum & deſcenſum partis latitudinis, hoc modo cognoſces: Habita latitudine planetæ ad tempus propoſitum, quæras etiam eius latitudinem ad decimum diem ſequentem. Quod ſi latitudo planetæ diei propoſiti ſeptentrionalis fuerit, & latitudinem decimi diei ſequentis augmentari uideris, dic latitudinem planetæ ſeptentrionalem aſcendentem. Si uero eandem minui perſpexeris, profer latitudinem ſeptentrionalem deſcendentem. Si autem latidudo fuerit meridiana & creſcet, uocabis latitudinem meridianam deſcendentem, ſi minuitur meridionalem aſcendentem, uel ſic, & facilius. Si latidudo alicuius trium ſuperiorum fuerit ſeptentrionalis, & argumentũ uerũ minus 6 ſignis communibus, erit aſcendens, ſi plus deſcendens, ſed econtra erit. Si latitudo fuerit meridiana, nam ſi argumentum uerum fuerit minus 6 ſignis, erit deſcendens, ſi plus aſcendens. Veneris etiam aſcenſus & deſcenſus partis latitudinis per primum modum iam expoſitum in tribus ſuperioribus ſatis innoteſcet, ſed in Mercurio debet quæri ad quartum uel quintum diem mox ſequentem, propter latitudinis Mercurij uelocem uariationem.

De latitudine Veneris & Mercurij.

Propoſitio XVII.

Veneris & Mercurij latitudinem inueſtigare.

TRes tabulas partiales quilibet eorum habet, quarum prima eſt latitudinis declinationis epicicli. Secunda latitudinis reflexionis eiusdem epicicli. Tertia eſt latitudinis deuiationis deferentis ab ecliptica, Prima autem tabula cuiuslibet eorum continet ſigna centri & argumenti ueri in fronte & calce tabulæ, & eorundem gradus ad leuam tabulæ ſub titulo, lineæ numeri graduum. Area autem huius tabulæ habet in prima eius parte minuta & ſecunda proportionalia. In ſecunda uero parte latitudines declinationis epicicli, meridionales aut ſeptentrionales, quod tituli in capitibus tabularum inſinuant. Secunda tabula, ſigna habet centri & argumenti ueri in capite, & lineam numeri graduum ad ſiniſtram. Corpus autem huius tabulæ, primo continet minuta proportionalia, ſecundo latitudines reflexionis epicicli, ſeptentrionales & meridionales, Tertia tabula exprimit latitudinem deuiationis deferentis ab ecliptica, & eſt hæc latitudo ſemper ſeptẽtrionalis in Venere, ſed in Mercurio meridionalis, & fit introitus in ipſam cum minutis proportionalibus pro latitudine reflexionis inuenienda. Declinationem igitur ſic comperies cum centro uero, intra tabulam primam latitudinis declinationis epicicli, & in angulo communi ſignorum & graduum, accipe mi. & ſecun. proportionalia quæ nota ad partem. Sic ſimiliter cum argumento

uero eandem partem tabulæ, ubi iam minu. & ſecund. proportionalia accepiſti, ingredere, & quod in angulo communi ſignorum & graduum argumenti, de gradibus & minutis latitudinis declinationis inueneris extra nota cum parte latitudinis meridionali aut ſeptentrionali, ſecundum exigentiam tituli. Deinde accipe partem proportionalem de latitudine declinationis & minu. & ſecund. ſi qua fuerint ſecundum proportionem minutorum & ſecundorum ad 60 per modum multiplicationis & diuiſionis ſupra traditum, & hæc erit prima latitudo Veneris uel Mercurij examinata, quæ prouenit ex declinatione epicycli, eam ſerua cum parte ſuæ latitudinis. Pro inuenienda reflexione, intra tabulam ſecundam latitudinis reflexionis cum centro æquato, & mi. per ipſum reperta extra ſcribe. Deinde cum argumento uero intra eandem tabulæ partem, ubi iam accepiſti mi. proportionalia, & latitudinem reflexionis inuentam cum titulo partis extra notabis, de qua & mi. proportionalibus accipe partem proportionalem ſecundum proportionem minutorum ad 60. & emergit latitudo reflexionis examinata, quæ prouenit ex reflexione epicycli, quam cum titulo ſuo etiam ad partem ſerua. Pro deuiatione autem inuenienda intra tabulam tertiam, cum minutis proportionalibus per ſecundam tabulam repertis, & quod in directo eorum inueneris, extra ſcribe, & erit latitudo tertia examinata, quæ in Venere ſemper eſt ſeptentrionalis, in Mercurio uero ſemper eſt meridionalis, & iſta accidit ex deuiatione deferentis ab ecliptica. Finaliter autem, ſi tres repertæ latitudines fuerint eiuſdem tituli, omnes addantur, & aggregatum erit latitudo quæſita. Si uero fuerint diuerſarum denominationum, iunge illas quæ ſunt eiuſdem appellationis, quo facto, ſubtrahe minorem de maiore, & reſiduum oſtendit latitudinem ultimo examinatam, illius tamen ſemper denominationis, cuius maior latitudo erat de qua hoc reſiduatur. Exemplo autem præſenti clare introduceris. Argumentum Veneris medium ad tempus prius datum cum reliquis motibus eſt.

Argumentum medium	4	26	20	14
Centrum medium	9	21	16	22
Æquatio centri æquata	A	1	59	44
Centrum uerum	4	23	16	6
Argumentum uerum	9	24	20	30

Ex tabula itaque prima per centrum uerum inuenio min. 55 ſecund. 0. proportionalia, & per argumentum uerum ex eadem tabula primo accipio latitudinem 2 gra. 23. minu. cum titulo declinatio ſeptentrionalis, de qua & minutis cum ſecundis proportionalibus colligo partem proportionalem 2 gra. 11 mi. 5 ſecund. cum titulo ſeptentrionalis, hæc eſt latitudo declinationis epicycli, quam ſeruo ad partem. Item cum eodem centro intro tabulam ſecundam, & reperio 23 minu. proportionalia, & cum argumento reperio 2 grad. 28. min. cum titulo reflexio ſeptentrionalis, de qua & mi. proportionalibus, quæro partem proportionalem, & colligo 56 min. 44 ſecund. cum titulo ſeptentrionalis, quæ eſt latitudo reflexionis epicycli.

Tandem cum 23 mi. proportionalibus ex ſecunda tabula repertis, intro tabulam tertiam, & inuenio 3 min. 50 ſecund. latitudinem ſeptentrionalem deuiationis deferentis ab ecliptica, ſed quia tres hæ latitudines, omnes ſunt ſeptẽtrionales, quare addo eas in ſimul, & colligo 3 gra. 11. mi. 39 ſecund. latitudinem Veneris ſeptentrionalem optime extractam ad tempus propoſitum.

De directione, retrogradatione, ſtationeq́ planetarum.

Propoſitio XVIII.

Planetarum directiones, retrogradationes ſtationesq́ per Tabulas inuenire.

HAbeas primo centrum & argumentum æquata planetæ, de quo hęc inuenire prætendis, & eorum quodlibet ſcribe ſeorſum. Et mitte centrum uerum in tabulam ſtationis tui planetæ, recipeq́ ſtationem primam in eius directo ſcriptam, æquando tamen ipſam cum parte proportionali ſi opus fuerit, qua demum ſublata de 12 ſig. relinquitur ſtatio ſecunda, quam ſcribe ſub prima. Et conſidera ſi argumentum æquatum tui planetæ fuerit æquale ſtationi primæ in ſig. gra. & mi. erit planeta ſtationarius ſtatione prima ubi incipiet retrogradari. Quod ſi fuerit plus ſtatione prima, & minus ſecunda, tunc retrograditur, & ſi fuerit æquale ſtationi ſecundæ, erit ſtationarius ſtatione ſecunda. Si uero idem argumentum fuerit plus ſtatione ſecunda, & minus prima, erit idem planeta directus. Quòd ſi planeta directus fuerit, & uolueris ſcire, quando dirigi inceperit, conſidera ſi argumentum medium talis planetæ fuerit plus ſtatione ſecunda, uel minus prima uel nihil, ſi plus ſtatione ſecunda, ſubtrahe ſtationem ſecundam de argumento medio, & quod poſt ſubtractionem remanſerit, diuide per motum argumenti in una die, ſi potes, & habebis in quotiente dies, ſi uero aliquid remanſerit, aut diuidi non poſsit, tunc illud per 24 multiplica, & productum diuide per id quod prius, & in quotiente habebis horas, & ſi quid remanſerit indiuiſum per 60 reſoluas, diuidasq́ cum priori diuiſore, prouenient in quotiente minuta horarũ. & ſic conſequenter ad libitum. Hoc ergo tempus ex diuiſionibus emerſum, de tempore quo tuum planetam æquaſti ſubtrahe, remanebit tempus quo planeta incepit dirigi. Si autem argumentum fuerit minus ſtatione prima, ſubtrahe ſtationem ſecundam, de 12 ſig. & reſiduo adde argumentum tui planetæ æquatum, & totum aggregatum diuide ut ſupra, & totum tempus reſultatum per tuam diuiſionem aufer ut prius, relinquetur tempus quo planeta tuus dirigi inceperat. Quòd ſi argumentum medium fuerit nihil, totam diuide ſtationem primam modo dicto, & à tempore ex diuiſione emerſo, ſubtrahe ut ſupra, prodibit optatum. Quôd ſi forſitan ſcire deſideraueris, quando retrogradari incipiet, & argumentum medium plus fuerit ſtatione ſecunda, tunc abijce medium argumentum de 12 ſig. addasq́ relicto ſtationem primam, collectumq́ diuide more dudum tradito, & tempus ſic reſultatum adde tempori ad quod planetam æquaſti, & habebis intentum. Si uero argumentum æquale, fuerit minus ſtatione prima, ipſum de prima ſtatione abſcinde, & reſiduũ diuide, ut paulo ante diximus. Tempus autem emerſum adde, ut ſupra, & habebis initium retrogradationis planetæ. Quòd ſi argumentum medium fuerit nihil, eo caſu ipſam ſtationem primam totam diuide modo præfato, & tempus reſultatum adde, ut dictum eſt, & habebis &c. Retrogradus autem ſi planeta fuerit, & ſcire uolueris quando retrogradari inceperit, ſtationem eius primam de ipſius minue argumento & reſiduum diuide modo habito, tempus autem tali diuiſione compertum ſubtrahe à tempore pro qno planetam uerificaſti, & remanebit quæſitum. Quòd ſi ſcire uolueris, quando dirigi incipiet, argumentum eius medium aufer à ſecunda ſtatione, & reſiduum diuide ut prius, & tempus ex hac diſtributione exortum adijcias tempori quo æquaſti planetam, & comportatur quæſitum. Motus autem diurnus argumenti cuiuslibet quinq́ planetarum hoc modo inuenitur.

In tribus equidem ſuperioribus, medius motus uniuſcuiuſq; eorum in die una auferatur à Solis medio curſu diei unius, remanebit motus argumenti planetæ in uno die, inferiorum autem duorum medius motus unius diei de proprijs tabulis quæratur.

Argumenta planetarum in una die.

Sig.	Gra.	Minu.	Secun.	Ad ſecun. reductus.	
0	0	57	8	3428	Saturni
0	0	54	9	3259	Iouis
0	0	27	42	1662	Martis
0	0	36	59	2219	Veneris
0	3	6	24	11184	Mercurij.

Ortum & occaſum, apparitionem, occultationemq; planetarum ſub radijs Solis cognoſcere.

Propoſitio XIX.

VEnus & Mercurius ob ſui motus uarietatem inuoluuntur circa Solem, & habent ſe ad Solem quatuor modis. Nam cum fuerit argumentum Veneris æquatum ab uno gradu incluſiue, in 4 ſig. 17 gra. id eſt, 137 gra. erit in ſuo ortu ueſpertino, & uidebitur poſt occaſum Solis ſuper Horizontem in occidente. Et tunc etiam eſt Sole uelocior. Et à 4. ſig. 17 gra. excluſiue uſq; in 6 ſig. integra, id eſt, 180 gra. erit in occaſu ſuo ueſpertino. Tardat enim tunc appropinquans Soli, conſequiturq; ipſum atq; præterit. A 6 ſig. autem in 17 ſig. & 13 gra. hoc eſt 223 gra. erit in ortu matutino, eò quòd eſt Sole tardior. Et à 7 ſig. 13 gra. excluſiue uſq; in 12 ſig. integra, erit in occaſu matutino uelocior Sole. Mercurij uero argumentum æquatum currens ab 1 gra. incluſiue, uſq; in 3 ſig. integra, & 22 gra. id eſt, 112 gra. oritur ueſpere. Et à 3 ſig. 22 gra. excluſiue, uſq; in 6 ſig. hoc eſt, 180 gr. erit in occaſu ueſpertino. Et à 6 ſig. excluſiue, uſq; ad 8 ſig. 8 gra. id eſt, 248 gra. oritur mane. Et ab 8 ſig. & 8 gra. excluſiue in 12 ſig. id eſt, ad 360 gra. occidit mane. Velocitas autem & tarditas motus eius conſiderantur, ſicut in Venere. Eorum autem prima occidentalis apparitio erit, cum eorum cuiuslibet argumentum fuerit ferè 40 gra. & uocatur ueſpertinalis. Quod ſi fuerit 11 ſig. 10 gra. hoc eſt, 340 gra. erit eorum prima orientalis occultatio matutinalis. Si autem fuerit 3 ſignorum. & 10 gra. hoc eſt 100 gra. erit eorū occultatio ueſpertinalis. Et cum fuerit ferè 6 ſig. 20 gra. id eſt, 200 gra. erit eorum prima matutina apparitio. Trium autem ſuperiorum ortum & occaſum, hoc pacto inuenies. Argumentum eorum æquatum conſidera, quod ſi fuerit ab 1. grad. incluſiue, uſq; in finem 6 ſig. erunt in ortu matutino. A 6 ſig. uero excluſiue, uſq; ad 12 ſig. in occaſu erunt ueſpertino.

Quòd ſi ſcire uolueris ortum cuiuſq; ſuperiorum ante Solis ortum mane apparentis, quando ſcilicet prætermiſſus eſt à Sole per 20 gra. exiens de ſub radijs Solis inceperit apparere. Conſiderandum argumentum eius æquatum fuerit prope, 20 gra. erit apparere incipiens de ſub radijs Solis. Occultari autem incipiet atq; tegi, cum fuerit idem argumentum prope 11 ſig. 10 gra. hoc ualet in reſolutis 340 gra.

Vtrum planeta ſit apparens aut occultus ſub radijs Solis cognoſcere. Vbi ſciendum quòd Venus & Mercurius mane & ueſpere oriri & occidere ſolent, quod ſi ſcire præelegeris, habeas primo eius locum æquatum, ſimiliter & Solis ad idem tempus, & quæ ſit utriuſq; differentia loci, & cuius ſit differentia. Solis ſcilicet, an planetæ. Cuius enim locus plus habuerit in gradibus & minutis, illius erit & differentia

rentia, quam nota. Deinde conſidera ſi argumentum Veneris æquatum fuerit minus 4. ſig. 17. grad. id eſt, 137. gra. erit Venus uel in ortu ueſpertino apparens uel occulta. Intra itaq; tabulam ortus eius ueſpertini cum ſigno in quo fuerit, & gradus ibi inuenti, ſi fuerint plures gradibus differentiæ inter eam & Solem, erit occulta. Et ſi fuerint pauciores, erit in ortu ueſpertino apparens directa. Si autem fuerit argumentum eius à 4. ſig. 17. gra. hoc eſt, 137. grad. in 6. ſig. id eſt, 180. gra. erit in occaſu ueſpertino apparens uel occulta, in retrogradatione. Ingredere ergo tabulam eius occaſus ueſpertini, & ſcias per gradus ibi inuentos & minuta, ſicut ſupra dictū eſt. Et ſi fuerit argumentū illius à 6. ſig. puta 180. gr uſq; in 7. ſig. 14. gr. hoc eſt 224. gra. erit aut apparens in ortu matutino, uel tecta radijs Solis. Intra igitur cum ſigno in quo fuerit, tabulam ipſius ortus matutini, & ſcias an ſit apparens uel occulta per gradus ibi ſcriptos. Si autem idem argumentum fuerit de 7. ſig. 14. gra. in 12. ſig. id eſt, 360. gra: erit in occaſu matutino apparens uel occulta. Intra ideo cum ſigno in quo fuerit, tabulam occaſus matutini, & agnoſcas per gradus illic compertos, utrum ſub radijs latitet oculisúe noſtris uideri poſsit, ſi enim gradus ipſius fuerint plures gradibus differentiæ inter eam & Solem, non apparebit, & ſi pauciores fuerint, uidebitur. DE TRIBVS AVTEM SVPERIORIBVS. Si paſsiones iſtas ſcire deſideras, animaduerte eorum differentiam & Solis, ut de inferioribus ſupra dictum eſt, quam nota, quæ ſi fuerit planetæ, erit idem planeta uel apparens in occidente, uel ſub radijs Solis occultus. Intra ergo cum ſigno in quo fuerit planeta in tabulam occaſus planetæ ueſpertini, & gradus quos ibi inueneris & minuta, ſi fuerint pauciores gradibus differentiæ inter planetam & Solem, erit planeta apparens in occidente. Si autem fuerint plures gradibus differentiæ illius, planeta erit tectus radijs ſolaribus. Si autem prædicta differentia fuerit Solis, tunc erit planeta apparens uel occultus. Ingredere igitur cum ſigno in quo fuerit planeta in tabulam ortus matutini & gradus ibi inuentos nota, quę ſi fuerint plures gradibus differentię, erit planeta occultus, ſi uero fuerint pauciores, erit orientalis apparēs &c.

Planetarum uelocitatem, tarditatem, ac æqualitatem inuenire.

Propoſitio XX.

QVOTIES cunq; uerus motus planetæ alicuius maior eſt ſuo motu medio, dicitur curſu ſuo uelox. Et ſi minor, dicitur ſuo curſu tardus. Si autem uerus motus & medius adæquantur, tunc curſu ſuo æqualis uocabitur.

Aſcenſum & deſcenſum planetæ ſcire.

Propoſitio XXI.

VTRVM planeta aſcendat uel deſcendat tam in deferente quàm epicyclo cognoſcere. Cum centrum planetæ æquatum fuerit ab uno gradu in 6. ſig. erit deſcendens in eccentrico ſuo, & à 6. ſig. uſq; ad 12. ſig. aſcendens uocabitur. Similiter ſi argumentum æquatum ſui planetæ fuerit ab uno gradu in 6. ſig. erit deſcendēs in epicyclo. Quod ſi fuerit 6. ſig. in 12. ſig. erit planeta aſcendēs in eodem epicyclo, unde ex hoc inueniuntur

planetę eleuari unus ſuper alterum. Nam ille planeta qui fuerit propinquior ſummi-
tatibus ſuorum circulorum, dicitur eleuari ſuper ipſum qui fuerit remotior à ſuorum
circulorum ſummitatibus. Econuerſo tamen de Luna in epicyclo prædicta fieri in-
telligantur.

De coniunctionibus, oppoſitionibusq́ue medijs luminarium.

Oppoſitio XXII.

Primam coniunctionem, primamq́ue oppoſitionem medias luminarium atque aliam quamcunque reperire.

PRimam coniunctionem eam uocamus, quæ primo in diebus uſualibus
Ianuarij contingit, & radix coniunctionum dici poteſt. Eodem modo
de prima oppoſitione intelligatur. Mitte ergo annos Chriſti currẽtes in
tabulas coniunctionum aut oppoſitionum, & primo intra cum annis col
lectis, quos ſi præciſe inueneris, in eodem uerſu habebis tempus primæ
coniunctionis mediæ, ſimiliter & medium motum Solis & Lunæ ad idem tempus
cum reliquis motibus. Eodem pacto de oppoſitionibus ex tabulis proprijs ſingula
inueniuntur. Quòd ſi annos Chriſti in linea numeri tabulæ annorum collectorum
præciſe non inueneris, intra primo cum minoribus uicinioribus, & accipe tempus
coniunctionis ibi poſitum cum motibus ſuis. Deinde cum annis reſiduis tabulam
annorum ingredere expanſorum accipiendo ſimilia iuxta poſita, quæ adde priori-
bus, quodlibet generi ſuo, quo facto à diebus collectis abijce 31. dies, qui ſunt dies
Decembris, ſi poteſt fieri, ſi non, nondum reperiſti primam coniunctionem. Quare
de tabula menſium recipe primam rigam apud Februarium poſitam cum tempore
& motibus in ea repertis, & adde prius inuentis, quodque tamen ſuo generi, ut aſſolet,
& de aggregato ſubtrahe 31. dies, remanebit tempus primæ coniunctionis mediæ
anni tui cum motibus ſuis. Quæ licet in diebus uſualibus Ianuarij proueniat, Febrũa
rio tamen adiudicetur, niſi alia in diebus uſualibus Ianuarij ſuccreuerit in tali caſu.
Prima eſſet Emboliſmalis, ſequens uero Februarij, haud ſecus cum prima oppoſitio-
ne de proprijs eius tabulis arbitramur faciendum. In annis autem expanſis una &
eadem tabula tam coniunctionibus quàm oppoſitionibus inſeruit. Cuius autem ſit
illa oppoſitio ſic percipe. Aduerte an prima anni coniunctio, aut ipſa oppoſitio tua
ſit maior in diebus, nam ſi coniunctio ſit minor in diebus, & oppoſitio maior, tunc
hæc ipſa oppoſitio eſt ipſius Februarij uel Emboliſmi, prima coniunctione Embo-
liſmali exiſtente. Si uero ipſa oppoſitio minus habuerit in diebus, coniunctio autem
plus, profecto hæc prima oppoſitio erit Ianuarij, dum oppoſitio præceſſerit ipſam
coniunctionem in diebus Ianuarij: quòd ſi fuerit econuerſo, tunc oppoſitio inueni-
retur in diebus Decembris, exiſtens ipſius Decembris, niſi eſſet Emboliſmalis in Ia-
nuario.

Quòd ſi hanc coniunctionem uel oppoſitionem ad alium meridianum à Nori-
bergenſi reducere uolueris, primo habeas diſtantiam in tempore qua tui loci meri-
dianus à Noribergenſi elongatur, ut in primo dictum eſt. Quòd ſi tuus meridianu
fuerit occidentalior Noribergenſi, tunc diſtantia dicta auferatur de tempore medi
coniunctionis uel oppoſitionis ex tabulis noſtris comperto, uel tuam diſtantiam e
dem tempori adde, ſi tuæ conſiderationis locus fuerit orientalior, & reduxiſti ipſa
ad meridianum optatum. Facta autem reductione iſta omnes aliæ ab illa formatæ ſ
mul reductæ erunt ad eundem ſitum cum prima.

Aliam autem coniunctionem quamcunque ulteriorem, hoc modo comperies
Ingre-

Ingredere tabulam menſium, & in cuiuſcunque menſis diebus coniunctionem habere deſideras, penes eundem tolle ſingula ibi ſcripta, tam ſub tempore quàm ſub motu, quæ adde radici modo dudum expoſito. A diebus autem ſic conflatis, ſubtrahe dies Solis apud eundem menſem poſitos, uel apud præcedentem, quando ſubtractio perfici non poſſet, hoc tamen caſu talis coniunctio proueniret in diebus menſis præcedentis computandis ab eius capite. Eodem modo facies cum oppoſitione, ſi quam habere uolueris in diebus præſuppoſiti menſis, Intra denuo tabulam tui menſis, & quod iuxta inueneris adde oppoſitioni primæ, & de collecto ſubtrahe dies Solis, qui ſunt dies anni. Et quando hoc modo inquiris coniunctionem aut oppoſitionem in anno biſextili, & intres cum menſe ulteriore quàm cum Februario, tunc ſemper abijce dies Solis de congregatis, cum additione unius diei ad dies Solis propter biſextum interpoſitum, & auferatur aggregatum ſolarium dierum â diebus unaribus, ut dictum eſt uſque ad finem anni.

De Emboliſmali autem coniunctione hoc ſcias, quôd ubi in uſualibus diebus nenſis alicuius duæ accidunt coniunctiones, una ſcilicet circa principium menſis, & alia circa finem, tunc prima Emboliſmalis erit & ſequens menſis ſuccedentis. Volunt tamen nonnulli coniunctionem ſemper eſſe menſis illius, in cuius diebus uſualibus finitur. Vnde uerſus: Illius eſt menſis cui das Lunatio finem &c. Finaliter autem addantur omnia extracta de tabulis coniunctionum, ſingula tamen generibus ic locis proprijs, ut aſſolet, & congregantur, tempus coniunctionis mediæ, uel mediæ oppoſitionis luminarium, atque medius motus eorundem: Similiter argumentum Lunæ medium, & argumentum latitudinis Lunæ, quæ ſerua ad partem in depitis locis ac differentijs. An uero tali coniunctione uel oppoſitione alterum luminare paſſurum ſit eclipſim uel non, hoc modo cognoſcas, aſpice argumentum latitudinis Lunæ. Quòd ſi fuerit o. in ſignis uel 6. & minus 12. in gradibus uel 5. aut 11. n ſignis, & plus 18. in gra. alterum luminare poſſe eclipſari recte pronunciabis, utpote Solem in coniunctione, Lunam autem in oppoſitione. Sed pro inductione clariore ſubſcripto utamur exemplo. Placet pro anno ſuprapoſito, ſcilicet 1502. currente inueſtigare primam coniunctionem, primamque oppoſitionem medias occurrentes in diebus Ianuarij. Primo ob id intro tabulam radicum coniunctionum cum nnis.

		Motus lumi.	Argu. ☽	Argu. lati. ☽
Añi col.	d. h. mi. ſe.	ſig. gra. mi. ſe.	ſig. gra. mi. ſe.	ſig. gra. mi. ſe.
489.	1 19 2 46	9 21 0 46	9 28 38 28	0 3 15 17 quæ ad-
xp. 13	7 21 28 8	11 7 4 31	5 20 41 33	7 17 16 43 dita.
	9 16 30 53	8 28 5 17	3 19 20 1	7 20 32 0

Cum autem ab hoc tempore dies 31. ſubtrahi non poſſunt, primam rigam apud Februarium ſcilicet aſcribe, ut ſic.

29 12 44 3 | 0 29 6 24 | 0 25 49 1 | 1 0 40 14

Cum quoque ſingulis ſingula addantur, ſtabunt.

39 5 14 56 de quo 31 dies abijcio, reſtant.

Tempus med. ☌ 8. 5. 14 56 | 9. 27 11 41 | 4 15 9 2 | 8 21 12 14.

Radix aliarum coniunctionum hoc anno contingentium, & Februario adiudicanda. Simili modo prima oppoſitio media eiuſdem anni, de tabulis annorum collectorum atque expanſorum, & de prima riga menſium in tempore motuque extracta ic ponitur.

d. ho.

	d.ho.mi.ſe	ſig.gra.mi.ſec.	ſig.gra.mi.ſe.	ſig.gra.mi.ſec.
☍	Ia.22 23 3657	10 11 44 53	10 28 3 33	3 6 32 21

Ex quo autem oppoſitio hæc reperitur maior in diebus quàm præ inuenta coniunctio, ideo Februario deputabitur, neutraq; eclipſalis ob cauſas ſupra recitatas.

Volo & inueſtigare coniunctionem mediam occurrentem primo in diebus Octobris eiuſdem anni. Eam igitur inuenio modo dudum expoſito in tempore & motu, ut ſequitur menſis præfati.

	d. h. mi. ſe.			
☌	0 23 51 23	6 19 9 19	0 7 30 7	5 27 14 18

Ex quo autem dictum latitudinis Lunæ argumentum obtines 5 ſig. & pluſquàm 18 grad. alterum luminare eclipſari non eſſe impoſsibile. Cum autem in coniunctione non niſi Solem obumbrari contingit, quare in eadem coniunctione Solem deliquium paſſurum pertimeſcebatur propter locum ipſius congreſſus amborum luminarium ualde propinquum Caudæ draconis, ſuper quo ulteriori indagine tabulæ conſultentur eclipſium. Eritq; Emboliſmalis in diebus Octobris ex prærecitatis rationibus. Pro aſpectibus autem Solis & Lunæ medijs: adde cuilibet coniunctioni mediæ, tempus & motus tui aſpectus ex ſubannexa tabula, quodlibet ſuo generi, & proueniet tempus & motus tui aſpectus.

Tabula aſpectuum mediorum Solis & Lunæ.

			Tempus d. h. mi. ſe.	Motus Solis ſig. gra. m̃. ſe.	Arg. med. ☾ ſig. gra. m̃. ſe.			G.
Pro	✶	ſiniſtro	4 22 7 20	0 4 51 3	2 4 18 9	diſtantia	✶	60
	□		7 9 11 1	0 7 16 36	3 6 27 15		□	90
	△		9 20 14 41	0 9 42 7	4 8 36 20		△	120
	△	dextro	19 16 29 22	0 19 42 15	8 17 12 40		△	240
	□		22 3 33 1	0 21 49 48	9 19 21 45		□	270
	✶		24 14 36 42	0 24 15 20	10 21 30 50		✶	300

Planetarum inter ſe coniunctiones inuenire.

Propoſitio XXIII.

CONSIDERA diem coniunctioni optatæ uiciniorem per æſtimationem rationabilem, ſecundum quod poteris perpendere ipſorum uera loca in meridie, & quære uera eorum loca ad meridiem eiuſdem diei, quæ ſi conuenerint in ſig. grad. minut. erit eodem tempore uera ipſorum coniunctio, quod ſi diſcordauerint in ſignis &c. auferatur minor de maiore, & reliquum erit longitudo qua diſtant inter ſe, quæ tamen illi aſcribitur planetæ, cuius motus maior erat, quam ſerua ad partem. Deinde inquire motus eorundem ad meridiem diei immediate ſequentis, & præcedentes de ſequentibus abijce, & remanebit diurnus utriuſq;. Conſidera quoq;, utrũ ambo ſint directi, aut ambo retrogradi, uel unus eorum directus, & alter retrogradus. Si ambo directi aut retrogradi, tunc ſubtrahe diurnum tardioris de diurno uelocioris, & relinquitur ſuperatio, quã ſerua

Redu

Reduc deinceps præſeruatam longitudinem ad unam denominationem. Reduc etiam ſuperationem præfatam ad denominationem eandem, in qua iacet ipſa longitudo. Quo facto longitudinem diuide per ſuperationem ſi potes, & in quotiente uenient dies. Et ſi aliquid remanſerit de diuidendo, illud multiplica per 24. & productum diuide per id quod prius, & in quotiente exibunt horæ. Relictum uero ſi aliquod remanſerit, per 60. multiplicetur, diuidaturq́ productum per id quod prius, & habebis in quotiente minuta, & ſic procedas ultra quouſq́ placuerit. Quo expedito, tempus ex diuiſione emerſum adde tempori ad quod planetas tuos æquaſti, ſi tardior præcedit ueleciorem, tunc etenim coniunctio eorum futura eſt, aut ſubtrahe à prædicto tempore, ſi uelocior planeta antecedat tardiorē, quia tali caſu, coniunctio uera præterita eſt, & quod poſt additionem colligitur, aut facta ſubtractione relinquitur, erit tempus ueræ coniunctionis. Et operatio hæc locum habet, cum ambo planetæ uel ſimul fuerint retrogradi, aut ſimul directi. In retrogradatione tamen intellige eum præcedere, qui minus habet in ſignis grad. & minu. Si uero unus eorum fuerit directus, & alter retrogradatione moleſtatus, alter erit modus operandi. Cum ergo inueneris unum directum & alterum retrogradum, tunc quære motum directi in uno die, ſimiliter inueni motum retrogradi unius diei poſt tempus primę æquationis. Quibus habitis, iunge illos duos motus ad inuicem, & per hoc aggregatum diuide habitam longitudinem, ut prius. Et animaduerte, ſi locus planetæ retrogradi fuerit minor loco planetæ directi, quôd ſi ſic, coniunctionem iam præceſſiſſe ſignificat: quare tempus per diuiſionem repertum ut uiſum eſt, ſubtrahendum erit de tempore ad quod uera planetarum loca computaſti. Si autem planeta retrogradus fuerit plus in gradibus & minutis, quàm directus, tunc coniunctionem futuram eſſe indicat, igitur in hoc caſu tempus ex diuiſione, ut ſupra, compertum, addi debet tempori ad quod planetas æquaſti, & quod hoc pacto uel addendo comportatur, uel abijciendo reſiduatur, erit tempus ueræ coniunctionis. Si autem uolueris multum præciſe tempus ſcire ueræ coniunctionis duorum planetarum, inquiras eorundem ueros motus ad tempus hoc modo repertum, qui ſi iacuerint in eodem loco, habes quod quærebas. Si non, tunc diſtantiam ipſorum addiſcas, ſubtrahendo uidelicet minorem de maiore, & ſcias cuiuslibet eorum motum horarium, qui aliud non eſt, niſi uigeſima quarta pars motus diei naturalis tui planetæ, & ſuperationem inuenias ſubtractiue ſcilicet, dum ambo fuerint directi aut retrogradi. Coniunctiue uero, ſi unus ex eis directus & alter retrogradus fuerint deprehenſi, in tali nanq́ diſpoſitione, eorum motus horarij in ſimul addantur, & quod ſic conflatur reſiduaturue, diuiſor longitudinis conſtituatur præfatæ, & in quotiente reſiliunt horæ. Et ſi quid remanſerit per 60. reſoluas, & productum diuide per id quod prius, & prouenient minuta &c. Tempus autem ſi exortum adde priori, ſi coniunctio futura eſt, uel de eodem remoueas, ſi de facto præterijt, & quod poſt additionem colligitur, uel poſt ablationem reſiduatur, erit tempus ueræ coniunctionis, quod quærebatur exacte. Conſimilis fiet operatio in aſpectibus eorum, ut in oppoſitionibus ſit diſtantia eorum per 6. ſigna, in ſextili per 2. in quadrato per 3. in trino per 4. ſigna.

De coniunctionibus & oppoſitionibus ueris luminarium.

Propoſitio XXIIII.

Tempus

Tempus ueræ coniunctionis & oppoſitionis luminarium explorare.

HABEAS tempus mediæ coniunctionis uel oppoſitionis per 22. Item
medium motum Solis & Lunæ cum eorum argumentis. Deinde quæ-
re ad hoc tempus uerum locum Solis, ut dictum eſt ſupra, ſcilicet ſub-
trahendo augen eius ad idem tempus computatam, de Solis motu me
dio formando argumentum. Inuenias quoq; uerum motum Lunæ per
eius argumentum tantum.

In oppoſitione tamen medio motui Solis 6. ſig. adijcias, quibus inuentis re-
ſerua adhuc eorum argumenta in parte. Quo facto ſubtrahe uerum motum unius
luminaris de alterius uero motu, minorem ſcilicet de maiore, remanebit differen-
tia, quæ tamen ſemper ulteriori luminari in zodiaco deputatur. Quæ ſi Solis fuerit,
ſignificat coniunctionem mediam præcedere ueram, ita uidelicet quòd tempus ue-
ræ coniunctionis ſequitur poſtquam media coniunctio complete tranſacta eſt. Si
uero dicta differentia fuerit Lunæ, quia motus eius tali caſu reperitur maior in ſig.
gra. minu. &c. quàm motus Solis, quare tunc ueræ coniunctionis tempus completur
antequam media coniunctio fieri poſsit. In oppoſitione autem, ſi Luna nadir Solis
nondum attigit, tunc oppoſitio uera poſt mediam uentura eſt. Si uero pertranſiuit,
iam erat oppoſitio uera in breuiore tempore, quàm contingat media eorum oppo-
ſitio. Quatenus autem inuenias tempus addendum uel ſubtrahendum à tempore
mediæ coniunctionis uel oppoſitionis: intra cum argumento Lunæ in tabulam quæ
intitulatur: Tabula ueri motus Solis & Lunæ in una hora, & motum reſpectu ſigni
& gradus poſitum accipe de tabula Lunæ, quem æqua per partem proportionalem
ſi opus fuerit. Simili modo cum argumento Solis de ipſius columna dictæ tabulæ,
conſtituas uerum motum Solis in una hora. Quibus habitis, ſubtrahe motum Solis
unius horę, de motu horario Lunę, reſiduum conſtituendo pro diuiſore, quo demum
diuidas præhabitam differentiam uerorum motuum Solis & Lunæ repertorum ad
tempus mediæ coniunctionis uel oppoſitionis eorundem, & in quotiente prodibũt
horæ. Præmiſſa tamen reductione ad eandem denominationem. Et ſi aliquid re-
manſerit indiuiſum, per 60. multiplicetur, & productũ diuidatur per id quod prius,
& inuenientur minuta horarum &c. Extremo autem illud tempus in loco quotien-
tis exortum, tempori mediæ coniunctionis uel oppoſitionis præhabito adde, ſi di-
cta differentia Solis fuerit, uel ab eo reſcinde, ſi Lunæ fuerit differentia appropriata,
& aggregatur, uel reſiduatur tempus ueræ coniunctionis uel oppoſitionis, prout de
aliquo eorum operaris, in diebus, horis &c. à meridie computatum in ſingulisq; diſ-
ferentijs & minutijs complete tranſactum. Ad hoc ergo tempus ſi luminarium uer
loca inquirantur, eidem puncto longitudinis zodiaci ſubiacere cernentur, quod ue-
ræ cõiunctionis indicium eſt, diebus licet non æquatis, Aequatio igitur dierum pr
eodem tempore comperta, ſi addita fuerit, cuncta æquata prodibunt, quam ſic inue-
nies: Intra cum ſig. & gra. motus Solis tabulam æquationum dierũ naturalium cum
noctibus ſuis, & tempus quod in angulo communi offendas in minutis & ſecundi
reſpectu ſigni & gradus Solis, æquationem dierum oſtendit.

Hanc uero æquationem ſemper addere oportebit tempori ☌. ☍. uel aſpectu
luminarium, ut fiant æquatis diebus, ut apud tabulam regionum inuenies. Grati
exempli: Volo inuenire coniunctionem primam anni præfati occurrentem in die
bus Ianuarij. Inuenio per 22. coniunctionem mediam luminarium 8. d. 5. h. 14. m
56. ſecund. menſis Ianuarij, medios motus &c.

ſig

S.	gra.	mi.	ſecund.	
9	27	11	41	Locus luminarium
3	1	11	47	Aux Solis
6	25	59	54	Argumentum Solis
Adde		58	40	Aequatio æquata argumentum
9	28	10	21	Verus motus Solis
4	15	9	2	Argumentum Lunæ
Subtra.	3	41	44	Aequatio æquata argumentum
9	23	29	57	Verus motus Lunæ
0	4	40	24	Differentia Solis.

tto deinceps argumentum Solis in tabulam ueri motus Solis & Lunæ in hora u- & offert ſe motus horarius in columnula Solis 2. minu. 33. Sed cum Lunæ argu- nto ex eadem tabula in columna Lunæ, inuenio motum Lunæ unius horę 35. m̄. Qui cum ſtent ſub uarijs minutijs, reducendi ſunt ad eandem minorem, ſcilicet quaſemper conuenire coguntur, reſolutione autem facta, ſtabunt in loco Solis 153 ında, & in loco Lunæ 2130 ſecunda. Abſtuli ergo pauciora de pluribus, remanſe- t 1977, diuiſor uidelicet differentiæ uel longitudinis luminarium, per quam ab icem diſtiterant tempore mediæ coniunctionis, qua demum in eandem reſoluta ıutiam ſcilicet ſecundorum, partitaq; per diuiſorem prǽhabitum, prouenerunt in tiente 8 horæ. Et reſiduum multiplicaui per 60. productumq; diuiſi, per id quod ıs, prodierunt 30 minuta. Haud ſecus & cum alijs proceſsi minutijs, reperiq; 36 ecund. Finaliter autem ſingula hęc ſuis adieci denominationibus temporis con- ctionis mediæ præinuenti, & collegi tempus ueræ coniunctionis Solis & Lunæ i. 13. ho. 45. minu. 32. ſecund. menſis Ianuarij, quod erat propoſitū, inæquatis ta- n diebus. Adde igitur æquationem dierum quæ in propoſito eſt 8. ſecund. hora- ı, & proueniet ☍ uera diebus ęquatis 8 d. 13. ho. 45. minut. 40. ſecund. Pro tem- re autem ueri aſpectus Solis & Lunę, age ut ſupra de uera coniunctione uel oppo one inuenienda, & proſilient aſpectus ſecundum gradus zodiaci æquales.

De congreſſu planetarum cum ſtellis octauæ ſphæræ.

Propoſitio XXV.

Tempus autem coniunctionis cuiuſq; planetæ cum qualibet ſtella fixa hac computatione inuenies. Habeas primo locum illius ſtellæ uerum per 9. de qua operaris, habeas etiam uerum locum planetæ ad tempus propinquum coniunctioni ſecundum æſtimationem rationabilem, eli- ciasq; diſtantiam, hoc eſt, longitudinem inter planetam & ſtellam pro itam. Cuius etiam longitudo ſit, planetæ ſcilicet an ſtellæ fixæ, ut uiſum eſt paulo e. Deinde habeas motum planetæ in una die, uel in hora una, & utrum ſit dire- s an retrogradus. Nec cures de motu ſtellę fixæ unius diei, quia ſenſibilis non eſt ım breui tempore, nec operamur hic per ſuperationem ob ſtellarum fixarum tus nimiam paruitatem. Deinde longitudinem præhabitam diuide per motum ıetæ in uno die. Et tempus emergens in quotiente, adde tempori ęſtimato prius gnato, dum longitudo fuerit ipſius ſtellæ fixæ, & planeta directus, uel ſi longitu- planetæ fuerit, & ipſe retrogradus. Quod ſi longitudo fuerit planetæ & ipſe

directus,uel ſi fuerit ſtellę fixæ,& planeta retrogradus,tempus per diuiſionem e
ctum ſubtrahatur à tempore æſtimato,& quod poſt additionem coaceruatur aut
cta ſubtractione remanſerit,erit tempus coniunctionis ueræ,quod quærebatur.

Verum motum Solis in uno die,hora aut pluribus & horarum fractionibus colligere.

Propoſitio XXVI.

HVIC negocio exarata eſt tabula ſpecialis, quæ tabula ueri motus S
in horis & minutis appellatur,cuius extrema latera horas & hora
fractiones continent. In capite & pede 12. ſigna zodiaci,in num
& characteribus ad eorum principia & media ordinata cernes. A
uero tabulæ Solis motus ueros in gradibus & minutis & ſecun
comprehendit. Cum ſigno igitur Solis & eius gradu ad certum diem inuento
gredere tabulam iam dictam,ſigno & gradu,aut uiciniore in capite uel pede tab
repertis in uno latere extremo ad libitum accipe horas propoſitas, in quorum
recto ſub titulo ſigni & gradus,aut uicinioris in area, motum uerum Solis hora
propoſitarum offendes. Idem de una hora ſume iudicium. Quòd ſi horas quæ d
naturalem conſtituunt,receperis,motum Solis diurnum, id eſt, unius diei uerum
æquatum cognoſces. Simile fere iudicium ſumes de minutis horarum,uariata d
taxat titulorum,ut aſſolet,denominatione,per unam differentiam.Huius tabulæ
rimæ ſunt utilitates. Per eam enim ſcimus motum diuerſum æquatum Solis, q
Buth Solis nominamus in uno die,horis & minutis. Per ipſam etiam facile cog
ſcamus uerum locum Solis ad tempus quodcunq;, ante uel poſt meridianum, p
habito uero loco eiuſdem ad meridiem,& cognito motu unius diei dicto,citius
tinuamus uerum motum Solis de die in diem. Quantas etiam præbeat commo
tes hæc tabula ad humanas genituras,& earundem reuolutiones, ad aëris muta
nes, & item ad eclipſes practicandas, & ad res alias fere innumeras in præſen
rum ſilentio præterimus.

Verum motum Lunæ in una hora uel pluribus, & horarum fractionibus extrahere.

Propoſitio XXVII.

CERtior uia eſt, ut quæratur uerus motus Lunæ ad principium alic
horæ optatæ, & item ad finem eiuſdem,tunc differentia motuum,
uerus motus in una hora quæſitus. Qui pluribus horis,uia multipl
tionis facile accommodari poteſt.Facilius tamen ſic.Cum argume
Lunæ uero ad certum tempus extracto,Tabulam ueri motus Lu
horis & minutis ingredere, quærendo ſigna & gradus, aut uiciniores ipſius a
menti in capite aut pede tabulæ,quibus repertis in latere dextro aut lęuo ad pla
accipe horas oblatas,concurſu enim linearum cõmuni horarum,& argumenti L
in corpore tabulæ,uerum motum Lunę horis oblatis reſpondentem inuenies.H
diſsimiliter de unius horæ motu agendum eſt. De minutis autem horarijs,ſi
quaſi ſumendum eſt iudicium,ſolummodo titulorum denominationem (prout

o petit)per unam differentiam uariata. Magna eſt huius tabulæ utilitas,per ipſenim ſcimus motum Lunæ diuerſum in una aut pluribus horis, quam Buth Luappellamus. Per ipſam habito uero motu Lunæ ad meridiem, facile numeramus s uerum motum ad tempus quodcunq; ante aut poſt meridianum. Item in calcuerarum coniunctionum & oppoſitionum, quadraturarũ Solis & Lunę, & uniuerter omnium aſpectuum Lunæ cum planetis, & præcipue in ſupputatione eclipſiſolarium & Lunarium commodiſsima eſt.

Buth trium ſuperiorum ac Veneris & Mercurij, hoc eſt, motum diuerſum æquatum planetæ in uno die, duobus uel pluribus per tabulas ad hoc ordinatas inueſtigare.

Propoſitio XXVIII.

INtra primo tabulam diuerſorum motuum planetæ in uno die, cuius motum diuerſum quęris, & hoc in linea numeri cum centro eius ęquato ut aſſolet, & quod inueneris in eius directo, in linea quę intitulatur, motus puncti, extra ſcribe. Intrabis etiam cum argumento æquato in eandem tabulam, & motum quem inueneris in communi angulo ſiorum & graduum ipſius argumenti, qui intitulatur motus portionis, accipe & ſcri & ſi ſuper ipſum in tabula non inueneris ſcriptum retrogradus, tunc adiunges ic motum cum priori, & aggregatum ex his duobus, eſt motus diuerſus planetæ no die. Si autem ſuper ipſum ſcribatur retrogradus, & motus portionis fuerit ior motu puncti, ſubtrahe minorem de maiori, & reſiduum eſt motus uerus plaæ in die, & planeta adhuc eſt directus. Et ſi motus portionis maior fuerit motu ncti, facta ſubtractione minoris â maiori, relinquetur motus diuerſus in uno die retrogradatione, & eſt planeta retrogradus. Si uero ambo motus ſic accepti, rint æquales, tunc planeta eſt ſtationarius, & cum ſciueris motum planetæ in uno , & fuerit idem planeta directus, & uolueris ſcire locum eius uerum poſt aliquot s, æquatione eius præhabita, multiplica motum eius diuerſum per numerum dien quos habes, & collectum ex his, erit motus planetæ in diebus quæſitis. Aggrepſum ſuper locum planetæ, & inuenies locum planetæ ad dies futuros quos quę. Quòd ſi planeta fuerit retrogradus, ſubtrahe hunc motum in diebus prædictis oco planetæ æquato, & inuenies locum eius ad dies quæſitos futuros. Et ſi optais ſcire locum eius in diebus præteritis ante diem æquationis planetæ, Conſidei planeta fuerit directus, & ſubtrahe hoc quod per multiplicationem antedictam egiſti de loco eius æquato, & inuenies quod quæris. Quòd ſi retrogradus fuerit, nge illud quod per multiplicationem exiuerat, ad locum planetæ æquatum, & ebis quæſitum: & ita poteris operari ad duos, quatuor, quinq;, decem aut plures s, & præcipue ſi fuerint directi & ueloces uel retrogradi, remoti tamen longe â ione prima, quia quando tardi fuerint in motu, uel prope eorum ſtationes, non es ita ad plures dies, & hoc minus in Marte, qui plus diuerſificatur in motu quàm rnus & Iupiter. Scias etiam quòd motus puncti in iſtis tabulis eſt motus eccentri d motus portionis, eſt motus epicycli.

Mediorum motuum planetarum tabulas formare.

Propoſitio XXIX.

SVppoſito unius horæ motu ſecundum doctrinam Ptolomæ
conſtructione maiori dictione tertia capitulo primo. Qui du
tus aut ſibijpſi additus, duarum horarum motum procreat,
quem ſi adieceris motum unius horæ, proueniet motus trium
rarum, & ſic deinceps uſq; ad 24. horas procedẽdo. Motus e
31. dierum, motus eſt primi menſis Ianuarij. Ec ſic conſeque
per continuam additionem motus unius diei, motum dierum omnium menſiu
bricabis, cui libet menſi ſuos dies ſecundum Kalendarium Romanum dando
ſic uſq; ad ultimum menſem ſcilicet Decembrem progrediendo, qui motus ul
Sphæram intelligimus globum, id eſt, corpus rotundum & ſolidum. Veteres autem quo circumuolutionem cœli melius declararent, ſic propoſuerunt, uerti & circumagi illud tanquam in axe rotam, eminentias autem quaſdam axis utrinqꝫ, hoc eſt ſupra ac infra nos, aut ab utroqꝫ latere, ſi forte ita cadat ſitus terræ, polos, id eſt, uertices nominarunt. Qui quidem in mundo intelligerentur, & è quorum depreſſione aut exaltatione omnis uarietas ſyderum ſubiectis terris naſceretur. Ad hunc modum exempla ſunt globorum conſtituta, quibus quæ ſupra fiunt à nobis repræſentarentur. Polum quidem, qui nobis attollitur, Boreum uocamus, quoniam ad eam uergit cœli regio, unde Aquilo flat, qui eſt græca uoce βορέας. Sed & ſeptentrionalis & Arcticus uocatur à ſtellis ſiue ſimulacro urſæ. Sunt autem ſtellationes ſigna nominata, quod priſcorum diligentia per ſtellarum poſitus notauerit certas effigies & formas animalium, & aliarum rerum, de quibus omnia cœli loca nota compertaqꝫ haberi poſſent. Latine autem ſtatuæ, & quæcunqꝫ ad aliquam ſimilitudinem rerum naturalium arte ſunt expreſſa, ſigna uocari ſolent.

Sed quia propoſuimus etiam diſtinctionem Sphæræ, ſciendum Arcticum polum includi circulo, qui ab illo uocetur: Sicut & oppoſitus huic ac ea de re Antarcticus appellatus, & νότιος, id eſt, auſtralis, & ipſe ſuum circulum habet. Proximus autem ſupra nos quidem ab Arctico deſcribitur circulus æſtiuus, qui Cancri dicitur, quia Cancri locum attingit, quem ad locum Sol ubi peruenit, nõ pergit ulterius diem producere. At proximus infra ab Antarctico, Hibernus dicitur & Capricorni. Nam Capricorni locũ ubi attingit, eo cum Sol peruenit, deſinit imminuere ſpacia dierum. Mediam ſphæram æquinoctialis ſecat intra polos. Græci uocant à die ἰσημερινὸν, nam qua parte ſui per ſigniferum tranſit, eam cum Sol eſt ingreſſus, dies noctesqꝫ exæquantur, unde æquator dictus. Atqꝫ hi ſnt παράλληλοι, id eſt ut uocant, æquidiſtantes. Præter hos circulos, qui paralleli intelliguntur in ſphæra, duo etiam alij per hos omnes ducti, & polos tranſeuntes, Coluri dicti ſunt, hi deſignant Solſtitij & Brumæ ac æquinoctij initium, nam ubi altero locus Cancri & Capricorni abſcinditur, ibi Solſtitium & Brumam incipi notatur. Similiterqꝫ altero æquinoctiorum duplex principium deſignatur, id eſt, geminum punctum ſectionis ſigniferi & æquinoctialis. Nomen habent ex eo quod mutili ſint, neqꝫ unquam dimidiati conſpiciantur.

Ducitur autem per æquinoctialem ſignifer, qui græcis eſt ζωδιακὸς & ζωοφόρος

oblique, ideo λοξὸν, quod decliuem ſignificat, nominauerunt. Atque in eo ſunt hæc, quæ deinceps ordine memorabimus, ſigna duodecim, quorum nominibus illius partes inſigniuntur.

Aries, græcis κριὸς eſt, phrixi, ut uolunt uector.

Hunc ſequitur Taurus, dimidiatum ſignum, unde quæſitum fuit, Taurus ne, an Vacca cenſeri deberet, & ad Europæ uectricem, an Ius potius mutationem referri. Sed obtinuit conſuetudo, ut Taurus haberetur, innuit quod dixit Ouidius in Faſtis his uerſibus:

> Vacca ſit an Taurus, non eſt cognoſcere promptum,
> Pars prior apparet, poſteriora latent.
> Seu tamen eſt Taurus, ſiue hoc eſt fœmina ſigno,
> Iunone inuita munus amoris habet.

In huius dorſo eſt πλειάς & in ore ὑὰς, Latine Vergiliæ & Suculæ dicuntur,

Inter Suculas eſt λαμπαδίας, Oculũ nunc Tauri uocant, & Arabice Aldebaran.

Gemini, id eſt δίδυμοι, Caſtor & Pollux putantur. Alij Apollinem & Herculem tradidere. Itaque in priore ſtella clara ἀπόλλωνος, in altero ἡρακλέους dicitur. Ante horum pedes eſt & πρόπους.

Cancer καρκίνος. In quo nebuloſus uortex præſepe, & iuxta ſtellæ duæ Aſini nominantur, de quibus certiſſ. coniecturæ tempeſtatis capiuntur, ut Aratus docuit.

Leo pulcherrimum ſydus, in quo multæ ſunt lucidæ ſtellæ, inque primis nominatur βασιλίσκος, id eſt regulus nunc, ſed & olim cor Leonis.

Virgo παρθένος. In cuius ala ſeptentrionali lucet uindemiator, grecis eſt προτρυγητήρ. In eadem eſt & στάχυς, id eſt, Spica ſtella meridionalis.

Libra quæ & iugum, græci ζυγός & χηλαί. Nam ueteres brachia Scorpij eſſe uoluere.

Scorpius, in quo eſt ἀντάρης, id eſt ſtella Martia, nunc uocant cor Scorpij.

Sagittarius τοξότης, ſub quo eſt illud quadrangulum, quod Ptolemæus τετράπλευρον nominauit, recentiores terrebellum.

Capricornus αἰγοκερὼς.

Aquarius, ὑδροχόος, is tenet ὑδρίαν ſeu κάλπιν, & infra aqua profluere uidetur, græcis eſt ὕδωρ.

Piſces ἰχθῦς, ubi ſunt & λίνα ſeu fila, & σύνδεσμος nodus.

Signa ſeu ſimulacra quæque imagines uocantur, reliqua aut ſeptentrionalia ſunt aut meridionalia, pro eo atque in altero horum hæmiſphærio fuerint inuenta. De ſeptentrionalibus priori loco dicemus, ne ſtellis quidem præteritis à græcis maximè Ptolemæo celebratis.

Primum locum tenent Vrſæ, quarum una maior, altera minor dicitur. Minorem notaſſe Sidonij putantur, Cynoſuræ nomen habet, quo ſignificantur uel uulpe & cane æditi catuli, uel potius laconicæ canes. Caliſtus autem uenaticam canem hanc aliqui fecere. Maior eſt Helice cognomento, ut Homerus cecinit, plauſtrum, ſub qua eſt coma Berenices, ut Cononi placuit, alij fuſos dixere, Ptolemæus πλοκάμου συστροφὴν, nunc Tricam nominant. Draco proprie dictus eſt ille quaſi tranſcurſus ſtellarum, quo Vrſæ dirimuntur, quem tamen & anguem Virgilius uocauit.

> Maximus hic flexu ſinuoſo elabitur anguis
> Circum perque duas in morem fluminis Arctos.

Hunc de fabulis diuerſis, & pythona, & peruigilem cuſtodem hortorum heſperidum, recentiores audacem nominarunt. Arctophylax qui & Bootes. Seu enim Vrſas illas circa polum effigies dicas ſignum hoc cuſtodis uel aſſeclæ, ſiue plauſtra malis, bubulci rationem habebit, in eo eſt clara ſtella Arcturi. Icarius etiam de quadam fabula, à recentioribus plorans uocatur. Corona ſeptentrionalis, quam Ariad-

nes

nes fuiſſe,& à Baccho relatam inter ſydera ferunt, ideoq́ Gnoſiam appellant. In
hac una reliquis ſplendidior tanquam gemma emicat Hercules,uel ut alijs placet,
Theſeus,uel ut item alijs, Thamyris. Quod ſignum, quia quaſi ingeniculatum cer-
nitur ἐνγόνασι Græcis,recentioribus Saltator dicitur. Lyra quæ & chelys & fidicu-
la,recentiores uocant Vulturem cadentem & tympanum & falconem. Clara in hac
ſtella ponitur ſigni nomine Lyra. Auis,græci ὄρνιθα itemq́ κύκνον, unde & Olorem
latini,necnon Ciconiam dixere. Cepheus Caſsiepeæ maritus, quæ poſt ipſum me-
moratur,recentioribus eſt inflammatus. Andromeda horum filia,hanc cathenatam
uocarunt Perſeus Andromade liberator. Ita enim hiſtorias illas mandarunt me-
moriæ picturis,quaſi literis,is falcatum manu enſem tenet,id eſt,ἅρπην, dextra qui-
dem,ſed ſiniſtra caput Gorgonis,quod nunc Algol uocant. Auriga idemq́ Agita-
tor deſcribitur,quaſi habenas retinens,itaq́ Græci ἡνίοχον nominant. In hoc ſunt Ca-
pella,id eſt,αἴξ & hœdi ἔριφοι. Serpentarius qui & anguitenens,nam ſerpentem ſiue
anguem manibus uidetur cõſtringere, Aſculapium eſſe uoluerunt,græcis eſt ὀφιοῦχος,
Sagitta ſiue tælum, Dæmonem meridianum uocarunt, qua uoce Galaxiam aliquos
appellaſſe uideo,in cuius ſplendidiſsima parte hoc telum cernitur. Aquila recentio-
ribus. Vultur uolans. Delphin uel Delphinus,huic accommodant fabulam Arionis.
Equi caput ſiue roſtrum. Græcis προτομὴ,dixere & equuleum, & priorem ac mino-
rem equum. Equus,quem pegaſum,& maiorem equum & uolantem & alatum no-
minant. Triangulum quod δελτωτὸν dicunt.

Sequuntur ſigna ſeu ſimulachra Auſtralia.

Cetus itemq́ priſtis & Balena. Eridanus fluuius, aliqui Nilum maluerunt,re-
centiores Geon & Padum. Lepus, huc refertur prouerbium: Carpathius leporem.
Orion,hæc conſtellatio ueteribus latinis Iugula eſt,recentiores ſublimatum, & for-
tiſsimum nominarunt. Canis idemq́ Sirius, etſi ſtellam Sirion aliqui eſſe uolunt,
uideo autem ſtellam in hoc ſimulacro Caniculam à ueterib. dictam, quæ cum Leone
oritur. Quanquam Plinius nominarit Caniculam qui eſſet προκύων, id eſt, Canem
minorem,ſed nos ueteres ſequi maluimus,προκύων ſtella clara,quæ ante canem exo-
ritur. Cicero antecanem interpretatus eſt. Argo nauis Iaſonis,hanc à recentioribus
inuenio Arcam Noe dici. In hac clara ſtella Canobus non exoritur nobis. Centau-
rus,quem Chirona eſſe uolunt,iuſtiſsimum heroa,alij Pholon dicunt hoſpitem Her-
culis,huic fera quæpiam,græcis θηρίον additur,aliqui Lupum dixere. Ara,recentio-
res Thuribulum nominant & puteum,itemq́ Sacrarium, nulla nobis parte ſui ex-
oritur. Hydrus aquaticus anguis,ſed & hydram dixere,recentiores Magnanimum.
Ad hoc ſignum apponitur Coruus & Vrna, id eſt κρατὴρ. Fabula autem originis
etiam ab Ouidio expoſita eſt Faſtorum ſecundo libro. Corona auſtralis, quam alij
οὐρανίσκον,id eſt,paruum cœlum,alij rotam Ixionis dixere. Piſcis meridionalis uel
νότιος. Via lactea qua iter finxere poëtæ dis eſſe ad Iouis regiam, inter circulos po-
nitur,γαλαξίαν uocant Græci, ſed quia hic Solus circulus apparet, neq́ cogitatione
tantum ut reliqui, ſed uiſu quoq́ percipitur, licebit inter ſimulacra ſiue imagines
numeremus. Hunc ueterum aliquos inuenio in ſphæris non depingere ſolitos.
Neq́ enim alia quoq́ nunc ita faciunt ut ueteres, ſicut eſt deſcriptio Arctici circuli
includentis ſemper apparentia ſigna, & tangentis finitorem,quod nunc non ob-
ſeruant,ſed hæc huius loci non ſunt. Hoc ſciendum de quinq́ circulis quos æquidi-
ſtantes diximus,propterea quod nullus in alterum incurrat, deſignatas eſſe quinq́
zonas,id eſt cingula quibus plagæ mundi deſcriberentur. Et prima quidem zo-
na βόρειος eſt, id eſt ſeptentrionalis, qua terræ correſpondent Arctico circulo,nam
quicquid huic incluſum eſſet,propter frigus habitari poſſe non putarunt. Oppoſita

autem eſt νότιος, id eſt, auſtralis, non habitabilis uiſa eadem de cauſa. Poſt utranq; tem perata græcis ἔυκρατος, & habitabilis, nobis quidem Septentrionalis, oppoſita au tem, id eſt, ἀντιπόδων, Auſtralis, quę & ἀντεύκρατος. Inter has eſt cõbuſta διακεκαυμένη, quam ſecat terrenus æquinoctialis, id eſt, qui reſpondet huic circulo in cœlo. Hæc nunc à nauigatoribus refutantur, ſed tamen incommodius inhabitari illa loca con ſtare uidetur, quæ habitari poſſe ueteres negarunt. De qua re ita noti ſunt Virgiliani uerſus, ut aſcribere ſuperuacuum duxerim.

Ordo & nomina ſimulacrorum cœleſtium compræhenſa uerſibus.

Nomina diſce puer, ueterum ſtudioſe laborum
Siderea, & cœli cognoſce micantia ſigna.
Signa uocant, quibus illa uides inſignia templa,
Sed numerum denum quater atq; octo eſſe dederunt.
VRSAE ſumma tenent Aquilonis frigora, per quas
Ingens in morem fluuij perlabitur Anguis.
Hunc ſubit Arctophylax, ſed & hunc mox gemma Coronæ
Inde Genu nixus, poſt quem Lyra, deinde Volucris,
Tum Cepheus & Caſsiepe, tum Vector, & ille
Falcatum extollens ceſo enſem Gorgone Perſeus.
Hinc Deltoton & Andromede, hinc ſtas Pegaſe, ſed te
Delphin excipit, hunc telum, hoc Aquila, Angui tenensq;.
SIGNIFER hæc ſequitur decliui circulus orbe
In quo Aries, Taurus, Gemini, Cancer, Leo, Virgo,
Chele, Scorpius, Arcitenens, Caper, Amphora, Piſces.
At NOTVS, undiſero, tenet hæc ſimulacra ſub axe.
Armatum Oriona, Canem in quo Syrius ardet.
Quis Procyonq; Lepusq; & Iaſonis additur Argo.
Hydrusq; & Centaurus & Ara incognita nobis.
Tum notius Piſcis, Centusq; ac Heridani unda.

CAPVT PRIMVM.

Omnium partium globi Aſtronomici ſeu Sphæræ ſyderum, nomina, ipſarumq; inter ſe rationem, ſingulatim ac debito ordine prælibare.

GLOBVS noſter primum omnium alueum ſibi adiungi uult, in quo affixus meridiano circulo, & ad certam regionem quæcunq; illa fuerit, accommodatus, circumuoluatur. In armillam autem tanquam circulum meridianum inſigi ſolet clauiculis duobus, quo loco & uertices ſiue poli repræſentantur. Hic nomen ex eo inuenit, quòd Sol ubi ipſum attigit, circumactus huius uniuerſi impetu, ſupra infraq; diei & noctis medium effecit in to to orbe terrarum. Eiusq; diuiſio partes continet tercentum ſexaginta, quæ partes ſiue, ut uocantur gradus altitudinum ſunt, diuerſitatem etiam finitorum indicantes, ideoq; à Gręcis illi omnes circuli, qui per hos gradus denotari ſolent, horizontes di cuntur, Arabes uocarunt Almicantharat. Cæterum uerus ubiq; Horizon ipſius aluei circulo ſiue armilla deſignatur, quo Sphæra in duas partes æqualiter ſecatur, quæ & hæmi

ſphæria dicuntur, unumq́ꝫ horum ſuperius, & alterum inferius, illud ſupra & apparens, hoc infra terram & non apparens. Hunc circulum interpretantes græcam uocem latine Finitorem dixerunt. Qui quoniam ſingulis progreſsionibus ab ortu in occaſum, aut retro quæ longitudines nominantur, uariatur, ideo in globo deſcribi nõ potuit. Sicut & meridianã armillam extra eſſe oportuit, in qua pendens globus per ſectiones horizontis attolleretur, id eſt ut loquuntur, eleuaretur, aut contra deprimeretur, quæ uariatio intelligitur, progreſsionibus ad polos, & eſt Græcis ἔξαρμα, diciturq́ꝫ etiam latitudo regionum. Horizon & ipſe intima parte ſui in partes CCCLX. diuiſus eſt. Ita dabuntur ſingulis quadrantibus, ſiue ut uocant nunc quartis partes. XC. Quæ ipſæ partes ſiue gradus ſunt ortiuæ amplitudinis & Aſzimut, ut appellantur. Quorum circuli omnes, quia per uerticalem punctum qui eſt Arabice Zenith, tranſeunt, ideo Græcis uerticales circuli nominati ſunt. Illum autem uerticalem punctum ſiue Zenith, polum etiam Horizontis uocant. In Finitoris armilla ſunt & deſcripti XII. anni menſes, ſunt & horum dies, atq́ꝫ inſuper XII. ſigniferi loca, de quibus colligi poſsit Solis locus. Prætetea cernuntur in armilla meridiana in ſectionibus horizontis duo quaſi adminicula, unumq́ꝫ ſupra iuxta uerticalem punctum. Hæc ipſa & ſub poli diuerſa altitudine & pro mutato finitore, non poſſunt non & ipſa moueri, quare agglutinari ad meridianum non potuerunt. Cæterum illis quæ ſunt in ſectionibus meridiani & finitoris, applicari ſolet dimidiatus orbis, quem ſemicirculum poſitionis nominant, quo definiantur & cœli duodecim domicilia, & exquirantur tempora ſucceſsionum quorumcunq́ꝫ locorum in Themate, nunc directiones uocant, & ſingulæ ſtellæ in ſuas domos includantur. Sed tertio adminiculo inſeritur quadrans circuli, quæ & quarta altitudinum appellatur, & ſiſtitur ſuper Horizontem, diſtincta, ut par eſt, in partes. XC. & apta cognoſcendis altitudinibus ſolis & ſtellarum. Atq́ꝫ hi circuli & circulorum partes, de quibus hactenus mentionem fecimus, quia in regionibus diuerſis diuerſi & ipſę eſſe conſueuere, ideo in globi corpore exprimi non potuerunt, quorum uſum & accommodationem quàm potuimus euidenter oſtendimus. Nam quæ in globi ipſo corpore inſcripta cernuntur, de ijs quantum quidem ad rem putauimus pertinere, initio & ſeorſim in prolegomenis noſtris diſſeruimus. Ne quid autẽ omnino prætereamus, cum in alueì uno pede horariolum compaſſum, ut uocant, incluſum, ſupraq́ꝫ quaſi libella dependens cernatur, etſi nemini non intelligam in mentem uenire poſſe, cuius rei gratia addita hæc fuerint, tamen & ipſum exponere uiſum eſt. Nam horarium nõ ſinet falli in poſitu globi ſic, ut illius ſingulæ partes, ſingulis cœli locis reſpondeant, & libella emendabit quaſi cliuos baſis, quibus, ſi globus ſemper uno & certo in loco poſitus relinqueretur, forſaſſe non eſſet opus. Cur autem globo ſphærica norma ſiue gnomon attribuatur, multis ex capitibus quibus uſum inſtrumenti noſtri oſtendimus, intelligi dabitur.

Quomodo globus Aſtronomicus, quæ eſt Sphæra ſolida, ad regionem quamcunq́ꝫ aptandus ſit.

CAPVT SECVNDVM.

CONSTITVE globum ſiue ſphæram ſolidam intra armillam meridianam, & per foramina armillæ fige clauos in polos mundi ipſius corporis ſolidi, & firmabis eos, ut facile excidere non poſsint. Poſtea impone globum cum armilla meridiana alueo, & numera à polo mundi arctico uerſus horizontalem circulũ deſcendendo tot gradus, quanta eſt latitudo, ſiue eleuatio polaris tuæ regionis, & quàm ſubtiliſsime poteris, fac

ut dire-

ut directe cacumen gradus latitudinis ſupra eundem horizontalem circulum appa-
reat,& hoc ex ſeptentrionali parte aluei, & additamento armillæ meridianæ adie-
cto ad horizontis polum rectiſsime:huic annectanda erit quarta altitudinis. Circu-
lum uero poſitionis ſectionibus communibus horizontis & meridiani affige & erit
aptus pro omnibus infra dicendis,exceptis inſpectionibus & obſeruationibus quæ
in ſole & ſtellis fiunt. Nam ſi obſeruare uelles ſtellas uel ſolem per hunc globum:lo-
cabis globum ſic diſpoſitum cum alueo ad quatuor plagas mundi, compaſsi horarij
amminiculo,uel aliquo alio ingenio,& erit etiam orthogonaliter ſuper planum ali-
quod erigendus:ita quòd in neutram partem declinet,& erit diſpoſitus pro obſer-
uationibus.

Locum Solis prope uerum,per diem menſis datum, facili-ter inueſtigare.

CAPVT TERTIVM.

LOCABIS pedem quartæ altitudinis ſuper horizontalem circulum
ad diem menſis,& quemcunque gradum Zodiaci idem pes attigerit in
horizonte:ipſe eſt gradus Solis illius diei. Qui cuius ſit ſigni,& quotus
eiuſdem,ibidem recte intuenti patebit. Sed in anno biſextili opus erit
cautiuncula quadam : quia in biſextili Februarius. 29. diebus conſtat.
Quæ dies 29. quærenda erit prima Martij,& prima Martij erit quærenda ſecunda
Martij, & ſic uſque ad calcem anni. Exempli cauſa : Si pedem quartæ altitudinis ad
diem 10. Martij locauero ſupra horizontem,inuenio 29. gradum Piſcium huic cor-
reſpondentem:locum uidelicet Solis ueritati propinquum. Si uero idem annus eſſet
biſextilis,accipiendus eſſet 11. dies Martij pro 10. eiuſdem menſis, id eſt, locus Solis
undecimi diei,eſſet locus decimi diei illius menſis.

Hoc idem aliter abſque notitia diei præſentis,ſed Sole radiante inuenire.

CAPVT QVARTVM.

GLOBO ad uerum ſitum tuæ regionis diſpoſito,iuxta præceptionem
capitis ſecundi,expecta donec Sol lineæ meridianæ applicuerit:quod
per armillam ipſam meridianam globi faciliter ex umbra eius directe
ſupra globum cadentis percipies:deinde applica arcum anguli ſphæri-
ci lineæ eclipticæ, ſuperficiem uero planam eius orthogonaliter ere-
ctam,applica ſuperficiei armillæ meridianæ in ea parte ubi ſunt gradus & nume-
graduum eiuſdem armillæ,circumuoluendo globum:alueo ſemper permanente fi-
xo,ita tamen,ut angulum ſphæricum lineæ eclipticæ & aſcendendo & deſcenden-
do applices,donec radius Solis per foramina anguli ſphærici ſuper eclipticam ceci-
derit:gradus namque eclipticæ tunc radio Solis illuſtratus,eſt locus uerus Solis,quem
eo tempore quæris. Illud tamen notabis,quòd eam globi medietatem ipſi Soli obi-
cere ſtudeas,quam Sol idem eo potiſsimum tempore in Zodiaco,ab altero ſolſti-
tialium punctorum incipiendo pererrauerit, utpote:ſi in medietate à capite Canc-
initium ſumente graditur,tunc eadem globi medietas Soli utique opponitur. Quò
ſi reliquam Zodiaci medietatem peragrare contigerit,pars etiam globi reliqua So-
lem recte intuetur.

Die

Diem menſis per gradum Solis datum, inuenire.

CAPVT V.

QVære datum gradum Solis in limbo horizontis in ordine 12. ſignorum, & ſuper eundem gradum Solis pone pedem quartæ altitudinis, quæ ibidem diem menſis indicabit, etenim rite reſpondebit dato Solis gradui, ſed in annis biſextilis poſt feſtum S. Matthiæ, erit dies ſequens immediate.

Declinationem cuiuſcunq; puncti cœleſtis, ſi quam habet, agnoſcere.

CAPVT VI.

SExtum hoc ac mox deinde ſequens ſeptimum caput, haud ita multo ante inter fragmenta doctiſsimi uiri Ioannis à regio monte, dum omnia ſedulo illius ſcripta perquiro, reperta, quia non minus utilia quàm docta ſunt, non grauabor in gratiam ſtudioſorum adſcribere. Siſte, inquit ille, punctum propoſitum ſub armilla meridiana: exemplo enim nota meridiani circuli, quæ proxima eſt puncto dato, numerum declinationis quæſitæ determinabit, aquiloniæ quidem, ſi in ſemicirculo ſeptentrionali depræhenſa fuerit nota memorata: Auſtrinæ uero ſi reliquum ſemicirculum poſſederit. Quôd ſi punctus cœli forte oblatus in filo æquinoctiali iaceat, nullam utrinq; uerſum declinationem ſortietur. Is autem ſemicirculus ſeptentrionalis eſt, qui ab æquinoctiali exorſus, polum mundi Vrſinum complectitur. Qui uero illinc quoq; exurgens, aduerſi poli regionem emetitur, auſtrinum uſurpat cognomentum. Iam demum haud difficile conjectabitur, quibus cœli punctis declinatio propoſita quantacunq; debeatur. Nam ſi notam finalem huiuſcemodi declinationis oculo quidem intento aſpicias, globum uero utrauis manu ſenſim torqueas, donec ad habitudinem primam reſtituatur, parallelum quendam in facie inſtrumenti contemplari poteris, cuius ſingulæ notæ declinationis datæ participes erunt.

Per altitudinem Solis aut alterius ſtellæ meridianam latitudini regionis cognoſcendæ uiam parare.

CAPVT VII.

NOn pigeat quæſo externo quodam adminiculo uſum huius globi ſtellati interdum ſuffulcire, quo abundantius Aſtronomica meditamenta in lucem prodeant. Per quadrantem igitur aut aliud qualecunq; inſtrumentum, huic negocio idoneum, eleuatione meridiana Solis depræhenſa, pone locum eius uerum ſub armilla meridiana, ut nuſquam inde labatur. Deinde eam armillam ultro citroq; leniter uolue, quouſq; arcus eius horizonte & loco Solis præfato intercluſus, eleuationem meridianam inſtrumento peregrino acceptam ad unguem æquabit: tunc enim haudquaquam obſcurus erit numerus graduum, qui polo mundi arctico, horizonteq; tuo compræhenduntur, cui quidem graduum multitudini latitudo regionis æquari ſolet. Non aliter operaberis per ſtellam quamcunq; oriri ac occidere ſolitam, ſi prius locum eius uerum calleas, eleuationemq; meridianam obſerues. Verum cum pleræq; ſtellarum iugiter in ſuperno hemiſphærio uerſentur, atq; idcirco omni mundana reuolutione bis meridia-

num

num obtineant, binasq́ & inæquales meridianas altitudines nanciſcantur, ancep
erit earum ad præſens problema accommodatio, niſi ſimul compertum habeas,
utram ſtellæ altitudinem obſeruaueris, maiorem ſcilicet an minorem, quod quiden
facile internoſces, ſi ſtellam placitam cum Cynoſura contuleris. Nam ſi ſtella tua m
ridianum occupans circulum, uicinior fuerit horizonti quàm ipſa ſtella polaris, mi
nimam eius altitudinem te depræhendiſſe ſcias. Si uero remotior ab eo cernatur
maxima eius eleuatio per inſtrumentum excepta eſt. Stellæ itaq; notam in ſimili ſi
tu ſtatue, & armillam meridianam hac atq; illac tranſmoue, donec altitudo ſtellæ, ue
luti circa Solem actum eſt, exprimetur, mox enim intueberis eleuationem poli Vr
ni ſupra horizontem tuum, quam quidem æquare perhibetur latitudo regionis tua
quæſita.

Aliter idem tempore meridiano inueſtigare.

CAPVT VIII.

ERige globum ad æquidiſtantiam horizontis, atq; lineæ meridianæ iu
xta capitis ſecundi doctrinam, poſtea applica gnomonem ſphæricum
ſuper locum Solis in ecliptica, & expecta, donec Sol directe meridia
num poſſederit, quod ſcies per armillam meridianam globi huius: cum
nullam neq; orientalem, neq; occidentalem dederit umbram. Et tun
eleua uel deprime globum mediante hac armilla meridiana, donec radij Solares ſu
pra gradum Solis eiuſdem diei per foramina gnomonis ſphęrici ceciderint. Tu ſa
tem diligenter caue, ne loco forte moueatur globus, nam ſi firmum & immotum re
tinueris globum, uidebis proculdubio in parte ſeptentrionali armillæ meridianę ſu
pra horizontem ibidem gradus eleuationis poli, ſiue latitudinem tuæ regionis.

Hæc eadem omni momento capere.

CAPVT IX.

DIrige gradum Solis tuæ obſeruationis ſub armillam meridianam, & i
tali ſitu duc etiam indicem horarium ad 12. meridiei horam. Deind
Sole irradiante, applica gnomonem ſphęricum gradui Solis tuę obſe
uationis in ecliptica, globo tamen antea ad æquidiſtantiam horizont
& lineæ meridianæ, iuxta capitis ſecundi præceptum ordinato, & ob
ſerua ſtudioſiſsime, ſiue per compaſſum, ſiue per correctum aliquod horarium, ce
tam aliquam horam unà cum ſuis minutijs, deinde reuoluens globum, donec inde
ut dicunt, horarius, horam ſcilicet obſeruatam tibi in dicto horario ſiue compa
recto, per armillam horariam indicauerit. Porro globum unà cum armilla meridi
na immobilem ſeruare debes, ne aliò quam oportet inclinet, eleuando tamen u
deprimendo armillam meridianam, donec radius Solis per ambas ſciſſuras gnom
nis ſphærici ſupra gradum Solis in ecliptica ceciderit, tunc enim uidebis grad
eleuationis poli ſeptentrionalis in armilla meridiana à polo horizontē uerſus, deſce
dendo in numero.

Amplitudinem ortiuam, quod alij Zenith ortus & occaſus Solis ac ſtellæ, uel puncti cœli cuiuſcunq; addiſcere.

CAPVT X.

Zeni

Z Enith ortus uel amplitudo ortus, eſt elongatio Solis ab oriente uero, & eſt arcus horizontis, circulo æquinoctiali ac puncto oriente intercluſus. Verum autem oriens oſtendit Sol ipſe in principio Arietis, uel Libræ exoriens. Similiter amplitudo uel Zenith occaſus, eſt portio uel arcus horizontis, qui inter æquatorem ac punctum occidentem clauditur. Et iſti gradus in horizonte ſunt gradus aſzimuth in Aſtrolabijs. Si ergo nunc planeta uel ſtella oritur à parte meridiei, Zenith ortus ſui dicitur meridionale orientale, & Zenith occaſus meridionale occidentale. Si autem à parte ſeptentrionis, dicitur Zenith ortus ſeptentrionale orientale, & Zenith occaſus ſeptentrionale occidentale. His præmiſſis; Si idem ſcire deſideras, pone gradum Solis in directo horizontis ex parte orientis, ibidem notam faciendo ſupra horizontem, deinde numera gradus à tali nota, uſque ad punctum ueri orientis, ſcilicet Arietis aut Libræ, quoniam ipſi ſunt gradus Zenith ortus Solis tuæ regionis, ad quam globum compoſuiſti. Zenith uero occaſus eſt ſimile Zenith ortus: Simili uia procede in planetis & ſtellis fixis. Exempli gratia: Sit Sol in 10 gra. Aquarij, uolo Zenith ortus uel amplitudinem ortus ipſius ſcire, pono 10 gra. Aquarij ſupra horizontem ex parte orientis, & intra ipſum & punctum ueri orientis in horizonte inuenio 28 ferè gradus meridionales orientales ſic ſimiliter Zenith occaſus meridionale occidentale dico abeſſe à uero occidente 28 gradibus in regione latitudinis $49\frac{1}{2}$.

Ex ſuppoſita amplitudine ortus, punctum eclipticæ, cui ipſa debetur, agnoſcere.

CAPVT XI.

H Oc problema eſt conuerſum præcedentis, quod tali uia abſolues. Quære amplitudinem ortus & partem eius, uel ſeptentrionalem, uel meridionalem in numeris graduum interiorum horizontis, deinde uolue globum, donec graduum aliquis de gradibus eclipticæ ueniat ad gradum amplitudinis propoſitæ, quia ille idem gradus Eclipticæ amplitudinis tuæ gradum in horizonte tangens, erit gradus eclipticæ amplitudini tuæ ſeruiens. Hoc tamen notandum uenit, quòd quilibet duo gradus Zodiaci æqualiter diſtantes ab aliquo punctorum ſolſtitialium, æquales habeant amplitudines ortiuas.

Per amplitudinem ortiuam, gradum eleuationis poli reperire.

CAPVT XII.

Q Uære amplitudinem ortus tui diei in horizonte orientali, & hoc in parte ſua, uel ſeptentrionali, uel meridionali. Deinde ſcias etiam gradum eclipticæ in quo Sol eo die uerſatur, quem applica amplitudini ortiuæ in horizonte, ſi idem gradus eclipticę eandem ortiuam amplitudinem attingere poteſt, ſi non, eleua uel deprime globum mediante armilla meridiana, quoad idem gradus Solis eclipticæ ad eandem amplitudinem ortiuam tuam pertinget, tunc enim ſinas globum inuariatum, & apparebunt gradus eleuationis poli tuæ regionis, cuius amplitudinem ortiuam obſeruaſti, à polo Arctico deſcendendo ad contactum horizontis.

Altitudinem Solis & ſtellarum meridia-
nam numerare.

CAPVT XIII.

ALtitudo Solis eſt eleuatio centri ipſius ſupra horizontem, quam tali
indagine experieris. Quære locum Solis uel ſtellæ, cuius altitudi-
nem deſideras, in linea ecliptica, ſi latitudine caruerit, uel extra, ſi
habuerit latitudinem, quem pone ſub armilla meridiana, admouen
do uel applicando eidem armillæ quartam altitudinum, & hoc ad
locum Solis uel ſtellæ, globo ita immobili manente, & uidebis al-
titudinem Solis uel ſtellę propoſitæ meridianam ſub armilla meri-
diana in quarta altitudinum. Notandum, quòd quarta altitudinum ponitur loco cir-
culorum Almicantharat in Aſtrolabijs.

Altitudinem Solis & ſtellarum horariam computare.

CAPVT XIIII.

ALtitudo Solis uel ſtellę pro horis & minutis communibus ante uel poſt
meridiem ita colligitur: Pone gradum Solis uel ſtellæ tuæ propoſitæ
ſubtus armillam meridianam, & nota gradum æquatoris in horizonte
à parte orientis apparentem, cui detrahe, id eſt, fac deſcendere 15 gra.
æquatoris ex parte orientis pro qualibet hora antemeridiana. Vel
fac aſcendere 15 gra. æquatoris à parte orientis pro qualibet hora poſtmeridiana,
& globo ita fixe pro qualibet hora perſeuerante, erit applicanda quarta altitudinum
gradui Solis uel ſtellæ, & uidebis in eadem quarta altitudinum Solis uel ſtellæ tuæ
altitudinem pro tali hora quæſitam. Nam in qualibet hora 15 ferè gradus æquatoris
peroriuntur. Exemplo facilius accipies: Sit Sol in 30 gradu Leonis, uolo ſcire alti-
tudinem eius hora 10. ante meridiem in regione latitudinis 49½. graduum, pono
ergo primo gradum Solis 30 ſcilicet Leonis ſubtus armillam meridianam, & inue-
nio gradus æquatoris 242 ferè in horizonte à parte orientis, quibus detraho 30.
gradus pro duabus horis ante meridiem, & remanet 212. gradus æquatoris, quibus
locatis ad contactum horizontis ex parte orientis, teneo globum ita immotum,
deinde applico quartam altitudinum ſuper 30 gradum Leonis, Solis uidelicet lo-
cum, & inuenio in quarta altitudinum circa locum Solis gradus 44 ferè, altitudi-
nem Solis hora 10 ante meridiem, & 2 poſt meridiem, eo uidelicet exiſtente in 30
gradu Leonis, quod fuit propoſitum, reliqua facilia ſunt. Hoc tamen erit notandum
quòd ſi altitudines horarum antemeridianarum habueris, non erit opus quærere al-
titudines horarum poſtmeridianarum, quia æquales diſtantiæ horarum à meridie
æquales habebunt altitudines.

Aliter idem reperire.

CAPVT XV.

HOc idem efficies per indicem horarium ducendo gradum Solis ſu
armillam meridianam, & indicem ad 12 meridiei horam, & indicem
ſic inuariatum ad horam tuam dirige, cuius horæ altitudinem Solis
quæris, & globo ita fixe perſeuerante, loca quartam altitudinum ſu

pr

pra gradum tuum Solis in ecliptica, & uidebis altitudinem eius ad horam tuam propoſitam.

Altitudinem Solis & Lunæ aliter, quàm ſupra traditum eſt, ac faciliter indagare.

CAPVT XVI.

QVærito locum Solis uel Lunæ in Zodiaco, & hoc in parte latitudinis Lunæ, ſi quam forte eam, uel Borealem uel Auſtralem habere contingat, & applica gnomonem ſphæricum ad locum eius cuius quæris altitudinem, globo tamen antea locato cum alueo eius ad ſitum regionis certiſsimum, prout capite 2 tetigimus. Deinde uolue globum hincinde, donec radius uel Solis uel Lunæ ambas ſciſſuras gnomonis intrauerit, quia tunc ſtabit globus ad ſitum cœli uerisimum, dehinc eo globo ſic immobili manente, applica quartam altitudinis loco Solis uel Lunæ, in uel extra Zodiacum, & quemcunq; gradum locus dictus in hac quarta altitudinum tetigerit, ille erit gradus altitudinis Solis uel Lunæ pro momento tali quæſitus.

Zeniht ſeu diſtantiam horizontalem Solis uel Stellæ, aut puncti cœli cuiuſuis ab initio alicuius quartæ, omni momento faciliter depræhendere.

CAPVT XVII.

HViuſcemodi negocium facilime expedies, Sole uel puncto dato, altitudine penitus carente, puta eo in ortu uel occaſu locato. Gradus namq; à uero ortu, à capite uidelicet Arietis uſq; ad tale punctum in horizonte numerando propoſitum tuum aſſequeris, prout capite 10. cum de amplitudine ortus abunde tractauimus. Nunc uero eo puncto locum ortus deſerente, hoc idem omni hora uel momento hoc pacto breuiter inuenire poteris. Altitudinem eius aliquo trium præcedentium capitum præcepto addiſce, & quartæ altitudinum ſcite locum Solis uel Stellæ in Zodiaco ſphæræ, uel extra eundem adapta, eiuſdem itaq; quartæ altitudinum pes, quæſiti Zenith ſeu diſtantiæ ab initio talis quartæ numerandæ, necnon penes cognomentum eiuſdem, borealis uidelicet uel auſtrina denominandæ indixerit, Orientalis quidem, ſi citra armillam meridianam tale punctum, uel eius altitudo reperta fuerit. Occidentalis uero, ſi eandem tranſcendiſſe idem conſpiciatur. Sit uerbi gratia: Sol in principio Geminorum hora octaua ante meridiem, atq; idcirco habens altitudinem 34 graduum in regione ubi polus borealis 49½. gradibus ſupra horizontem extollitur. Voluendo itaq; hinc inde globum, pariter & quartam altitudinum, donec in eadem idem principium Geminorum memoratæ altitudini occurrat, & inuenies 9 ferè gradus interceptos, ab oriente uero uſq; ad pedem eiuſdem quartæ altitudinum, Zenith uidelicet, ſiue diſtantiam horizontalem quæſitam, orientalem meridionalem.

Hoc idem aliter & faciliori uia inueſtigare.

CAPVT XVIII.

COlloca gradum Solis uel ſtellæ ſub armillam meridianam, & in eodem ſitu, duc indicem horarium ad 12. meridiei horam, deinde uolue globum ad horam tuam, qua Zenith Solis uel ſtellæ ſcire optas, & globo ſic fixe permanente, applica quartam altitudinum ſupra gradum Solis uel ſtellæ, & uidebis altitudinem gradus Solis uel ſtellæ inter numeros quartæ altitudinis, & etiam in directo pedis quartæ altitudinis ſupra horizontem gradus Zenith Solis uel ſtellæ inter numeros interiores horizontis, id eſt, inuenies ſimul Aſzimuth & Almicantharat ipſius Solis uel ſtellæ. Et nota quòd Zenith Solis uel ſtellæ, aut eſt in quarta meridiana orientali, aut meridiana occidentali, aut ſeptentrionali orientali, aut ſeptentrionali occidentali, ſicuti pes quartæ altitudinum clariſsime demonſtrat. Exemplum ſume: Sit Sol in 20 Sagittarij, quem ſub armillam meridianam duco, & in eodem ſitu duco etiam indicem horarium ad 12. meridiei horam. Volo autem Zenith Solis ſcire hora 10 antemeridiana, quare uoluo globum quoad index horarius eandem 10 horam indicet, deinde applico quartam altitudinum gradui Solis in ecliptica, & reperio gradus altitudinis eius 12 ferè. Et in directo pedis quartæ altitudinum ſupra horizontem gradus 62 ferè in quarta meridionali orientali Zenith ſcilicet Solis. Eodem ordine procede etiam in ſtellis fixis & planetis.

Aſcenſionem rectam gradus cuiuſuis uel arcus ecliptice, ſiue à uernali puncto, ſiue ab hyemali initium ſumentis, aut gradus ſiue loci planetæ, uel cuiuſcunque ſtellæ in eadem ecliptica, uel uerſus quamcunque partem extra eandem conſtituti, recte numerare.

CAPVT XIX.

AScenſio gradus, ſiue arcus ecliptice, uel Zodiaci, aut ſtellæ uel puncti cœli cuiuſuis, eſt arcus æquatoris ab initio Arietis inchoans, & in horizonte exortiuo, cui gradus aut ſtella iungitur, deſinens, ſolet tamen idem ab initio Capricorni nonnunquam ad præfatum terminum a aliquibus computari. Quam ſi ſub armilla meridiana, ſiue in horizonte ſphæræ recte quærimus, aſcenſionem rectam appellamus. Nam habitantes ſub æquatore in ſphæra recta, non habent aſcenſiones uel deſcenſiones obliquas, etiam in omnibus circulis poſitionum, eò quod omnes circuli poſitionum eis concurrunt in polis mundi, & communibus interſectionibus meridiani & horizontis. Si uero in contactu horizontis obliqui, ſiue in ſphæra obliqua ex parte orientali ſupputauerimus, aſcenſionem obliquam eam nuncupare conſueuimus. Nam nos in noſtris horizontibus, ac in omnibus circulis poſitionum aſcenſiones & deſcenſiones obliquas colligimus, excepto ſolo meridiano, in quo rectas accipimus, eò quòd nobis ſub ſphæra obliqua degentibus, nullus circulus poſitionum in polis mundi concurrit, niſi ſolus meridianus, concurrunt tamen etiam in communibus interſectionibus meridiani & horizontis, ſicut eis, ea etiam ratione apud nos ſub illo ſolo quæritur aſcenſio recta. Deſcenſio autem dictarum eclipticæ, uel cœli partium, eſt portio

æquator

æquatoris à dictis eclipticæ capitibus ſumens exordium, atq; in contactu horizontis occidui pariformiter finiens. Aſcenſionem igitur rectam gradus eclipticæ uel ſtellæ cuiuſcunq; hoc pacto numerabis, gradum eclipticæ, uel locum ſtellæ tuæ propoſitæ ſub armillam meridianam colloca, & globo ita ſtante, aduerte quem æquatoris gradum eadem armilla tetigerit, quia hic erit gradus aſcenſionis rectæ, arcum à dictis Arietis uidelicet aut Capricorni capitibus computandum definiens, quem quærebas, uel etiam ſtatue ſphæram rectam, & inuenies eam in horizonte recto.

Si autem aſcenſionem rectam planetæ habentis latitudinem capis, ita procede: Nota in primis diligenter locum eius longitudinis in ecliptica, deinde accipe mediante circino intercapedinem graduum latitudinis eius in gradibus Zodiaci uel æquatoris, & eandem intercapedinem circini inuariatam cuſtodi, ponendo pedem unum circini fixum in gradum longitudinis planetæ in ecliptica, reliquum mobilem uerſus polum Zodiaci porrigendo, nam ſi latitudo planetæ fuerit Borealis, porrigendus erit uerſus eundem polum Zodiaci Borealem, ſi autem Auſtralis fuerit latitudo, uerſus auſtrum. Hoc tamen ſumme obſeruandum uenit, ne pes circini mobilis aliò locetur quàm ad circulum magnum per gradum longitudinis planetæ & polos Zodiaci tranſeuntem, & ubi pes circini mobilis ſub eodem circulo magno ita porrectus quieuerit, fac notam, nam ibi eſt locus uerus planetæ in longitudine & latitudine, deinde quære aſcenſionem rectam huius notæ, & habebis aſcenſionem rectam planetæ.

Aſcenſione recta propoſita, arcum eclipticæ eidem debitum prompte experiri.

CAPVT XX.

Pone finalem tuæ aſcenſionis rectæ gradum ſubtus armillam meridianam, uel ad contactum horizontis recti, & uidebis ibidem punctum eclipticæ determinans arcum eclipticæ eidem debitum à principio Arietis inchoandum. Exemplum facilitas operationis non exigit.

Aſcenſionem uel deſcenſionem obliquam cuiuſcunq; gradus eclipticæ, uel planetæ aut ſtellæ cuiuſuis inuenire.

CAPVT XXI.

Globo ad eleuationem poli tuæ regionis inſtructo, erit eadem operatio ſicut capite præcedente 19 aſcenſionum rectarum. Hoc ſolo uariato, quòd aſcenſiones obliquæ in circulo horizontali ex parte orientis accipiantur eadem uia, ſicuti ſuperius in circulo meridiano aſcenſionis rectæ computatæ ſunt. Pari ratione deſcenſiones obliquæ numerabuntur in parte circuli horizontis occidentalis, ubi nec ulla alia eſt diuerſitas. Exemplum breue accipe: Volo aſcenſionem obliquam 10 gradus Libræ, in regione cui polus Arcticus $49\frac{1}{2}$ gradus extollitur, pono ergo hunc 10 Libræ gradum ad contactum horizontis ex parte orientis, eleuato prius globo iuxta regionis latitudinem ſcilicet $49\frac{1}{2}$ gradus, & inuenio ibidem in cõtactu horizontis gradus æquatoris 194 ferè, aſcenſionem uidelicet obliquam, quam hucuſq; quærebam.

Propoſita aſcenſione uel deſcenſione quacunq; obliqua, arcum uel punctum eclipticæ eidem correſpondentem ediſcere.

CAPVT XXII.

Conuerſa eſt præcedentis. Pone aſcenſionem tuam obliquam ad partem horizontis orientalis, mox enim arcum uel punctum eclipticæ eidem correſpondentem in contactu horizontis ibidem agnoſces. Pari operatione, deſcenſionem tuam ad partem horizontis occidentalis ſi locaueris, arcum uel punctum eclipticæ eidem debitum, facile in contactu horizontis ibidem perpendes. Exemplo conuerſæ ſcilicet præcedentis ſis contentus.

In quanto tempore quodlibet ſignum, uel ſigna quælibet Zodiaci peroriantur in ſphæra recta, colligere.

CAPVT XXIII.

Statue initium ſigni tui propoſiti ſubtus armillam meridianam, & nota contactum eius inter gradus æquatoris, quorum numerum ad partem ſerua, poſtea uolue ſphęram uerſus occidentem, donec finis ſigni ipſius ſub armilla meridiana ſteterit, tunc iterum pone notam in æquatore, uel numerum graduum æquatoris ſub armilla meridiana inuentum, extra ſcribe. Summam igitur graduum æquatoris à prima nota in ſecundam computando, uel numerum graduum aſcenſionis rectæ initij ſigni à numero graduum aſcenſionis rectæ finis ſigni ſubtrahendo, gradus aſcenſionum totius ſigni illius experieris. Hos igitur diuide per 15. nam 15. gradus æquatoris in qualibet hora peroriuntur, & quod exiuerit, eſt numerus horarum æqualium in quibus aſcendit illud ſignum in ſphæra recta. Reſiduum autem graduum (ſi quod poſt diuiſionem remanſerit) partem horæ non perfectæ explicat, quorum ſinguli pro quaternis horæ minutijs computandi ſunt.

Idem aliter per indicem horarium prompte oſtendere.

CAPVT XXIIII.

Loca initium ſigni tui propoſiti ſubtus armillam meridianam, & in tal[i] diſpoſitione indicem horarium ad 12 meridiei horam, & indice ſic inuariato, circumagetur globus, donec finis ſigni propoſiti ſub armill[a] meridiana ſteterit, tunc enim index horarius tibi inſinuabit horas & partes horæ, quibus hoc totum ſignum propoſitum peroritur in ſphæra recta. Idem inuenies in horizonte recto, ſi ſphæram rectam poſueris.

Quantum temporis quodlibet ſignum uel ſigna quælibet conficiunt in ſphæra obliqua ſciſcitari.

CAPVT XXV.

Compon

Compone primum globum ad altitudinem poli tuæ regionis: deinde locabis initium ſigni tui propoſiti in ecliptica animaduerſi ad contactum horizõtis orientalis,ibidem notando gradus æquatoris apparentes in contactu eiuſdem horizontis, uel extra ad partem eorũ numerum ſcribendo,deinde uolue ſphæram uerſus occidentem, dum finis eiuſdem ſigni propoſiti contingat horizontem orientalem,tunc iterum nota gradus æquatoris in contactu eiuſdem horizontis ibidem apparentes, uel etiam ut antea eorum numerum ad partem extra ſcribendo.Summam enim graduum à prima in ſecunda notam ſerua,uel numerum graduum aſcenſionis obliquæ primo inuentum à numero graduum aſcenſionis obliquæ ſecundo inuentum detrahe:quod idem eſt,et colliges gradus aſcenſionum obliquas totius ſigni.Hos igitur diuide per 15.ut ſupra capite 23.& inuenies horas &c.quibus hoc totum ſignum peroritur in ſphæra obliqua.Hac etiam uia duorum uel plurium ſignorum:ac deniq; quantæcunq; portionis alicuius ſigni tempora,quibus peroriuntur in quacunq; regione inquirere poteris, tam in ſphæra recta quàm obliqua.Exemplo unico illarum rerum contentus ſis:Volo in ſphæra obliqua ſcire tempus in quo totum ſignum Tauri peroritur.Inuenio ergo aſcenſionem obliquam per hoc caput,uel per caput 21.principij Tauri gradus 14 ferè in regione latitudinem ſiue altitudinem poli 49½. gradum habente,quam noto in æquatore:ſimiliter aſcenſionem obliquam finis Tauri ibidem reperio gradus 32. ferè,cui iterũ notam in æquatore infigo.Computando igitur gradus inter illas duas notas:uel ſubtrahendo primã aſcenſionem à ſecunda,colligam uel reſiduabo gradus 18.ferè æquatoris,qui cum toto ſigno Tauri peroriuntur.Hos gradus & mi.per 15. partior,& proueniet hora 1.mi.12.ferè,tempus uidelicet in quo totum ſignum Tauri peroritur in regione illa.

Idem etiam aliter per indicem horarium breuiter reperire.

CAPVT XXVI.

Applica ut ſupra globum ad altitudinem poli tui, deinde duc initium ſigni tui propoſiti in ecliptica notati ad cõtactum horizontis orientalis, & in tali ſitu globi,duc etiam indicem horariũ ad 12. meridiei horam, indice ſic immobiliter in ſe perdurante,uolue leniter globum unà cum indice inuariato,quouſq; etiam finis ſigni tui propoſiti perueniat etiam ad contactum eiuſdem horizontis orientalem ut prius,tunc globo ita perſeuerante, index horarius tibi prodet horas & partes horæ,quibus hoc totum ſignum propoſitum peroriatur in ſphæra obliqua.

Vtrum planeta uel ſtella oriatur in die uel nocte perpulchre rimari.

CAPVT XXVII.

Colloca ſtellam ipſam in directo horizontis in oriente,& ſerua globum ita immotum:deinde uide ubi ſit gradus Solis in ecliptica. Nam ſi gradus Solis fuerit inuentus in hæmiſphærio ſuſperiori,oritur eadem ſtella in die.Si autem fuerit in hæmiſphærio inferiori Solis locus,oritur tunc in nocte.Pone etiam ſtellam ipſam in directo horizontis in occidente, & etiam ſerua globum ita immotum:deinde conſidera locum Solis in ecliptica,nam ſi gradus Solis repertus fuerit tunc in hæmiſphærio ſuperiori,occidit eadem ſtella in die,ſi autem fuerit Solis locus in hæmiſphærio inferiori,occidit in nocte.

Cum quo gradu ſtella quælibet, uel planeta oritur uel occidit, aut cœlum mediat, certo inquirere.

CAPVT XXVIII.

SI labor tuus fuerit pro planetis habentibus latitudinem, & quorum loca in globo deſideras, operare iuxta præceptum capitis 19. circa hoc. Signum: deinde pro inueniendo gradu eclipticę, qui cooriatur uel cooccidat cum ſtella tali propoſita, diſpone primo globum ad eleuatio= nem poli tuæ regionis, poſtea pro coortu, duc eandem ſtellam uel pla= netam ad contactum horizontis orientalis, & gradus eclipticæ ibidem: globo ſic fi= xe perſeuerante, inuentus, erit gradus cum quo talis ſtella uel planeta oritur. Pro oc= caſu uero ſtellæ uel planetæ, dirige eandem ſtellam uel planetam ad contactum hori= zontis occidentalis, & gradus eclipticæ in horizonte occidētali, globo ſic perduran= te, repertus, erit gradus cum quo talis ſtella uel planeta occidit. Pro cœli autem me= diatione, ducendus erit ſtellæ uel planetæ locus ad contactum armillæ meridianę, & gradus eclipticæ ibidem repertus, erit gradus cum quo talis ſtella uel planeta cœlum mediat. Ex his infertur, quòd ſtella aliquando oritur ante gradum ſuum longitudi= nis, & aliquando poſt, ſcilicet, quando habet latitudinem, & interdum cum eo, quan= do caret latitudine. E ſimiliter inuenitur aliquando, quòd quædam oritur ante gradū ſuum, & occidit poſt ipſum: & quædam oritur poſt, & occidit ante, & quędam oritur poſt, & etiam occidit poſt. Vnde quando Caput draconis Lunæ fuerit in principio Arietis, & fuerit Luna in principio Cancri: quia ibi tunc Luna habet latitudinem ſe= ptentrionalem maiorem ſcilicet 5. graduum: quia in uentre draconis orietur ipſa an= te gradum ſuæ longitudinis plus quàm per tertiam partem horæ, & occidit poſt gra= dum ſuum ſimiliter. Et quando idem Caput draconis Lunę fuerit in principio Librę, & Luna in principio Capricorni: quia tunc Luna habet latitudinem meridionalem maximam 5. graduum, quia tunc iterum eſt in uentre per ſuum deferentem, orietur tunc Luna poſt gradum ſuum plus quàm per tertiam partem horæ, & occidit ante eum ſimiliter. Adhuc maior diuerſitas poteſt contingere in Venere & Marte, quo= niam ipſi maiorem aliquando ab ecliptica latitudinem obtinebunt. Omnia dicta fa= cilia ſunt, ideo breuibus perſtringere placuit, omiſſa etiam exemplari declaratione.

Diſtantiam Solis & ſtellarum à Zenith capitum ſiue regionis cuiuſcunq; comperire.

CAPVT XXIX.

ELEua primo uel deprime globum, mediante armilla meridiana iuxta latitudinem regionis tuæ, & uolue eum ſenſim, donec locus Solis uel ſtellæ cadat ſub armillam meridianam. Poſtea numerabis gradus in ea= dem armilla, à Zenith horizontis uel regionis ad uſq; ſtellam: quia tot gradibus ſtella eadem à Zenith horizontis elongatur. Si nunc cuilibet gradui diſtantiæ 60. Italica miliaria, ſiue 15. Alemanica cōmunia tribueris inuenies diſtantiam itineris ab initio habitationis propoſitæ uerſus meridiem (itinere recto progrediendo) quoad Sol meridiano tempore ſupra uerticem capitis proficiſcentis ſtabit. Exemplo rem facilius accipies: Sit Sol in 20. gradu Sagittarij, quem gra= dum locabo ſubtus armillam meridianam, & eo ſic ſtante, inuenio in armilla meri= diana à loco Solis uſq; ad Zenith horizontis gradus 73. fere, diſtantiam Zenith ca= pitis ciuitatis famatiſsimæ Norimbergen. à centro corporis Solis eo die anni, quo

Sol

Sol 20. Sagittarij gradum poſsidet: deinde multiplico hos gradus 73. diſtantiam uidelicet prædictam per 15. miliaria Alemanica communia, & prouenient 1095. miliaria itineris terreſtris.

Diſtantiam Solis & ſtellarum à Meridiano doctè perſcrutari.

CAPVT XXX.

POne gradum medij cœli tuæ figuræ propoſitæ ſubtus armillam meridianam, & apparebit ſub eadem inter gradus æquatoris aſcenſio eius recta, ſerua eam ad partem: deinde uolue globum, donec locus Solis, uel ſtellæ in Zodiaco, uel extra tuæ figuræ propoſitæ ſub eandem armillam meridianam ceciderit, & uidebis aſcenſionem eius quoq; rectam ſub eadem armilla. Subtrahe nunc aſcenſionem rectam medij cœli ab aſcenſione recta Solis uel ſtellæ, ſi locus Solis uel ſtellæ fuerit in quarta orientali ſupra horizontem. Vel ſubtrahe aſcenſionem rectam Solis uel ſtellæ ab aſcenſione recta medij cœli, ſi idem locus Solis uel ſtellæ fuerit in quarta occidentali ſupra horizontem, & reſiduum diſtantiam Solis, ſtellarum, uel gradus Zodiaci à meridiano quæſitam patefaciet. Huius rei tale ſume exemplum: Sit 20. gra. Sagittarij medium cœli, cuius aſcenſio recta eſt graduũ 256. Sit nunc locus Solis 10. Aquarij, cuius aſcenſio recta eſt graduum $312\frac{1}{2}$ ferè. Subtrahe igitur aſcenſionem rectam medij cœli ab aſcenſione recta Solis, remanebunt gradus $53\frac{1}{2}$. diſtantia Solis à meridiano. Pari exemplo in ſtellarum locis, ſiue in Zodiaco, ſiue extra eiſdem conſtitutis utare.

Cognita una ſtella fixa in firmamento, quæ in corpore ſolido poſita eſt, per eam omnes alias in eodem corpore poſitas, & tibi in firmamento ignotas cognoſcere,

CAPVT XXXI.

ACipito per quadrantem, aut aliquod aliud inſtrumentum altitudinem ſtellæ tibi notæ, & conſidera in qua parte cœli, orientali ſcilicet uel occidentali, ſeptentrionali uel meridiana ſita ſit, & uolue globum ad eandem partem, eo tamen antea iuxta lineam meridianam, ac iuxta poli eleuationem tuæ regionis ſituato, ita quòd altitudo eius ſtellæ tantam attingat altitudinem in quarta altitudinum, quantam per quadrantem accepiſti. Quo facto, recipe ſtellam tibi ignotam, in corpore tamen ſolido poſitam, cuius altitudinem cõſidera, ac partem mundi, in quam ceciderit, & ſuper parem huic altitudinem pone perpendiculum quadrantis, uel lineam fiduciæ, uertendo te uerſus eandem mundi plagam, ſuper quam cadebat ſtella, & quamcunq; ſtellam tunc per foramina pinnularum uideris, ipſa erit quam quæris, & talem operationem facere poteſ cum omnibus ſtellis in corpore ſolido poſitis, & earum claram notitiam aucupaberis, & ſi diligenter plagam & ſitum ſtellę aſpexeris, etiam ſine omni altitudine eius cognitionem habere poteris.

Arcum diurnum atq; nocturnum cuiuſcunq; puncti eclipticæ uel loci Solis, aut ſtellæ cuiuſuis dimetiri.

CAPVT XXXII.

Loca

LOCA gradum eclipticæ, uel locum Solis, aut ſtellæ cuiuſcunq; pro-
poſitum ad contactum horizontis in parte orientis, & nota gradum
æquatoris eidem ex eadem parte in contactu horizontis correſpon-
dentem, id eſt, accipe aſcenſionem obliquam Solis uel ſtellæ, deind
uolue ſphæram uerſus occidens, donec idem tui propoſiti gradus ad
contactum horizontis in occidente peruenerit, notando iterum gradum æquatoris,
quo ibidem in horizonte ſcilicet orientali horizontem tetigerit, id eſt, accipe etian
aſcenſionem obliquam gradus oppoſiti Solis. Numerus enim graduum à prima in
ſecundam notam, arcum diurnum determinabit, uel etiam numerum graduum pri-
ma nota æquatoris abſciſſum, ſubtrahe à numero ſecundę notę ſubiecto, ſi fieri quea
ſi non, adde numero ſecundæ notæ, 360. gra. unam reuolutionem, deinde ſubtrahe
ut ſupra, reſiduum nanq; eundem dici arcum tibi commonſtrabit. Eum ex integro
circulo una ſcilicet reuolutione primi mobilis, ſcilicet 360. gradibus deme, & rema-
nebit tibi arcus nocturnus eidē gradui tui propoſiti correſpondens. Exemplo omni
lucidiora fient. Sole 20. gradum Tauri occupante, uolo arcum diurnum huius gradu
addiſcere, pono itaq; 20. Tauri gradum ad contactum horizontis orientalem, & in-
uenio ibidem 25. gra. ferè æquatoris, cui termino in eodem notam impingo: deind
uoluo globum cum eodem Solis gradu ad occidentalem partem contactus horizon
tis, & inuenio gradus 250. ferè æquatoris in parte orientali horizontis, facioq; ibi-
dem iterum in æquatore notam. Numerando igitur à prima in ſecundam notam,
uel ſubtrahendo numerum primæ notæ à numero ſecundæ notæ, collige uel reſiduū
inuenio gradus 25. ferè arcum diurnum quæſitum, quem ex integro circulo ſcilicet
360. gradibus demo, remanent gradus 135. arcus nocturnus eiuſdem.

Cognito arcu diurno uel nocturno cuiuſcunq; puncti cœli, numerum horarum æqualium, & inæqualium quantitatem definire.

CAPVT XXXIIII.

ARCVM diurnum ſiue nocturnum per præcedentem inuentum, di-
uide per 15. & id quod exiuerit, erit numerus horarum æqualium, re-
ſiduum autem de gradibus poſt diuiſionem remanens, partem horæ
imperfectæ deſignat. Nam pro ſingulis gradibus poſt diuiſionem re-
manentibus pone 4. minuta horarum, quem item horarum & minu-
tarum numerum, ſi in 12. æquales ſecueris particulas, quantitatem horæ inæqualis
uel temporalis utriuſq; agnoſces. Per hunc etiam Canonem & præcedentem facili-
ter concludere potes, quanto tempore ſtellę ſupra uel infra terram morantur. Exem
plum: Volo arcum diurnum & nocturnum in horis &c. ac quantitatem horæ inęqua
lis exempli capitis 32. Partior igitur arcum diurnum inuentum, qui eſt 225. per 15. &
exeunt horæ 15. ferè, numerus uidelicet horarum æqualium illius diei. Pari ratione
partiendo arcum nocturnum, ſcilicet 135. gradus per 15. colligo horas item æquales
9. noctis illius, diuidendo præterea arcus diurni horas inuentas 15. ſcilicet per 12.
quantitas horæ inæqualis proſiliet, hora uidelicet 1. minut. 15. Eodem modo arcus
nocturni horas 9. ſcilicet per 12. partior, & exibit quantitas horæ inæqualis noctur-
na 45. minuta horæ, quod fuit propoſitum.

Hoc idem aliter, ac faciliori uia per indicem horarium abſoluere.

Du

CAPVT XXXIIII.

DVC gradum Solis tui propoſiti ad contactum horizontis orientalem, & in tali diſpoſitione globi dirige etiam indicem horarium ad. 12. meridiei horam, & fac indicem ſic firmum in globo ſtare, deinde eundem gradum Solis diſpone ad contactum horizontis occidentalem, nam index horarius ſic cum globo ductus, horam longitudinis illius diei tibi in circulo horario commonſtrabit. Per hunc etiam modum arcus horarius ſtellæ, quam ſupra horizontem uel infra facit, tibi patebit, ſi eo ordine proceſſeris, ſicut iam dictum eſt.

Si diem longiſsimam in regione quapiam cognoueris, quo pacto latitudinem eius inuenias edocere.

CAPVT XXXV.

SVPPONE primum punctum Cancri armillæ meridianæ, & in tali ſitu duc etiam indicem horarium ad 12. meridiei horam, deinde numera ſemidiurnam illius longiſsimæ diei quantitatem ab hora 12. meridiei in circulo horario uerſus orientem, quia ibi erit ortus Solis illius diei, & globo cum indice horario in circulo horario cuſtodito, ne ab hac hora ortus labatur, tunc eleuabis uel deprimes globum cum ſua armilla meridiana, quoad initium Cancri eclipticæ directe horizonti orientali inſideat, tunc enim uidebis in gradibus armillæ meridianæ à polo mundi arctico adusque horizontem gradus eleuationis poli tuæ regionis, cuius diem longiſsimam anni antea noueras.

Horam ortus & occaſus, atque etiam cœli mediationis Solis atque ſtellarum in quacunque regione faciliter perſcrutari.

CAPVT XXXVI.

QVære aſcenſionem obliquam gradus, cuius horam ortus ſcire cupis per doctrinam capitis 21. huius, quam ſeorſum ſerua. Similiter etiam aſcenſionem rectam eiuſdem gradus addiſce per doctrinam 19. ſubtrahe minorem à maiori numero, differentiamque earum conuerte in horas & horarum fractiones, eam per 15. diuidendo, quas ſubtrahe à 6. horis, id eſt, à uero ortu Arietis ſcilicet & Libræ, & hoc ſi Sol uel ſtella fuerit in ſignis Borealibus, uel adde eandem differentiam 6. horis, ſi Sol uel ſtella fuerit in ſignis Auſtralibus, & quod ex tali additione collectum, uel poſt ſubtractionem reſiduum fuerit, horam ortus Solis uel ſtellæ quæſitam manifeſtabit. Exemplo facilius accipies. Volo horam ortus Solis eo exiſtente in 10. gradu Scorpij, in regione cui polus Borealis $49\frac{1}{2}$ gradibus eleuatur, inuenio igitur aſcenſionem obliquam 10. gradus Scorpij, gradus 236. & aſcenſionem eius rectam gradus 218. quorũ differentia eſt graduum 18. Quibus in horis, earumque fractiones conuerſis, colligo horam 1. minu. 12. ferè, quod tempus addo 6. horis, eò quòd ſignum Scorpionis eſt Auſtrale, & excreſcunt horæ 7. min. 12. uerum tempus ortus Solis illius diei quæſitum. Pari ferè operatione horam occaſus edoceberis, ſi loco aſcenſionis obliquæ pro tempore ortus habendo acceptæ, deſcenſionem hic inueſtigaueris, & ubi ibidem additio fiebat propter Auſtralia ſigna, hic ſubtractione ages, & èconuerſo, quod ibidem ſubtractione efficiebas, hic additione propter ſigna Borealia rimaberis. Pro hora cœli mediationis ſtellæ ita operare: Quære aſcenſiones rectas loci Solis illius diei atque ſtellæ, cuius cœli media-

mediationem cupis per doctrinam 19. huius, deinde ſubtrahe aſcenſionem rectam Solis ab aſcenſione recta ſtellæ, & differentiam illam conuerte in horas & horarum fractiones, eam per 15. diuidendo, & prouenient horæ & min. poſt meridianæ cœli mediationis illius ſtellæ propoſitæ.

Hoc idem alia uia per indicem horarium patefacere.

CAPVT XXXVII.

DVC gradum Solis, cuius horam ortus quæris, ſubtus armillam meridianam, & in eo ſitu dirige indicem horarium ad 12. meridiei horam, poſtea pone gradum Solis in ecliptica animaduerſum ad contactum horizontis orientalem, tunc index horarius oſtendet tibi horam ortus. Eodem ordine hora occaſus Solis inuenitur, ſi eundem gradum Solis ad contactum horizontis occidentalem direxeris. Tali etiam uia inuenies qua hora ſtella quæuis, uel oritur uel occidit, uel etiam cœlum mediat, ſi locum Solis atq; indicem horarium ad lineam uel armillam meridianam duxeris, & locum ſtellæ uel horizonti orientali, uel armillę meridianę aptaueris, tunc enim index horarius inter horas circuli horarij, horam ortus uel occaſus, uel etiam cœli mediationis tibi inſinuat.

Horas æquales uel inæquales diei ab ortu, uel noctis ab occaſu Solis tranſactas, & quot adhuc reſtant dinumerare.

CAPVT XXXVIII.

ERIGE gnomonem ſphæricum orthogonaliter ſuper locum Solis in ecliptica, ſphæra antea aptata cum alueo eius ad ſitum regionis certiſſimum iuxta doctrinam capitis ſecundi huius, deinde moue ſubtiliter globum ante uel retro tam diu, quouſq; radij Solares per ambas ſciſſuras gnomomis ſphærici ſupra gradum eundem Solis in ecliptica ceciderint tunc ergo pone notam in æquinoctiali in directo horizontis orientalis, uel extra ad partem notabis gradus æquatoris ſupra horizontem orientalem apparentes, quoniam iſti erunt gradus aſcenſionis obliquæ ad illud momentum. Poſtea moue ſphæram, donec gradus Solus redeat ad horizontem orientalem, & iterum pone notam in æquatore in directo horizontis orientalis, uel iterum extra notabis ad partem gradus æquatoris, ſupra horizontem orientalem emergentes, quoniam iſti erunt gradus aſcenſionis obliquæ Solis. Deinde computa gradus, qui ſunt inter duas notas, uel ſubtrahe primum inuentum à ſecundo, quoniam id quod prouenerit, conſtituit arcum æquatoris, qui reuolutus eſt ab ortu Solis uſq; ad inſtans tuæ conſiderationis. Gradus ergo huius arcus diuide per 15. exibit numerus horarum æqualiũ & diei, quæ tranſierunt ab ortu Solis uſq; ad illud inſtans. Reſiduum uero (ſi quod fuerit) partem horæ non perfectæ manifeſtabit, quæ ſe habebit ad horam unam integram, ſicut reſiduum illud ad 15. Quare in minores graduum fractiones, minutias ſcilicet reſoluantur, & iterum per 15. diuidantur, & exibunt minutiæ &c. Vel pone pro quolibet gradu remanenti 4. minuta horæ, & hunc numerum horarum & minutarum æqualium ſubtrahe à quantitate diurna, & reſiduum horas æquales quæ adhuc reſtant ab illo inſtanti uſq; ad occaſum Solis patefaciunt. Si uero gradus prædicti arcus æquatoris ſcilicet, per quantitatem horæ inæqualis illius diei per 33. huius explorandum diuiſeris, exibit numerus horarum inæqualium, quæ tranſierunt ab ortu

ab ortu Solis uſq; ad idem inſtans, & reſiduum (ſi quod fuerit) eſt pars horæ inæqualis imperfectæ ſequentis, quæ ſe habet ad horam integram, ſicut illud reſiduum ad quantitatem horæ inæqualis illius diei. Hunc numerum horarum diei inæqualium ſubtrahe de 12. quoniam 12 ſunt horæ diei inæquales, & reſiduabis numerum horarum inæqualium, quæ adhuc reſtant ab ipſo inſtanti uſq; in occaſum Solis.

Horas uero noctis ab occaſu Solis elapſas, ita capies: Accipe altitudinem alicuius ſtellæ fixæ per quadrantem, uel aliquod aliud inſtrumentum, & poſita altitudine ſtellæ in quarta altitudinum ſuper ſtellam, moue ſphæram, donec ipſa ſtella cadat ſub quartam altitudinum, in ſimili gradu altitudinis, quanta eſt illa ſtella per quadrantem accepta, & hoc in illa parte, in qua fuerit ſtella, ſcilicet ante lineam medij cœli, uel poſt, & tunc pone notam in directo horizontis orientalis in æquatore, uel ut ſupra extra ad partem notabis &c. Poſt hæc uolue ſphæram ſiue globum uerſus partem orientalem, donec ibidem nadir Solis cadat in directo horizontis, & tunc pone iterum notam in æquatore in directo horizontis ſimiliter orientalis, uel extra ad partem notabis ut ſupra. Computa ergo gradus æquatoris à prima nota in ſecundam, uel ſubtrahe, ut ſupra, quoniam illi ſunt gradus arcus æquatoris, qui reuolutus eſt ab occaſu Solis uſq; ad inſtans propoſitum, quem ſi per 15 partiaris, exibit numerus horarum æqualium tranſactarum ab occaſu Solis uſq; ad idem inſtans. Si uero eundem arcum diuiſeris per quantitatem horæ inæqualis nocturnæ exibit numerus horarum inæqualium præteritarum. Subtrahe ergo numerum horarum præteritarum æqualium de numero horarum æqualium noctis, & remanebit numerus horarum æqualium, quæ adhuc reſtant ab illo inſtanti, uſq; ad ortum Solis. Subtrahe etiam numerum horarum inæqualium tranſactarum de 12. & reſiduabis numerum horarum inæqualium ab illo inſtanti uſq; ad ortum Solis. Exemplo minime opus fore crediderim, cum omnia hæc facilia, & ſupra abunde tractata ſint.

Horas æquales ad inæquales & econuerſo conuertere.

CAPVT XXXIX.

SVmmam horarum æqualium multiplica per 15. & productum diuide per quantitatem horæ inæqualis per doctrinam 33. inuentam, & exibit numerus horarum inæqualium, & reſiduum (ſi quod fuerit) arcum horæ non completæ inæqualis manifeſtat. Inæquales uero horas ad æquales conuertes hoc pacto: Summam horarum inæqualium multiplica per quantitatem horæ inæqualis, & productum diuide per 15. & elicies numerum horarum æqualium, & quod reſiduum fuerit, erit pars horæ æqualis imperfectæ. Exemplum primæ partis: Sit dies horarum 8. cuius diei arcus eſt 120 graduum, qui diuiſus per 12 proueniunt 10 æquatoris, qui uni horæ inæquali illius diei debentur. Pono igitur, quòd quis ſcire uellet horam inæqualem huius diei poſt meridiem hora ſecunda æquali, quæ eſt ſexta hora communis, & æqualis poſt ortum Solis illius ſæpe dicti diei, Multiplicet is ſummam horarum æqualium ſcilicet 6 per 15. & uenient gradus, 90. quos diuidet per quantitatem horæ inæqualis illius diei, ſcilicet per 10 gradus, & exibit 9 hora inæqualis ab ortu Solis elapſa, aduſq; horam ſecundam poſt meridiem.

Horas inæquales, uel planetarias aliter inuenire.

CAPVT XL.

HAbita longitudine diei per caput 32 huius in horis & minutis, diuide
eadem per 12 & proueniens indicabit quantitatem horæ inæqualis
in horis uel etiam minutis, notabisq́ eam quantitatem, deinde duc gra
dum Solis illius diei ad contactum armillæ meridianæ, & in tali ſitu
etiam indicem horarium ad 12 meridiei horam, & indice ita immobi-
li in globo perſiſtente, applica gradum Solis ad contactum horizontis orientalis,
quoniam in tali diſpoſitione globi ſtabit ſæpe dictus index horarius in hora ortus
Solis illius diei in circulo horario. Ab hac hora ortus numera horas & minuta horæ
unius inæqualis illius diei in circulo horario, iuxta ordinem horarum, & ubi nume-
rus quantitatis unius horæ inæqualis ceſſauerit, fac notam, deinde ab illa nota iam
ſignata, numera iterum eandem quantitatem horæ inæqualis, & ubi iterum nume-
rus finitur, fac notã ſecundam, & ſic aduſq́ horam 12 meridiei, cui ſemper & omni
die tam breui, quàm longa ſextam notam impinges. Nunc etiam ulterius ab hac
ſexta inæquali, uel 12 meridiei, procede uerſus occaſum, numerando etiam quanti-
tatem horæ inæqualis totiens quotiens ad horam & minutam occaſus uſq́, ſemper
in termino quantitatis horæ inæqualis notam ponendo, & ſic habebis horas inæ-
quales tui diei, cuius quantitatem per 12 diſtribuiſti, eſt enim tunc initium primæ
horæ inæqualis illius diei, ab hora & minuta ortus Solis, & finis eius atq́ initium ſe-
cundæ horæ inæqualis, in prima illarum notarum, & finis huius ſecundæ horæ in
nota ſecunda, & ibidem initium horæ tertiæ, & ſic ad occaſum uſq́ Solis, ubi erit
finis 12 horæ inæqualis. Sic enim faciliter habebis horam inæqualem per indicem
horarium iuxta præceptum capitis præcedentis 38 uel per radium Solis, uel per
comparationem horæ communis horarij, cum notis iam ſignatis in circulo horario
In horis nocturnis idem erit modus, ſed incipe numerum notarum in circulo hora-
rio ab occaſu Solis, & partire arcum nocturnum per 12. pro quantitate horæ inæ-
qualis.

Horas diurnas à Sole tam ab ortu quàm ab occaſu, uel meridie inchoantes, organi huius Aſtronomici adiutorio ubiq́ capere.

CAPVT XLI.

PRO horis communibus, quorum initium ſumitur à meridie, & à me-
dia nocte, & quas minoris horarij horas uocant, hoc modo procede:
In primis apta globum ad æquidiſtantiam horizontis, atq́ lineæ me-
ridianæ, & ad eleuationem poli tuæ regionis, iuxta præceptionem ca-
pitis ſecundi huius, deinde accipe aſcenſionem rectam Solis illius diei,
ſecundum præceptum capitis 19. & eam ad partem notabis, poſtea applica gnomo-
nem ſphæricum orthogonaliter ſuper eundem gradum Solis, & uolue globum quo
ad radij Solares ambas ſciſſuras gnomonis luſtrauerint, & in tali diſpoſitione glo-
bi, accipe iterum aſcenſionem rectam ſub armilla meridiana, quam appellare libet
aſcenſionem rectam horæ. Et ſi obſeruatio cum gnomone fuerit antemeridiana,
tunc ſubtrahe aſcenſionem rectam horæ ab aſcenſione recta Solis, & differentiam
illam partire per 15. & proueniunt horæ, & pro quolibet gradu reſiduo accipe 4
minu. horæ, & hæ erunt horæ ante meridiem, quas ſubtrahe à 12 horis, & habebis
numerum horæ tuæ à media nocte numerum incipientis, uſq́ ad inſtans tuum.
Si autem obſeruatio fuerit poſtmeridiana, tunc econuerſo ſubtrahe aſcenſionem re-
ctam Solis ab aſcenſione recta horæ, & illam differentiam partire per 15, ut ſupra
& habebis numerum horæ tuæ communis horarij, ab hora 12 meridiei incipientis

quod

quod Exemplo ſic aperiam: Sit Sol in 10 gradu Libræ eo die, cuius horam ſcire cupio in regione, cui polus mundi 45½. gradibus extollitur, huius loci Solis accipio aſcenſionem rectam 189 ferè gradus, deinde gnomonem pono ad eundem 10 gra. Libræ locum Solis, & circumago globum quoad Sol ambas ſciſſuras gnomonis illuminauerit, & inuenio ſub armilla meridiana aſcenſionem rectam horæ 130. Sed quia obſeruatio iſta facta eſt ante meridiem, ratione cuius ſubtraho hanc aſcenſionem rectam horæ, ab aſcenſione recta Solis, & colligo differentiã 59 gradus, eosq́ diuide per 15. & ueniunt horæ 3 mi. 56. has ſubtrahe à 12 horis, & uenient horæ 8. min. 4. id eſt, fuit hora 8. minu. 4. ante meridiem.

Horas autem ab ortu atq́ occaſu Solis, pari ferè operatione dinumerabis. Inuenta namq́ aſcenſione obliqua Solis per 21 huius, ſi horas ab ortu Solis inchoantes cupis, ad partem ſerua, uel deſcenſionem obliquam Solis, ſi horas ab occaſu Solis incipientes deſideras, ad partem ſerua, deinde uolue ſphæram quoad radij Solares ambas gnomonis ſciſſuras impleuerint, tunc conſidera gradus æquatoris ſupra contactum horizontis orientalis apparentes, ſi horas ab ortu quæris, uel ex parte occidentis, ſi horas ab occaſu Solis cupis, quos etiam ſigna ad partem. Eos enim aſcenſiones uel deſcenſiones obliquas horæ conuenit appellare, & aſcenſione obliqua Solis dempta ex aſcenſione obliqua horæ, ſi horas ab ortu Solis inchoantes cupis, uel deſcenſione obliqua Solis ſubtracta à deſcenſione obliqua horæ, ſi horas ab occaſu Solis uis, earum differentia arcum æquatoris ab ortu uel occaſu Solis uſq́ ad inſtans tuum (ſecundum quod aſcenſionem uel deſcenſionem obliquam accepiſti) patefaciet. Quare pro quibuslibet 15 æquatoris gradibus ab ortu Solis inchoantibus, ponenda eſt una hora. Primum igitur quindenarium ſume pro hora prima, ſecundum pro hora ſecunda, & ſic deinceps, uſq́ ad tui propoſiti inſtans. Pari ſupputatione ab occaſu numerando 15 gradus æquatoris deſcendendo, erit prima hora, & iterum 15 gradus, & erit ſecunda hora, & ſic conſequenter uſq́ ad inſtans propoſitum.

Hæc eadem cum diſpoſitione cœli per indicem horarium faciliter inuenire.

CAPVT XLII.

HOras à meridie uel à noctis medio exortas, hoc pacto denumerabis: Gradum eclipticæ, quem Sol eo tempore occupat, loca ſub armilla meridiana, ſimiliter indicem rotulæ applica horæ 12 in linea meridiana in tali ſitu, deinde eidem Solis gradui in ecliptica adhibeto gnomonem ſphæricum mediante cera terpentinata, circumuoluendo globum, donec Solis radius per foramina uel per ſciſſuras dicti gnomonis ſupra eclipticam ceciderit, & horam tunc ab indice proditam, quæſitam pronuncia. Globo ſic deniq́ perſeuerante, quatuor cœli cardines diſcernere facile dabitur, modo non ſis penitus hebes. Haud difficilius horas ab ortu, & item ab occaſu dinumerabis, ſi gradum Solis tui propoſiti, quem antehac armillæ meridianæ applicare iuſſi, nunc ad horizontis orientalem partem pro ortiuis, uel ad eiuſdem partem occiduam pro occaſualibus horis locaueris, & indicem ad horam 12. modo ſupra tradito, direxeris, ac tandem gnomonem ſphæricum, ut ſupra gradui Solis in ecliptica adaptaueris, utra enim harum uia operatus fueris, propoſitum pulcherrime aſſequi poteris.

Horas ſæpedictas aliter per ſtellas in nocte expiſcari.

CAPVT XLIII.

P One gradum Solis in ecliptica animaduerſum tui diei ſub armil-lam meridianam, pro horis à meridie uel noctis medio exortis, uel ad horizontem orientalem pro horis ab ortu, uel occidenta-lem pro horis ab occaſu exorſis, & indicem ſupra horam 12 in li-nea meridiana, deinde cognita per quadrantem, uel alio quouis modo, altitudine ſtellæ alicuius tibi notæ, applica eidem altitudini ſtellam globi mediante quarta altitudinum, & hoc in ea plaga cœli in qua eadem ſtella reperta fuerit, mox enim oſtendet tibi index horarius horam cu-pitam pro tali inſtanti. Vel uulgari & craſſiori uia ita operare: Globo in nocte ſere-na ad ſitum regionis uerum ordinato, ſeptem ultimas ſtellas Vrſę maioris in globo, directe oppone illis in cœlo apparentibus, quas plauſtri uulgus enunciat, & oſten-det tibi index horarius in circulo horario horam quæſitam. Inſuper & Horoſcopi reliquorumúe angulorum puncta.

Horas à meridie uel media nocte inchoantes, ad horas ab ortu, uel etiam ab occaſu Solis initiantes, & in xxiiij. terminantes reducere.

CAPVT XLIIII.

Ab horis minoris horarij, cuius initium numerationis ſumitur à
- Meridie / Media nocte — Subtra he tempus — Seminocturnum
  - Meridie: 12. horis ſemper adiectis
  - Media nocte: Si fieri poteſt, ſi non, adde 24. horas
- Meridie / Media nocte — Semidiurnum
  - Meridie: Si fieri poteſt, ſi non, adde 24.
  - Media nocte: 12. horis ſemper ad iectis

Sic enim relinquitur numerus horarum ab Ortu / Occaſu Solis inchoantium.

Horaria Solaria, & eadem tam muralia, quàm horizontalia in omni regione, adiutorio huius organi conficere.

CAPVT XLV.

G Lobum cum alueo diſpone ad æquidiſtantiam horizontis & lineæ me-ridianæ, quàm iuſtiſſime iuxta præceptũ capitis ſecundi huius, & hoc apud parietem uel murũ, ſiue ad planum talem horarij inſcriptionem uel picturam recepturũ, deinde uice indicis filum ex eodem polo egre-dientem, poloq́ue mundi inhærentem per ſingulas horarũ in ſuperficie circuli horarij ad parietem uel murum tuum, uel etiam horizontale planum proten-de, ſingulisq́ue fili contactibus, ibidem notas his horis correſpondentes infige, à qui-bus ducentur lineæ rectæ, horarum ſpaciola ſecernentes, quæ in centro horarij de-ſinent, cui ſtylus horarum uidelicet index infigendus eſt, tale itaq́ue centrum linea recta per ambos mundi polos in modum axis ad murum, uel etiam ad planum ho-rizontale protenſa, examuſſim indicabit.

Auroram uel crepuſculum, & eius durationem inueſtigare.

CAPVT XLVI.

DIſpone ſphæram ad inſtans propoſitum per altitudinem alicuius ſtellæ ſicut capite præcedenti 43 diximus, & ipſa ſphæra immota perdurante, moue quartam altitudinum, donec ſtet ſuper nadir gradus Solis, & computa gradus in quarta altitudinum, qui ſunt à nadir gradus Solis uſq; ad horizontem, qui ſi fuerint 18 præciſe, & fuerit nadir Solis uerſus partem occidentis, in tali ſitu Sol eſt ſub horizonte 18 gradibus, & eſt initium auroræ, & apparitionis radiorum Solis. Si uero fuerit nadir Solis uerſus orientalem partem, iam finis eſt crepuſculi ueſpertini, & defectus apparitionis radiorum Solis. Si uero gradus illi numerum 18. exceſſerint, iam tranſiuit crepuſculum ueſpertinum. Si tamen fuerit Solis nadir uerſus partem orientis, uel nondum incœpit aurora, ſi fuerit uerſus occidentalem partem. Sed ſi gradus prædicti fuerint pauciores 18 nondum finitum eſt crepuſculum ueſpertinum, ſed pars eius tranſiuit, ita tamen ſi fuerit uerſus orientem nadir Solis, uel iam præteriuit pars auroræ, ſi fuerit idem nadir uerſus occidentalem partem. Quantitates autem crepuſculi & auroræ ſic depræhendes: Pone nadir Solis ſubtus 18 gradum in quarta altitudinum, & fac notam in æquatore in directo horizontis, poſtea pone nadir Solis in horizonte, & fac ſimiliter notam in æquatore in directo horizontis, deinde numera gradus à prima in ſecundam notam, & numerum illum per 15. partire, & exibunt horæ æquales, & reſiduum (ſi quod fuerit) partem horæ imperfectæ ſequentis manifeſtabit. Tot ergo horis, & tanta parte horæ durabit crepuſculum ueſpertinum. Aurora uero & crepuſculum æquales æſtima.

Hoc idem alia uia per indicem horarium faciliter uenari.

CAPVT XLVII.

DVc gradum Solis tui diei, cuius crepuſculum matutinum quæris ſubtus armillam meridianam, & in eodem ſitu duc etiam indicem horariũ ad 12. meridiei horam, & eo ibidem bene cuſtodito, duc nadir Solis globi uerſus occidentalem partem horizontis cum quarta altitudiuum, globum cum quarta altitudinum hincinde mouendo, donec 18. gradus quartæ altitudinum hunc gradum nadir Solis contingat, erit enim tunc locus Solis in hæmiſphærio inferiori ſub horizonte orientali 18 gradibus, & tunc index horarius oſtendit tibi horam initij crepuſculi matutini, Quare ſi nadir Solis ſupra horizontem occidentalem locaueris, finem eiuſdem crepuſculi matutini index horarius tibi commonſtrabit. Exemplum: Volo initium & finem crepuſculi matutini, Sole commorante in 28. gradu Scorpionis, huius loci Solis nadir eſt 28. ♉. Duco igitur gradum Solis 28 Scorpionis ſubtus armillam meridianam, & in eodem ſitu indicem ad horam 12. meridiei, deinde diſpono gradum nadir loci Solis ſcilicet 28. Tauri, uerſus occidentalem partem horizontis cum quarta altitudinum, & moueo globum cum quarta altitudinum, quoad idem nadir Solis directæ ad 18. gradum quartę altitudinum pertinget, & in tali ſitu reperio indicem horarium quieſcentem in hora 5. & mi. 40. ferè initium crepuſculi matutini, poſt hoc uoluo globum, quouſq; 28. gra. Tauri ad occidentalem horizontem, uel 28. Scorpionis ad horizontem orientalem peruenerit, & reperio indicem horarium 7 horam cum 40 mi. ferientem, finem ſci

licet crepuſculi matutini. Crepuſculum autem ueſpertinum ſic accipe: Indice horario ſic diſpoſito, pone gradum Solis oppoſitum cum quarta altitudinum, ad contactum horizontis orientalem, mouendo ſphæram cum quarta altitudinum, donec idem 18 gradus quartæ altitudinis cum nadir Solis correſpondeat, tunc enim erit locus Solis in hæmiſphærio inferiori ex parte occidentis per 18. grad. almicantherat, & tunc index horarius tibi finem crepuſculi ueſpertini notificat. Huius initium index horarius etiam tibi indicabit, ſi gradum Solis ad contactum horizontis occidentalis locaueris. Hoc idem per aliquam ſtellam inuenies iuxta præceptum capitis 46. hoc tamen notato, quod index horarius cum gradu Solis illius diei ad horam 12. meridiei traducatur, & demum fiet operatio ut ſupra.

Signum aſcendens ac gradum atq; reliquorum trium angulorum ſigna, & gradus quacunq; hora depræhendere.

CAPVT XLVIII.

QVære prius uerum locum Solis ad tempus tuum propoſitum, ad quod aſcendens & reliquos angulos cupis, & illius ueri loci Solis quære aſcenſionem rectam iuuamine capitis 19 huius, cuius aſcenſionis rectæ ſerua numerum graduũ ad partem, deinde adde huic aſcenſioni rectæ Solis pro qualibet hora poſtmeridiana tui propoſiti 15 gradus, & pro ſingulis quaternis minutijs horæ, gradum unum, & numerũ graduum ſic collectum, locabis ſub armilla meridiana, & quicunq; gradus Zodiaci in linea horizontali ex parte orientis apparuerit, ille erit gradus aſcendentis, ſiue horoſcopus illius horæ propoſitæ, & gradus huic oppoſitus in linea horizontali ex parte occidentis, erit initium 7. domus. Item ſignum & gradus ſub terra in hęmiſphęrio inferiori in linea meridiana apparens, erit initium quartæ domus, & gradus huic oppoſitus ſupra terram ſub linea ſiue armilla meridiana, erit initium decimæ domus. Exemplo accipe: Volo aſcendens cum reliquis angulis poſt meridiem hora 4 Sole 10. gradum Scorpij occupante, in regione cui polus mundi $49\frac{1}{2}$. gradibus extollitur, inuenio huius loci Solis aſcenſionem rectam 218. ferè gradus, cui addo pro 4 horis poſt meridiem 60. gradus, & colligo 278. gradus, quos ſub armilla meridiana locabo, & apparebit in horizonte orientali 18. gradus Arietis aſcendens, ſiue initium primæ domus, & ex parte occidentis ſupra contactum horizontis 18. Libræ, initium ſeptimæ domus, & ſub armilla meridiana ſupra terram 8 gradus Capricorni, initium decimę domus, & ex oppoſito huius ſub terra 8. gradus Cancri, initium quartæ domus.

Hoc idem aliter per indicem horarium prompte capere.

CAPVT XLIX.

SVppone gradum Solis tui diei armillæ meridianæ, & in tali ſitu duc etiam indicem horarium ad 12. meridiei horam, & eum cuſtodi inuariatum: deinde duc eundem indicem ſic infixum globo, mediante globo ad horam tuam propoſitam, ad quam aſcendens cum reliquis angulis ſcire cupis, & eo ſic diſpoſito, uide ad contactum horizontis orientalis cum ecliptica, nam gradus & ſignum ibidem apparens, eſt ſignum & gradus aſcendentis tui propoſiti, reliquos tres angulos quære in ſuis locis ut ſupra, & hoc in tali etiam ſitu ſphæræ.

Idem

Idem aliter quam ſupra traditum eſt, Sole radiante in die, uel apparentibus ſtellis in nocte, & quatuor mundi plagas, diſpoſitionemq́ cœli ad inſtans propoſitum inueſtigare.

CAPVT L.

APTA globum cum alueo eius ad regionis tuæ ſitum uerisſimum, iuxta præceptionem capitis ſecundi huius, & eo ita fixe ſtante, pone gnomonem ſphæricum orthogonaliter erectum ſuper gradum Solis in ecliptica diei tui propoſiti, ſi in die fuerit, mouendo ſphæram ante uel retro, donec radius Solis cadat per ambas ſciſſuras gnomonis, quoniam tunc habebis diſpoſitionem cœli ad illud inſtans, eritq́ uerum oriens mundi in directo ueri orientis orientalis horizontis. Verum autem occidens in directo ueri occidentis, & in directo puncti ſeptentrionalis inſtrumenti, eſt pars ſeptentrionalis mundi. In directo uero puncti meridionalis huius aluei, eſt pars meridionalis mundi. Apparebunt etiam ſigna & gradus 4. angulorum figuræ cœli in ſuis locis ad inſtans illud. Si uero fuerit in nocte, accipe altitudinem alicuius ſtellæ tibi notæ per quadrantem, uel aliquo alio ingenio: deinde pone quartam altitudinum ſupra ſtellam illam, & hoc in ea parte, in qua ſtella fuerit ſita, ante lineam meridianam ſcilicet uel poſt, & in tantum moue ſtellam cum quarta altitudinum, donec ipſa ceciderit ſub quarta altitudinum, ſubtus gradum altitudinis ipſius ſtellæ, quos mediante quadrante accepiſti, tunc enim habebis diſpoſitionem cœli ad inſtans propoſitum cum quatuor angulis, ut ſupra.

Horam ignotam, qua certus eclipticæ gradus, in nota eleuatione polari aſcendit, notam reddere.

CAPVT LI.

PRIMVM diſpone globum ad eleuationem poli tui, mediante armilla meridiana: deinde dirige locum Solis in ecliptica notatum ſub eandem armillam meridianam, & in tali ſitu duc etiam indicem horarium ad 12. meridiei horam in circulo horario, demum colloca gradum aſcendentis tui propoſiti, cuius horam quæris, ad contactū horizontis ex parte orientis, & ſtatim index horarius, horam tibi prius ignotā, in circulo horario prodet, qua talis gradus aſcendentis in regione tua propoſita ſupra horizontē aſcendit.

Initia reliquarum 8. domorum cœli, hoc organo rationabiliter conſtituere.

CAPVT LII.

TRES æquandarum domorum cœli modos ex ſphæra hac, uel globo Aſtronomico ſumere poſſumus, quorum primum noſtris temporibus Ioannes de monte regio Germanus, uti commodiorē, rationabilemq́ in commentarijs ſuis in Almageſtum Ptolemæi æditis, commendans, certis principijs, firmisſimisq́ rationibus obſeruandum ſtabiliuit. Qui & ſi à duobus reliquis in quatuor cardinibus, ſiue angulis minime diſcordet, in reliquis tamen domibus, non parum diſcriminis habere ſæpiuſcule compertum eſt. Nam modus etiam iſte æquationis domorum cœli diuidit quatuor quadrantes,

æquatoris, meridiano & horizonte obliquo interceptos, in æquales portiones tre & per puncta ſectionum ducit 4. circulos magnos meridiano ac horizonti concu rentes in earum duabus ſectionibus. Tales itaq; ſex circuli, aſſumptis ſcilicet mer diano & horizonte, totum cœlum in 12. ſpacia partiuntur, quæ domus cœli nuncu pantur. Pro æquatione igitur domorum rationabili, ita procedas in reliquis 8. dom bus definiendis, gradum primi cardinis ſeu aſcendentem, quem unà cum tribus re liquis angularibus gradibus trium præcedentium capitum 48. 49. & 50. dogma agnoſces, loca directe ad horizontem ex parte orientali, ſeruando globum ita im motum: deinde, eleua circulum poſitionis ad 30. gradum circuli æquinoctialis, à co tactu eius cum horizonte, uerſus armillam meridianam computando, & quemcun gradum Zodiaci idem circulus poſitionis ferierit, ille initium 12. domus exiſtit, gradus Zodiaci illi oppoſitus, initium 6. domus ſibi uendicat, poſtea loca circulu poſitionis ad gradum æquatoris 60. ab horizonte aſcendendo, & idem circulus po ſitionis oſtendet tibi in ecliptica initium undecimę domus, cuius punctus oppoſitu initium quintæ domus definiet. Nonageſimus demum gradus æquatoris, ab eode horizonte aſcendendo numeratus, mediante circulo poſitionis, gradum ſigni me dium cœli conſtituentis, indicabit, quem etiam ſupra ex doctrina 48. capitis cogno ſcere licuit. Centeſimus atq; uigeſimus deniq; æquatoris gradus ab oriente, uel ſexa geſimus ab occidente, pari ratione initium nonæ domus præſtabunt, cuius etia oppoſitus gradus initium tertiæ domus patefaciet. Quinquageſimus poſtremo ſu pra centeſimum æquatoris gradus ab horizonte orientali, uel trigeſimus ab eiuſde parte occidentali, iuxta tactum circuli poſitionis, initium octauæ domus tibi in ecl ptica præbebunt, cuius gradus oppoſitus initium ſecundæ domus determinabit. V aliter: Globo ita in gradu aſcendentis firmiter quieſcente, notabis extra ad abacu gradus aſcenſionis obliquæ aſcendentis, de qua aſcenſione tolle gradus 30. & ſupe numerum graduum remanentium pone circulum poſitionis, & gradus eclipticæ ſ à circulo poſitionis tactus, erit initium duodecimæ domus. Sic etiam eodem ordin initia reliquarum domorum inuenies, ſemper ſubtrahendo 30. gradus à numero re manente, per quem initium domus immediate præcedentis inueniebas. Exemp gratia: Sit 18. grad. Arietis aſcendens, cuius aſcenſio obliqua 8. ferè graduum, quem admodum hic ſubſcriptum uides.

368 Aſcenſio obliqua		18 Arietis		1 domus	
30 Aſcendentis.					Ex oppo-
338 Aſcenſio obliqua		20 Aquarij		12 domus	ſitis ſignis
30 12. domus.					ſub huiuſ-
308 Aſcenſio obliqua	Quare medi-	23 Capricor		11 domus	modi gra-
30 11. domus.	ante circulo	ni	Ini-		dibus ha-
278 Aſcenſio recta	poſitionis re-	7 Capricor.	tium	10 domus	bebis reli-
30 medij cœli.	perio				quas 6 do-
248 Aſcenſio obliqua		23 Sagittarij		9 domus	mos.
30 9. domus					
218 Aſcenſio obliqua		25 Sagittarij		8 domus	
octauæ domus.					

Domus 8. cœli aliter, ac ſecundum modum communem ue- tuſtis Aſtrologis uſitatiſsimum, huius globi adiu- torio conſtituere.

CAPVT LIII.

Hunc

HVNC modum antiquis ualde uſitatum, etſi Ioannes noſter de monte regio negligendum duxerit, executioni tamen numeratoriæ eundem mandare uoluit. Quare & noſtro huic organo eundem accommodabimus, nam modus iſte diuidit arcum ſemidiurnum puncti eclipticæ orientalis, aut arcum æquatoris ei ſimilem in tres æquales portiones, & arcum ſeminocturnum eius in totidem, per punctaq; diuidentia, & punctum eclipticæ orientale, ac polum mundi utrumq; fingit quinq; circulos magnos, qui cum meridiano totum Zodiacum, & totum cœlũ in 12. partes diuidunt, quas uocant domos. Operaturus ergo ſecundum hunc modum, Loca gradum aſcendentem ad partem horizontis orientalem, tenendo deinde globum immotum, pone notam in æquatore in directo armillæ meridianæ, id eſt, accipe aſcenſionem rectam decimæ domus, deinde moue ſphæram uerſus occidentem, donec gradus orientis cadat ſub armilla meridiana, & pone iterum notam ſuper punctum æquinoctialis, in contactu eius cum armilla meridiana, id eſt, accipe aſcenſionem rectam aſcendentis, poſtea computa gradus æquatoris à prima nota uſq; in ſecundam, quos gradus intercapedinis ſcilicet harum duarum notarum dinumerando diuide, uel officio circini diſtingue in tres partes æquales, quas duabus interiectis ſignaturis in æquatore notabis. Vel aliter operare: Quære aſcenſionem rectam medij cœli, uel decimæ domus, ut ſupra iam dicebatur, & eam ad partem ſerua: deinde quære etiam aſcenſionem rectã gradus aſcendentis, etiam ut ſupra, quam etiam ſerua ad partem, poſtea ſubtrahe aſcenſionem rectam decimæ domus ab aſcenſione recta aſcendentis, ſi commode fieri quiuerit, ſin autem, integrum circulũ ſcilicet gradus 360. aſcenſioni rectę aſcendentis adde, & inde fiat ſubtractio, & reſiduum, hoc eſt differentiam, id eſt, ſemidiurnum hunc arcũ diuide in tres partes ęquales per 3. ſcilicet diuidendo: deinde adde aſcenſioni rectæ decimæ domus, illam tertiam partem ſemidiurni arcus, & fiet aſcenſio recta undecimæ domus. Sic etiam iterum huic iam inuentæ aſcenſioni rectæ undecimæ domus, adde eandẽ tertiam, & fiet aſcenſio recta duodecimæ domus. Deinde moue ſphæram, donec prima illarũ duarum notarum, ſcilicet aſcenſio recta undecimæ domus cadat ſub armilla meridiana & gradus Zodiaci ibidem ſub eadem armilla meridiana apparens, eſt initium undecimæ domus. Poſtea pone ſecundam illarum duarum notarum aſcenſionem ſcilicet rectã duodecimæ domus ſub armilla meridiana, & gradus Zodiaci ibidem ſub eadem inuentus, erit initium domus duodecimæ. Nunc quære etiam aſcenſionem rectam ſeptimæ domus ſub armilla meridiana, ſicut capite 19. abunde accepiſti, & ſubtrahe eandem aſcenſionem rectam ſeptimæ domus ab aſcenſione recta decimæ domus, & differentiam illarum aſcenſionum, id eſt reliquum ſemidiurnum arcum, diuide etiam ut prius in tres partes æquales, etiam per tria diuidendo: deinde ſubtrahe tertiam hanc inuentam ab aſcenſione recta decimæ domus, & fiet aſcenſio recta nonæ domus. Sic rurſus ſubtrahe eandẽ tertiam ab hac aſcenſione recta nonæ domus, & fiet aſcenſio recta octauæ domus: deinde pone primam iſtarum duarum notarum, ſcilicet aſcenſionem rectam nonæ domus ſub armilla meridiana, & gradus Zodiaci ſub eadem armilla cadens, eſt initium nonæ domus. Pone etiam ſecundam notam, ſcilicet aſcenſionem rectam octauæ domus ſub armilla meridiana, & gradus Zodiaci ſub eadem cadens, erit initium octauæ domus. Reliquas uero domos, per ſigna oppoſita, graduſq; oppoſitos habebis. Exemplum huius hoc accipe: Sit 18. gradus Arietis aſcendens in regione, cui polus borealis $40\frac{1}{2}$. gradibus eleuatur, ut in precedentis capitis exemplo. Aſcenſio igitur recta decimæ domus eſt 278, Item aſcenſio recta primę domus gra. 17. Subtrahendo igitur hanc ab illa, aſcenſionem uidelicet rectam decimæ domus ab illa primæ domus, relinquitur mihi differentia harum, graduum 99. Quam ſi partior in tres partes ęquales, proueniunt gra. 33. quos ſi adiungo aſcenſioni rectę medij cœli,

con-

conflabo gradus 311. primam notam in æquatore, quæ locata ſub armilla meridiana
gradum 8. ferè Aquarij, domus undecimæ initium mihi inſinuat. Rurſus adiung
prioribus æquatoribus gradibus iam inuentis, ſcilicet 311. prędictam particulam, ſci
licet gra. 33. & colligo gradus 344. pro ſecunda nota, quæ locata ſub armilla meri
diana, dat gradum 13. ferè Piſcium, initium domus duodecimæ. Et ſic habes duas do
mos ante lineam medij cœli, reliquas duas quære etiam iuxta ſupra tradita, hoc mo
do: Aſcenſio recta decimæ domus eſt 278. graduum, ſed aſcenſio recta anguli ſepti
mæ domus eſt graduum 197. qua ſubtracta ab aſcenſione recta medij cœli, inuenio
differentiam earum graduum 81. quam diuido in tres partes æquales, & proueniun
cuiqꝫ parti gradus 27. quos ſubtraho ab aſcenſione recta decimæ domus, & reſtan
gradus 251. æquatoris pro prima nota, quæ locata ſub armilla meridiana, præbebi
mihi gradum 12. ferè Sagitarij, initium nonæ domus. Rurſus deniqꝫ ſubtraho gradu
27. à gradibus 251. primæ notæ, & proueniunt gradus 224. ferè æquatoris pro ſe
cunda nota, quæ locata ſub armilla meridiana, exhibebit mihi gradum 16. Scorpij
initium octauę domus. Quibus ſic nactis ſingularum his oppoſitarum initia domo
rum, minime te latebunt, modo memor ſis doctrinæ ſupra traditæ.

Hoc idem aliter & iuxta uiam Campani, atqꝫ Gazuli, breuiter manifeſtare.

CAPVT LIIII.

HVnc tertium, Campani ſcilicet atqꝫ Gazuli, æquationis domorum mo
dum, quem Camillus noſter Ioannes de monte regio non tam Fran
ciæ, quàm totius Germaniæ decus, futilem atqꝫ à mentibus antiquo
rum philoſophorum longe alienum pronunciat, huic ſubnectere pla
cuit. Nam diſtinctio hæc domorum fit per circulos quatuor magnos
horizonti & meridiano coincidentes, in utraqꝫ earum communi interſectione. Nam
ſuper altero huiuſmodi ſectionum, tanquam polo, circulum magnum deſcriptum in
telligunt, per uerticem capitis aut regionis tranſeuntem, huiuſmodi quadrantes me
ridiano & horizonte interceptos, in trinas ęquales ſecari portiones imaginantur, &
per puncta ſectionum duci quatuor memoratos circulos, qui unà cum meridiano &
horizonte, circulum uerticalem ante dictum, itemqꝫ eclipticam, ac totum inſuper cœ
lum in duodena partiuntur interualla, quæ domos cœli nuncupant. Ad æquandum
igitur ſecundum hunc modum, pone gradum aſcendentis ad contactum horizontis
ex parte orientis, & globo ita fixe perſiſtente, applicetur quarta altitudinum ad Ze
nith horizontis, & cum pede eius ſuper principium Arietis, id eſt ſupra uerum ori
ens æquinoctiale in horizonte, & teneatur etiam ita immobilis: deinde applica cir
culum poſitionis (prout decet) ad communes interſectiones meridiani & horizon
tis, & pone medium, id eſt lineam fiduciæ huius circuli ſupra 30. gradum quartæ al
titudinum, & quemcunqꝫ gradum Zodiaci hic circulus poſitionis tetigerit, hic erit
gradus initij duodecimæ domus: deinde globo & quarta altitudinum ita permanen
tibus, pone circulum poſitionis ſupra 60. gradum quartę altitudinum, & quemcunq
gradum Zodiaci hic circulis poſitionis ita locatus tetigerit, hic erit initium undeci
mæ domus. Similiter operare pro inuentione reliquarum domorum ex parte occi
dentali huius inſtrumenti, ponendo quartam altitudinum ſupra uerũ occidens cum
eius pede, eademqꝫ unà cum globo fixe manentibus, ponatur circulus poſitionis ſu
pra 30. gradum quartæ altitudinum, & quemcunqꝫ gradum Zodiaci hic circulus po
ſitionis tetigerit, hic erit initium octauæ domus. Quarta poſtremo altitudinum &
globo ita inuariate manentibus, ponatur circulus poſitionis ſupra 60. gradum quartę

altitu-

altitudinum, & quemcunq; gradum zodiaci hic circulus poſitionis ferierit, hic erit
initium nonæ domus. Reliquas uero domos ex oppoſito cuiuſq; dictarum (ut ſupra
didiciſti) facilime uenaberis. Exempli gratia: Volo habere æquationem domorum
per hunc modum, ad eleuationem poli $49\frac{1}{2}$. graduum. Eſto ut in præcedenti gradus
18. Arietis, quem pono ad contactum horizontis orientalis, & teneo globum im-
motum, & adiungo quartam altitudinum, & circulum poſitionis iuxta ſupra tradita:
deinde pono circulum poſitionis ſupra gradum 30. quartæ altitudinum, & inuenio
in eius contactu cum linea ecliptica in parte orientali gradum 8. ferè Aquarij initiū
12. domus: deinde locabo circulum poſitionis ſupra 60. gradum quartę altitudinum,
etiam in parte orientali, & inuenio in eius contactu cum ecliptica, gradum 18. ferè
Capricorni, pro initio undecimæ domus. Pari modo inuenio ex occidentali parte
globi, pro initio domus octauæ 11. gradum Sagittarij, pro initio uero domus nonæ
27. gradum ferè eiuſdem Sagittarij reperio.

In qua duodecim domorum cœli planeta uel ſtella quæuis, aut punctum cœli quodlibet conſtituatur, explorare,

CAPVT LV.

MVltos errores neglectæ nobis latitudines, tam fixarum quàm erran-
tium ſtellarum, necnon & uaria iudicibus diſcrimina ingerunt, eaq; ma-
xime quæ in contemptum eorundem, nedum præclaræ huius ac pro-
fundiſsimæ ſcientiæ uergunt, utputa quando artis huius tyrunculi ali-
quod horum, alibi reuera conſtitutum, hac occaſione angulis decepti
ntrudunt, cum tamen in alijs domibus tanta uirtus eis non ſit, ſicut in angulis. Ta-
em igitur errorem euitare cupiens, ſic operare. Pone gradum ſigni aſcendentis fi-
guræ tuæ propoſitæ ſupra contactum horizontis orientalis, & ſphæra immota per-
durante, circuloq; poſitionis inſtrumento (prout ſupra didiciſti) adaptato, eundem
eleua ad principium duodecimæ domus in ecliptica, & quamcunq; ſtellam ab eo-
dem & circulo horizontali ſupra terram incluſam compereris, eam duodecimam do
mum poſsidere pronuncia: manente deinde globo ita immoto, eundem circulū po-
ſitionis principio undecimæ domus admoue, & quamcunq; ſtellam interſtitium hu-
ius, & duodecimæ domorum occupantem offenderis, undecimę domui illam dic in-
ſidere. Atq; in cæteris domibus eadem uia procede. Stella præterea directe ſub cir
culo poſitionis ita reperta, in cuſpide illius domus iudicabitur, cuius initium idem cir
culus poſitionis ita poſitus inſinuat.

Vtrum duæ ſtellæ utrinq; propoſitæ in uno circulo poſitionis iaceant experiri.

CAPVT LVI.

PRæſens problema, ſiue caput ex tabulis directionū Ioannis de monte
regio ſumpſimus, qui tribus modis coniunctiones ſtellarum Aſtrono-
mos conſiderare denunciat, quorum primus quidem fit ſecundum circu
los per polos eclipticæ incedentes, quando uidelicet unus talis circulus
ambas complectitur ſtellas. Secundus uero ſecundum circulos per po-
los mundi incedentes. Tertius autem ſecundum circulos meridiano & horizonti in
duabus earum ſectionibus coeuntes. Hoc genus coniunctionū Hali, expoſitor qua-
dripartiti Ptolemęi, diligenter obſeruandum duxit, quòd magnā in natiuitatibus uim
habeat.

habeat. Huiuſmodi igitur coniunctionis cupidus, locabit gradum aſcendentis nati uitatis, uel alterius principij, ad contactū horizontis orientalis, et adaptabit circulum poſitionis inſtrumento, poſtea globo ita immobili cum gradu aſcendentis prædicto in parte horizontis orientali perdurante, ſtellas mediante eodem circulo poſitionis circumquaq; in globo inueſtigabit, quaſcunq; enim ſub eodem circulo poſitionis inuenerit poſitas, tali modo coniunctas pronunciabit.

Oblatis duabus ſtellis, aut duobus punctis cœli, poſsint'ne modo prædicto coniungi infra diem unum naturalem perſcrutari, earundemq; coitui certam horam aſsignare.

CAPVT LVII.

PRimo nota loca duarum ſtellarum uel puncta cœli propoſita in globo eo antea locato ad eleuationem poli tuæ regionis: deinde moue eundem cum circulo poſitionis hinc inde, donec duæ ſtellę propoſitæ directe cadant ſub lineam fiduciæ circuli poſitionis, tunc tene globum fixe accipiendo ſub armilla meridiana aſcenſionem rectam medij cœli, quam ſerua ad partem, deinde pone locum Solis tui diei propoſiti ſub armilla meridiana accipiendo item aſcenſionē eius rectam, quam etiam ſerua, deinde aſcenſione recta Solis dempta ex aſcenſione recta medij cœli, adiecto integro circulo, ſi opus fuerit relinquetur tibi elongatio Solis à linea meridiana, quam ſi per 15. partiaris, prouenient horæ æquales poſt meridiem tranſactę, uſq; ad tempus huius coniunctionis. Exempli gratia: ſit quædam ſtella in 2. gradu Virginis, cū latitudine meridionali trium graduum, alia autem in fine 4. gradus Virginis, cum latitudine ſeptentrionali unius gradus, Sol uero 7. gradum Cancri obtineat, uolo huiuſmodi coniunctionis earum horam explorare in regione habente latitudinem 49½. graduum, globum ergo ad hanc eleuationem polarem ordinatum, uoluo cum circulo poſitionis, donec ſtellæ propoſitæ ſub eodem circulo poſitionis iaceant, eoq; ſic ſtante, accipio aſcenſionem rectam medij cœli, ubi gradus æquatoris cum armilla meridiana interſectionem faciant, & ſunt gradus 83. ferè. Item poſito etiam loco Solis ſub armilla meridiana, inuenio aſcenſionem rectam eius 98. gradus ferè: ſubtracta ergo aſcenſione recta loci Solis ab aſcenſione recta medij cœli, reſtat elongatio Solis à meridiano graduum 345. qua per 15. diuiſa, exeunt horæ 23. ferè poſt meridiem diei propoſiti peractæ quo tempore uidelicet huiuſmodi coniunctionem poſsibilem fore pronuncio.

Hoc idem etiam per indicem horarium prompte numerare.

CAPVT LVIII.

ORdinabis gradum Solis in ecliptica notatum tui propoſiti ſubtus armillam meridianam, ac in tali diſpoſitione indicem horarium ad 12. meridiei horam: deinde circumagito globum hinc & hinc cum circulo poſitionis, quoad eædem ſtellæ, quarum coniunctionis horam quæris, ſub eundem circulum poſitionis directe ceciderint, tunc index horarius oſtendet tibi horam coniunctionis illarum ſtellarum, uel partium cœli. Exemplum: Volo horam coniunctionis ſtellarum duarum fixarum primæ magnitudinis, quarum una Spica Virginis ſit, altera Arcturus Bootis, Sole exiſtente in 3. gradu Sagittarij, cuius loci Solis aſcenſio recta eſt 241. ferè graduum, aſcenſio rect

med

nedij cœli, quando prædictæ ſtellæ ſub uno circulo poſitionis iacent, eſt 177. gra-
uum ferè. Subtraho nunc aſcenſionem rectam Solis ab aſcenſione recta medij cœ-
, remanent 296. gradus, qui per 15. diuiſi, ueniunt horæ 19. minu. 44. poſt meri-
iem illius diei, cuius locum Solis acceperas &c.

Quantum eleuatur polus mundi arcticus ſupra circu-lum poſitionis ſtellæ cuiuſuis, aut alicuius pun-cti in cœlo ſignati experiri.

CAPVT LIX.

Vamuis inuentio huius negotij ſingillatim cœpto operi minime inſer-uiet, quippe quòd hæc & plura alia arti directoriæ attinentia, paſsim etiã in opuſculo tradita, in organo hoc ſiue globo ultro ſe ac in promptu ope ranti offerunt, ea tamen ponere libuit, quo apertius quiſq; huius rei aui-us, fundamenta tabularum primi mobilis nanciſci ualeat. Erit enim eius inuentio tilis & neceſſaria pro ſequentis problematis deductione. Eſt itaq; eleuatio poli nundi arctici, ſupra circulum poſitionis (ut Ioannes de monte regio aſſerit) arcus rculi magni à polo mũdi arctico, ipſi circulo poſitionis ad rectos angulos incidens, uem hoc pacto in præſenti organo ſiue globo emetiri licebit. Fac unam quartam rmillæ, ad inſtar quartæ altitudinum, quę tamen pede non indiget, habeat autem di iſiones, ut quarta altitudinum, cuius numeri deſcendant à polo mundi arctico hori-ontem uerſus, cui etiam polo applicetur quarta hæc, ita quòd clauus ſiue axis mun-i per foramen eius tranſeat, & hoc ſub concauo armillæ meridianæ, & quod libere inc in depoſsit moueri, et ſic eſt depoſita pro opere iſto. Hoc igitur (ubi res poſtulat) oc modo utare, ordina aſcendens tuæ figuræ cœli ad partem horizontis orienta-em, deinde applica ſemicirculum poſitionis loco ſtellæ uel puncto cœli, cuius quęris leuationem poli mundi arctici ſupra circulum poſitionis, & ſerua eundem ita fixe, ui & deinde applica quartam iam memoratam ad rectos angulos iuxta gnomonẽ, uidebis ibidem, iuxta lineam fiduciæ circuli poſitionis certum numerum, qui ſe bſcindit cum tali quarta, qui eleuationem poli mundi arctici, ſupra circulum poſiti-nis ſtellę uel puncti cœli declarabit. Vel aliter, circulo poſitionis ſic in certo loco po to, accipe circinum, cuius pedem immobilem locabis directe ad polum mundi, re-quum mobilem ſcilicet admoue circulo poſitionis in breuiſsima eius, ad eundẽ cir-ulum poſitionis extenſione, huius ſic extenſi circuli intercapedinẽ applica gradibus odiaci uel æquatoris, nam numerus graduum itercapedinis, erunt eleuationis poli nundi arctici, ſupra circulum poſitionis in tali diſpoſitione globi.

Dato quocunq; aſcendente in horizonte quolibet reliquarum domorum initia artificialiter elicere.

CAPVT LX.

Roblema hoc 24. tabularum directionum clariſsimi Ioannis de monte regio, quamuis in precedentibus problematibus huius 48. atq; 52. ſatis & ſufficienter determinatum ſit, erit tamen unum ſuperaddendum in hoc loco, cuius gratia etiam hoc problema aſſumptum eſt, quod ut cog-itu facilius reddatur, inquit idem doctiſsimus uir, paulo diſtantius ordiendum eſt. olent egregij aſtrorum iudices, uitam parentum, ex genitura filij primogeniti, &

econtra dijudicare,ſtatuendo uidelicet locum Solis quidem in natiuitate diurna fi
locum autem Saturni in nocturna,tanquam aſcendentem patris, itemq; locum V
neris quidem in genitura diurna, Lunæ autem locum in nocturna, pro aſcenden
matris, hinc omnium domorum cœli eliciunt ordinem, accidentiaq; parentibus
uentura pronunciant &c. Cum itaq; figuram patris,uerbi gratia,erigere uolueris,
TOtus orbis terræ in quinq; diuiditur Zonas, perinde atq; cœlum in cuius medio continetur. Eſt autem Zona cœli, ſicut & terræ, plaga inter duos parallelos contenta. Sunt autem tantum quatuor paralleli circuli in ſphæra eas quinq; zonas diſtinguentes. Nam extremas duas zonas diſtinguunt duo Arctici circuli: nam quicquid cœli & terræ intra hos duos circulos includitur, zona dicitur. Sic & quicquid inter duos parallelos comprǣhēditur, cœli & terræ, zona dicitur. Dictæ autem duæ zonę eiuſdem temperiei, abiuntq; remotiſsime à uia Solis, quo etiam fit, ut hæ duæ extremæ polis mundi ſubiectæ, ab antiquis inhabitabiles propter frigus habitę ſint, quoniam Solis acceſſum nunquam ſortiuntur, circa quas Mare glaciale eſt. Nunc autem noſtris temporibus habitatæ, quamuis, ut dicitur, minus commode, ibi uaſtæ ſolitudines ac inculti homines, ut probant Ibernia, Norduegia, Gottia, Liuonia, illis conterminæ. Media autem zona inter duos tropicos Cancri. ſ. & Capricorni, inter quas uia Solis eſt, propter caloris exceſſum mortalium habitationi iuxta ueteres parum apta, torrida igitur ab eis uocata. Nunc uero ibidem aër temperatiſsimus experimēto inuentus eſt, propter aſſiduam dierum noctiumq; æqualitatem, ita quod lux Solis calefecerit per 12 horas diei, id tenebræ per reliquas 12 noctis refrigerant. Verum tamen apparet, quòd maior ſit eis in æſtate caliditas quàm nobis, tamen iſta caliditas eſt complexioni eorum proportionata. Nos enim uidemus omnes illos eſſe nigros: ut Aethiopes, Arabes, Indos, & omnes in hac zona: cholericos, criſpos, diſtortos & aduſtos ex uehementi calore. Sic licet uni ex nobis, hic in Europa nato, nō conueniret ſubita mutatio, ut habitaret apud illos, tamen eis conueniens eſt habitatio. Illa ſunt etiam de intentione Auicennæ capitulo primo Doctrinæ tertiæ primæ Fen. primi canonis, ubi dicit. Cum regiones attenderimus, certificatum nobis erit, quòd ſi fuerit locus qui inhabitatur ſub æquatore diei, neq; aliqua de rebus terrenis impedierit, uidelicet montes aut maria, oportebit inhabitantes æqualitati certæ propinquiores exiſtere, quàm alicuius regionum. Aequalitatem autem certam, uocat optimam hominis complexionem. Deinde ſoluit argumentum iam adductum: Ego uero Ptolemæum uehementer admiror, quoniam in capitulo ſexto ſecundæ dictionis Almageſti inquit de linea Aequinoctiali: Quidam autem dicunt, quod poſsibile eſt, ut ſit illud quod eſt ſub hac linea æquediſtanti ex terra habitabili, ideo quòd eius complexio eſt ualde bona, eo quòd Sol non prolongat obumbrationem ſuam ſupra puncta ſummitatis capitum, propter uelocitatem ſuæ declinationis ab Aequatore diei, & propter hoc ſunt æſtas & hyems bonæ complexionis, propter breuitatem longitudinis Solis à ſummitate capitum in utriſq; tropicis. Hoc autem quod dicitur eſt ſecundum æſtimationem & putatur. Vtrum uero illud quod eſt ſub hac linea habitetur, nos huius ſcientiam non compræhendimus, quoniam nemo eorum peruenit ad eam, qui ſunt in noſtris regionibus habitabilibus uſq; ad diem hunc noſtrum &c. hæc ſunt uerba eius. Ipſe tamen in Coſmographia multas regiones & ciuitates ſub Aequinoctiali deſcripſit. Neq; puto quòd ipſe dum componeret librum Almageſti ſcientiam Coſmographiæ nō habuerit, cum in capitulo ultimo huius ſecundæ dictionis polliceatur ſe ſcripturū hunc librum Coſmographiæ. Reliquę duæ zonę ſcilicet ea quæ inter tropicum Cancri & Arcticum circulum, in qua noſtræ ſunt habitationes, & ea quæ inter tropicum Capricorni & Antarcticum circulum includuntur, temperatæ ſunt, ideo habitationi hominum conuenientes, contemperantur enim calore mediæ Zonæ, & frigore extremarum, quemadmodum ſubiecta figura pro parte demonſtrat.

Nec



Nec hic prætereundum hoc, quòd ultra prædictos quinq; parallelos circulos Zonas diſtinguentes, pro libito ſcribi poſſunt & alij paralleli. Nam nos in hoc noſtro opere parallelos abinuicem per 10. gradus ab Aequatore uerſus polos ſeiunximus. Ptolemæus uero in ſua Geographia tantum 21. poſuit, incipiens ab Aequatore uerſus polum Arcticum, ita ut unuſquiſq; ab alio diſtet per horæ unius quartam. Eadem ratio eſt & ad Antarcticum, ut ſequitur.

Parallelus.		Horarum.		Gradibus.	
1		$12\frac{1}{4}$		$4\frac{1}{4}$	
2		$12\frac{1}{2}$		$8\frac{1}{3}\frac{1}{12}$	
3		$12\frac{1}{2}\frac{1}{4}$		$12\frac{1}{2}$	
4		13		$16\frac{1}{3}\frac{1}{12}$	Meroen.
5		$13\frac{1}{4}$		$20\frac{1}{4}$	
6		$13\frac{1}{2}$		$23\frac{1}{2}\frac{1}{3}$	Syenen.
7		$13\frac{1}{2}\frac{1}{4}$		$27\frac{1}{2}$	
8		14		$30\frac{1}{3}$	
9		$14\frac{1}{4}$		$33\frac{1}{3}$	
10		$14\frac{1}{2}$		36	per Rhodum.
11	Habet longiſsimũ diem Anni.	$14\frac{1}{2}\frac{1}{4}$	Abſcedit autem ab æquatore	$38\frac{1}{2}\frac{1}{12}$	
12		15		$40\frac{1}{2}\frac{1}{3}\frac{1}{12}$	Per Romam.
13		$15\frac{1}{4}$		$43\frac{1}{12}$	
14		$15\frac{1}{2}$		45	Per Borysthenem.
15		16		$48\frac{1}{2}$	
16		$16\frac{1}{2}$		51	Per Riphæos montes?
17		17		54	
18		$17\frac{1}{2}$		56	
19		18		58	
20		19		61	
21		20		63	Thylen.

De Climatibus terræ, & dierum maximarum excreſcentia ab Aequatore uerſus polos.

CAPVT VI.

ANtiqui dixerunt orbem terræ habitabilem in ſeptem Climata: Eſt autē Clima terræ ſpacium, in quo ſenſibiliter uariatur dies artificialis maxima, ſcilicet in dimidia hora, ſpacium igitur tantum inter duos parallelos tali diſtantia ab inuicem diſtantes ab Aequatore, uerſus Arcton, Clima dicitur, à cuius initio ad finem uſq; longiſsima dies per mediam horam uariatur. Quanto enim propius accedit Clima ad Arcton, tanto maiorem habet longiſsimum diem. Nam ſub Aequinoctiali eſt dierum & noctium æqualitas, ea ratione habitantibus ſub Aequinoctiali, continue eſt eis dierum, noctiumq; æqualitas, nam eorum horizon tranſit per polos mundi. Diuidit itaq; omnes circulos parallelos, quos ſol motu primi mobilis deſcribit in partes æquales, unde tanti ſunt arcus dierum, quanti ſunt arcus noctium, nam ijs ſolis eſt ſphæra recta. Recedentibus uero ab Aequinoctiali, mox contingit dierum noctiumq; inæqualitas, propter inæqualitatem ſphæræ, & tanto quidem maior, quanto magis ab Aequatore diſcedunt, poloq; propius iunguntur. Quo fit, ut ſi qui ſub polo Arctico degunt, maximam habēt excreſcentiam diei & noctis longiſsimæ anni. Nam totus annus eſt ipſis unus dies naturalis, id eſt dies & nox ſimul: cuius una medietas eſt continuus dies artificialis, qui eſt ab ortu ſolis in eius occaſum: & altera medietas, continua nox artificialis, quę eſt ab occaſu Solis in eius ortum. Cauſa iſtius eſt, quòd circulus æquinoctialis eſt eorum Horizon, qui zodiacum (ſub quo ſemper decurrit Sol) in partes æquales interſecat, ea ratione illis ſemper una medietas ſupra terram, reliqua infra relinquitur. Cum igitur Sol illam medietatē perambulat, quæ eſt à principio Arietis, ad finem Virginis, unus ijs eſt dies continuus ſine nocte. Cum uero per alteram medietatē decurrit, à principio uidelicet Libræ, in finem Piſcium, erit nox una continua ſine die. Primum igitur Clima Diameroes, à Meroe ciuitate celebri Aethiopiæ ſub Aegypto. Secundum Diaſyenes, à Syene ciuitate nobili in Lybia. Tertium Dialexandrias, ab Alexandria ciuitate illuſtri in Aegypto. Quartū Diarhodu, à Rhodo inſula in mari Mediterraneo, inter Candiam & Cyprum. Quintum Diarhomes, à Rhoma urbe in Italia. Sextum Diaboriſtheneos, â Boriſthene amne, qui influit Pontum, qui quidem Pontus in hoc Climate ponitur. Vnde licet Boriſthenes amnis nō ſit in hoc Climate, quia fluit in ora Ponti, cuius oſtium certe eſt in ſeptimo Climate, ut docet Ptolemæus in ſua Coſmographia, tamen mare Ponticum in quod fluit, eſt in hoc Climate, & non multum diſtat à fine Climatis ſexti influxus eius in mare. Septimum Diaripheon, à Ripheis montibus, qui in hoc ponuntur Climate, quamuis Riphei montes, ut Ptolemæus demonſtrat, habeant diem 20. horarum, quare multū diſtant à fine Climatis ſeptimi uerſus Septentrionem, niſi uocarent montes Ripheos, Cetium & Carnantem, & Alpes Stiriæ, Carinthiæ & Atheſis. Verum de hoc non nimium uidetur laborandū, cum appareat à ueteribus nota, & celebria loca quæſita eſſe, quæ pro terminis Climatum ſtatuerent, quæ cum in illis nō inuenirent, uicina apprehenderunt. Eſt tamen ibi ſumme notandum, quôd autor Sphærę non negat omnino eſſe habitationem extra hæc Climata, ſed uult dicere, quòd non ſit tam bona & conueniens habitatio pro uita humana, ſicut in Climatibus. Verū, ut Ptole. in Coſmographia ſua demonſtrat, quaſi tanta portio adhuc eſt habitata, quanta eſt ex illis ſeptem Climatibus conſtituta. Nam dicit ultra æquinoctialem ad 16. gradus protendi habitabilem. Citra autem dicit uſq; ad 63. gradus protendi. Diuiſio itaq; Climatum facta eſt à ualde antiquis, qui adhuc non cognouerunt maiorem partem eſſe habitabilem

quàm Climata ſeptem. Poſt Ptolemæus recentior expertus eſt maiorem habitabilem, & quantam ſuo tempore reperit, tantam deſcripſit in Coſmographia. Nunc autem adhuc ultra partes habitabiles ab eo ſignatas inueniuntur aliæ etiam habitatæ, ut Suetia, Norduegia, & aliæ partes ualde Septentrionales, etiam in inferioribus Africæ uerſus Auſtrum & in orientalibus Aſiæ regna longiſsima, ita quòd nunc noſtra ætate, totus penè ambitus terræ atq; maris perluſtratus comperitur per mercatores, qui illuc deueniunt & reueniunt, quæ etiam uidere licebit in præſenti opere ſphærico ipſius terræ, ac in nouiſsimis cartis marinarijs, quarum nos plures etiam notabiles magnæ æſtimationis ad manus habuimus in hac noſtra deſcriptione. De Climatibus uide ſequentem figuram.




De uentis, & mundi partibus ex quibus ſpirant.

CAPVT VII.

VEteres nauicularij duodecim uentis uſi fuerunt, quatuor Cardinalibus, & octo collateralibus. Dicitur autem Cardinalis uentus, qui ab aliquo cardine, ſcilicet orientis, occidentis, meridiei, uel ſeptentrionis ſpirat. Collateralis uero, qui à latere quatuor cardinum aliquo ſpirat. In meridiem, Auſtrum latini ponunt. Ex oppoſito in ſeptentrionem, ſeptentrionarium. In ortum uero æquinoctialem, Subſolanum. In occaſum æquinoctialem, Fauonium. Quilibet illorum habet duos collaterales: nam Auſter habet Euroauſtrum uerſus ortum hyemalem, & Auſtroafricum, uerſus occaſum brumalem. Septentrionarius habet Aquilonarem, uerſus ortum æſtiuum, Circium uero uerſus occaſum æſtiualem. Subſolanus habet Vulturnum in ortu hyemali, & Heliſpon-

tium in ortu æſtiuo. Fauonius habet Africum in occaſu brumali, & Corum in occa- ſu æſtiuali. Horum nomina Græca & Latina ſubiecimus in hac obiecta figura.



Nauicularij uero recentiores triginta duos uentos ponunt. Nam horizontem in partes 32. diuidunt inuicem æquales, imponuntq́ illis nomina uentorum pro uſu locorum, ſicut uideri licebit in compaſſis ac cartis marinarijs. Sunt etiam quidam peculiares quibuſdam gentibus uenti, non ultra certum procedentes terminum, ut Athenienſibus Sciro, paulo ab Argete deflexus. Narbonenſibus Circius, qui nec ad uicinam quidem eiuſdem prouinciæ peruenit urbem, ſic in Syria Syrus, in Sicilia Carbaſus, in Ponto Detracidas. Sunt præterea innumerabiles, fluminibus, ſtagnis, aut finibus nominati, extra hos tamen ubiq; ſunt duo, ſpiritus magis quàm uenti no- minati, ſcilicet aura quidem leuis motus aëris in terra & ripis, in pelago uero ſeu al- to Altanus &c.

De longitudine locorum ab fortunatis inſulis, & qualiter ea depræhenditur.

CAPVT VIII.

LOngitudo loci ſiue habitationis, eſt ſegmentum Aequatoris, uel ſibi æquidiſtantis paralleli, meridiano orientalioris loci & fortunatarum inſularum, quæ nunc magnæ Canariæ, meridiano incluſum. Eſt au- tem meridianus in terra circulus per terræ polos, & locum habita- tionis tuæ ductus, in quem cum Sol incidit, meridiem efficit omni- bus ſub illo meridiano habitantibus. Vnde gradus metientes arcum æquato- ris inter primum longitudinis gradum, ſiue primum meridianum, & meridianum qu-

qui tranſit per locum tuæ habitudinis gradus longitudinis tuæ habitationis uocantur. Ex hoc liquet, quòd meridiani ſemper mutantur, cum ab ortu in occaſum, uel contra progredimur, ad meridiem ſeptentrionemúe quantumuis progredimur, idem meridianus ſeruatur. Longitudinem autem loci uel ciuitatis ſic inuenies. Conſidera per tabulas eclipſium alicuius notæ longitudinis, initium eclipſis Lunaris, & in alio loco uel oppido, cuius longitudo tibi ignota fuerit, obſerua horam & minutum principij eiuſdem eclipſis per Aſtrolabium, aut aliud quoddam inſtrumentum, uel obſerua tu in uno loco, & alter aliquis in alio loco, uel orientaliori uel occidentaliori te, quòd ſi initium eclipſis ex tabulis eclipſium ſupputatum, uel per tuam obſeruationem tibi notum, & principium eiuſdem eclipſis, loci ignotæ longitudinis in horis & minutis quadrauerint, ambo loca, eandem pronuncia habere longitudinē, & ideo ſub uno & eodem meridiano ſita, ita quòd inter ipſa, nulla eſt diſtantia uel differentia longitudinis. Si autem eclipſis Lunæ per obſeruationem tuam plus fuerit in horis & minutis, quàm initium per tabulas computatum, aut alium in alio loco obſeruatum, aut contra, ea loca diuerſos habent meridianos, & ideo diuerſam longitudinem, quam ſic cognoſcas: Subduc numerum horarum & minutorum, minorem à maiori, & id quod remanſerit, dicitur differentia temporis unius loci ab alio. Accipe igitur pro qualibet hora 15 gradus, nam qualibet hora 15. gradus æquatoris ſurgunt ſupra horizontem, & pro quibuslibet 4 minutis temporis 1. gradum, & pro quolibet minuto temporis 15 minuta gradus, deinde adde gradus gradibus, & minuta minutis, & collectum longitudinem locorum propoſitorum indicabit. Inde etiam liquet, quòd duo loca quibus idem lunaris defectus, eodem conſpicitur tempore, ſub uno exiſtunt meridiano, Locus porrò, ubi temporis obſeruatio ſupputatione maior acciderit, orientalior erit reliquo, ut Arbilis urbs Aſſyriæ orientem uerſus, habuit eclipſim Lunæ hora quinta, quando Carthago occidentem uerſus hora ſecunda. Tribus ergo horis diſtant, id eſt gradibus 45. authore Ptolemæo, libro primo, capite quarto. Quare etiam notandum uenit, quòd initium eclipſis eſt omnibus regionibus uno momento, horæ autem numerantur apud orientaliores citius, quàm apud occidentaliores, eò quòd eis Sol citius oritur quàm occidentalioribus, quare etiam Sol ad meridianum eorum ante appropinquabit quàm occidentalioribus. Sic etiam omnes Coniunctiones, Oppoſitiones, ac aſpectus luminarium omnibus regionibus uno momento contingunt, ſed etiam horæ apud orientaliores citius numerantur, ut ſupra in eclipſibus. Quare errant omnes hi, qui in ſchedis ſuis minutionum, quas omni anno ædunt, hunc titulum ponunt. Almanach ad poli altitudinem 49 graduum &c. cum ad polum non referantur, ſed ad meridianum loci illius ubi æduntur. Huic ergo noſtro terræ globo uiginti quatuor tantummodo meridianos aſſignauimus, ita, ut quilibet ab alio differat 15 gradibus æquatoris, quorum numerus in æquatore terreſtri ab fortunatis inſulis, more Ptolemæi, initium ſumit, hoc eſt, quòd quilibet per quantitatem unius horæ ab altero abſit. Nam omnes eos Sol ſpacio 24 horarum, hoc eſt in die naturali tranſcendat neceſſe eſt. Quò fit etiam, ut quilibet locus à tuo meridiano per unum illorum meridianorum poſitus uerſus orientem citius, uel uerſus occidentem tardius, per unam integram horam habeat ortum Solis, & ex conſequenti meridiem.

De latitudine terræ atq; locorum, quomodo utrinq; ab æquatore initium numerationis capientes, omni die deprehendere illam poſſimus.

CAPVT IX.

LAtitudo terræ ſiue habitationis, eſt arcus meridiani, inter æquatorem & zenith capitis interceptus. Zenith autem capitis, eſt punctus qui nobis ſupra uerticem capitis eminet. Porrò latitudo terræ ſemper æqualis eſt altitudini ſeu eleuationi poli ſupra horizontem, quadam tamen ratione inter ſe differunt. Nam eleuatio ſiue altitudo poli, eſt arcus meridiani, inter polum mundi & horizontem interceptus. Latitudo uero loci, eſt arcus meridiani inter zenith capitum, & æquatoris circulum contentus. Hæc erit obſeruanda omni die, Sole lucente per quadrantem ſimplicem uel Aſtrolabium, uel aliud inſtrumentum, hoc modo: Accipe altitudinem Solis mediante tuo inſtrumento, cum directe meridianum poſſederit, eam ad partem notando. Deinde uide uerum locum Solis eo die in meridie ex diario, uel per tabulas quanto certius potes, cuius loci ueri quære declinationem cum parte ſua ſeptentrionali uel meridionali per tabulas ad hoc factas, & ſi talis declinatio fuerit ſeptentrionalis, eam ſubtrahe ab altitudine Solis, ſupra notata ad partem, & patebit eleuatio æquatoris tuæ regionis, quæ à 90 gradibus ſublata, latitudinem tuæ regionis, ſiue eleuationem poli relinquit. Si autem declinatio Solis fuerit meridionalis, adde eam altitudinem Solis meridianæ ad partem ſeruatæ, & prodibit eleuatio æquatoris, quæ ut ſupra à 90 gradibus reiecta, latitudinem regionis, ſiue eleuationem poli manifeſtabit. Idem etiam per ſtellam quamuis orientem & occidentem habebis, ſi altitudinem eius meridianam cum ſua declinatione obſeruaueris, & ut de Sole modo dictum eſt, operatus fueris. Per ſtellam etiam nunquam occidentem hoc idem inueſtigare poteris, nam ſi eiuſdem ſtellę maximam atq; minimam acceperis eleuationem meridianam, & ambarum ſimul coniunctarum medietatem acceperis, ipſam poli ſublimitatem, quæ ſemper eadem eſt, cum dati loci latitudine, tandem inuenies. Hos demum gradus latitudinis in hunc noſtrum terræ globũ, per circulos parallelos æquatori æquidiſtantes uerſus utroſq; polos de 10. in 10. grad. diſtinximus, quorum tamen ſinguli gradus latitudinum per quandam ſcalam graduum in occidente, apud fortunatas inſulas, cum numeris ſuis adiecimus. Nam & hac in re gradus tam lõgitudinis quàm etiam latitudinis ad impoſitionem nouorum Hydrographorum in hoc noſtro opere nouo ordinauimus, nam ad manus fuere chartæ marinariæ optimis characteribus conſcriptæ, & nouæ, magni ualoris & precij, quarum etiam loca Metheoroſcopijs, quantum potuimus, concorditer locauimus. Nam uidemus à Ptolemæi libro nomina mutata, & uix dici poteſt, quàm incognita ſit noſtra Germania, propter mutatas urbes, gentes atq; nomina. Et poſſent profecto principes Germani, nulla re magis nomini Germanico conſulere, quàm ſi huc publice uniuerſi, & priuatim ſinguli animum adijcerent, ut quàm fieri poſſet diligentiſsime obſeruarentur cum longitudinis tum latitudinis Germaniæ gradus, uel etiam Europæ totius, uniuerſi enim orbis deſcriptionem iuſtiſſimam ac nouam tradere difficilimum fuerit, atqui patriæ ſuæ quiſq; facilime longitudinis & latitudinis deprehendere poterit gradus, ubi harum rerum doctos ſibi adhibuerit uiros. Hoc enim præcipuum eſt Imperatoris, & ueri principis uiri munus, quod Strabo multis commendat nominibus, Iulius Cæſar, Hiſpaniam ac Galliam à ſe deuictas, memoriæ æternæ tradidit. Octau. Auguſtus omnem terram à ſe habitatam recenſuit, ut in Euangelio Lucam teſtatum etiam uidemus; Exijt, inquit, edictum à Cæſare Auguſto, ut uniuerſus deſcriberetur orbis &c.

Qualiter

Qualiter uniuſcuiuſq; loci aut oppidi ſitus, qui in abaco regionum iſto ponitur, in globo terræ inueniendus ſit.

CAPVT X.

LOcum, cuius ſitum in globo terræ ſcire cupis, quære infra in abaco regionum, nam primus numerus in gradibus & minutis ad ſiniſtram, numerus longitudinum eſt, ſecundus uero numerus in gradibus & minutis, eſt numerus latitudinum locorum ibidem poſitorum, quibus habitis quære eundem gradum latitudinis tui loci in gradibus latitudinis globi terræ apud fortunatas inſulas, eundem gradum ducendo ſub armillam meridianam mobilem, & ex directo eiuſdem gradus latitudinis fac ſignaturam cum armento ad circulum meridianum mobilem. Deinde quære numerum graduum longitudinis eiuſdem loci inter gradus æquatoris, eum ducendo ſub eundem circulum meridianum mobilem, & globum ita inuariatum cuſtodi, nam in tali ſitu, oſtendet tibi nota prius facta in circulo meridiano mobili, ſitum tui loci in globo directe ſub tali nota poſiti.

Quomodo Globus Coſmographicus ad ſitum & diſpoſitionem orbis terræ aptandus ſit.

CAPVT XI.

LOca globum ad planum horizontale, & applica compaſſum horarium quandrangularem meridiano mobili, alueum cum globo huc & illud uertendo, dum magnes directe ſuper ſigno ſuo immobili conſtiterit, quoniam tunc habebis quatuor mundi cardines iuſte poſitos. Deinde alueo ſtante, ſubleuabis circulum meridianum mobilem cum polo Arctico, in parte ſeptentrionali ſupra horizontem donec numerus graduum latitudinis uel eleuationis poli loci tui in globo notati in occidentali parte globi poſiti, tuæ latitudini ſupra horizontem æquetur, quo facto, uolue globum huc & illuc, quoad locus tuus directe ſubiaceat armillæ meridianæ mobili, nam tunc habebis globum tuum terræ iuſte diſpoſitum ad ſitum tuæ habitationis. Poſtea uide cardines quatuor mundi, uide etiam regiones & ciuitates, quæ poſitæ ſint à tuo loco, uerſus ortum, occaſum, meridiem uel ſeptentrionem, & generaliter ſic uidebis qui tibi ſint Antipodes, qui Periœci, Antoeci, Periſcij uel Amphiſcij. Dicuntur autem Antipodes, hij qui nobis è diametro ueſtigia obuertunt, & ſimilem cœli uerticem ſemper, æque ut nos, uident, & cum illis nihil commune habēmus, ſed contraria omnino, quia cum nobis Sol æſtatem efficit, illos dura hyems opprimit, & cum apud nos dies agitur, Antipodibus nox efficitur, contra, quando illis dies eſt, nobis nox redditur. Quando nos diem agimus longiſsimū, apud illos nox longiſsima, breuiſsimaq; dies ſtatuitur. Hoc idem ueriſsimus ille Strabo, autor non pœnitendus confirmat, dicens: Antipodes inter ſe quodammodo neſcij eſſe non ſumus. De quibus lege etiam Plinium naturalis hiſtoriæ libro ſecundo, capitulo 57. & omnes ferè Geographos. Periœci ſiue circumcolæ ſunt, qui ſub eodem meridiano, eodemq; parallelo circulo manent, cumq; illis communia ferè omnia habemus, quum eandem ſimul zonam incolimus, & paria nobiſcum agunt anni tempora, ſcilicet hyemem, æſtatem, autumnum & uer, Pariter dierum noctiumq; diuerſitates, hoc eſt incrementa & decrementa, & huiuſmodi alia. Hoc tamen diſcriminis eſt, quod cum Sol nobis diem efficit, apud illos noctem eſſe ratio ipſa demonſtrat, ta-

men non eodem temporis momento occidit nobis Sol, & illis oritur. Antoeci ſiue Anticolæ dicuntur, qui in eodem circulo meridiano noſtro lateri aſtant, latitudinem auſtrinam, latitudini noſtræ æqualem, conſimiliter æqualem longitudinem habentes, qui etiam paria nobiſcum tempora agunt, ſed non pariter. Periſcij, qui ſub polis mundi conſtituti ſunt, ita dicti ratione umbræ, quia illis molarum more per medium anni circulum umbra circumuoluitur. Amphiſcij uero dicuntur manentes ſub æquinoctiali circulo, quos Sol quatuor umbris uerberat.

De diſtantijs locorum in globo terræ inueniendis uia Geometrica.

CAPVT XII.

IN re menſuranda oportet menſuram notiorem eſſe re menſuranda. Sic ad quamcunque quantitatem metiendam, oportet præſupponere aliquam quantitatem menſuræ cognitam. Verſus ſunt de hoc:

Ex granis digitus quatuor formabitur unus,
Et quater in palmo digitus, quater in pede palmus,
Quinque pedes paſſum faciunt, paſſus quoque centum
Viginti quinque ſtadium dant, ſed miliare
Octo dabunt ſtadia, at duplatum dat tibi leucam.

De iſtis autem miliaribus, de quibus hic fit mentio, ſentiendum eſt, quòd ſint Geometrica miliaria, quorum unumquodque eſt ex mille paſſibus, hinc enim miliare dictum eſt, quôd mille paſſus complectatur. Miliaria uero uſitata apud alios, & alios, aliam & aliam habent menſuram. Apud Italos enim breuia ſunt, & ut plurimũ cum miliaribus Geometricis concordant in longitudine, ſed apud Alemannos longiora ſunt, quorum unum ex quinque & medio fere, imò aliquando ex ſex Geometricis miliaribus conſtat. Apud Suecos autem & Danos adeo longa ſunt, ut unum ex decem ferè Geometricis perficiatur. Stadium etiam apud diuerſas gentes, & alterius eſt longitudinis. Nam licet Theodoſius 700. ſtadia dixerit ſubeſſe uni gradui, tamen Ptolemęus certiſsimo experimento 500 tantum ſtadia uni gradui in Coſmographia ſua correſpondenter aſsignauit, quo fit, ut ſtadia Theodoſij minora ſint ſtadijs Ptolemæi, nam quinque Ptolemæi tam longa eſſe oportet, quàm ſunt ſeptem ſtadia Theodoſij. Quo loco non poſſum reticere, quod à quodam ſtudioſo aliquando harum rerum audire memini, ille enim exiſtimabat non abhorrere nimium à ſimilitudine ueri, quod ex non recte ſcriptis notis numerorum in Græcis codicibus hæc inconuenientia doctrinæ Ptolemæi & Theodoſij extitiſſet. Nam apud Græcos litera φ, notari 500. litera autem ψ 700. Pro hoc autem leuiſſimo momento illam potuiſſe ſcribi. Sed de hoc relinquo lectoribus iudicium. Iſta tamen correſpondentia ſtadiorum unius gradus, intelligitur ſub æquinoctiali, aut meridiano, ſeu quocunque circulo magno, & non quocunque alio circulo in globo terræ imaginato. Nam circulo minori minus in terra reſpondet, unde uni gradui in tropico Cancri, non correſpondent tot ſtadia, quod uni gradui ſub æquinoctiali, nec uni gradui ſub circulo Arctico correſpondet tantum, ſicut uni gradui ſub tropico Cancri, aut æquinoctiali. Hæc autem correſpondentia intelligitur per duas rectas lineas, à centro mundi ad primum mobile protenſas, id enim ſpaciũ lineale, quod per eas in ſuperficie terrę intercipitur, & in ſpacio quod cœlo claudunt, correſpondere dicimus. Nota autem, quòd miliare Teutonicum ex 60 longitudinibus agrorum cõſtare dicunt. Agrum autem ex 32 perticis, ſed perticam ex 15. pedibus ſiue paſsibus tribus. Vnde miliare Teutonicum ex 5760 paſſibus conſtat. Sic apparet, quòd miliare Teutonicum perficiatur

ex quinq; miliaribus Geometricis Theodoſij, & 19. uigeſimiſquintis unius, quæ ſunt quaſi 4. quintæ. Ex quo etiam concluditur, quòd 46. ſtadia & $\frac{2}{25}$. unius Theodoſij perficiant unum miliare Teutonicum. Inde conſequenter infertur, quod uni gradui in cœlo ſub æquinoctiali reſpondeant 15. miliaria Teutonica, & cum hoc 1100. paſſus, patet. Nam uni gradui ſubſunt 700. ſtadia, quodlibet ſtadium conſtat ex 125. paſsibus, unde uni gradui ſubiacent 87500. paſſus, ſed ex 5760. paſsibus perficitur unum miliare Teutonicum, quare ex 87500. paſsibus diuiſis per 5760. conſurgunt 15. miliaria Teutonica, & cum hoc reſiduo manent 1100. paſſus, qui ſunt $2\frac{55}{88}$ ualēt $\frac{1}{5}$. ferè unius miliaris Teutonici. Ita ergo uni gradui circuli magni in cœlo ſubiacent in terra 15. miliara Teutonica, & una quinta unius ferè. Sed pro illa parte reſidua, ut facilior eſſet in integris numeratio, quidam ſedecimum poſuerunt miliare. Item Alfraganus differentia octaua in menſuris ſuis dicit miliare ex 4000. cubitis conſtare, ſed cubitus eius, ut ratione numerorum ſuorum quos circa diametrum terræ ponit extrahitur 2. paſsibus & $\frac{3}{5}$ unius ferè Theodoſij conſtare uidetur. Sic ipſe dicit uni gradui in terra 56. miliaria & $\frac{2}{3}$ unius ferè ſubeſſe, ſed unum de ſuis miliaribus ex 12. ſtadijs geometricis Theodoſij & $\frac{1}{3}$ unius ferè, ſiue 41. paſsibus apparet conſtare. Ex his aperte conſtat, quòd quanquam diuerſimodas ponant miliarium numerationes uni gradui correſpondentium, tamen omnium eorum prima menſura miliaris alia eſt & alia, hi quidem breuiora, alij habent miliaria longiora. Cum itaq; diſtantiam itinerariam directam duorum locorum ſcire optas, colloca primum eorum loca ad globum eo modo quo doctus es in capite præcedente, poſtea extende pedes circini ſecundum intercapedinem locorum, & eo inuariato, ipſum transfer ſuper Aequatorem globi, & quod ibidem gradus inter pedes circini computaueris, tot erunt gradus circuli magni tranſeuntis per dicta loca. Hos itaq; gradus multiplica per 500. ſtadia, & locorum diſtantia in ſtadijs Ptolemaicis, ſeſe in promptu offerunt, uel per 700. ſtadia, & emerget diſtantia eadem in ſtadijs Theodoſij, uel per 60. & fiet geometrica aut Italica, aut per 15. & fient Germanica. Quiſquis igitur prę ter hanc normam aliã quoq; cognitionem concipere uoluerit, illum ego ad quatuor ultima problemata ſecundi libri, quæ Ioannes de Monte regio, ſuper magna compoſitione Ptolemæi, quam Almageſtum uocant, conſcripſit, remitto. Quod opus breui fauentibus ſuperis, in lucem dare eſt animus, ut ſtudioſi nulla non in parte honeſta ſtudia nos promouere intelligant. Nam etiam ſicut deſcriptio terræ & locorum in plana ſuperficie regulariter fieri nequit, ita nec intercapedinum regularis menſura in eadem aſsignari poteſt. Nam ij qui chartas deſcribunt Germaniæ, uel quod maius eſt Europæ, ſuperficiem terræ ſupponunt planam, qualis non eſt, ut ſupra capite primo oſtenſum eſt. Modus etiam reperiendi diſtantias locorum, qui inter utilitates Aſtrolabij circumfertur, cum ſuo autore deridendus eſt. Quia ſi ad arcus refertur, abſurdus, non enim arcus in arcum, ſicut linea recta in rectam duci poſſunt: ſi ad cordas ſiue ad ſinus, à ueritate alienus. In unico tantum caſu aut tibi ſimili, duo quadrata ſinuum aggregata, quadratum cordæ, non tamen ſinus locorum diſtantiæ conſtituunt, ſed hic caſus nihil ad mentem autoris præfati.

DE GLOBI TERRESTRIS SECVNDA PARS PRINCIPALIS HVIVS OPVSCVLI, DE

Generali ac particulari diuiſione noſtræ habitabilis ſecundum recentiores cum Geographos tum Hydrographos.

De generali diuiſione terræ.

CAPVT I.

TErræ moles cum ab Oceano tanquam ingens quædam inſula circundatur, quæ & ſi unica ſit, in tres tamen partes uetuſtiores illam diſtinxerunt, quarum primam Europam ſeptentrionalem, noſtram: ſecundam Africam meridionalē, à nobis: tertiam uero Aſiam orientaliorem, à nobis uocauere. Europa ab Aſia ſeparatur per Tanaim fluuium, paludes Meotides, mareq́ Euxinum. Africa ſeiungitur ab Europa per mare Mediterraneum. Aſia uero ab Europa per terminos prius expoſitos, ſeparatur & ab Africa, Iſthmo Iudaico & mari rubro. Europa ab occidente mari Atlantico, à Septentrione Britannico, ab oriente Tanai fluuio, Meotide palude, & mari Pontico, ſiue Euxino, à meridie mari mediterraneo, quod noſtrum eſt mare, clauditur. Africa ab occidente mari Atlantico, à meridie Oceano Aethiopico, à ſeptentrione mari mediterraneo, ab ortu Iſthmo Iudaico ac Sinu Arabico. Aſia quæ cæteras magnitudine & opibus uincit, ab occidente habet eoſdem terminos quos Europa, & Africa, à ſeptentrione terminatur Oceano Scythico, ab oriente orientali Indico, à meridie meridionali Indico & rubro. Non ſolum autem prædictæ tres partes nunc latius ſunt luſtratæ, uerum & alia quarta pars uiſa & partim luſtrata, quam recentiores Braſiliam appellarunt, ſitam uerſus polum Antarcticum, longo tractu ultra tropicum Capricorni, quæ nondum plené cognita eſt, Americus tamen Veſputius, maritima loca Indię ſuperioris ex Hiſpanijs nauigio ad occidentem perluſtrans, eam partem quæ ſuperioris Indiæ eſt, credidit eſſe inſulam, quam à ſuo nomine uocari inſtituit. Alij uero nunc recentiores Hydrographi, eam terram ulterius ex alia parte inuenerunt eſſe continentē Aſiæ, nam ſic etiam ad Moluccas inſulas ſuperioris Indiæ peruenerunt. Hanc continentem Aſiæ ſuperioris portionem extra Ptolemæum, ante noſtra tempora, ab Marco Polo Veneto, & alijs quamplurimis luſtratam legimus. Petrus etiam Cardinalis Cameracenſis, in eo libro quem de imagine mundi conſcripſit, capite 19 ponit: quòd Oceanus qui extenditur inter fines Hiſpaniæ ulterioris, id eſt Africæ, à parte occidentis & inter principium Indiæ, à parte orientis, non eſt magnæ latitudinis. Nam expertum eſt, quòd hoc mare nauigabile eſt paucíſsimis diebus, ſi uentus ſit conueniens, & ideo illud principium Indiæ in oriente non poteſt multum diſtare à fine Africæ, hæc ille. Hoc idem uidetur ſenſiſſe Plinius Libro ſecundo naturalis hiſtoriæ, capite 69. Ariſtoteles etiam in libro de admirandis in natura auditis, de illis ſcriptum ita reliquit: Trans Herculis columnas in eo mari quod Atlanticum dicitur, inuentam quandam inſulam à Carthaginenſium mercatoribus olim fuiſſe inquiunt, à nullis ante id temporis habitatam, præterquàm à feris, & propterea ſilueſtrem admodum & multis refertam arboribus: alioqui fluminibus plurimis ad nauigandum aptiſsimis plenam, ac incredibili quadam omnium rerum naſcentium ubertate profluentem, ſed remotam à continenti plurium dierum nauigatione: ad quam cum nonnulli Carthaginenſium mercatores forte acceſsiſſent, captiq́ eius loci fertilitate

ſtate ac aëris clementia, ibi ſedem fixiſſent: commotos ob id Carthaginenſes ferunt, ſtatim conſilio publico decreuiſſe, morte indicta, ne quis poſthac illuc nauigare auderet, & qui iam ierant iuſsiſſe ſtatim interfici, ne ipſius inſulæ fama perueniret ad alias nationes, ſubmitterenturq́ alicui fortiori imperio, ac fieret quaſi oppugnaculum quoddam aduerſus eorum libertatem. Proinde compertum eſt ex obſeruatione eclipſis, quæ fuit in menſe Septembri Anno ſalutis 1494. eandem Hiſpaniam inſulam quinq; fermè horarum ſpacio ab Hiſpali, quæ Sibilia eſt diſtare, hoc eſt gradibus 75. ferè. Cuius inſulæ medium continet in poli altitudine 21. circiter gradus. Nauigatur autem ſpacium illud ferè in 40. diebus. Altitudo continentis oppoſiti, cui S. Marthæ nomen indiderunt, circiter graduum eſt 11. Darieni uero terra, & Sinus de Vraba gradus quaſi tenent 5. ferè in altitudine polari, unde longiſsimo tractu occidentem uerſus ab Hiſpali terra eſt, quæ Mexico & Temiſtitan uocatur, in ſuperiori India, quam priores uocauere Quinſay, id eſt ciuitatem cœli eorum lingua.

EVROPAE PARTICVLARIS DESCRIPTIO.

De Inſulis Britannicis.

CAPVT II.

Hybernia, quæ & Irlandia inſula, ab hyberno tempore appellata, maximè pabuloſa, nullum animal noxium gignit, apes non habet, multum fertilis, ſubeſt gradibus 100.54.0.

Anglia, quæ & Albion, inſula Britannica, olim eam inhabitarunt Gigantes, populus intrepidus in bello, optimiq́ Sagittarij, lupos non gignit, nec illatos nutrit, idcirco uagum pecus & ſine cuſtode ſecurum. Eius præcipua ciuitas eſt Cantuaria, quæ apud Ptole. ex coniectura Dauernum uocatur, ſubeſt gradibus 22.30.52.10. Huc adnauigatur ex Callas ciuit. Flandriæ.

Scotia, pars ſeptentrionalior Albionis inſulæ, tenui freto ſiue fluuio ab Anglia diremptą. Natura inuidi & contemptores cæterorum mortalium, plus nimio nobilitatem ſuam oſtentantes, mendaces, nec pacem colunt ut Angli, mendicantes circa diuorum templa, lapides in eleemoſynam à prætereuntibus colligũt ad uſum ignis, nam lignis caret, habet ciuitates præcipuas S. Andreas 16.15.57.50. S. Ioannes 15. 40.59.15.

De Hiſpania.

CAPVT III.

Hiſpania maxima Europæ portio, & prima regio ad occaſum inter Africam & Galliam iacens, Oceani freto & Pyreneis montibus clauditur, terra optimis comparanda. Frugum ibi copia, ut non ipſis populis tantum, uerum etiam Italiæ ad cunctarum rerum abundantiam ſufficiat. Sales ibi nõ coquunt, ſed effodiunt. Minij certe nulla feracior terra, fœminæ eorum res domeſticas agrorumq́ culturas adminiſtrant, ipſi uero armis inſeruiunt & rapinis, hoſti obuiant cantando. Breui utuntur ueſte, ac ut cõmuniter nigra.

Diuiſa

Diuiſa quondam fuit in ulteriorem & citeriorem. Citerior eadem Tarraconenſis ac
Pyrenea uſq; iuga protenditur. Vlterior in duas per longitudinem prouincias, Be-
thicam & Luſitaniam diuiditur. Superioribus uero annis in quinq; regna diuiſa ſci-
licet in Caſtelle, Arragonim, Portugaliæ, Nauarre, & Granate. Caſtelle ſiue Legionis
Tarraconenſis Hiſpaniæ portio, habet præcipuas ciuitates; Toletum 10.40. 37.0.
Salmancam, â Ptole. Salmantica 7.20.38.20. Arragonia, Tarraconenſis pars, habet
præcipuam Sarragoſſam ciuitatem ſub gradibus 18.10.40.40. Portugallia, Luſita-
nia olim dicta, nobile regnum, cuius ſolertia factum eſt, ut ab Hiſpania in Indiam ho-
die nauigetur: cuius ciuitates Lyſibona, apud Ptole. Olioſippon, ab alijs Vlixbona,
ab Vliſſe dicta, ſub gradibus 5.0.36.40: Portugallia ex coniectura â Ptolemæo La-
uara 6.0.39.5. Nauarre Tarraconenſis pars, cuius ciuitas præcipua Pampilona, â
Ptole. Pompelona, ſub gra. 15.40.42.0. Granate, quæ Bethica eſt, præcipuas ciuita-
tes habet Granatum, à Ptole. forte Illipula magna 9.40.34.20. Corduba 7.50.34
25. Sibilia, Ptole. uidetur Iſpalis, ſed quibuſdam Macharana 7.30.35.0. Gallitiæ
Tarraconenſis portionis ciuitates Compoſtellum, à Ptole. ut coniectura capere poſ-
ſumus, Flauium brigantium 7.0.42.15. Cathaloniæ, Tarraconenſis portionis ciuit.
Valentia 14.38.36.10. Tarragona à Ptole. Tarracon. 18.30.38.20.

De Gallia ſiue Francia.

CAPVT IIII.

GAllia poſt Pyreneos montes ſequitur, inter Hiſpaniam Germaniamq;
& duo maria, Oceanum & mare noſtrum ſita. Eſt enim triplex Gallia.
Tonſa ſiue togata, quę & Ciſalpina dicitur, ſed Italię finibus includitur.
Comata cognominatur omnis tranſalpina Gallia, eam in tres prouin-
cias à tribus populorum generibus hiſtorici diuiſerunt, Belgicam uide-
licet, Celticam, & Aquitanicam. Auguſtus uero eam quadrifariam diuiſit, addita Lu-
gdunenſi. Amianus in multijugas prouincias diuidit, utpote, qui primam & ſecun-
dam Lugdunenſem, & primam & ſecundam Aquitanicam faciat. Braccata quæ &
Narbonen. dicitur, hæc eſt quæ Rheno fluuio adiacet, & pro maiori parte lingua
utitur Teutonica. Gallia igitur â candore populi appellata, ueræ pietatis obſeruan-
diſsimi, liberales artes multis curæ exiſtunt, quod Gymnaſia, & præcipue id quod
Parrhiſijs eſt, demonſtrant. Terra hominum, frugumq; ferax. Gallia etiam Francia,
â Francis Germaniæ populis, à quibus olim fere, tota ſubacta eſt, dicitur. Nunc in
multas prouincias diuiſa, ut ſequitur. Vaſconia, Aquitanicæ Galliæ portio, præci-
puam habet ciuitatem Burdigalam ſub grad. 18.0.44.30. Armoniaca Aquitanicæ
Galliæ portio eſt. Languedocha ſiue Tholoſana, olim Braccata, Narbonenſis Galliæ
pars, habet ciuit. Toloſa 22.10.42.50. Narbona 23.30.42.0. Mons Peſſelanus,
Ptole. Agatha 24.30.42.50. Parpiano 23.30.41.15. Prouincia, Narbonen. portio,
has præcipuas habet ci. Arla, â Ptole. Arelatum Colonia 25.50.42.45. Marſilia,
Ptole. Maſsilia 26.30.42.5. Delphinatus Narbonen. Galliæ partis ci. Vienna 26.
0.45.0. Aueniona 25.45.43.15. Sabaudiæ, ſiue Sophoyæ Narbonen. Galliæ ciui.
Lugdunum, Lyon 26.0.45.15. Geneuora, Genff uulgo 28.0.45.45. Burgundiæ
Lugdunen. Galliæ ciui. Digion 25.45.47.0. Turoniæ Celticæ Lugdunen. Galliæ
ciuita. Aurelia, Orliens uulgo 22.0.47.30. Turonia, Tors uulgo 20.15.47.30. Fran-
ciæ Celticæ Lugdunen. Galliæ ciuita. Parrhiſius, â Ptole. iuxta coniecturam Lu-
cotecia 23.0.48.30. Campaniæ Belgicæ Galliæ ciui. Cathalanum, Chalon uulgo
25.30.48.30. Britanniæ Lugdunen. Galliæ ciuit. Nantes 18.15.47.15. Norman-

dia

lliæ Galliæ Lugdunen.ci.Rothomagus,uulgo Roan 21.30.49.30.Pichardiæ Bel-
gicæ Galliæ,modo Germaniæ portio. Flandriæ Belgicæ Galliæ,modo Germaniæ
ci.Gandauũ,uulgo Gendt,à Pto.ex coniectura,Taruanna 52.30.51.15.Calas 24.0.
51.55.Hannonia Belgicę Gallię portio eſt.Brabantię Belgicę Gallię,modo Germa
niæ ci.Antuerpia,uulgo Antorff 26.15.51.15. Bruxella,uulgo Bruſſel 26.15.50.50.
Lotharingiæ Belgicæ Galliæ, modo Germaniæ ci.Metis,uulgo Metz,à Pto.
Mediomatrices 28.30.49.10.Treueris Ptole.Auguſta Treberorum 29.0.49.45.
Vueſtria Belgicæ Galliæ,nũc Germaniæ portio.Iuliaci Belgicæ Gallię,modo Ger-
maniæ,ci.Aquiſgranum,quæ & Corionallum,uulgo Ache,à Ptole.Vegerra 28.45.
50.55.Heluetiorum Belgicæ Galliæ,modo Germaniæ ci.Conſtantia,Ptole.Gano-
durum 31.30.47.30.Turegum uel Tigurinus pagus,uulgo Zurch 31.0.47.0.Al
ſatia,Belgicæ Galliæ,nunc Germaniæ portio,uino eximio nobilis.Germaniæ ſupe-
rioris,Belgicæ Galliæ ad Rhenum ci.Baſilea,à Ptole.ex coniectura.Auguſta rauri-
corum 29.45.47.45.Argentina 30.15.48.45.Spira,à Ptole.Neomagus dicta,31.
0.49.15.Vuormatia,iuxta coniecturam,à Ptole. Ruffiniana 31.20.49.40.Mo-
guntia,à Ptole.Mocontiacum,uulgo Mentz 31.15.50.15.Germaniæ inferioris Bel-
gicæ Galliæ ci.tranſrhenane,Confluentia 30.15.50.20.Colonia,Ptol.Agrippinen-
ſes 29.45.51.0.Campena Friſiæ,uulgo Campen 28.30.52.50.

De Germania magna.

CAPVT V.

GErmania Europæ regio ampliſsima, tota ſeptentrionalis,à Gallis olim
Rheno flumine diuiſa fuit,à Rhetis & Pannonibus Danubio,à Sarma
tis Daciſq; mutuo metu & montibus ſeparata, cætera Oceano ambi-
ente. Hodie extra hos fines,Rhetiam,Vindeliciam, Noricam & ſu-
periorem Pannoniam, Alpes, partemq; Illiriæ, & uſq; ad Tridentina
clauſtra Germania obtinet. Belgarum quoq; ferè tota natio Gallici quondam iuris,
omniſq; Rhenus in Germaniæ nomen,linguamq; conceſsit,ut iam ſe Gallos dici
neſciant,ſi audiant,indignentur. Heluetij quoq; in Germaniæ nomen & linguam,
labente tempore,tranſiere.Itaq; magnam Galliæ tranſalpinæ partem ipſa Germa-
nia ſibi uendicauit.Pruthenos,ferociſsimam gentem,& idolis deditam intra tricen-
teſimum annum ex infidelium manibus milites Teutonici ui & armis rapuerunt,
ubi & lingua Teutonica introducta eſt,& Chriſti cultus genti imperatus, unde ha-
bita ad primæuos illius terminos conſideratione, uidebitur certe illa ſibi ferè plus
ſoli extra uſurpaſſe,quàm intus prius continebat. In duas partes uelut ab initio tota
Germania diuiſa fuit,ut quæ Alpibus propinquior eſt,ſuperior ſit Germania appel-
lata,altera ad Septentrionem atq; Oceanum uerſus, inferior. Durat hæc partitio
ſub Alemaniæ appellatione(quæ à Lemano,qui & lacus Lozamiæ hodie nomina-
tur,ut aiunt, lacu eſt) in hunc uſq; diem, prouincias tam hæc quàm illa multas ha-
bent,inter quas quatuor duntaxat populorum nomina manſere. Saxonum,Friſo-
num,Sueuorum,& Marcomanorum,quos Merhern uocant. Germania hodie regio
adeo amœna eſt, adeo pulcherrimis nitidiſsimiſq; urbibus, caſtris & pagis paſsim
exornata & exculta,ut nec Italiæ,non Galliæ,non Hiſpaniæ ipſa cedat, cœlum ſatis
clemens habet, campi fertilitatem optandam. Sunt colles aprici,nemora opaca,
frumentorum abundantia, uitiferi montes, clariſsimi amnes, Rhenus,Danubius,
Moganus, Albis, Neccharus, Sala, Odera, & multi alij fluuij limpidiſsimi,totam
terram rigantes. Quid quod precia rerum non magis extenduntur in Germa-
nia,quàm alioqui uel in Italia, uel in Hiſpania regionibus fertiliſsimis? Sunt Ger-
manis, quod nemo negare queat, ingenia nouis ſubinde inueniendis diſciplinis
prompta,

prompta, fœliciaꝗ. Machina illa bellica, quam Bombardam hodie uocant, nonne Germanorum inuentum eſt? Atqui illud priſco maiorum noſtrorum ingenio tribuendum: quandoquidem ſemper Germani armorum gloria, exteras gentes longiſſimo interuallo poſt ſe reliquerunt. Inuentum noſtrum eſt Calcographia, quo nihil unquam utilius uidit humanus oculus. Ad quem enim hactenus non redierit tantæ fœlicitatis fructus? Literæ latinæ Græcæ & Hebraicæ, quòd hodie tam florent, cui acceptum referemus? nonne Germanis? præterea in Architectura, itemꝗ in pictura, nullis unquam gentibus inferiores inuenti ſunt Germani. Sed iam regiones eius recenſebimus. Seelandia ultima Germanorum inſularis tellus ſub gradibus eſt 25.0.52.0. Hollandiæ ciuit. Traiectum, uulgo Vtricht, Ptole. Lugodunum æſtimatur 27.15.52.20. Ciſrhenane magnæ Germaniæ ci. Churia, uulgo Chur. 23.0.47.30. Dauentria Vueſtfaliæ 29.0.52 30. Rhetia tenet Algeam & Briſgeam, cuius ci. Friburgum 29.0.46.40. Sueuiæ ſuperioris ci. Auguſta Vindelicorum 34.0.48.5. Sueuiæ inferioris ci. Vlma 33.0.48.30. Nordlinga, à Ptole. putatur Aræ Flauiæ 33.50.48.50. Ducatus Vuirtenbergen. ſubeſt Sueuiæ, ſic ſimiliter Marchia Badena. Comitatus Palatini habet ciui. Heydelbergum, iuxta Ptole. coniecturam Budoris 32 0.49.30. Bauariæ ci. Amberga 34.0.47.15. Monachum, à Ptole. Abudiacũ, uulgo Munchen 35.0.47.50. Saltzburgum 36.30.47.30. Pataùia, Ptole. Beodurum 37.20.48.25. Ratisbona, à Ptole. ab æſtimatione Artobriga 35.40.49.0. Ingolſtadium literarum gymnaſium celeberrimum 34.45.48.30. Aichiſtodium, uulgo Ayſtet 34.40.48.50. Atheſanæ prouinciæ & Tyrolen. ci. Tridentum, uulgo Trient 33.45.45.5. Carinthiæ ci. Villachum, à Ptole. forte Vacorium 37.25.46.10. Croaciæ ci. Agarana 33.20.45.15. Styriæ ci. Greza, Ptole. Sauaria 40.5.46.50. Auſtriæ ci. Vienna. à Pto. forte Iuliobona, florentiſſimo ſtudio celebris ſub gra. 40.40.48.10. Vngariæ ci. Buda, uulgo Ofen, à Ptole. Salna 43.0.46.50. Franciæ orientalis, quæ & Franconia, habet ci. Francophordiam, olim Vſipetes ad Moganum fluuium 31.40.50.10. Herbipolis uulgo Vuirtzburgk, à Ptole. putatur Artaunum 33.30.49.50. Caroloſtadium patria mea 33.25.50.0. Babenberga, à Ptole. Grauionarium æſtimatur, locus ualde amœnus & frugifer 34.30.50.0. Norici ci. Noribergum, Segodunum apud Ptole. centrum ferè totius Germaniæ, urbs præclariſſima. Huius urbis laudes, quia noſtram mediocritatem ſuperare uidentur, ideo cupidum lectorem, uel ad Chunradi Celtis, uel ad Eobani Heſſi poëtarum deſcriptiones remitto. Qui duo, ut ſunt incorrupti rerum laudatores, ita urbem hanc, tanquam in ſpeculo pleniſſime contuendam nobis propoſuerunt. Quum uero uaria ſint urbis huius ornamenta, quibus exteri non raro in admirationẽ rapiuntur, duo tamen ſunt, quibus ſummam ſibi, iure equidem meritiſſimo, laudem uſurpare poterit, nempe, & quòd una eſt, quę iſthoc turbulentiſſimo tempore, exulantes alioqui Muſas tanquam in ſinu ſuo placidiſſimo fouet: & quòd omnes fortunas ſuas pro ruderibus duxerit hactenus, propter Chriſtum, quibus laudibus equidem in terris, nihil unquã accedere poteſt maius, eſt ſub gradibus 34.40.49.30. Boemiæ ci. Praga Ptol. Caſurgis 38.20.50.0. Morauiæ ci. Olmuntza, à Ptole. iuxta coniecturam Eburum 41.0.49.30. Schleſiæ ci. Gorlitium 39.5.50.50. Vuratislauia, à Ptole. Budorgis 41.20.51.5. Haſſiæ ci. Marcheburgum, forte Amaſia à Ptole. 32.10.51.0. Caſsilia, uulgo Caſſel, à Ptole. Stereontium 33.10.51.30. Thuringiæ ci. Erdfordia magna, ſtudio uniuerſali celebris à. Ptole. forte Bicurgium 35.0.51.10. Miſniæ ci. Liptzigum, Gymnaſio literarum multum celebris 36.30.51.30. Vueſtphaliæ ci. Padeborna, uulgo Palborn, à Ptole. Teuderium iuxta coniecturam 32.20.52.0. Monaſteriũ, uulgo Munſter, à Pto. forte Mediolanium 32.0.52.5. Saxoniæ ci. Magdeburgum, à Ptole. Meſouium 36.10.52.20. Brunſchuiga, Ptole. Tuliſurgium 34.40.52.40. Vuittenburga, Pto. Calægia dicta, Gymnaſio florentiſſimo clara, ad Albim fluuiũ ſita. Viros alit cõplures,

non

non tam Chriſtiana pietate,quàm uaria etiam literarum eruditione inſignes. Nam honeſtas diſciplinas omnes,quas cum Græci,tum Latini rerum ſcriptores,ad poſteros tranſmiſerunt,aut callent,aut admirabili ſtudio,ut ſciant,laborant. Illic Theologiæ ſtudium puriſsime iuxta Chriſti ſpiritum tractatur,ſubeſt gra. 36.50.52.0. Premis,uulgo Bremen,à Ptolemæo Fabiranum æſtimatur 32.10.53.40.Luneburgum. 34.45.54,5.Lubechum 35.20.54.50. Marchiæ Brandeburgen. ci. Brandeburgum 37.20,52.40.Berlinum 38.30.52.50.Phriſiæ ci.Groninga 29.50.53.15. Mechelburgen. ducatus ci. Roſtochium à Ptole.Laciburgium 37.10.54.36. Pomeraniæ ci. Stetinum 40.20.54.0.Selandiæ inſulæ ci. Copenhagna 42 30.57. 0. Holſatiæ & Daniæ,quæ & Cimbrica Cherſoneſus eſt,ci.Hamburgum,à Ptolemæo Treua 34. 10.54.30. Schleſuuigum 35.25.55.53. Schondia quam Schondenmarchiam uocant,eam Plinius Scandiam ſcribit,habet regiones multas,quarum Ptole. nec meminit. Veteres eam inhabitabilem concluſerunt propter frigus, quemadmodum propter calorem regiones ſub torrida zona. Hac autem noſtra tempeſtate multum inhabitantur hæ regiones. Sunt autem ſub Schondia hæ regiones: Suetia habet præcipuas ci. Stokholma 59.0.61.0. Vpſalia 57.0.62,30. Nordtuegia, id eſt, ſeptentrionalis uia,habet ci. Nidroſiam 40.0.65.0. Bergim 35. 30. 61. 15. Hethlandia inſula habet ci. Orchadam epiſcopalem 23.0.63.30. Circa eam ſunt inſulæ aliæ 29. Orchades etiam apud Ptole. dictæ,inter quas Thyle,quę Islandia eſt,id eſt, glacialis terra, ſub gra. 20.0.65.0. Gothia,id eſt bona terra,habet ci. Lundis metropolis 45.0.57.30. Gothlandia inſula habet ci. Visbi 56.30. 54.15. Finlandia,id eſt, pulchra terra, habet ci. Domus regia caſtrum 71.15.68.15. Nikirkia, Id noua eccleſia 72.5, 62.10. Bothnia habet ci. Chymene emporium 60.0. 69.20. Gronlandia, uirens terra interpretatur,plus occidentalior,ab arce Vuardhus quę domus præſidij eſt harum regionum,ad terram Baccalaos uſque protenditur. Eſt autem Vuardhus ſub gradibus 49.0.70.30. Poſtea eſt Laponia ingens terra uerſus polum ſeptentrionalem,à populo dicta. Nam ſylueſtres ſunt, qui etiam quotidie ueniunt à ſeptentrionibus terra incognita,ac à mari glaciali,qui & Caroli uocantur, mercimoniarum gratia in Gronlandiam cum exercitu magno,etiam ex altera poli ſeptentrionalis parte.

De Illyri & Dalmatia.

CAPVT VI.

Illyris, quæ & Lyburnia, terminatur à ſeptentrione utraque Pannonia, ab occaſu Iſtria,à meridie mari Hadriatico,ab ortu uero Dalmatia, eius ci. Sara 40.5.44. 9. Dalmatia terminatur à ſeptentrione Sauo fluuio ab occaſu Lyburnia, à meridie mari Hadriatico, ab ortu Myſia ſuperiore. Eius ci. ſunt Raguſia.à Ptole. iuxta coniecturam Epidaurus 45.0.42.20. Durazo 45.55.40.55.

De Italia, Iſtria, Foroiulij, Corſica, Sardinia, & Sicilia.

CAPVT VII.

Italia ab occaſu Alpium iugis terminatur & Thyrreno pelago, quod etiam mare Tuſcum ac Inferum dicitur,à ſeptentrione alteris Alpium iugis,quæ Rhetiæ atque alijs ſequentibus nationibus imminent,ab ortu Hadriatico mari,quod nunc Venetum uocant, olim à Romanis ſuperum uocabatur. Denique à meridie mari Siculo. Hæc omnium regio-

num præclariſsima, metallis grauida, ubiꝗ uitalis & perennis ſalubritas, eximia cœli temperies, campi fertilitas, eam Apenninus mons ab Alpibus procedens, per medium ſecernit, flumina & fontes ſaluberrimos tenet. Eius prouinciæ ſunt;

Iſtria peninſula, Italiæ portio, præcipuas ci. habet Parentium 36,40,44,40. quidam tamen adponunt eam Germaniæ magnæ. Forumiulij, ſiue Aquilegia, quondam Carnorum habet ci. Aquilegiam coloniam olim Illyricorum, uulgo Aglar 36,55, 45, 10. Longobardia habet ci. Mediolanum 32, 45, 44, 45, Genuam 31,30,43,15, Niſam à Ptole. iuxta coniecturam Niceam 29,30, 42, 40. Marchia Teruiſiana, olim Venetiana, præcipuas tenet ci. Venetiam 35 30 44 55. Marchia Anchonitana, olim Picentium ci. habet Rachanacim 37. 55. 43. 45. Anchonam 37. 30. 43. 40. Flamminea, uel Romandiola, olim Gallia togata, ci. habet Bononiam ſub gra. 36. 5. 45. 55. Ferrariam 35. 5. 44. 20. Tuſciæ ci. Viterbium 36. 50. 42. 10. Florentia 35. 20. 43. 10. Latij ſiue Latinorum ci. Roma 37. 30. 41. 45. Aprutiorum ci. Aquila 39. 5. 42. 30. Campaniæ ci. Neapolis, quondam Parthenope 40. 20. 41. 0. Apuliæ & Calabriæ, olim magnæ Græciæ ci. Brunduſium 42. 30. 39. 40.

De Sarmatia Europæ, Taurica cherſoneſo, Iazygibus metanaſtis, Datia, duabus Myſijs & Thracia.

CAPVT VIII.

SArmatia Europæ, terminatur à ſeptentrione Oceano Sarmatico, ab occaſu Viſtula fluuio, & Germania à meridie Iazygibus Metanaſtis, Dacia, ac Myſia inferiore, ab ortu Sarmatia Aſiatica, fluuio Tanai, Meotideꝗ palude, eas gentes aliqui Scythas nominabant. Hæc in multas regiones diuiſa eſt, nam olim etiam Getæ dicti. Eſt regio latiſsima, ſine decore urbium ac ingeniorum. In hac ſunt multa deſerta, ideo non populoſa. Campi lati, ex quibus flumina nobiliſsima profluunt, Tiras der Neſter, Boriſthenes der Neper, Tanais der Don, Rha & Czuuina, ac multi alij.

Ruſſia rubea, olim Roxolania ci. habet Leoburgum, uulgo Lemburgk 50. 45. 50. 30. Poloniæ ci. Cracouia, à Ptole. Carodunum 44. 30. 50. 15. Pruſſiæ ci. Dantiſcum 46. 0. 54. 55. Liconiæ ci. Riga metropolis 51. 0. 56. 0. Lithuaniæ ci. Vilna, uulgo zur Vuilde 58. 0. 54. 0. Moſcouia, regio longiſsima eſt, ſermo eorum Ruthenicus & Sclauonicus eſt, habet permaximam eiuſdem nominis ciuitatem, quam aliqui uocant Moskauam, ſedes Moſcauuitæ ſub gra. 69. 0. 57. 0. Hæ regiones annumerantur Germaniæ magnæ. Tauricæ cherſoneſus, hodie minoris Tartariæ ci. Caffa 61. 15. 47. 20. Iazygis Metanaſte, modo ſeptem caſtra, uulgo Sibenburgen qui Germaniæ annumerantur, ci. Clauſenburgum, à Ptole. forte Gormanum 47. 30. 47. 36. Hermanſtadium 46. 27. 46. 48. Dacia, quæ modo Vualachia magna & Tranſiluania eſt, à ſeptentrione habet Sarmatiam Europæ, ab hoc occidente Lyburniam ab oriente Pontum Euxinum, à meridie uero Macedoniam. Danubius fluuius totam hanc regionem irrigat. Vualachiæ magnæ ci. Album Caſtrum 55. 45. 48. 0. Kylia 55. 25. 47. 0. Myſiæ inferioris, quæ & modo Bulgaria & Raſcia eſt, ci. Adrianopolis 50. 18. 42. 45. Myſiæ ſuperioris, quæ modo Seuia & Boſſina ci. Bellogradum, ſecundum quoſdam Nonderalba, uel Alba græca, uulgo Kriechiſch

Weiſſenburgk

Weiſſenburgk 44.40.44.40. Thracia à ſeptentrione habet Bulgariam & Raſciam, ab occaſu Seruiam & Boſſinam, à meridie mare Egeum, ab ortu Boſporum thracium, ac Propontidem. Hæc modo Græcia dicta, eius ci. Conſtantinopolis, à Ptole. Byzantium 54.45.43.5.

De Macedonia, Epiro, Achaia, & Peloponeſo.

CAPVT IX.

MAcedonia, limites habet à ſeptentrione Myſiam ſuperiorem, & Thraciam, ab occaſu Hadriaticum mare, à meridie Epirum, & Achaiam, ab ortu Egeum pelagus. Ea tota natio modo Græcia eſt, rebus geſtis, & regum nobilitate præclariſsima, eius ci. Philippi 50.0.42.30. Salonica, quæ & Theſſalonica, habet gra. 49.0.41.0. Epirus à ſeptentrione terminatur Macedonia, ab occaſu & meridie mari Ionio ſiue Hadriatico, ab ortu Achaia, ci. habet Nicopolim, olim Ambracia dicta ſub gra. 47. 30.38.30. Achaia ab occaſu habet Epirum, à ſeptentrione Macedoniam, ab ortu mare Egeum, à meridie Hadriaticum & Creticum pelagus, ci. eius Athenis 52. 45.37.20. Megaris 52.15.37.30. Peloponeſus, hodie Morea dicitur, limites habet à ſeptentrione Corinthiacum ſinum, Iſthmum, & Creticum pelagus, ab occaſu atq; meridie Hadriaticum pelagus, ab ortu Creticum mare. Hæc toto orbe peninſula maxime celebris habetur, habet ciuitates Corinthum 51.10.37.30. Modonam 48.30.26.0.

De Inſulis Europæ.

CAPVT X.

DVæ Inſulæ Baleares olim dictæ, minor & maior, quæ hodie etiam inde Minorica ac Maiorica uocantur, Hiſpaniæ adiacent, Maiorica quidem in gradibus 17. 40.38.30. Minorica uero ſub gra. 20. 0. 3. 90. Gadira quæ modo Gades eſt Inſula, ibidem in Oceano extremo poſita, ſub grad. 5.30.34.0. Cyrnos, quæ & Corſica Inſula maris mediterranei, habet ciuitates Nebiam, quæ à Ptolemæo Ceriunum eſt, ſub grad. 31.0.40. 40. Sardinia, uetus nomen ſeruans, Inſula maris etiam mediterranei, habet præcipuam ci. Sardos, quæ Ptolemæus Turris biſſonis uidetur. 30.20.38.50. Sicilia triquetra Inſula, Italiæ olim coniuncta. In hac eſt mons Aetna incendio memorabilis, habet ci. Syracuſas ſub grad. 37.20.35.30. Eubœa, nunc Nigropont Inſula, Achaiæ adiacet, ſub gra. 54.0.38.0. Creta Inſula hodie Candia dicta, multum celebris ſita ſub grad. 55.0.35.20. Cyclades inſulæ Circa Delum in circulo poſitæ ſub gra. 56.10. 37.20. Sporades inſulæ ibidem undiq; per mare diſperſæ, de his Plinius libro quarto capite 12 copioſiſsime.

DE GLOBI TERRESTRIS

AFRICÆ PARTICV-LARIS DESCRIPTIO.

De Mauritanijs duabus, Tingitana & Cæſarienſi, Africa minore, Cyrenaica, Marmarica Lybiæ & Ægypto.

CAPVT XI.

MAuritaniæ duæ, Tingitana ſcilicet, & Cæſarienſis, ac Africa minor re-
giones ſunt Africæ, ſecundæ portionis terræ, noſtra lingua Mauren-
ſen & Moruſcken landt dictæ. Nigros producunt homines, etiam fe-
ras Simeas, dracones & Strutiones, ibi ſponte naſcuntur omnia gene-
ra fructuum, producunt etiam arbores odoriferos Cupreſſo ſimiles,
Euforbium in copia ibidem. Hæ regiones ad ſeptentrionem habẽt Fretum Hercu-
leum & Africanum, ad occaſum Oceanum occidentalem, ad ortum Cyrenes, ad me
ridiem uero Getuliam, & Lybiam internam. In Mauritaniam Ptolemæus duos
montes Athlantes poſuit, maiorem ſcilicet & minorem, maioris Athlantis promon
torium Caput de non hodie uocatur. Omnes hæ regiones ſub nomine Barbaria
comprehenduntur. Eſt autem Mauritahia regnum magnum & ditiſsimum, ſub ſe
etiam regnum Feſſe, ac eiuſdem nominis præclariſsimam ciuitatem habens ſub gra
dibus 10.0.30.0. In alijs autem ſupra enumeratis regionibus hæ ſunt ci. Hippa 20.
15.29.50. Tripolis 38.0.19.50. Conſtantina 31.0.30.10. Tagura 44.0.25.0. Car-
thago 34.40.31.50. Cyrenaica plurimas beſtias gignit, inter quas leones principa-
tum tenent. Onagros atq; ſerpentes ac Baſiliſcos procreat, copiá ibidem illuſtrium
ſimearum. Marmarica Lybiæ, in certis locis frugifera, ligna precioſa producit, Cu-
preſſum, Sandalum, Muſcatum, Leones, Pſitacos, Syraffiones, Plemelilas. Aegyptus
cœli imbribus inſueta, pluuiarum expers. Nilus fluuius eam præterlabens irrigat,
& ſua inundatione fœcundat, unde & ferax frugibus, cæterorumq; negociorũ adeo
eſt copioſa, ut neceſſarijs mercibus impleat pene orbem. Hæ regiones à ſeptentrio-
ne terminantur mari Aegyptiaco & mediterraneo, ab occaſu Africa minore, ab or-
tu Iſthmo Iudaico & mari rubro, à meridie uero Aethiopia ſub Aegypto & Lybia
interna. Ciuitates habent præcipuas Ammon 65.30.28.0. Oaſſis magna 59.20.26.
55. Alexandria 60.30.31.0. Memphis 62.50.29.50. Alkeyro, ſiue Chayrum, à Pto-
lemæo iuxta coniecturam Babylonia uocata 62.15.30.0. Syene 62.15.23.50.

De Lybia interna Æthiopia ſub Ægypto, ac Æthiopia auſtraliſsima.

CAPVT XII.

LYbia interna terminatur à ſeptentrione duabus Mauritanijs, Afric[a]
atq; Cyrene, ab ortu Aethiopia quæ ſub Aegypto eſt, ab occaſu Oce-
ano occidentali, à meridie uero Aethiopia interna, in qua eſt Agiſim-
ba regio. Sunt ibi magnæ ſolitudines & deſerta, in quibus ſunt Leo-
nes, Pardi, Tigrides, Elephantes, Leopardi, Syraffiones, Strues, Pa-
pagalli, Serpentes & formicæ miræ magnitudinis. Habet regiones, Garamantes

Aethiopes

Aethiopes, ubi nunc eſt regnum Opguene, ubi auri copia. Senegam regionem & fluuium maximum eiuſdem nominis, cuius populus Azanegorum gentes uocantur, ſubcinericij coloris ſunt. Id autem ante omnia miratu dignum eſt, quod trans flumen memoratum homines ſunt nigerrimi, & proceræ ſtaturæ, ac habiliſsimi corporis, & omnis illic regio uiret, ac uernat pomiferis arboribus referta, ac circa fluuium contrarias uices cernes, uidelicet homines ſubcinericij coloris, ſtaturę contractioris. Hoc flumen ferunt à Nilo deriuari, eaſdem uices cum Nilo habens, ut ille Aegyptum, ita hic Aethiopiam reddit irriguam. Getuliam regionem Heſperos, Aethiopes, prouinciam Tambutu. Ciuitates autem pręcipuas Tagazam 7.0.15.40 Tuchororam 12.30.16.0. Tambutum 15.0.15.40. Aethiopia ſub Aegypto, habet terminos, à ſeptentrione Aegyptum & Marmaricam Lybiæ, ab occaſu interiorem Lybiam, à meridie exteriorem Aethiopiam, ab ortu Arabicum ſinum, ſiue mare rubrum. Eius ſunt regiones Pharazata regio. Nubia regnum potens, & magnum, eius populus Chriſtianus eſt, nam Iacobini ſunt, circumſionem obſeruant more Saracenorum, ferro in facie cremantur, quo originali peccato mundari ſe credunt, nec mutuo confitentur, ſed Deo. Meroe regnum, quod & Saba olim dicebatur, Inſula eſt Nili fluminis, Regnum Habeſch, uel Habaſſiæ, ubi potentiſſimus rex, quem nos presbiterum Iohannem dicimus, dominium obtinet, qui & Indiæ dominus dicitur. Chriſtiani ſunt Abaſini, conficiunt ſub utraqȝ ſpecie, circumciſionem obſeruant, baptiſantur aqua & igne, infantibus ſacramentum adminiſtrant. Scyla ſiue Zeyla, regnum magnum ad mare rubrum, Machometani ſunt Azania regio, Melinde regio, bonorum fructuum feraciſsima, habet proprium regem. Quiola uel Cayla, regnum ditiſſimum. Cinomifera regio. Harum regionum ciuitates ſunt, Beritis 60.40.21.30. Cambyſis ærarium 60.0.18.0. Meroe 61.30.16.25. Hamaharicca regalis presbyteri Iohannis, à Ptole. Auxuma ex coniectura 65.0.9.0. Maſta 67.30. Auſtrales 4.15. Quiola à Ptole. Rapta metropolis, 76.30. Auſtrales 7.30. Sabath 67.30.12.30. Mombaza, à Ptole. Tonica uel Nici emporium 79.0. Auſtrales 6.0. Melinda, à Ptole. ex coniectura Apocopa dicta 82.30.2.0. Moſylum promontorium & emporium, nunc uero Cauaquin 80.0.9.50. Babel Mendap. Ibi ſunt anguſtiæ maris rubri, quod nunc ſtrictum de Mecha dicunt, à Ptole. uero Dera ciuitas in monte 74.50.11.0. Aethiopia omnibus his auſtralior, à ſeptentrione habet Lybiam internam, & Aethiopiam ſub Aegypto, ab occaſu Oceanum occidentalem, à meridie uero Ptole. incognitam terram, ab ortu Sinum Barbaricum. In hac montes Lunæ ſunt, ex quibus Nili paludes originem trahunt. Extremum Ptolemæo cognitum Praſſum promontorium, uerum noſtra ætate tota hæc portio à Portugalenſibus inuenta eſt. Nam ad auſtrum protenditur ad 36. ferme gradus. In hac ſunt regiones multæ, nam ad occaſum Gambra regio, in qua Zibetum reperitur, & uaria genera ſimearum, gentes ſunt idolatræ ac Sarcophagi. Beſigna, Ginoia quam Genneam dicunt, latiſsima ſunt regna. Melli regnum & Nebeorum eſt, ibi Rinocerotes, Tigrides ac Elephantes gignuntur. Regio magna Aethiopum, in qua Elephantes albi, etiam Rhinocerotes & Tigrides, ibi Mamonetum animal, de genere Simearum. Harum ciuitates ſunt, Goia 60.50. Auſtrales 19.50. Garma 57.0. Auſtrales 24.0. Bali 70.0.21.4. Melli 33.0.16.30.

De Inſulis circa Africam.

CAPVT XIII.

POrto ſancto Inſula in Oceano occidentali ſita ſub gradibus 0. 35. 31. 30. Medera Inſula ibidem, quæ à Portugalenſibus primum inhabitatur circa annos Chriſti 1455. Frugifera ualde omnis generis ſpecierum, Zuccari, Mellis, Ceræ, Oriſellæ herbæ, tincturæ utilis, quæ cum Medera olim Gorgodes erant dictæ, ſubeſt gradibus 358.40.29.50. Canariæ inſulæ numero 10. à Ptole. olim Fortunatæ dictæ ſunt, ſub gradibus 1.30.23.30. Caput Viridum promontorium eſt, olim Heſpherides inſulæ in Oceano occidentali ſub gradibus 357. 0.12. 30. Tres inſulæ in Oceano occidentali, ubi noua nauigatio uerſus meridiem flectitur, proxima continenti, Alba ſita ſub gradibus 37.20.4.0. Sequens eam Principis inſula dicitur, ſita ſub gradibus 35,0.2.0. Vltima earum plus auſtralior S. Thomæ inſula eſt, ſub gradibus 32.30.0.30. Hæ tres inſulæ circa annos Chriſti 1484. primum inhabitantur à Portugalen. Madagaſcar inſula, quę & S. Laurentij, uel etiam S. Georgij inſula uocatur ad mare Praſſodum poſita, ibi tempore Iohannis de monte uilla, reperiuntur homines capita habentes canina, polus Arcticus ibi minime conſpicitur, quare huc nauigantes Aſtrolabijs utuntur, nam magnes ibidem uirtute ſua priuatur, ſunt Machometiſtæ, ſitus eius eſt ſub gradibus 85.30.20.0.

ASIÆ PARTICVLARIS DESCRIPTIO.

De Ponto ac Bithynia, Aſia proprie, Lycia, Galatia, ac Paphlagonia, Pamphilia, Cappadocia, Armenia minore & Cilicia.

CAPVT XIIII.

POnti ac Bythyniæ termini ſunt, ab occaſu Boſphorus Thracius, & Propontidis pars, à ſeptētrione Pontus Euxinus, ab ortu Galatia, à meridie regio, quæ proprie Aſia minor dicitur, olim Bebrycia, deinde Mygdonia, ipſa eſt minor Phrygia, quæ hodie Natulia uocatur, urbium diues, & opulenta rerum, eſt ſub Imperio Turci. Eius urbes Nicomedia 56.0.42.40. Apamia 55.30.42.0. Heraclea ponti 58. 50. 43. 30. Nicea, Golia modo 58.0.42.15. Aſia proprie, habet à ſeptentrione Bithyniam, ab occaſu Propontidem, Helleſpontum, ac Egeum pelagus, quod ijs in locis Icarium ac Myrtoum dicitur, à meridie Rhodienſe pelagus, ab ortu Lyciam, Pamphyliam, ac Galatiam. Compræhendit autem Aſia hæc Phrygiam magnam, Cariam, Myſias duas, maiorem & minorem, Atoliam, Ioniam ac Doridem regiones. Hæc hodie cum adiacentibus regionibus, magna Thurcia dicitur, quæ populoſa eſt, uariarum ſectarum Turcorum, Græcorum, Iacobitarum, Armeniorum, ciuitates habent Ilium, hodie Troia, ſub gradibus 55.50.41.0. Epheſus 57.40.37.40. Pergamum 57.35.39.45. Thyatira 58.0.39.40. Sardis 58.40.38.15. Philadelphia 59.0.38.50. Laodicæa 59.15.38.40.

Lycia terminatur ab occaſu & ſeptentrione regionē, quæ proprie Aſia dicitur, ab ortu Pamphylia, à meridie mari proprio. In ea fluuius uulgatiſsimus Xantus eſt, urbes præclaræ ſunt. Patara 60.30.36.10. Myra 61.0.36.45. Galatia, limites habet ab occaſu Bithyniam, & partem Aſiæ proprie, à meridie Pamphyliā, ab ortu

Cappa-

Cappadociam : à Septentrione Pontum Euxinum. Ad Pontum Euxinum Paphlagonia regio ſita eſt, Galatæ à Celtis oriundi, quos Græci Galatas, Latini Gallos dixerunt, ad hos Diuus Paulus ſcripſit. Eam quidã Gallogræciam uocant, ſub magno Thurca eſt. Eius ciuitates ſunt Sinope 63.30.43.0. Amiſus 64.30.43.5. Pompeiopolis 62.0.42.0. Laodicæa 62. 0.39.40. Appolonias 61.40.39.45. Pamphylia terminatur ab occaſu Lycia ac Aſia: à ſeptentrione Galatia: ab ortu Cilicia & Cappadocia: à meridie Pamphylico mari, Sub Turca ſunt, urbes eius (de quibus in Actis Apoſtolorum habetur) ſunt perga 62.15.36.55. Attalia 62.15.36.30. Cappadocia terminatur ab occaſu Galatia: à Meridie Cilicia, ab ortu Armenia minore, & ſuperne etiam maiore: à ſeptentrione Ponto Euxino. Clariſsimę eius ciuitates ſunt. Trapezus, quæ & Trapezonda 68. 50. 43. 5. Themyſcyra 65.10.43.5. Amaſia, Strabonis patria 64. 30. 42. 0. Armenia minor, à Septentrione & occaſu habet Cappadociam : ab ortu Armeniam maiorem, diſtinctam ab ea Eufrate flumine, à meridie Ciliciam. Hæc etiam Ararath dicta, à montibus eius celeberrimus, de quibus in libris regum. Fertur etiam in ijs montibus Archa Noe quieuiſſe diluuio finito, præclaras habet ciuitates, Satalam 69.50.42.10. Nicopolim 69.20.41.40. Melitenam 72.0.39.10. Nyſſam 69.20.38.40. Cilicia terminatur ab occaſu Pamphilia, à ſeptentrione Cappadocia, & minore Armenia, ab ortu montanis Syriæ: à meridie mari Iſsico. Eius urbes præclarę, Tarſus Diui Pauli patria 67.40.36.50. Pompeiopolis 67.15.36.40.

De Sarmatia in Aſia, Colchide, Iberia, Albania, & Armenia maiore.

CAPVT XV.

SArmatia Aſiatica terminatur à Septẽtrione terra incognita Ptolemęo, ſed nunc ultra ad Septentrionem terra eſt, ut in globo Geographico cernere licebit: ab occaſu Sarmatia Europæ, Tanai fluuio, Meotide palude, ac Cimmerio Boſphoro, à meridie Euxino mari, Colchide, Iberia, ac Albania, ab ortu Scythia intra Imaum montẽ, & mari Caſpio. In hac ſunt Amazones. Hæc hodie Tartaria dicitur, nam etiam ſub magno Tartaro, uulgo Cham dicto, ſunt. Nominantur autem omnes ſeptentrionaliores paſsim Scythę. Huius regiones ſunt, Ruſsia alba, Caſſana, Cremania, Bulgaria magna, Alania, Ylandia. Ciuitates autem habet Sala 84. 30. 54. 55. Tyramba 68. 30.49. 15. Euanthia dicta 68. 40. 47. 15. Colchis inter montana poſita, hodie Ziquia dicta, magnæ Tartariæ portio, celebrem habet urbem Dioſcuriam 69.0. 46.45. hodie Negropontina dicta. Iberia etiam undiq; montibus ſepta, terminos eius conſtituunt. Albania montibus ſepta, à Septentrione habet Sarmatiam, quemadmodum & Iberia, ab occaſu Iberiam, ab ortu mare Caſpium, à meridie Armeniam maiorem, ſicut & Iberia, urbem clariſsimam habet Gætaram 85.5. 46.0. Armenia maior, terminatur à Septentrione Colchide, Iberia ac Albania, ab occaſu minore Armenia ac Eufrate fluuio, parte etiam Cappadociæ, ab oriente mari Caſpio & Media, à meridie Meſopotamia atq; Aſſyria, hæc hodie Georgia & Moſalia eſt. In ea ſunt 18. epiſcopatus, ſunt Chriſtiani ſciſmatici, omnis populus tonſus ut clerici apud nos. Iacobitæ ac Neſtoriani ſunt, ſub Patriarcha qui Catholica dicitur. In hac oritur Eufrates, Araxas & Tigris fluuij uulgatiſsimi. Omnes hæ regiones magnæ Tartariæ adnumerantur, urbes præclariſsimæ ſunt

Thelbalana 76.15.39.50. Tiniſſa 73.30.41.0. Triphelis, à Ptolemæo forte Thalina 74.30.41.45.

De Syria atq; eius partibus, Phœnicæ, Caua Syria, Paleſtina Iudæa. Arabia petrea, Meſopotamia, Arabia deſerta, ac Babylonia.

CAPVT XVI.

SYria terminantur à Septentrione Armenijs: ab occaſu Syriaco pelago: à meridie Iudæa Paleſtina: ab ortu Arabia deſerta, Meſopotamia ac flumine Eufrate. Sub ea Phœnice & Caua Syria compræhenditur. Eam minus iuſte quidam Curuam Syriam dicunt. In ea ſunt montes Carmelus, Lybanus & Antilibanus, urbes habet Antiochiam 69.0.35.30. Tyrum 67.5.33.18. Sydonem, quæ olim Sichem dicta, 67.30.33.30. Seleuciam 67.30.32.50. Damaſcum 69.0.33.0. Paleſtina Iudæa pars Syriæ, habet à Septentrione Phœniciam: ab oriente atq; meridie Arabiam petream: ab occaſu Syriacum pelagus. Ipſa etiam Samariam ac Galilæam complectitur. In ea Iordanis fluuius, qui Geneſar lacum effundit, qui deniq; in Aſphaltida labitur, quod mare mortuum uocant, quod ferax eſt bituminis, quod ſolo filio per menſtruum ducto, diuidi poteſt. Ibi Tyrus ſerpers. In ea eſt terra, quam Sanctam uocant ſacræ literæ, diuiſa in 12. tribus Iſrael, cuius longitudo eſt à Dan ad Berſaben, latitudo ab Ioppe ad montana, quæ undiq; Iordani imminet ab Arabibus. Ciuitates eius præclariſsimæ. Hieroſolyma quæ olim Aelia 65.45.31.22. Cæſaria Stratonis 67.55.33.0. Ioppe nunc Iaphet ſiue Iaffa 65.45.31.55. Arabia petrea, terminatur ab occaſu Aegypto: à Septentrione Paleſtina Iudæa: à meridie interiore ſinu Arabico: ab ortu Arabia fœlice ac deſerta. Hæc olim Nabathea dicebatur, per huius partem filij Iſrael ex Aegypto in terram ſanctam uenerunt. Ciuitates eius ſunt Petra 66.45.30.20. Elim 63.45.29.50. Pharan 64.40.29.20. Madian 65.40.29.15. Meſopotamia finitur à ſeptentrione Armenia maiore: ab occaſu Eufrate flumine ac Syria: ab ortu Aſſyria per amnem Tigrim: à meridie partim Arabia deſerta, partim Babylonia per Eufraten flumen. Hæc regio, quod inter duos fluuios Tigrim ac Eufratem media ſit, Meſopotamia & hodie Hallapia eſt dicta. Moſes Geneſeos capite 11. illam Aran uocat, urbes præclaras habet Carre 37.45.36.10. Edeſſa Abgari regis ciuit. 72.30.37.30. Niſibis 75.10.37.30. Arabia deſerta habet à ſeptentrione Meſopotamiam: ab ortu Babyloniam: à meridie fœlicem Arabiam, ab occaſu Syriam ac Arabiam petream, arenoſa eſt & aquarum expers, habet multas ſolitudines. Babylonia quæ & Chaldæa eſt, habet à ſeptentrione Meſopotamiam, ab occaſu Arabiam deſertam, ab ortu Suſianam, à meridie Sinum Perſicum. Vrbes eius clariores ſunt, Vrchoa, quæ apud Ptole. Orchoa patria Abrahæ, Geneſeos capite undecimo 78.30.32.40 Babylon 79.0.35.0.

De Aſſyria, Suſiana, Media, Perſide, Parthia, Hyrcania, duabus Carmanijs, ac Arabia fœlice.

CAPVT XVII.

Aſſyria

ASſyria finitur à ſeptentrione Armenia maiore, ab occaſu Meſopotamia & Tigri flumine, à meridie Suſiana, ab oriente Media. In hac Ninus urbs eſt, quæ & Niniue, ſed nunc Baldach dicta. In eâ reſidet Calyphus papa omnium Sarracenorum, tributum magno Tartaro perſoluens, ſita ſub gradibus 78.0.36.40. Media terminatur à ſeptentrione Caſpio mari, ab occaſu Armenia maiore & Aſſyria, à meridie Perſide, ab ortu Hyrcania & Parthia, urbem habet præclaram Ecbatana, quæ à Ptole. Acbatana, eam Arfaxat rex Medorum fundauit, de quo Iudith capite primo 88.0.37.45. Suſiana habet à ſeptentrione Aſſyriam, ab occaſu Babyloniam, ab ortu Perſidem, à meridie Sinum Perſicum. Hæc hodie Corozane regnum continet, ciuitates præclaras habet Sambragatam, quæ iuxta Ptole. Suſa eſt 84.0.34.15. Craſſana, apud Pto. Agra 80.30.33.45. Hæc regalis eſt, & una ex qua Magi ad Chriſtum uenerunt. Perſis terminatur à ſeptentrione Media, ab occaſu Suſis, ab ortu Carmanijs duabus, à meridie Sinu Perſico. Hi â Medis in ſe & Suſa retulérunt regnum, lapidemq́ gignit Pyritem, manum prementis urens. In hac primum orta eſt ars magica, hanc Nemroth gygas poſt confuſionem linguarum adijt, præcipuas habet ciuit. Perſopolim, uictoria S. Georgij clara 91.0.33.20. Bahagdad, à Ptole. Toaca putatur 89.0.30.20. Baſſera maritima, à qua mare hoc nomen accepit 18.20.29.50. Parthia, ab occaſu Medos habet, à Septentrione Hyrcaniam, ab ortu Ariam, à meridie deſertam Carmaniam. In hac ferunt eſſe manſionem Ciconiarum, poſtquam à nobis recedunt. Hyrcania terminatur â ſeptentrione Hyrcano pelago, ab occaſu Media, â meridie Parthia, ab ortu Margiana. Ferax Tigridum. Vrbem præclàram habet Hyrcanam 98.30.40.0. Carmania deſerta, ab occaſu Perſidem habet, à ſeptentrione Parthiam, ab ortu Ariam, â meridie alterã Carmaniam. Carmania altera, terminatur à ſeptentrione Carmania deſerta, ab ortu Gedroſia, ab occaſu Perſide & ſinu Perſico, à meridie Indico pelago. Hæc hodie Magoliſta dicitur, nunc etiam ſub imperio Perſarum eſt, urbem habet præclaram Arcinum emporialem ſub gradibus 96.30.23.0. Arabia fœlix, à ſeptentrione habet petream atq; deſertam Arabias, ab occaſu Sinum Arabicum, à meridie mare rubrum, ab ortu Sinum Perſicum, & mare rubrum, hæc à ciuitate Gydda uſq; ad Adem Leaman terra eſt. In hac Saba regia eſt ſub gra. 76.0.13.0. Mecha domicilium Mahometi 72.15.23.0. Adem à Ptole. Arabia emporium eſt 79.20.11.50. Gydda, à Ptole. forte Badeo 70.0.20.15.

De Margiana, Bactriana, Sogdiana, Sacis, duabus Scythijs ac Serica.

CAPVT XVIII.

MArgiana habet ab occaſu Hyrcaniam à ſeptentrione Scythiam intra Imaum montem, à meridie Ariam, ab ortu Bactrianam. In ea Maſſagete & Tapuri populus. In hac Noij Imperator potentiſsimus morã agit. Bactriana terminos habet ab occaſu Margianam, à ſeptentrione & ortu Sogdianam diuiſam ab ea Oxo amne, â meridie Ariam & Paropaniſadas, gignit Camelos præduriſsimis ungulis, quas nunquam atterunt, urbem præclaram habet Bactra, huius regionis Metropolim & regiam ſub grad. 116.0.41.0. Sogdiana terminatur ab occaſu & ſeptentrione Scythia intra Imaum montem, ab ortu Sacis, à meridie Bactriana & India. In eà regione duæ ſunt Alexandriæ. Oxiana 113.0.44.40. Vltima Alexandria, hactenus Alexander

magnus exercitum duxit 122.0.41.0. Omnes hæ regiones ſub Tartaria Coraſine comprehenduntur. Sacæ terminantur ab occaſu Sogdiana, à Septentrione Scythia intra Imaum montem, ab ortu Scythia extra Imaum montem, à meridie India intra Gangem, regio Nomadum eſt, ciuitates non habuerunt tempore Ptolemæi, ſed ſpeluncas & nemora inhabitabant, omnes hæ regiones ſub Tartariæ Torqueſten nomine comprehenduntur. Scythia intra Imaum montem, ab occaſu habet Aſiaticam Sarmatiam, à ſeptentrione terram Ptole. incognitam, ſed nunc ultra hunc terminum ſunt regna latiſsima Saomedorum ac Paratarum, ab ortu Imaum montem, à meridie Sacas, Sogdianos, & Margianam. Sub hac hodie ſunt Tartaria Cumanię & Coraſinæ, terra etiam Biſerminorum, Kangitarum, Naymanorum & Morduanorum. Scythia extra Imaum montem, terminatur ab occaſu Scythia altera & Sacis, à ſeptentrione terra incognita Ptolemæo, quæ nunc Tartaria Mongalis eſt, ab ortu Serica, à meridie parte Indiæ extra Gangem. Sunt ſub hac latiſsima regione terra Leythaorum, Tangut prouincia, terra Solangorum, Camul prouincia, Chinchitalis prouincia, Burithabet prouincia, Chayra prouincia, Cyamba prouincia magna. Serica terminatur ab occaſu Scythia, quæ extra Imaum eſt, à ſeptentrione atq; ortu terra incognita Ptole. Nunc autem ibidem multæ ſunt regiones, ut Tholoma, Murfuli regio, Caſuaria, à meridie India extra Gangem & Sinis. In hac Iſſedones ſunt, & urbs metropolis Sera ſub gradibus 177.15.38.35.

De Aria, Paropaniſadis, Drangiana, Archoſia, Gedroſia, duabus Indijs, & Sinarum regione.

CAPVT XIX.

ARia à ſeptentrione habet Margianam ac Bactra, ab occaſu Parthiam ac Carmaniam deſertam, à meridie Drangianam, ab ortu Paropaniſadas. In ea eſt Alexandria ab ipſo Alexandro ædificata 110.0.36.0. Parcpaniſade ab occaſu habet Ariam, à Septentrione Bactra, ab ortu Indiam cis Gangem, à meridie Arachoſiam. Drangiana ab occaſu habet Carmaniam deſertam, à ſeptentrione Ariam, ab ortu Arachoſiam, à meridie Gedroſiam. Archoſia terminantur ab occaſu Drangiana, à Septentrione Paropaniſadis, ab ortu India cis Gangem, à meridie Gedroſia. In hac Alexandria eſt 114.0.21.0. hæ regiones hodie ſub Torqueſt Tartariæ nomine compræhenduntur. Gedroſia terminatur ab occaſu Carmania altera, à ſeptentrione Drangiana ac Arachoſia, ab ortu India cis Gangem, à meridie Oceano Indico meridionali, hodie Tarſe, Guzerate & Cambeie regiones, urbem plęclaram habet Parſim metropolim, quæ forte nunc Guzerat dicitur 106.30.23.30. India cis Gangem, habet ab occaſu Paripaniſadas, Arachoſiam, & Gedroſiam, à ſeptentrione Imaum montem iuxta ſuperiacentes Sogdianos ac Sacas, ab ortu Gangem fluuium, ac alteram trans Gangem Indiam, à meridie Indicum Oceanum. In hac Indus eſt permaximus fluuius, à quo India nomen habet, urbem habet uulgatiſsimam Nagaram, quæ & Dionyſopolis, eam quidam Nyſſam uocarunt 121.30.32.30. ualde populoſa eſt. Nam Perſiæ regnum ſe etiam hodie extendit per Carmaniam ac Magoliſtam, aduſq; urbem præclariſsimam huius Indiæ Dabulam ſitam ſub grad. 117. 0. 17. 50. & ab hinc uſq; Cananor ciuitatem, quæ ſita eſt ſub grad. 117.20.14.0. eſt regnum Guzerate, abinde etiam eſt imperium maximum Melybarum, ad Cael uſq; emporium quod ſubeſt grad. 117.30.5.0. Sunt autem ciuit. Melybarum Calicutia emporium Indiæ uulgatiſsimum 117. 20. 12. 5. Cochin uel Coezin 117.25.10.0. Colon regalis

ls 117.10.7.40. Mahabar ſiue Moaber terra à Cael Melybarum ad Baniguellam, iodie hæc tota terra Cholmenda dicta eſt, habet præclaras ciuitates Milipar uel Maylapur ſepulturæ S. Thomæ Apoſtoli clara 128.30.6.0. Peleachet 127.30.11.0. Tarnaſſera quæ & Tanaceri regalis 135.0.15.20. Oriza.141.0.20.15. Ceuulia & Narſinga regna latiſsima, præclaras habet urbes Narſingam regalem 126.0.19.0. Poſt hoc regnum hoc Narſingæ incipit regnum de Otyſa, per quod Ganges fluit, quem Indi Guenga uocant, & omnes à longiſsimis regionibus illac concurrunt in peregrinatione, dicuntq́ſe abſolui à peccatis, ſi in flumine illo abluantur, qui ex Paradiſo ortum habet Biſinagar 122.30.15.0. India trans Gangem, ab occaſu habet alteram Indiam & Gangem fluuium, ad ſeptentrionem Scythiam & Sericam, ab ortu Sinarum regionem, à meridie Indicum pelagus. In hac eſt aurea cherſoneſus, quæ hodie Melacha eſt: hæc India habet ſub ſe Baniguellæ regnum, & eiuſdem nominis urbem præclaram ſub grad. 148. 15. 17.30. Ab hinc ad Siambam uſq; quæ ſita eſt ſub grad. 170.0.2.0. Macyni territorium, continet Peygu & Tenaſſeri regna diuiſsima. Item etiam Tſchernache, Sagmaíj, Murſuli regna. Littorales urbes earum ſunt Amuquida 155.0.14.0. Moíj 156.0.10.0. Melacha ab aliquibus Malaqua uulgatiſsimũ emporium 157.30.7.0. Pego regalis 162.30.2.30. Tholonia 193.0.6.0. Sagmai uel Iamay quidam 182.0.15.0. In mediterraneis Angales 171,30.20.30. Capelanum 165.0.10.0. Sinarum regionem terminant, à ſeptentrione Serica, ab ortu atq; meridie terra Ptole. incognita, ab occaſu India trans Gangem, & magnus Sinus qui hodie mare de Sur uocatur. Regionem hanc Czini uocant regionem, in hac eſt regnum latiſsimum Balba, & magnum deſertum Belor.

De regionibus extra Ptolemæum.

CAPVT XX.

REgiones quæ extra Ptolemæi deſcriptionem ſunt, non adhuc adeo certis authoribus traditæ, nec etiam tanta diligentia deſcriptæ. Ab ortu quicquid rerum ultra Sinas, Seraſq́ ac ultra 180. gradum longitudinis eſt, totum Ptole. incognitum permanſit. Poſt Ptole. uero ultra 180. gradum uerſus orientem multæ regiones repertæ per quendam Marcum Polum Venetum, ac alios, ſed nunc à Columbo Genuenſi, & Americo Veſputio ſocium loca littoralia ex Hiſpaníjs per Oceanum occidentalẽ illuc applicantes luſtratæ ſunt, eam partem terræ inſulam exiſtimantes uocarunt Americam, quartam orbis partem. Modo uero per nouiſsimas nauigationes factas, anno poſt Chriſtum 1519. per Magellanum ducem nauium inuictiſsimi Cæſaris diui Caroli &c. uerſus Moluccas inſulas, quas alíj Maluquas uocant, in ſupremo oriente poſitas, eam terram inuenerunt eſſe continentem ſuperioris Indiæ, quæ pars eſt Aſiæ, in qua immenſa regna, ingentia flumina, multaq́ alia dictu miranda, de quibus partim ſupra mentionem fecimus. Sunt autem hæ huius portionis regiones, Bachalaos, dicta à ... gen...e piſcium ibidem. Bergi regio magna, terra florida, deſertum Lop, & urbs eiuſdem nominis ſub grad. 213.20.48.0. Tomacho prouincia. Sucur, Sampa uel Zampa, Cauul, Tangut, Cuſchin, Cathay, quæ & Culmana, S. Michaelis prouincia, Meſsigo, quæ & Mexico regio, in qua urbs permaxima in magna lacu ſita Temiſtita, ſed apud uetuſtiores Quinſay erat uocata, ſita ſub gra. 226.30.21.0. Raylmana Tebequi regiones, deinde uerſus ortum Temiſcanata, Parias, Dariena, Vrabe, Pariona, Canibales ac aliæ quam plurimæ regiones.

De Inſu-

De Inſulis circa Aſiam ac Indiam, & nouas regiones huius tertiæ orbis partis.

CAPVT XXI.

CYprus inſula maris mediterranei, Syriȩ obiecta ad occidentem. Hanc
Iaphet Noe filius primum inhabitauit, quæ etiam in ſacris literis Cedrin
appellatur, ſita ſub grad. 65.30.35.10. Scotora apud Arabiam fœli-
cem quam Ptole. Dioſcoridem appellauit, nunc etiam Scoyra. Archi-
epiſcopum habet, ibi optimum Siricum, Ambra ac Aloe, ſub grad. 96.
20.12.0. Ormuſa inſula in anguſtijs maris Perſici, olim continens Carmaniæ, nam
apud Ptole. Armuſium promontorium & eiuſdem nominis urbs fuit, ſub grad. 96.
20.19.0. Taprobana hodie Samotra, eſt inſula permaxima Indiæ oppoſita ſub gra.
151.15. ſub Aequatore. Iaua maior 179. 0. 7.30. Auſtrales. Borneo inſula ibi-
dem 178.0.2.30. Auſtrales. Iaua minor ibidem ſub grad. 188. 9. ſub æquatore.
Ambicon inſula 166.0.7.0. auſt. Gelolo, apud alios Syloli uel Solor permaxima
inſula Moluccarum ſub gra. 204.0.1.0. auſtra. Moluccarum reliquarum inſularum
medium eſt ſub grad. 193.0.9.0. Inſulæ Sacrificiorum in oriente 242. 30. 23. 40.
Iucatan inſula ibidem in gra. 257.30.19.0 Cuba ibidem ſub gra. 269. 30. 23. 30.
ſub tropico Cancri ſita. Iamaica 270.0.19.30. Spagnolla 284. 0. 23.0. S. Iuan in-
ſula ibidem 292. 30. 21. 15. Antigliæ inſulæ ibidem circumfuſæ. Vaſandres in-
ſulæ, quæ & Accores, uel Azeres ab alijs dicuntur ſub grad. 331.30.40.0. Reliquæ
ſi quæ ſint inſulæ in globo Geographico inuenies, de quibus lege ſcriptum Petri
martyris Mediolanen. Prothonotarij diuæ Margarethæ Auguſtæ, filiæ Maximilia-
ni Imperatoris.

BRASILIÆ NOVÆ TERRÆ ANnotatio.

BRaſiliæ Auſtralis permaxima regio, uerſus Antarcticum recenter re-
perta, nondũ autem plenè perſpecta, ſe extendens aduſq; Melacham
& quid ultra. Incolæ huius regionis bonæ ac honeſtæ uitæ degunt, ne
ſunt Anthropophagi, ſicuti cæteræ barbaræ nationes, legem non ha-
bent neq; reges, ſed ſeniores uenerantur, & eis obedientiam præſtant
liberis eorum Thomæ nomen imponunt, huic regioni adiacet inſula permaxim
Zamzibar ſub gradibus 102.0.27.30. Auſtrales.

Finis libelli de uſu Globi terreſtris.

GLOBI TERRE-
STRIS SEV GEOGRA-
PHICI DESCRIPTIO.

AD conuexum Globi ſignetur punctus A, é quo duæ aut tres
deſcribantur circulorum circumferentiæ, quarum remotiſsi-
ma in quatuor æquas partes diuidatur in C D E F punctis.
Applicetur autem puncto A cartacea aut plumbea regula,
quæ ſcilicet hinc inde flexibilis ſit, & ex eo per ſingula ſecti-
onum puncta ducantur lineæ, quæ reliquas quoq; in totidem
partes æquales ſecabunt. Hæ deniq; in oppoſitam ipſi A pun
cto partem producantur, finiq; ſectionum harum aſsignetur
3 nota (de hoc conſule deſcriptionē ſtelliferi) Lineę autem ab A in B, bipertiantur in
G puncto, & circini uno pede in A aut B puncta poſito, altero uero in G extenſo
leſcribatur æquator, qui in 360 partes æquales ſecetur, & per ſingula 15 puncta du-
cantur circuli ſecundum quantitatem A G arcus, & hi quidem longitudinum, quo-
um numerus incipiat in C puncto, uergatq; per D E F puncta in C usq;. Porrò
rcus A G B in 180 partes æquales diſpeſcatur, & ex A centro ſuper puncta diui-
ionum per denarium diſtincta, ducantur circuli latitudinum, quorum numerus in
equatore incipiat deſinatq; in utriſq; polis. Iam à polis & æquatore in utramq; par-
em numeretur maxima Solis declinatio, & é polis ſuper terminationum puncta de-
cribantur circuli polares & tropici. Is enim qui circa A polum reperitur, eſt circu-
us arcticus, qui autem in eius oppoſito, antarcticus, Tropicus quoq; inter æquato-
rem & A notam eſt Tropicus Cancri, reliquus uero Capricorni. Deinde A G B
rcus ſeorſim in linea fiduciæ diuidatur in partes 180 æquales, ſicut antea de arcu
AGB dictum eſt, quæ affigatur polis Globi, huius autē numerus, ut in arcu AGB, â
G puncto polos uerſus ambulet. Tabulæ igitur regionum longitudinum latitudi-
numq; locorum terreſtrium partes indicabunt. Numeretur itaq; longitudo loci in
equatore, finiq; computationis applicetur fiduciæ regula, in qua latitudo loci cū par-
e ſua numerabitur, in quadrante quidem A G, ſi ea ſeptentrionalis fuerit, aut G B,
ì meridionalis, terminoq; huius in globo aſsignetur punctum, cui loci nomen a-
cribatur. His igitur ita deſcriptis, fluuiorum origines & tractus, ſyluæ quoq; mon-
es & littora maris (in immenſum enim excreſceret uolumen, ſi ſingula hoc in loco
curioſius perſtringere uellemus) ex deſcriptionibus Coſmographicis uniuerſalibus
leſumantur, eaq; in globo eadem penitus ratione depingātur. Hac autem in partē
ummas tribuemus doctiſsimis uiris D. Orontio Finæo Delphinati, & D. Petro A-
piano in deſcriptione cordis Coſmographici, D. uero Gemmæ Friſio in Globoſo
corpore, quos hac in re conſulendos potius duximus, quàm quòd faſtidioſa prolixi-
ate libri animo ſtudioſorum obſtreperemus. Poſtquâm autem ea ex Coſmographi-
cis deſignationibus deſumpta fuerint, paretur meridianus é materia ſolida, qui in
360. partes æquales, diuidatur & numerus ab æquatore uerſus utroſq; polos pro-
cedat, cuius poli orbiculos habeant, ſicut lineæ fiduciales, quorum centra erunt in
punctis interſectionum meridiani cum gradu nonageſimo ab æquatore. Ipſis quoq;
horum centris perforatis, meridiani poli Polis ſphęræ ſeu Globi affigantur, ita tamen

ut circa eos globus libere uoluatur. Poſtremo fiat ſedes cum horizonte, qui circa meridiem & ſeptentrionem cauetur, ita ut dimidius globus ſupra emineat. In horizonte autem ad quatuor cœli plagas pingantur uentorum quatuor Cardinalium nomina & figuræ, ad meridiem quidem Auſtri, ad ſeptentrionem Aquilonis, ad ortum uero Euri, & ad occaſum Zephyri &c. Reliquos uero pro ſuo arbitrio ad imitationem aliorum quiſq; depingat liberum eſto. Nos hoc in loco ſuperuacaneũ duximus ſingulorum opiniones de his, aut uentorum uaria nomina recenſere, cùm ea potius ad Phyſica & nauticam, quâm ad Matheſim referenda ſint.

IOANNIS

IOANNIS SCHONERI MATHEMATICI CLARISſimi Libellus de diſtantijs locorum per numeros & inſtrumentum inueſtigandis, ante hac non æditus.

Pars prima huius de locorum intercapedine in milliaribus reperienda uia Arithmetica.

DIFFERENTIA autem eorum hoc modo extrahitur. Intra primo tabulam proportionum parallelorum cum numero graduum longitudinum in fronte Tabulæ uſq; ad uerſum gradus latitudinis in ſiniſtro tabulæ, & quod in communi angulo amborum numerorum inueneris extra notabis ad partem, poſtea intra eandem ſeriem numerorum differentia longitudinum cum uno gradu latitudinis addito, & quod etiam in angulo communi amborum numerorum reperies, ſubſcribe extra notato numero. Deinde ſubtrahe minorem numerum à maiori, & id quod remanet eſt differentia duorum numerorum propoſitorum areæ tabulæ, quoniam in noſtro propoſito ſumitur pars proportionalis de differentia ſecundum proportionem minutorum uel ſecundorum, iuxta gradus integros latitudinis ad 60.mi. id eſt, ad unum gradum. Hoc eſt dicere, quod de differentia accipitur una pars, quæ ſe habet ad totam differentiam in eadem proportione in qua ſe habent minuta, uel aliæ fractiones latitudinis ad 60.mi. Exemplum, ſi contingeret te intrare tabulam proportionum parallelorum cum differentia graduum longitudinum 5. & cum parallelo graduum 49.mi.30. Primo intra cum 49. gra. paralleli ſub ſerie 5. graduum longitudinum, & reperies in communi angulo, gradus 3.mi.16.ſecunda 49. Secundo intra cum 50.gradibus paralleli etiam ſub ſerie 5. graduum differentiæ longitudinum, ut ſupra, & reperies gradus 3. mi.12. ſecunda 50. Subtrahe nunc minorem à maiori, & colliges differentiam, minuta 3.ſecunda 59. Nunc uolo partem proportionalem de tali differentia, ſcilicet minutis 3.ſecundis 59. ſecundum proportionem 60. minutorum ad 30. minuta, quæ fuerunt in differentia latitudinum ultra gradus 49. integros latitudinis. Hoc eſt dicere: Volo inuenire unum numerum, qui ſe habeat in eadem proportione ad minuta 3. ſecunda 59. in qua ſe habeant minuta 30. ad minuta 60. Diſponam igitur hos tres numeros per regulam de Tri, Arithmeticam proportionum taliter quod 60.mi. erit numerus primus & diuiſor, ſecundus iam inuenta differentia, ſcilicet minuta 3.ſecunda 59. reducta ad ſecunda, & ſunt 239.ſecunda, tertius numerus eſt minuta 30. id eſt, minuta ultra gradus 49. latitudinis. Nunc multiplico tertium numerum, ſcilicet 30.mi. per ſecundum, ſcilicet 239.ſecunda, & produco 7170.tertia, quæ diuido per 60.minuta, & proueniet minutum 1.ſecunda 59. tertia 30.pars proportionalis de minutis 3.ſecundis 59. ſicut 30. de 60. quia utrobiq; proportio dupla eſt, quia modus iſte laborioſus eſt, ideo ad euitandum multiplicem laborem multiplicationis, & diuiſionis, compoſita eſt quædam tabula, quæ intitulatur tabula Manualis proportionũ ad 60.minuta, per quam pars proportionalis faciliter poteſt inueniri. Cuius tabulæ uſus talis eſt: Quære numerum eius, cuius partem proportionalem uis in parte ſuperiori uel inferiori, uel etiam in medio tabulæ, ſub linea tranſuerſali inclinata, & alterum in latere dextro uel ſiniſtro eiuſdem tabulæ

bulæ. Et numerus inuentus in angulo communi amborum numerorum eſt pars proportionalis quæſita ſub illis conditionibus. Quòd ſi ambo numeri fuerint minuta, tunc in angulo communi erunt minuta & ſecunda. Si autem unus numerorum fuerit minuta, alter ſecunda, tunc in angulo communi erunt ſecunda & tertia. Ratio autem quare denominationes ita per introitum uariantur, quia minutum habet ſe ut unitas, ſed unitas addita unitati conſtituit binariũ, quia minuta multiplicata per minuta, fiet productum ſecunda, ſi autem unus numerus eſſet minuta, & alter ſecunda, tunc in angulo communi numerus uerſus dexteram eſſet tertiarum, & ille uerſus ſiniſtram ſecundarum, cuius etiam ratio conſtat, nam unitas addita binario, facit ternarium, igitur &c. ſicut etiam patebit hac figura.

Si introducis.		cum		fient		
	Mi.		Mi.		Mi.	Sec.
	Mi.		Sec.		Sec.	Ter.
	Mi.		Ter.		Ter.	Qua.
	Sec.		Sec.		Ter.	Qua.
	Sec.		Ter.		Qua.	Quin.

Huius accipe exemplum præcedentis operationis, cuius numeri introituales fuerunt mi. 30. ultra 49. gradus paralleli & differentia duorum numerorum areæ minuta 3. ſecunda 59. Cum numeris iſtis intra tabulam proportionum ad 60. minuta, primo cum 3. minutis differentiæ, ſub linea tranſuerſali inclinata tabulæ, & in latere ſiniſtro cum 30. minutis ultra 49. gra. paralleli, ex quorum directo in angulo communi reperio minutum 1. ſecunda 30. Deinde intra etiam cum ſecundis 59. differentiæ ad dexteram tabulæ, & cum minutis 30. ultra 49. gra. paralleli ſub lineam tranſuerſalem inclinatam, & reperies in angulo cõmuni ſecunda 29. tertia, 30. quibus fractionibus ita extractis, adde quodlibet ſuo generi, minuta minutis, ſecunda ſecundis &c. & conflabis minutum 1. ſecunda 59. tertia, 30. partem proportionalem quæ debetur 30. minutis ultra numerum areæ, qui 49. gradibus altitudinis debetur. Sic pari uia etiam operandum cum in differentia longitudinum fuerint minuta.

Tabularum duarum ſequentium ordinem ac ſeriem, atq; deniq; uſum earum generalem in primis præfari.

Hæ tabulæ continent proportionem ſingulorum parallelorum ab æquinoctiali circulo ad meridianum uel æquinoctialem circulum. Nam prima earum intitulatur tabula Proportionum ſingulorum parallelorum ab ęquatore ad meridianum, uel æquinoctialem circulum, in gradibus longitudinum expanſis, & continet in prima eius ſerie numerorum ad læuam manum, gradus longitudinum, ſiue eleuationis poli, uel gradus parallelorum ab 1. deſcendendo uſq; in 90. gradus, qui & gradus laterales dici poſſunt. Superior autem ordo numerorum in fronte tabulæ ab 1. in 9. expanſus, numerum graduum differentię longitudinum, qui etiam gradus laterales uocantur repręſentabit. Sub hac etiam ſerie numerorum ſunt minuta æquinoctialis, & ſunt ſexagenariæ, ſiue Italica, ſiue miliaria Geographiæ Ptolemæi, Nam quodlibet minutum unum miliare Ptolemæi denotabit. Reliquus uero omnis numerus in area tabulæ eſt proportionum graduum, minutorum & ſecundorum ſingulorum graduum parallelorum ad meridianum, uel æquinoctialem circulum.

Secunda tabula, inſcribitur tabula Proportionũ ſingulorum parallelorum ab ęquatore ad meridianum uel æquinoctialem circulum in gradibus longitudinum collectis, cuius etiam tabulæ ordo per totum ſe habet, ſicuti prima tabula, hoc ſolo uariato, quòd hæc ſecunda geſtabit in fronte eius gradus differentiæ longitudinum denarios, ſiue collectos à 10. in 90. Sub eodem etiam ordine numerorum ſunt, ut in prima tabula, minuta æquinoctialis, ſexagenariæ, ſiue miliaria Ptolemæi, uel Italica, ubi etiam unumquodq; minutum, miliare unum Ptolemæi denotabit, quo etiam fit, ut

quart

quarta circuli in æquatore, uel etiam quarta in meridiano, quod idem eſt (quia ſunt
maiores circuli ſphæræ) 90. complectens gradus, habeat ſexagenarias Ptolemæi,
5400. quæ faciunt 1360 Germanica communia miliaria, quarum 15. uno gradui in
cœlo correſpondent, quare etiam in parallelo noſtro Nornbergenſi, 49. grad. ab
æquinoctiali una quarta circuli conſtabit ex gradibus 59. mi. 3. fere, qui gradus &
minuta dabunt 3543. ſexagenarias Ptolemæi, Germanica uero miliaria 886. Et
in 60. quoq; parallelo ab æquatore continebit una quarta circuli de æquatore uel
meridiano medietatem graduum quartæ æquatoris, ſcilicet 45. gradus, qui dabunt
2700, ſexagenarias. Germanica autem communia miliaria 675. prout clarius in ta-
bulis patebit. Quanto enim propius paralleli polis accedunt, tantomagis gradus eo-
rum longitudinis minorantur, ea etiam ratione numerus miliariorum in eorum gra
dibus decreſcit. Hæ etenim duæ tabulæ, quamuis ſolum quartam unam circuli tene-
ant, ſatis tamen facient noſtro propoſito, ac toti periferiæ circuli in hunc modum.
Nam ſi numerus differentiæ graduum longitudinũ tui propoſiti non foret expreſ-
ſus in fronte tabulæ, ut exempli cauſa, Si haberes differentiam longitudinum 24.
grad. Iſte enim numerus non reperitur uno introitu in frontibus tabularum, quare
intra primo cum numero tuo collecto, ſcilicet 20. ſub latitudine ſiue parallelo tuo
propoſito, & quod ibidem de gradibus, minutis & ſecundis offenderis, extra nota
ad partem. Deinde intra tabulam primam cum numero expanſo, ſcilicet 4. ſub eo-
dem parallelo, ſiue eleuatione polari, & quod collectum ſic fuerit de gradibus mi-
nutis & ſecundis, ſub prioribus ſcribe. Demum adde ſingula ſingulis, uidelicet gra-
dus gradibus, minuta minutis &c. & quod collectum ſic fuerit, erunt gradus, minu-
ta & ſecunda, differentia longitudinum proportionem habentes ad ęquatorem, quo
rum numerum in frontibus tabularum duplici introitu iam quærebas. Iſto enim iam
dicto modo gradus longitudinum extra æquinoctialem reducendi æquandi ſunt
ad gradus æquinoctiales. Exemplum aliud accipe: Volo reducere gradus differen-
tiæ longitudinum 5. in latitudine ſiue parallelo 50. graduum, ad gradus æquatoris.
Intro tabulam primam cum 5. gradibus differentiæ longitudinum, & in ordine cu-
ius deſcendo uſq; 50. gradus paralleli ad manum ſiniſtram, in cuius angulo com-
muni in area tabulæ reperio gradus 3. minuta 12. ſecunda 50. numerum ſcilicet dif-
ferentiæ longitudinum reductum in gradus & minu. &c. æquatoris. Notandum
autem ibi uenit, quòd cum numeri laterales harum tabularum proportionum paral-
lelorum ſatisfacere uidentur omni introitu, ideo non eſſet opus alijs numeris, niſi
differentijs longitudinum & latitudinum locorum minuta, ſiue aliæ fractiones ad-
hęrent, quia creberrime numeris introitualibus differentię tam longitudinum quàm
latitudinum adiacent minutiæ. Tabula autem hę proportionum parallelorum, ſolum
integros gradus habent pro numeris lateralibus, ideo oportet nos inuenire partem
proportionalem, quæ debetur minutijs adhærentibus, illa autem inueniri non po-
teſt, niſi prius habeatur differentia numerorum areæ huius tabulæ proportionum
parallelorum.

Tabula proportionum ſingulorum parallelorum ab æquatore admeridia-

GRADVS PARALLELORVM, ELEVATIO POLI.

G	dif. 1			2			3			4			5			6			7			8			9	
M	60			120			180			240			300			360			420			490			540	
	G	m̃.	ſe.	G	m̃	ſe.	G	m̃.	ſe.	G	m̃	ſe.	G	m̃.	ſe.	G	m̃.	ſe.	G	m̃.	ſe.	G	m̃.	ſe.	G	m̃.
1	0	59	59	1	59	59	2	59	58	3	59	58	4	59	57	5	59	57	6	59	56	7	59	56	8	59
2	0	59	58	1	59	56	2	59	53	3	59	51	4	59	45	5	59	47	6	59	45	7	59	42	8	59
3	0	59	55	1	59	50	2	59	45	3	59	40	4	59	35	5	59	30	6	59	25	7	59	20	8	59
4	0	59	51	1	59	42	2	59	34	3	59	25	4	59	16	5	59	7	6	58	59	7	58	50	8	58
5	0	59	46	1	59	33	2	59	19	3	59	5	4	58	52	5	58	38	6	58	24	7	58	10	8	57
6	0	59	40	1	59	20	2	59	1	3	58	41	4	58	21	5	58	2	6	57	42	7	57	22	8	57
7	0	59	33	1	59	7	2	58	41	3	59	14	4	57	48	5	57	21	6	56	55	7	56	28	8	56
8	0	59	25	1	58	50	2	58	15	3	57	40	4	57	5	5	56	30	6	55	55	7	55	20	8	54
9	0	59	16	1	58	31	2	57	47	3	57	3	4	56	18	5	55	34	6	54	50	7	54	5	8	53
10	0	59	5	1	58	11	2	57	16	3	56	21	4	55	27	5	54	32	6	53	37	7	52	42	8	51
11	0	58	54	1	57	48	2	56	41	3	55	25	4	54	29	5	53	33	6	52	17	7	51	11	8	50
12	0	58	41	1	57	23	1	56	4	3	54	45	4	53	27	5	52	8	6	50	49	7	50	31	8	48
13	0	58	28	1	56	55	2	55	23	3	53	51	4	52	19	5	50	46	6	49	14	7	47	42	8	46
14	0	58	13	1	56	26	2	54	39	3	52	52	4	51	5	5	49	18	6	47	21	7	75	44	8	43
15	0	57	57	1	55	55	2	53	52	3	51	49	4	49	47	5	47	44	6	45	41	7	43	39	8	41
16	0	57	40	1	55	21	2	53	2	3	50	42	4	48	23	5	46	3	6	43	44	7	41	24	8	39
17	0	57	23	1	54	45	2	52	8	3	49	31	4	46	54	5	44	16	6	41	39	7	39	2	8	36
18	0	57	4	1	54	8	2	51	11	3	48	15	4	45	19	5	42	23	6	39	27	7	36	30	8	33
19	0	56	44	1	53	28	2	50	12	3	46	55	4	43	39	5	40	23	6	37	7	7	33	51	8	30
20	0	56	23	1	52	46	2	49	9	3	45	31	4	41	54	5	38	17	6	34	40	7	31	3	8	27
21	0	56	1	1	52	2	2	48	3	3	44	3	4	40	4	5	36	5	6	32	6	7	28	7	8	24
22	0	55	38	1	51	16	2	46	54	3	42	31	4	38	9	5	33	47	6	29	25	7	25	3	8	20
23	0	55	14	1	50	28	2	45	42	3	40	56	4	36	10	5	31	24	6	26	37	7	21	51	8	17
24	0	54	49	1	49	38	2	44	27	3	39	16	4	34	5	5	28	54	6	23	43	7	18	32	8	13
25	0	54	23	1	48	46	2	43	8	3	37	31	4	31	54	5	26	17	6	20	40	7	15	2	8	9
26	0	53	56	1	47	51	2	41	42	3	35	42	4	29	38	5	23	54	6	17	29	7	11	25	8	5
27	0	53	30	1	46	59	2	40	29	3	33	58	4	27	28	5	20	58	6	14	27	7	7	57	8	1
28	0	52	59	1	45	57	2	38	56	3	31	54	4	24	53	5	17	52	6	10	50	7	3	49	7	56
29	0	52	29	1	44	57	2	37	26	3	29	54	4	22	23	5	14	52	6	7	20	6	59	49	7	52
30	0	51	58	1	43	56	2	35	53	3	27	51	4	19	49	5	11	47	6	3	45	6	55	42	7	47

nu

um,uel æquinoctialem circulum in gradibus longitudinum collectis,ſecunda.

dif. 1.			2			3			4			5			6			7			8			9			Lōgi.
60			120			180			240			300			360			420			490			540			equat.
G	m̃.	ſe.	G	m̃.	ſe.	G	m̃.	ſe.	G	m̃.	ſe.	G	m̃.	ſe.	G	m̃.	ſe.	G	m̃.	ſe.	G	m̃.	ſe.	G	m̃.	ſe.	
0	51	26	1	42	52	2	34	18	3	25	44	4	17	10	5	8	35	6	0	1	6	51	27	9	42	53	
0	50	53	1	41	49	2	32	30	3	23	32	4	14	25	5	5	18	6	56	10	6	47	4	7	37	57	
0	50	19	1	40	38	2	30	58	3	21	17	4	11	36	5	1	55	6	52	14	6	42	34	7	32	51	
0	49	44	1	39	29	2	29	14	3	18	58	4	8	43	4	58	27	5	48	12	6	37	56	7	27	41	
0	49	9	1	38	18	2	27	27	3	16	36	4	5	45	4	54	54	5	44	3	6	33	12	7	22	21	35
0	48	32	1	37	5	2	25	37	3	14	10	4	2	42	4	51	15	5	39	47	6	28	20	7	16	52	
0	47	55	1	35	50	2	23	45	3	11	40	3	59	35	4	47	31	5	35	26	6	23	21	7	11	16	
0	47	17	1	34	24	2	21	40	3	8	57	[illegible]	56	14	4	43	31	5	30	48	6	18	5	7	5	21	
0	46	38	1	33	17	2	19	56	3	6	34	3	53	13	4	39	52	5	26	30	6	13	9	7	59	47	
0	45	58	1	31	55	2	17	53	3	3	51	3	49	49	4	35	46	5	21	44	6	7	42	6	53	40	40
0	45	17	1	30	34	2	15	51	3	1	8	3	46	25	4	31	42	5	17	0	6	2	17	6	47	34	
0	44	35	1	29	11	2	13	40	2	58	21	3	42	57	4	27	32	5	12	7	5	56	43	6	41	18	
0	43	53	1	27	46	2	11	39	2	55	31	3	39	24	4	23	17	5	7	10	5	51	3	6	34	56	
0	43	10	1	26	20	2	9	30	2	52	40	3	35	50	4	19	0	5	2	10	5	45	20	6	28	30	
0	42	25	1	24	49	2	7	14	2	49	38	3	32	3	4	14	27	5	56	52	6	39	17	6	21	41	45
0	41	41	1	23	21	2	5	2	2	46	43	3	28	24	4	10	5	4	51	45	5	33	26	6	15	7	
0	40	55	1	21	50	2	2	46	2	43	41	3	24	36	4	5	31	4	46	26	5	27	22	6	8	17	
0	40	8	1	20	18	2	0	27	2	40	35	3	20	44	4	0	53	4	41	2	5	21	11	6	1	20	
0	39	22	1	18	44	1	58	5	2	37	27	3	16	49	3	56	11	4	31	33	5	14	54	5	54	16	
0	38	34	1	17	8	1	55	42	2	34	16	3	12	50	3	51	24	4	29	58	5	8	32	5	47	6	50
0	37	46	1	15	31	1	53	17	2	31	2	3	8	48	3	46	33	4	24	19	5	2	4	5	39	50	
0	36	56	1	13	53	1	50	49	2	27	45	3	4	42	3	41	38	4	18	35	4	55	31	5	32	27	
0	36	7	1	12	13	1	48	20	2	24	26	3	8	33	3	36	39	4	12	46	4	48	32	5	24	59	
0	35	16	1	10	32	1	45	48	2	21	4	3	56	20	3	31	36	4	6	52	4	42	8	5	17	24	
0	34	25	1	8	50	1	43	15	2	17	39	2	52	4	3	26	29	4	0	54	4	35	19	5	9	44	55
0	33	33	1	7	6	1	40	39	2	14	12	2	47	45	3	21	18	3	54	52	4	28	25	5	1	58	
0	32	41	1	5	21	1	38	2	2	10	43	2	43	24	3	16	4	3	48	45	4	21	26	4	54	6	
0	31	48	1	3	35	1	35	23	2	7	11	2	38	59	3	10	46	3	43	34	4	14	22	4	46	9	
0	30	54	1	1	48	1	32	42	2	3	37	2	34	31	3	5	25	3	36	19	4	7	13	4	38	7	
0	30	0	1	0	0	1	30	0	2	0	0	2	30	0	3	0	0	3	30	0	4	0	0	4	30	0	60

Tabula proportionum ſingulorum parallelorum ab æquatore admeridia

G	dif. 1			2			3			4			5			6			7			8			9	
M	60			120			180			240			300			360			420			490			540	
	G	m̃	ſe.	G	m̃	ſe.	G	m̃	ſe.	G	m̃	ſe.	G	m̃	ſe.	G	m̃.	ſe.	G	m̃.	ſe.	G	m̃.	ſe.	G	m̃.
61	0	29	5	0	58	11	1	27	16	1	56	21	2	25	27	2	54	30	3	23	35	3	52	40	4	21
62	0	28	10	0	56	20	1	24	30	1	52	40	2	20	50	2	49	0	3	17	11	3	45	20	4	13
63	0	27	15	0	54	31	1	12	46	1	49	2	2	16	17	2	43	32	3	10	48	3	38	3	4	5
64	0	26	19	0	52	37	1	18	56	1	45	15	2	11	33	2	37	52	3	4	11	3	30	23	3	56
65	0	25	21	0	50	43	1	16	4	1	41	26	2	6	47	2	32	9	2	57	30	3	22	51	3	48
66	0	24	24	0	48	48	1	13	13	1	37	37	2	2	1	2	26	25	2	50	50	3	15	14	3	39
67	0	23	27	0	46	53	1	10	20	1	33	46	1	57	13	2	20	40	2	44	6	3	7	33	3	31
68	0	22	29	0	44	57	1	7	26	1	29	54	1	52	23	2	14	52	2	37	20	2	59	49	3	22
[illegible]	0	21	30	0	43	0	1	4	30	1	26	0	1	47	31	2	9	1	2	30	31	2	52	1	3	13
70	0	20	31	0	41	2	1	1	34	1	22	5	1	42	36	2	3	8	2	23	39	2	44	10	3	4
71	0	19	32	0	39	5	0	58	38	1	18	10	1	37	43	1	57	15	2	16	48	2	36	20	2	55
72	0	18	32	0	37	5	0	55	37	1	14	10	1	32	42	1	51	15	2	9	47	2	28	20	2	46
73	0	17	32	0	35	5	0	52	38	1	10	10	1	27	43	1	45	15	2	2	48	2	20	20	2	37
74	0	16	32	0	33	5	0	49	37	1	6	9	1	22	41	1	39	14	1	55	46	2	12	18	2	28
75	0	15	32	0	31	3	0	46	35	1	2	7	1	17	39	1	33	10	1	48	42	2	4	14	2	19
76	0	14	31	0	29	2	0	43	33	0	58	4	1	12	35	1	27	5	1	41	36	1	56	7	2	10
77	0	13	30	0	27	0	0	40	25	0	53	59	1	7	29	1	20	59	1	34	29	1	47	58	2	1
8	0	12		0	24	57	0	37	25	0	49	54	1	2	22	1	14	51	1	27	19	1	39	48	1	52
79	0	11	27	0	22	54	0	34	21	0	45	48	0	57	15	1	8	41	1	20	8	1	31	35	1	43
80	0	10	25	0	20	50	0	31	15	0	41	41	0	52	6	1	2	31	1	12	56	1	23	21	1	33
81		9	23	0	18	[illegible]	0	[illegible]	9	0	37	31	0	46	56	0	56	19	1	5	42	1	15	5	1	24
82	0	8	21	0	16	42	0	25	3	0	33	24	0	41	45	0	50	6	0	58	27	1	6	48	1	15
83	0	7	19	0	14	37	0	21	56	0	29	15	0	36	34	0	43	52	0	51	11	0	58	30	1	5
84	0	6	16	0	12	32	0	18	49	0	25	5	0	31	21	0	37	38	0	43	54	0	50	10	0	56
85	0	5	17	0	10	34	0	15	51	0	21	8	0	26	26	0	31	43	0	37	0	0	42	17	0	47
6	0	4	11	0	8	22	0	12	33	0	16	44	0	20	56	0	27	7	0	29	18	0	33	29	0	37
87	0	3	8	0	6	16	0	9	24	0	12	32	0	15	40	0	18	48	0	21	36	0	25	4	0	28
88	0	2	6	0	4	11	0	6	17	0	8	23	0	10	28	0	12	34	0	14	40	0	16	45	0	18
89	0	1	3	0	2	6	0	3	9	0	4	11	0	5	14	0	6	17	0	7	20	0	8	23	0	9
90	0	0	0	0	0	0	0	0	0	0	0	0	0	0	0	0	0	0	0	0	0	0	0	0	0	0

Tabul

num, uel æquinoctialem circulum in gradibus longitudinum collectis, ſecunda.

dif. 10			20			30			40			50			60			70			80			90			Lōgi.
600			1200			1800			2400			3000			3600			4200			4800			5400			ęquat
G	m̄	ſe.	G	m̄.	ſe.	G	m̄.	ſe.	G	m̄	ſe.	G	m̄.	ſe.	G	m̄.	ſe.	G	m̄.	ſe.	G	m̄.	ſe.	G	m̄.	ſe.	
9	59	54	19	59	49	29	59	43	39	59	38	49	59	32	59	59	27	69	59	21	79	59	16	89	59	10	
9	59	18	19	59	16	29	58	54	39	58	32	49	58	10	59	57	48	69	57	26	79	57	4	89	56	42	
9	59	11	19	59	21	29	57	32	39	56	43	49	55	53	29	57	4	69	52	15	79	53	25	89	52	36	
9	58	32	19	57	5	29	55	37	39	54	9	49	52	42	59	51	14	69	49	46	79	48	19	89	46	51	
9	57	43	19	55	26	29	53	9	39	50	53	49	48	36	59	46	19	69	44	2	79	41	45	89	39	28	5
9	56	43	19	53	25	29	50	8	39	46	51	49	43	33	59	40	16	69	36	59	79	33	41	89	30	24	
9	55	35	19	51	10	29	46	45	39	42	21	49	37	56	59	33	31	69	29	6	79	24	41	89	20	16	
9	54	10	19	48	19	29	42	29	39	36	39	49	30	48	59	24	58	69	19	8	79	13	17	89	7	21	
9	52	37	19	45	14	29	37	50	39	30	27	49	23	4	59	15	41	69	8	18	79	0	55	89	53	31	
9	50	53	19	41	46	29	32	39	39	23	33	49	14	26	59	5	19	68	56	12	78	47	5	88	37	58	10
9	48	58	19	37	57	29	26	55	39	15	53	49	4	52	58	53	50	68	42	48	78	31	47	88	20	45	
9	46	53	19	33	47	29	20	40	39	7	33	48	54	27	58	41	20	68	28	13	78	15	7	88	2	0	
9	44	37	19	29	15	29	13	52	38	58	29	48	43	7	58	27	44	68	12	21	77	56	59	87	41	36	
9	42	10	19	24	21	29	6	31	38	48	42	48	30	52	58	13	3	67	55	13	77	37	24	87	17	34	
9	39	33	19	19	7	28	58	40	38	38	14	48	17	47	57	57	21	67	36	54	77	16	28	86	56	1	15
9	36	45	19	13	31	28	50	16	38	21	1	48	3	47	57	40	32	67	17	17	76	54	3	86	30	48	
9	33	47	19	7	34	28	41	21	38	15	9	47	48	56	57	22	43	66	56	30	76	30	17	86	4	4	
9	30	38	19	1	16	28	31	54	38	2	33	47	33	11	57	3	49	66	34	27	76	5	5	85	35	43	
9	27	19	18	54	37	28	21	56	37	49	15	47	16	33	56	43	52	66	11	11	75	38	29	85	5	48	
9	23	49	18	47	38	28	11	26	37	35	15	46	59	4	56	22	53	65	46	42	75	10	31	84	34	19	20
9	20	9	18	40	18	28	0	26	37	20	35	46	40	44	56	0	53	65	21	2	74	41	11	84	1	19	
9	16	18	18	32	37	27	48	55	37	5	14	46	21	32	55	37	51	64	54	9	74	10	28	83	26	46	
9	12	19	18	24	39	27	36	58	36	49	17	46	1	37	55	13	56	64	26	15	73	38	35	82	50	54	
9	8	10	18	16	19	27	24	29	36	32	39	45	40	49	54	48	59	63	57	9	73	5	19	82	13	28	
9	3	48	18	7	36	27	11	24	36	15	15	45	19	1	54	22	49	63	26	37	72	30	25	81	34	3	25
8	59	16	17	57	33	26	57	49	35	57	5	44	56	22	53	55	38	62	54	54	71	54	11	80	53	27	
8	54	56	17	49	53	26	44	49	35	39	45	44	34	42	53	29	38	62	24	34	71	19	31	80	14	27	
8	49	46	17	39	32	26	29	18	35	19	5	44	8	51	52	58	37	61	48	23	70	38	9	79	27	55	
8	44	46	17	29	33	26	14	19	34	59	5	43	43	52	52	28	38	61	13	24	69	57	11	78	42	57	
8	39	38	17	19	16	25	58	54	34	38	33	43	18	11	51	57	49	60	37	27	69	17	5	77	56	43	30

Tabula

Tabula proportionum ſing ılorum parallelorum ab æquatore ad meridia-

GRADVS PARALLELORVM ELEVATIO POLI.

G	dif. 10			20			30			40			50			60			70			80			90	
M	600			1200			1800			2400			3000			3600			4200			4800			5400	
	G	m̃	ſe	G	m̃	ſe.	G	m̃	ſe.	G	m̃	ſe.	G	m̃.	ſe.	G	m̃.	ſe.	G	m̃.	ſe.	G	m̃.	ſe.	G	m̃.
31	8	34	19	17	8	38	25	42	57	34	17	17	42	51	36	51	25	55	60	0	14	68	34	33	77	8
32	8	28	50	16	57	40	25	26	39	33	55	19	42	24	9	50	52	59	59	21	49	67	50	39	76	19
33	8	23	12	16	46	24	25	9	36	33	32	49	41	56	1	50	19	13	58	42	25	67	5	37	75	28
34	8	17	25	16	34	51	24	92	16	33	9	42	41	27	7	49	44	33	58	1	58	66	19	24	74	36
35	8	11	29	16	22	51	24	34	28	32	45	58	40	57	27	49	8	57	57	20	26	65	31	56	73	43
36	8	5	25	16	10	49	24	16	14	32	21	39	40	27	3	48	32	28	56	37	53	64	43	17	32	48
37	7	59	11	15	58	22	23	57	33	31	56	44	39	55	55	47	55	6	55	34	17	63	53	28	71	52
38	7	52	38	15	45	17	23	37	55	31	30	33	39	23	12	47	16	50	55	9	28	63	2	7	70	54
39	7	46	26	15	32	52	23	19	18	31	5	44	38	52	10	46	38	36	54	25	2	62	11	28	68	57
40	7	39	37	15	19	15	22	58	52	30	38	30	38	18	7	45	57	44	53	37	22	61	17	0	68	56
41	7	32	51	15	5	42	22	38	32	30	11	23	37	44	14	45	17	5	52	49	56	60	22	47	67	55
42	7	25	53	14	51	47	22	17	40	29	43	33	37	9	27	44	35	20	52	1	13	59	27	7	66	53
43	7	18	48	14	37	37	21	56	25	29	15	14	36	24	2	43	52	51	51	11	39	58	30	28	65	49
44	7	11	40	14	23	20	21	35	0	28	46	41	35	58	21	43	10	1	50	21	41	57	33	21	64	45
45	7	4	6	14	8	12	21	12	17	28	16	23	35	20	29	42	24	35	49	28	41	56	32	47	63	36
46	6	56	48	13	53	35	20	50	23	27	47	10	34	43	58	41	40	46	48	37	34	55	34	21	62	31
47	6	49	12	13	38	24	20	27	36	27	16	48	34	6	0	40	55	12	47	44	24	54	33	36	61	22
49	6	41	29	13	22	57	20	4	26	26	45	55	33	27	23	40	8	52	46	50	21	53	32	49	60	14
49	6	33	38	13	7	16	19	40	54	26	14	33	32	48	11	39	21	48	45	55	27	52	29	5	59	2
50	6	25	40	12	51	21	19	17	1	25	42	42	32	8	22	38	34	3	44	59	43	51	25	24	57	51
51	6	17	35	12	35	11	18	52	46	25	10	22	31	27	57	37	45	33	44	3	8	50	20	44	56	38
52	6	9	24	12	18	48	18	28	11	24	37	35	30	46	59	36	65	23	43	5	47	49	15	11	55	24
53	6	1	5	12	2	11	18	3	16	24	4	22	30	5	27	36	6	33	42	7	38	48	8	44	54	9
54	5	52	40	11	45	21	17	38	1	23	30	42	29	23	22	35	16	3	41	8	43	47	1	24	52	54
55	5	44	9	11	28	18	17	12	26	22	56	35	28	40	44	34	24	53	40	9	2	45	53	11	51	37
56	5	31	31	11	11	2	16	46	32	22	22	3	27	57	34	33	33	5	39	8	36	44	44	7	50	19
57	5	26	47	10	53	34	16	20	22	21	47	9	27	13	56	32	40	43	38	7	30	43	34	18	49	1
58	5	17	57	10	35	54	15	53	51	21	11	49	26	29	46	31	47	43	37	5	40	42	23	37	47	41
59	5	9	1	10	18	3	15	27	4	20	36	6	25	45	7	30	54	9	36	3	10	41	12	12	46	21
60	5	0	0	10	0	0	15	0	0	20	0	0	25	0	0	30	0	0	35	0	0	40	0	0	45	0

num,uel æquinoctialem circulum in gradibus longitudinum collectis,ſecunda.

dif. 10			20			30			40			50			60			70			80			90			Logi.
600			1200			1800			2400			3000			3600			4200			4800			5400			equat
G	m̃	ſe.	G	m̃.	ſe.	G	m̃.	ſe.	G	m̃.	ſe.	G	m̃.	ſe.	G	m̃.	ſe.	G	m̃.	ſe.	G	m̃.	ſe.	G	m̃.	ſe.	
4	50	53	9	46	20	14	32	39	19	23	33	24	14	26	29	5	19	33	56	12	38	47	5	43	37	58	
4	41	41	9	23	22	14	5	2	18	46	23	23	28	24	28	10	5	32	51	46	37	33	27	42	15	7	
4	32	34	9	5	8	13	37	42	18	10	16	22	42	50	72	15	24	31	47	58	36	20	32	40	53	6	
4	23	6	8	46	13	13	9	19	17	32	26	21	55	32	26	18	39	30	41	45	53	4	52	39	27	58	
4	13	34	8	27	9	12	40	43	16	54	17	21	7	52	25	21	26	29	38	0	33	48	35	37	2	9	65
4	4	2	8	8	5	12	12	7	16	16	10	20	20	12	24	24	15	28	28	17	32	32	20	36	36	22	
3	54	26	7	48	52	11	43	18	15	37	45	19	32	11	23	26	37	27	21	3	31	15	29	35	9	55	
3	44	46	7	29	32	11	14	18	14	59	4	18	43	50	22	28	36	26	13	22	29	58	8	33	42	54	
3	35	1	7	16	3	10	45	4	14	20	5	17	55	7	21	30	8	25	5	9	28	40	11	32	15	12	
3	25	13	6	50	25	10	15	38	13	40	51	17	6	3	20	31	16	23	56	29	27	21	41	30	46	54	70
3	15	25	6	30	50	9	46	15	13	1	41	16	17	6	19	32	31	22	47	56	26	3	21	29	18	46	
3	5	24	6	10	49	9	16	14	12	21	39	15	27	3	18	32	28	21	37	53	24	43	17	27	48	42	
2	55	25	5	50	51	8	46	16	11	41	41	14	37	7	17	32	32	20	27	57	23	23	23	26	18	48	
2	45	23	5	30	46	8	16	9	11	1	32	13	46	55	16	32	18	19	17	41	22	3	4	24	48	27	
2	35	17	5	10	35	7	45	52	10	21	10	12	56	27	15	31	45	18	7	2	20	42	20	23	17	37	75
2	25	9	4	50	18	7	15	27	9	40	37	12	5	46	14	30	55	16	56	4	19	21	13	21	46	22	
2	14	58	4	29	56	6	44	54	8	59	53	11	14	51	13	29	49	15	44	47	17	59	45	20	14	43	
2	4	45	4	9	30	6	14	14	8	18	59	10	23	44	12	28	29	14	33	14	16	37	59	8	42	42	
1	54	29	3	48	58	5	43	27	7	37	57	9	32	26	11	26	55	13	21	24	51	15	58	17	10	22	
1	44	11	3	28	23	5	12	34	6	56	46	8	40	57	10	25	9	12	9	20	13	53	32	15	37	4	80
1	33	51	3	7	43	4	41	34	6	15	26	7	49	17	9	23	9	10	57	0	21	30	52	14	4	43	
1	24	30	2	47	0	4	10	30	5	34	1	6	57	31	8	21	1	9	44	31	11	8	1	12	31	31	
1	13	7	2	26	15	3	39	22	4	52	29	6	5	37	7	18	44	8	31	51	9	44	59	10	58	6	
1	2	43	2	5	26	3	8	9	4	10	52	5	13	35	6	16	18	7	19	1	8	21	44	9	24	27	
0	52	51	1	45	42	2	38	33	3	31	25	4	24	16	5	17	7	6	9	58	7	2	49	7	55	40	85
0	41	51	1	23	43	2	5	34	2	47	25	3	29	17	4	11	8	4	52	59	5	34	51	6	16	42	
0	31	21	1	2	41	1	34	2	2	5	23	2	36	43	3	8	4	3	39	25	4	10	45	4	42	6	
0	20	56	0	41	53	1	2	49	1	23	46	1	44	42	2	5	39	2	26	35	2	47	32	3	8	28	
0	10	28	0	20	57	0	31	25	0	41	54	0	52	22	1	2	51	1	13	19	1	23	48	1	34	16	
0	0	0	0	0	0	0	0	0	0	0	0	0	0	0	0	0	0	0	0	0	0	0	0	0	0	0	90

De differentia locorum, tam longitudinum quàm latitudinum & earum extractione.

Via cum in ſequentibus, cum de diſtantijs locorũ tractabitur, crebrius mentio fiet de differentia tàm longitudinum quàm latitudinum duorũ locorũ, de eadẽ differentia hoc loco determinare conueniens uidetur, antequã ad propoſitũ deſcendatur. Eſt enim differentia longitudinum duorum locorum in ſuperficie terreſtri, arcus magni circuli, inter duos eorundem locorũ meridianos ſuper illorũ uertices tranſeuntis, interceptus, ſub quo ſcilicet uiatores ſuum conficiunt iter. Differentia uero latitudinum duorũ locorum in eadem terreſtri ſuperficie, eſt arcus circuli magni inter duos eorundem locorum parallelos interiacens. Extrahitur autem differentia tam longitudinum quàm latitudinum locorum, per ſubtractionem minoris longitudinis uel latitudinis loci alicuius â maiori longitudine ſiue latitudine alterius loci. Vt exempli cauſa, Roma urbs Italiæ habet gradus longitudinis (ſi Ptolemæo credimus) 36. minuta 40. Norimberga uero ſi Segodunum ad coniecturam tabularum Ptolemæi creditur, habet gradus longitudinis 31. minuta 30. hac igitur longitudine minori ſubducta à longitudine maiori gradibus ſcilicet 36. minutis 40. quos Roma habet, remanebit differentia longitudinum dictorum locorum graduum 5. minutorum 10. Aliud exemplum de differentia latitudinum. Roma habet gradus latitudinis 41. min. 40. Norimberga autem gra. 49. mi. 0. Subtracta latitudine minori, quę in maiori parallelorum continetur ſcilicet 41. gradibus & 40. minut. à latitudine maiori quę in minori parallelo reperitur gra. 49. ſcilicet, remanebit differentia latitudinum duorum dictorũ locorum graduum 7. minu. 20. Si autem duo loca in terreſtri ſuperficie latitudines haberent denominatione diuerſas ab æquatore, quorum unus ſcilicet ad boream, alter uero ad auſtrum ponatur, adde eorum latitudines in gradibus & minutis, quodlibet ſuo generi, gradus gradibus, minuta minutis &c. tale enim collectum erit differentia latitudinum eorum locorum quorum diuerſam latitudinem addidiſti. Exemplum Norimberga tenet gradus latitudinis 49. boreales, quia eſt ſita ab æquatore uerſus boream. Raptum promontorium Aethiopiæ interioris, habet gradus latitudinis 8. minuta 25. auſtrales, quia ponitur ab æquatore ad auſtrum. Adde gradus gradibus, minuta minutis, & colliges gradus 57. minuta 25. differentiam latitudinũ dictorum locorum. Loca autẽ quæ in terreſtri ſuperficie ſita ſunt, & quorum differentiam tàm longitudinum quàm latitudinum in præſentiarum quærimus, differre uidemus tripliciter. Nam quædam differunt ſolum latitudine, quædam ſolum longitudine, quædam latitudine & longitudine ſimul. Nam aliquo iſtorum modorum ea differre certum eſt, prout etiam in ſequentibus clarius patebit.

Diſtantiam itinerariam duorum locorum latitudine tantummodo differentium, uia Arithmetica explorare.

Stud poteſt expediri abſq; tabulis, iſto modo: Subduc minorem latitudinem de maiori, & reſiduabis differentiam, quam ſi per 15. multiplicaueris miliaria germanica communia produces. Eandem uero ducendo in 12. Sueuica quoq; miliaria ſe offerent. At ſi tandem Ptolemaica miliaria, ſiue ſexagenariæ te delectant, eandem differentiam ſexagenario numero multiplicando, ea cognoſces. At ſi dictę differentiæ latitudinũ gradibus minuta aliqua adhęſerint, ea per 4. partire; & exibit numerus miliariorum germanicorum prioribus addendorũ. Quo habito, facile erit reliqua miliaria Sueuica uidelicet uel Italica, uel etiam Ptolemaica, horum reſpectu dinumerare.

Exemplum

Exemplum ſume iſtud: Norinberga habet gradus longitudinis 31 mi. 30. latitudinis uero gradus 49. mi. 0. Druſomagus rhetiæ tenet gradus longitudinis 31. mi. 30. cum Norinberga, ſed latitudinis gradus 46. minut. 5. Hæ enim ciuitates æquantur in longitudine, id eſt, ſunt ſub uno meridiano, & diſtant æqualiter ab occidente, ſed differunt latitudine per gradus 2 minut. 55. ut eorum numeri latitudinum demonſtrant. Hanc differentiam ſi multiplicas per 15. ut ſic, multiplica primo gradus 2 differentiæ latitudinum per 15. & produces 30 miliaria germanica communia, deinde multiplica etiam minuta differentiæ latitudinum 55. & produces 825 minuta quarum 60 unum miliare conſtituunt, quare diuido 825. minuta per 60. & proueniunt 13 miliaria communia cum 45 minutis, id eſt $\frac{3}{4}$ unius miliaris, etiam dimiſſa multiplicatione minutorum 55 differentiæ accipe pro quibuslibet 4 minutis differentiæ unum miliare, & prodeunt miliaria, ut prius 13 cum $\frac{3}{4}$ unius miliaris, adde nunc ſingula ſingulis, & reperies miliaria germanica communia $43\frac{3}{4}$ fere.

Diſtantiam itinerariam duorum locorum longitudine tantummodo differentium uia Arithmetica inueſtigare.

SI talium locorum intercapedinem itineris uis, intra tabulam proportionum ſingulorum parallelorum &c. cum latitudine locorum, eandem quærendo in primo ordine numerorum ad læuam ſub titulo, gradus parallelorum &c. & differentiam graduum longitudinum eorum locorum quere in fronte tabulæ, in cuius ſerie deſcende aduſque gradum latitudinis ad læuam repertum, Vbicunque enim hij duo numeri tam longitudinum differentia quàm latitudinis gradus in area tabulæ ad modum gnomonis angulum cauſauerint, id eſt, in angulo communi amborum numerorum, reperies numerum graduum & minutorum &c. qui debetur tali differentiæ longitudinum in propoſito parallelo latitudinis conuerſum uel reductum in gradus & minuta æquatoris. Hos gradus & minuta conuerſos multiplica per 15. miliaria germanica, ſimiliter & minuta &c. per 15 multiplicando, quorum demum 60 unum miliare germanicum conſtituunt, ſicut in præcedenti accepiſti, & habebis diſtantiam itinerariam. Vt exemplo accipias: Sit differentia longitudinum gra. 30. inter Toletum & Neapolim. & ſit latitudo amborum locorum graduum 41 intro tabulam proportionum ſingulorum parallelorum cum latitudine propoſita 41. & cum 30. gra. differentiæ ſcilicet longitudinum in fronte tabulæ ex eorum directo reperio in angulo communi gradus 22. minuta 38. ſecunda 32. conuerſos ſiue reductos. Hos multiplico, ut ſupra per 15. ſimiliter & minuta, & ſi uis etiam ſecunda per quindecim multiplico, & inuenio miliaria germanica 339. mi. 38. quarum 60 unum miliare conſtituunt. Si autem minuta adhærerent gradibus differentiæ longitudinum, oporteret intrare tabulam duplici introitu pro parte proportionali inuenienda, ſicut in principio huius determinatum eſt, cuius operationis exemplum etiam in ſequenti propoſitione cum de diſtantijs locorum agetur, quę longitudine & latitudine differunt, demonſtrabo.

Diſtantiam itinerariam duorum locorum, ſimul longitudine & latitudine differentium Arithmetica ſupputatione addiſcere.

EXtrahetur primum differentia longitudinum, & etiam differentia latitudinum duorum locorum, quorum diſtantiam uiatoriam quæris, & quamlibet per ſe notabis ad partem. Deinde de differentia latitudinum accipiatur medietas, quæ aut latitudini minori unius loci propoſiti addatur, uel à maiori alterius loci detrahatur, quodque prouenerit ſer-

uetur, quod latitudinem mediam notabit inter eadem duo loca. Hanc latitudinem mediam quære in tabula proportionum parallelorum, præſcripta in primo ordine numerorum ad manum ſiniſtram ſub titulo gradus parallelorum, qua reperta, quære differentiam graduum longitudinum in fronte eiuſdem tabulæ, Vbicunq; enim hij duo numeri differentiales, tam longitudinum quàm latitudinum in modum gnomonis angulum communem cauſauerint, ibi gradus & minuta æquinoctialis offendes correſpondentes gradibus longitudinum extra æquatorem, quos duc in ſe quadratè, quadratum ſerua. Deinde differentiam latitudinum etiam duc in ſe quadrate, hos aggregando demum numeros in ſimul, quære totius aggregati radicem quadratam, quam multiplica aut in miliaria Italica, aut Germanica communia, aut Ptolemaica &c. & productum diſtantiam in miliaribus oſtendit. Exemplo hauries: Sit Damaſcus Syriæ, quæ habet gradus longitudinis 69 mi. 0. Latitudinis autem gradus 33. mi. 10. Babylon capitalis Babyloniæ, quæ habet gradus longitudinis 79. minu. 0. Latitudinis uero gra. 35. mi. 0. Differentia longitudinum eſt 10 grad. Latitudinum uero differentia eſt graduum 2. Medietas differentiæ latitudinum eſt gra. 1. quæ addatur minori latitudini ſcilicet 33 gradibus, & proueniunt 34. grad. Vel detrahe à maiori latitudine, uidelicet 35. gradibus, & uenient 34. gradus. Hæc enim uocatur latitudo media, hanc quæro in ordine graduum latitudinum, ſub titulo gradus parallelorum, ad ſiniſtram tabulæ, & differentiam graduum longitudinum ſcilicet 10 in fronte tabulæ, è quorum directo reperio in angulo communi gradus 8. mi. 17. ſecunda 25. & uocatur numerus conuerſus uel reductus. Hunc multiplico in ſe quadrate, & colligo gradus 64. mi. 289. ſecunda, 625. numerum ſcilicet quadratum numeri conuerſi. Nunc etiam duco gradus 2. differentiæ ſcilicet latitudinum quadrat. Aggrega numeros in unum, & reſultant gradus 72. min. 43. ſecunda 43. tertia 20. quarta 25. Huius ergo numeri radix quadrata eſt 8. graduum, 31. minutorum, 41. ſecundorum, quæ multiplico in 15. miliaria communia germanica, & proueniunt miliaria Germanica communia 127. minuta 51. ſecunda 5. quarum 60. unum miliare conficiunt, Itineraria diſtantia inter Damaſcum & Babylonem.

Forma practicæ huius exempli, de integris ad abacum ſupputatorium ponenda.

	Longitudo.			Latitudo.		
Damaſcus	69	0		33	0	
Babylon	79	0		35	0	
	10	0	differentia longit.	2	0	Differentia latitudinum.
				1	0	Medietas differentiæ latitu.
				34	0	Latitudo media.

Cum 10 gradibus differentia longitudinum, & latitudine media gra. 34 ſcilicet intra tabulam proportionum ſingulorum parallelorum &c.

Gra. Mi. Sec.

8 17 25 Aequatoris numerus reductus ex area tabulæ.

68 43 43 20 25 Numerus quadratus huius numeri reducti, ſcilicet 8. 17. 25.

4 Numerus quadratus differentiæ latitudinum, ſcilicet 2.

72 43 43 20 25 Aggregatum quadratorum numerorum ſupra poſitorum.

8 31 41 Radix quadrati aggregati, hanc multiplica per 15. miliaria Germanica communia, & proueniunt 127 miliaria, 55 minuta, 15 ſecunda.

Quòd

Quòd ſi differentiæ longitudinum uel latitudinum, aut utræq; differentiæ minuta adhęſerint, erit intrandum duplici introitu, hoc modo: Intrabis primo cum differentia longitudinum & latitudine intermedia proximo minoribus, & angulum communem extra notabis, eum deniq; angulum cõmunem conferas ad numerum immediate ſequentem maiorem, & de differentia horum numerorum, accipies partem proportionalem, ſecundum proportionem minutorum, iuxta gradus integros latitudinis intermediæ exiſtentium ad 60 minuta, quemadmodum in principio huius operis accepiſti. Subtrahendum quidem ſemper ab angulo communi, eò quòd ſequens numerus in area tabulæ ſemper minor anguli communi ſit, quam partem proportionalem, ſeruabis ſeorſum cum nota minutionis, uti res ipſa exigit.

Deinde pariformiter conferes angulum communem memoratum ad numerum ei collateralem uerſus dextram, ſi illic repertus ſit, ſin uero, colligetur ex numero collecto & expanſo, ſicuti etiam in præcedentibus accepiſti in declaratione tabularum, & de differentia anguli communis, numeriq; collateralis, accipies partem proportionalem, ſecundum proportionem minutorum differentiæ longitudinum ad 60. quæ erit ſemper addenda, eò quòd numerus collateralis angulo communi ſemper maior ſit. Hæ itaq; duæ partes proportionales, ſi æquales fuerint, angulus communis intactus relinquitur. Si inæquales extiterint, differentia earum addetur angulo communi, ſi maior pars proportionalis addenda erat aut minuetur ex eo, ſi maior minuenda erat, & quod colligitur, commonſtrabit gradus & minuta æquatorum qui debentur gradibus & minutis longitudinum differentiæ propoſitæ extra æquatorem in parallelo propoſito. Exemplum accipe: Norinberga Germaniæ centrum, habet gradus longitudinis 31. minuta 30. Latitudinis uero 49. 0. Roma urbs Italiæ clariſsima, habet gradus longitudinis 36. minuta 40. latitudinis autem gradus 41. minuta 40. Differentia longitudinum eſt graduum 5. minutorum 10. Latitudinum uero differentia eſt graduum 7, minutorum 20. Erit ergo latitudo media graduum 45. minutorum 20. Inueſtigaturus igitur numerum graduum, & minutorum &c. correſpondentium gradibus 5. minutis 10. differentiæ ſcilicet longitudinum, intro tabulam præſcriptam, cum latitudine earum intermedia propoſita, ut docet Canon, uidelicet cum 45. gradibus ad ſiniſtram in primo ordine numerorum, 5. autem gradus differentiæ longitudinum extra æquatorem in ordine numerorum in fronte tabulæ deſcendendo in eiuſdem numeri columnula, uſq; ad uerſum 45. gra. latitudinem ſcilicet mediam, & ibi accipio angulum cõmunem graduum 3. minutorum 32. ſecundorum 3. Cuius quidem anguli communis, & numeri immediate ſubſequentis differentia eſt minutorum 3. ſecundorum 39. quia ſubſequens numerus eſt graduum 3. minutorum 28. ſecundorum 24. de qua ſcilicet differentia 3. minut. 39. accipio partem proportionalem, ſecundum proportionem minutorum 20. latitudinis intermediæ ad 60, minuta, quæ eſt minutorum 1. ſecundorum 13. ſubtrahenda, ſimiliter confero angulum communem ad numerum ei collateralem uerſus dextram, qui eſt graduum 4. minu. 14. ſecun. 27. appellaturq; numerus collateralis. Eorum differentia eſt minutorum 42. ſecundorum 24. de qua accipio partem proportionalem ſecundum proportionem minutorum 10. differentiæ ſcilicet longitudinum ad 60. minut. eſt minutorum 7. ſecundorum 4. addenda. Dempta igitur nunc parte proportionali latitudinis, ex parte proportionali longitudinis, manent minuta 5. ſecunda 51. addenda, quæ addo angulo communi, & inuenio gradus 3. minut. 37. ſecunda 54. æquatoris, numerus ſcilicet conuerſus ſiue reductus correſpondens gradibus 5. minu. 10. longitudinum in parallelo propoſito. Nunc operare iuxta priorem canonis partem de numeris quadratis, & proueniunt miliaria 122. cum 44. minutis, & 45. ſecundis unius miliaris Germanici.

Forma practicæ in fracturis iam dictis ad Abacum locanda.

	Longitudo			Latitudo.		
Roma	36	40		41	40	
Norinberga	31	30		49	0	
	5	10	Differentia longi.	7	20	Differentia latitudinum.
				3	40	Media lati. differentiæ.
				45	20	Latitudo intermedia.

Cum gradibus 5. min.10. differentiæ longitudinum, & gradibus 45.min.20. latitudine intermedia intra tabulam proportionum ſingulorum parallelorum &c. duplici introitu propter adiacentia minuta.

Primus Introitus.

Minor introitus.	45	3	32	3	Angulus communis
Maior introitus.	46	3	28	24	Subſequens.
			3	39	differentia
			20	mi.	latitudine intermedia
			1	13	pars proportionalis. S

Secundus Introitus.

Minor introitus.	5	3	32	3	Angulus communis.
Maior introitus.	6	4	14	27	Collateralis.
			42	24	Differentia.
			10	mi.	Differentiæ longitudinis.
			7	4	Pars proportionalis. A

Comparatio partium proportionalium.

Min.	Secun.	
1	13	S Pars proportionalis pro 20.mi.latitudinis intermediæ reperta.
7	4	A Pars proportionalis per 10.mi.differentię longitudinum inuenta.
5	51	Differentia illarum partium proportionaliũ A. quia maior earum erat addenda. Hanc differentiam addo angulo cõmuni eò quòd apud eam A. reperitur.

Gra.	Mi.	Se.	
3	32	3	Angulus communis.
	5	51	Differentia partium proportionalium. A
3	37	54	Aequatoris, & eſt numerus reductus, qui debetur gradibus 5. minut.10. longitudinum differentiæ.

Gra.	Mi.	Se.			
3	37	54			Numerus conuerſus.
13	11	20	24	36	Numerus quadratus huius conuerſi ſcilicet 3.37.54.
53	46	40			Numerus quadratus differentiæ latitudinum ſcilicet 7.20.
66	58	0	24	36	Aggregatum quadratorum numerorum ibi poſitorum.
8	10	59			Radix quadrata, quam multiplica per 15. & colliges 122. miliaria, 44 minuta, cum 45 ſecundis intercapedinem itinerum inter Noribergam & Romam.

Diſtantiam itinerariam duorum locorum ſimul & longitudine & latitudine diſcrepantium aliter quàm ſupra tradita propoſitio docuit, ſubtiliter rimari Arithmeticè.

Primo

PRimo quære differentiam tam longitudinum quàm latitudinum duorum locorum propoſitorum, quorum intercapedinem miliariorum ſcire optas. Deinde reſolue totam latitudinum differentiam in minuta per 60. & collectam ſummã duc in ſe quadratè, & productum ſerua ad partem. Poſtea æqua, & reduc differentiam longitudinum per tabulam proportionum parallelorum &c. in maiori Parallelo. Eſt autem maior parallelus, qui æquinoctiali circulo uicinior exiſtit, qui etiam minoris latitudinis eſt, qua differentia reducta ſiue æquata ad gradus æquatoris, reſolue eam in minuta, & productum duc in ſe quadratè. Hæc duo quadrata, uidelicet differentiæ latitudinis, & quadratum differentiæ longitudinum æquatum, ſimul iunge, Demum totius aggregati quære radicem quadratam, quæ notabit diſtantiam locorum in milaribus Ptholemaicis, quę ſexagenariæ, uel Italicę dicuntur, quæ diuiſę per 4. exibunt miliaria Germanica communia. Exemplum: Roma & Norinberga differunt in longitudine & latitudine, nam differentia latitudinum eorum, eſt graduum 7. mi. 20. Differentia autem longitudinum, eſt graduum 5. mi. 10. Hanc differentiam longitudinum reduco ad gradus & minuta æquatoris, & hoc in maiore parallelo, ſcilicet 41. gradibus, & 40. minutis, & intro duplici introitu, ut in ſequenti proceſſu.

Gra.	Mi.	Sec.		Gra.	Mi.	Sec.	
3	46	25	Angulus communis.	3	46	25	Angulus communis.
3	42	57	Subſequens.	4	31	42	Collateralis.
	3	28	Differentia.		45	17	Differentia.
	40	mi.	Vltra maiorem parallelũ ſ. 41.		10.	mi.	Vltra gra. 5. differẽtię longi.
	2	18	40 Pars proportionalis.	S	7	32	50 Pars proportionalis. A

Comparatio partium proportionalium.

Mi.	Se.	Ter.
7	32	50. A
2	18	40. S
5	14	40. A

Gra. Mi. Se.

Hanc differentiã adde angulo cõmuni ſupra ſeruato, & fiet 3. 51. 39. numerus æquatus & reductus ad gradus æquatorum, qui etiam reſoluetur ad minuta, & fient 232. minuta ferè, hunc duco in ſe quadratè, & fiet eius quadratus iſte, ſcilicet 53824.

Reſolue etiam differentiam latitudinum in minuta, & fient 440 mi. quæ duco in ſe quadrate, & fient 193600. quadratus differentiæ latitudinum. Hunc quadratum numerum adde priori quadrato, & fiet 247424. Huius numeri quæratur radix quadrata, quæ eſt 497. & ſunt miliaria Ptholemaica, uel ſexagenariæ, ſiue Italica, à Norinberga ad Romam, Germanica uero communia 124½. ſi numeris Ptolemæi credimus.

Aliud Exemplum.

DAmaſcus & Babylon differunt in longitudine per 10. gradus, in latitudine uero gradibus 2. parallelus maior eſt graduum 33. Differentia gra. 10. longitudinum in parallelo graduum 33. æquat gradus æquatoris 8. mi. 23. ſec. 12. qui reſoluti in minuta faciunt 503. minuta. Ducta in ſe quadratè, faciunt 253009. ſcilicet quadratum numerum. Differentia latitudinum eſt graduum 2. reſoluti in minuta, faciunt 120. minuta. Ducta in ſe quadratè faciunt, 14400. quadratum. Adde quadratos hos numeros, & fiet iſte quadratus, 26709. Radix quadrata huius eſt 517. & ſunt ſexagenariæ, ſiue Ptolemaica miliaria, Germanica uero communia, 129¼. inter Damaſcum & Babylonem.

Modus præcedens, itinerariam diſtantiam duorum locorum ſimul longitudine & latitudine differentium docens, antiquis ualde uſitatus diſcrepat aliquando in paucis ab iſto, ut in deductione exempli inter Damaſcum & Babylonem, per unum miliare, & $\frac{1}{2}$. Certiores uero reddimur per iam dictum modum. Nam huius propoſitionis demonſtratio, patet ex penultima primi elementorum Euclidis. Quoniam ex poſitione locorum ita longitudine & latitudine differentium intelligitur cauſari triangulus, rectangulus, quoniam omnes meridiani circuli ſecant omnes parallelos ad angulos rectos, quare ibi etiam circuli intelligantur in longum extenſi, & tunc circulorum latera erunt trianguli latera, quia ſegmentum circuli meridiani inter duos parallelos intercœptum eſt differentia latitudinum eorum locorum, & eſt latus unum trianguli rectanguli, Linea autem maioris paralleli inter duos meridianos extenſa, eſt differentia longitudinum eorundem locorum, & eſt reliquum latus trianguli rectanguli, diceturq́ baſis trianguli. Circulus autem productus, & in lineã extenſus à loco uno in ſuperiori parallelo conſtituto in locum alterum in inferiori parallelo, dicetur linea ſubtenſa à duobus lateribus rectum angulum continentibus. Hæc etenim linea ſubtenſa, notat diſtantiam uiatoriam dictorum locorum. Cuius etiam quadratum componitur ex quadratis duorum laterum triangulum rectangulum continentibus. Quare etiam datis quadratis laterum, cognoſcetur & quadratum lineæ ſubtenſæ duorum laterum & per conſequens ex radice quadrata, longitudo lineæ ſubtenſæ innoteſcet. Sic, etiam ibi latera duorum locorum ſunt data, Nam differentia latitudinum eſt latus unum, differentia autem longitudinum per tabulam ęquata eſt latus ſecundum, latera huiuſcemodi in partibus æqualibus, ut minutis uel ſecundis ſunt nota, & ideo quodlibet latus in ſe multiplicatum, & productum ſimul iuncta, dabitur etiam quadratum ſubtenſæ lineæ, quæ uiatoriam diſtantiam repræſentat, quia eius radix quadrata erit diſtantia locorum datorum, quare &c. Hoc etiam demonſtratur per 26. primi triangulorum Magiſtri Ioannis de monte regio.

Hoc ſimiliter fit etiam in priore modo, quia cum differentia longitudinum reducitur ad gradus & minuta æquatoris per parallelum intermedium, ſimiliter fit triangulum rectangulum, cuius unum latus circa rectum eſt differentia latitudinum, alterum rectum ambicatum, eſt differentia longitudinis reducta, ſubtendens rectum eſt diſtantia itineraria quæſita. Sed memineris modos poſitos in hoc libello, præſupponere planiciem terræ, quæ tamen gibboſa eſt, qui etſi, locis non longe remotis, errori exiguo obnoxij ſint, tamen in remotioribus, ad depræhendendam ueram diſtantiam, conſulenda erunt ſcripta Regiomontani, utpote, tabulæ primi mobilis, uel libellus demonſtrationum earundem à me æditus Neuburgi.

Datis latitudinibus duorum locorum, & eorum itineraria diſtantia data, differentiam longitudinalem amborum locorum per tabulam proportionum parallelorum inueſtigare.

SI itinerarium interuallum tui propoſiti datum ſit in miliaribus Germanicis communibus uel alijs, conuerte ea in miliaria Ptolemaica, deinde duc ea in ſe quadrate, & erit primus numerus quadratus, reduc deinde etiam differentiam latitudinum ad minuta, quã etiam duc in ſe quadrate, & erit ſecundus numerus quadratus, Hunc ſecundum numerum quadratum ſubtrahe à primo numero quadrato antea inuento, id autem quod remanſerit oſtendet numerum quadratum tertium. Huius numeri quadrati quære radicem quadratam, qua inuenta eam reduc ad gradus, quia ſunt minuta & fient grad. & minut. Hunc numerum graduum & minutorum quære in area tabulæ

propor-

proportionum in parallelo maiori, id eſt, in eleuatione poli minori duorum locorum propoſitorum, quo reperto apparebit differentia longitudinum dictorum locorum in fronte tabulæ inter numeros differentiæ longitudinum. Exemplo hoc aperiam, proponatur mihi Damaſcus & Babylon, quarum itineraria diſtantia in miliaribus Ptolemaicis fertur eſſe 517. huius quadratus numerus 267289. & eſt unus numerus quadratus. Differentia latitudinum illorum locorum eſt graduum 2. qui reſoluti in minuta faciunt. 120, quorum numerus quadratus eſt 14400. & eſt ſecundus numerus quadratus. Hunc ſecundum quadratum tollo de primo quadrato & manebunt 252889. & eſt tertius quadratus. Huius tertij quadrati quæro radicem quadratam quæ eſt 505. & ſunt minuta, eo quod omnes numeri ſunt minuta. Illa 503. minuta reduco ad gradus, & fient gradus 8. minuta 23. Hos gradus & minuta quæro in area tabulæ proportionum parallelorum &c. in maiori parallelo dictorum locorum ſcilicet 33. grad. quos reperio ſub 10. gradum differentiæ longitudinum, quare pronuncio Damaſcum & Babylonem differre in 10. gra. longitudinum. Hæc etiã propoſitio ex præcedenti procedit. Nam ſi alterum ex lateribus rectum angulum conſtituentibus datum fuerit cum latere rectum eundem angulum ſubtendente, quadratum minoris ex quadrato maioris demas, & relicti quadrata radix tertium latus notificabit.

SECVNDA PARS
HVIVS DE DISTANTIIS VIARVM inueniendis uia Geometrica.

Diſtantias locorum in miliaribus Geometricè per globum Geographicum ſubtiliter reperire.


Portionis circuli magni inter duo loca interceptæ proportio ad totum circulum, miliariorum inter loca interceptorum ad totum ambitum terræ habitudinem indicat. Quare extendatur circinus ſecundum locorum intercapedinem in globo Geographico, ſi ibi inſerta ſunt: & eum ſic inuariatum transfer ſupra æquatorem in eodem globo, & quotquot ibi gradus intra pedes duos circini inueneris, tot erunt gradus circuli magni inter duo loca propoſita, hos gradus multiplica per 60. & habebis miliaria Ptolemaica, uel per 15. & habebis germanica communia. Si autem hæc eadem loca quorum diſtantiam itinerariam quæris, non fuerint expreſſa in globo, impone ea iſto modo: Accipe globum Geographicum aut etiam ſi uis quemcunq; alium qui habeat æquinoctialem diuiſum in 360 gradus, habeatq; armillam meridianam mobilem. Deinde unius loci latitudinem ab æquinoctiali polum uerſus in meridiano mobili computa, qua explorata circumuolue globum, donec gradus æquatoris, qui longitudinis gradum in præſentiarum tenet, directè ſit ſub iſto meridiano mobili, poſtea fac ſignaturam in globo circa gradũ latitudinis, hæc enim ſignatura ſitum dicti loci manifeſtat. Idẽ modus erit inueniendi ſitũ alterius loci. Sic enim operare in omnibus locis imponendis. Exemplo accipe: Volo itinerariã diſtantiam inter Nurmbergam & Neapolim. Nurmberga habet in longitudine gradus 31. minuta 30. In latitudine gradus 49. Neapolis uero habet in longitudine gradus 40. minuta 0. in latitudine autem gradus 40. mi. 30. Quibus iuxta præceptum huius propoſitionis in globum poſitis, inuenio intra pedes circini gra. 10. minuta 40. ferè, quòd ſi hos gradus & minuta multiplicas per 60. produces miliaria Ptolemaica, per 15 autem miliaria communia germanica produces.

SECVND. PARS DE DISTANTIIS IN Metheoroſcopium: rationem continens ſiue proportionem ſingulorum parallelorum ad æquinoctialem uel quemlibet maximum circulum pro diſtantijs uiarum geometricè reperiendis: conſtruere.

PRotrahentur duæ lineæ ſatis longe in quodam plano, quæ ſeſe ad rectũ angulum ad modum gnomonis contingant. Iſte enim contactus illarum duarum linearum erit initium numerorum, & centrum inſtrumenti, noteturꝗ litera A. Deinde protrahe cuilibet lineæ tres parallelas ab extra, primam & proximam cuiꝗ prius productæ ad ſemidiſtantiam calami pro minutis, ſecundam pro inſcriptione numerorum minutorum de 10. in 10. uel de 20. in 20 ad placitum, tertiam lineam pro numero graduum gnomonis, fiant autem gradus ad placitum, maiores tamẽ ita ut in ſingula minuta diuidi ualeant, uel quòd una diuiſio uel particula contineat duo minuta uel 4. ad minus, etiã numerus graduum illarum linearum gnomonis fiet ad placitum 20. graduum uel 12 uel 15. In noſtro autem inſtrumento, hic appoſito fecimus diſtinctionem graduum uel gnomonis per 12 gradus æquales, quorum numerus ab A centro inſtrumenti incoatur. Ad latus etiam gnomonis ſiniſtrum fac ſcalam pro miliaribus tam germanicis quàm Ptolemaicis pro quolibet gradu gnomonis ponendo 15. miliaria germanica, 60. uero Italica ſiue Ptolemaica. Ea etiam ratione ponuntur in hoc noſtro inſtrumento apud 12. gradum gnomonis 180. germanica 720. Italica. Iſtis ſic ritè iuſte diuiſis, dimitte ſpacium ad latitudinem unius digiti ſub qualibet linea minutorum gnomonis. Deinde pone pedem unum circini in A. punctum, reliquum ad finem ultimi gradus gnomonis, & deſcribe circulum, ſecundum longitudinem laterum gnomonis. Demum pone notam B. ad latus ſiniſtrum gnomonis. C. uero notam ad dextrum gnomonis. Intelligo autem latus ſiniſtrum ab A. in B. deſcendendo ad uſꝗ circulum iam productum. Dextrum uero ab A. nota in C. notam in uertice inſtrumenti. Circulus autem iſte ſic ex centro A. per B. & C. productus, ſegmentum æquinoctiale repræſentabit. Huic ſegmento coniunge officio circini ab extra ex A. centro unum circulum maiorem tantum diſtantem ab ipſo ſegmento, quod inter eos ſignari poſsint diuiſiones minutorum. Poſtea ſub eodem centro produc tertium circulum maiorem ſecundo, & diſtet á ſibi proximo, ut inter ipſos poſsit ſcribi numerus minutorum de 10. in 10. uel de 20. in 20. Rurſus iterum ſub eodem A centro extenſo circino, deſcribe quartum circulum maiorem omnibus alijs, ita ut in eum ſcribi poſsint gradus æquinoctialis. Tandem diuide ſegmentũ hoc æquatoris ſecundũ quantitatem graduum laterum gnomonis in gradus, id eſt quilibet gradus in hoc ſegmento æquatorum ſit tantæ magnitudinis quantæ ſit quilibet gradus gnomonis. Deinde diuide etiam quemlibet gradum in 60. minuta inſcribendo etiam numeros eorum tam graduum quam minutorum. Quibus perfectis diuide lineam A. B. in 9. partes æquales, deinde quemlibet in 2. & continebit quælibet 5. partes ſiue gradus, qui ſunt gradus parallelorũ ab æquatore ſiue altitudo poli, poteris tamen primos duos nouenarios apud A literam abijcere indiuiſos, quia ultra 70. gradum pauca reperiuntur loca habitabilia, lineæ etiam A B uerſus latus gnomonis ſiniſtrũ aliam adiunge lineam tantum diſtantem, ut inter eos ſinguli gradus parallelorum diuidi poſsint & diſtingui: deinde huic etiam lineæ adiunge aliam pro numero graduũ ab æquinoctiali inchoando de 5. in 5. aſcendendo. Quibus etiã perfectis. Pone pedem unũ circini in A punctum, reliquum uere in 5. gradus eleuationis poli ultra æquatorem, & protrahe reliquos eius parallelorum ſiue circulum. Sic conſimiliter comprime circinum & protrabe reliquos omnes parallelos de 5. gradibus in 5. uſꝗ ad 70. á linea A B in lineam A C. Hos autem parallelos ita productos diuide de gradu in gradum per tabulam proportionum ſingulorum parallelorum &c. ſupra poſitam. Iſto ingenio, primo intra tabulam ſub 1. gradu differentia longitudinum in fronte, tabulæ

uſꝗ

uſq; ad quintum parallelum tabulæ, & accipe ibidem numerum gra. o. mi. 59. ſe. 46 quæ numerabis in mi. & ſecu. ſegmenti æquatoris à B. nota, ſuper eum numerum li-neale ponendo & reliquam partem ſupra A. centrum inſtrumenti notando interſe-ctionem linealis & paralleli 5. gra. & ibidem notam faciendo. Deinde accipe etiam ex eadem tabula ſub eadem ſerie gradus 1. differentię longitudinum numerum gra-duum minutorum &c. in parallelo qui, 10. gradibus eleuationis poli debetur & eſt graduum o. mi. 59. ſec. 5. Hos etiam numero in ſegmento æquatorum à B. nota uer-ſus C. & poſito lineali cum una eius parte ſupra eundem numerum in æquatore, re-liqua uero in centrum A. & ubi lineale hunc ſecundum parallelum qui 10. gradibus debetur ferierit, facio etiam notam, ſic etiam fac in omnibus parallelis ab æquatore aſcendendo uſq; ad 70. iuxta numeros tabulæ. Deinde duc à puncto in punctum lineas, quibus etiam ſic productis diuide quemlibet gradum in quolibet parallelo in 5. partes æquales, produc etiam lineas de puncto in punctum ut prius, finaliter impo ne centro A filum cum margarita, & erit hoc Metheoroſcopium perfectum.



Differentiam graduum & minutorum longitudinum extra æqua-torem ad gradus & minuta æquatoris reducere.

Pone

POne filum inſtrumenti ad lineam A. B. & in tali ſitu dirige nodulum ſiue margaritam ad graduum tui paralleli, uel eleuationem poli, poſtea extende filum cum magarita ita immota, ad gradum & minutum differentiæ longitudinum in eodem parallelo, tunc oſtendet tibi filum ita extenſum inter gradus & minuta ſegmenti æquatorum gradus & minuta æquatorum, quæ tuæ differentiæ longitudinum in tuo propoſito parallelo debentur. Diciturq́ tunc numerus conuerſus, ſiue reductus ad grad. æquatorum. Exemplum, uolo gradus 6. minut. 10. differentiæ longitudinum reducere ad gradus æquatorum in eleuatione poli, ſiue parallelo 49. graduum, quare duco filium ad lineam A.B. & margaritam tali ſitu ad gradum ſiue parallelum 49. tunc duco margaritam cum filo extenſo ſupra 6, gra. 10. mi. & cadit filum in ſegmento æquatorum ad gradum 4. ferè, quarę dico quod 4. gradus æquatorum tantum ualent quantum 6. grad. & 10. min. in 49. parallelo.

Duorum locorum latitudine tantummodo differentium, diſtantiam itinerariam per hoc Metheoroſcopium ſubtiliter inuenire.

SVbtrahe minorem latitudinem â maiori, & quod remanet erit differentia latitudinis duorum dictorum locorum. Talem differentiam in gradibus & minutis quære in latere gnomonis huius inſtrumenti ad læuam lineæ A.B. quæ relata ad numerum miliariorum in ſcala, oſtendet ibidem numerum miliariorum uel Germanicorum, uel Italicorum inter duo loca propoſita. Exemplo hoc oſtendam. Norimberga habet gradus latitudinis 49. min. 0. Druſomagus Rhetiæ uerô gradus 46. min. 5. Hæ ciuitates æquantur in longitudine, ſed differunt in latitudine, nam differentia earum latitudinis eſt graduum 2. min. 55. Illis ergo gradibus 2. & min. 55. adiacent miliaria germanica 44. ferè diſtantia itineraria earum. Italica uero ſiue Ptolemaica 176.

Duorum locorum longitudine ſolum differentium, intercapedine itineris in miliaribus per hoc inſtrumentum ſumere.

SI duo loca propoſita ſita ſunt ſub ęquatore, & differunt in gradibus longitudinis, erit omnimodo operatio ſicut in præcedenti de differentibus tantummodo in latitudine, quia tunc minor longitudo ſubtrahetur â longitudine maiori, & cum differentia tali agatur ut ſupra.

Si autem differunt ſola longitudine, extra æquatorem tamen ſitæ, id eſt, in uno parallelo: Primô ſutrahe minorem longitudinem â maiori, & quod remanet uocatur differentia longitudinum. Hanc differentiam longitudinum reduc ad gradus æquatorum, ſicuti capite 1. huius edoctus es. Poſtea quære eandem reductam differentiam in latere gnomonis ad ſiniſtram lineæ A. B. quæ ut prius relata ad ſcalam miliariorum, oſtendit tibi numerum miliariorum germanicorum. Exemplum ſume. Toletum Hiſpaniæ habet gradus longitudinis 10. mi. 0. Neapolis Campaniæ habet gradus longitudinis 40. min. 0. habent autem eandem latitudinem, id eſt, ſunt ſub uno parallelo, ſcilicet 41. gradibus, ſed differunt in longitudine, quia differentia earum longitudinis eſt 30. graduũ, quare hos 30. gradus reduco ad gradus æquatoris per caput 1. & inuenio gradus 22. minuta 40. quia intraui inſtrumentum duplici introitu, primo cum 15. gradibus in parallelo 41. & reperi gradus 11. mi. 20. quos iterum ſecundo introitu per 15. gradus reperi, & uenerunt gradus 22. minut. 40. Hos gradus & mi. quæro in latere gnomonis ad læuam manum, apud lineam A.B. Sed quia eos ſimul uno introitu minime reperio, quare accipio primo miliaria

pro

pro numero dimidio, ſcilicet pro gradibus 11. & 20. minutis, & ueniunt. 170. quæ miliaria ſi duplauero, colligo. 340. miliaria germanica. Sic etiam colliges Italica.

Duorum locorum ſimul longitudine & latitudine differentium, itinerariam diſtantiam Geometrice per inſtrumentum hoc capere.

DIfferentiam longitudinum datorum locorum reduc ad gradus & minuta æquatoris in parallelo maiori dictorum locorum, iuxta capitis 1. doctrinam, deinde quære iam reductos gradus & minuta in uno latere gnomonis aut A. B, uel A. C. ubicunq; enim numerus dictorum graduū & minutorum reperitur, ibi pone notam unam. Poſtea quære etiam differentiam latitudinum in gradibus & minutis in reliquo latere gnomonis, ad cuius etiam finem fac reliquam notam. Dehinc pone pedem unum circini in unam notarum iam factam, reliquum extendendo in notam alteram alterius lateris, & circino incompreſſo, pone pedem unum eius in A. punctum, reliquum applicabis ſcalæ miliariorum, quoniam eius tactus ibidem numerum oſtendit in germanicis ac etiam Ptolemaicis miliaribus inter dicta loca. Exemplum, Nurmberga & Neapolis habēt differentiam longitudinum graduum 8. minutorum 30. Latitudinum etiam differentia eorum eſt ſimiliter graduum 8. minutorum 30. Aequata ergo differentia longitudinum in maiori parallelo 40. ſcilicet graduum, minutorum 30. quoniam minor latior eſt 49. graduum, eo quod diſtat ab æquatore: eſt graduum 6. minutorū 30. fere. Nunc pono unum pedem circini in gradum 8. minutum 30. differentiam ſcilicet latitudinum in uno latere gnomonis, reliquum uero in gra. 6. mi. 30. reductos, ad reliquum latus gnomonis, & circino non compreſſo applico pedem unum in A. punctum, reliquum uero ſiniſtro lateri gnomonis apud ſcalam miliariorum, & reperio ibidem 160. miliaria germanica, Ptolemaica ſiue Italica 640.

Data differentia latitudinum duorum locorum cum eorum itineraria diſtantia, differentiam graduum longitudinum dictorum locorum, per hoc metheoroſcopium ſubtiliter reperire.

ACcipe in ſcala miliariorum diſtantiam itinerariam duorū locorum propoſitorum mediante circino, & eo non compreſſo pone pedem unum circini eiuſdem in gradum & minutum differentiæ latitudinum locorum in uno latere gnomonis, reliquum uero pedem circini ad alterum latus gnomonis ita inuariatum applica, notando ibidem gradum & minutum à reliquo pede circini tactum. Hunc gradum & minutum ita repertum quære in gradibus & minutis ſegmenti æquatoris, & ſupra eundem gradum & minutum protende filum inſtrumenti. Ducendo tamen prius margaritam ſiue nodulum fili ad maiorem parallelum duorum dictorum locorum, & quemcunq; gradum & minutum margarita ſiue nodulus fili tetigerit in eodem maiori parallelo, hic erit gradus & minutum differentiæ longitudinum dictorum locorum. Exemplo accipe: Nurmberga & Neapolis diſtant per 160. miliaria germanica, differentia earum latitudinum eſt 8. graduum & minutorum 30. Volo ſcire differentiam longitudinum earum. Quare ſi pedes circini per 160. miliaria ſcalæ huius inſtrumenti extendo, & demum unum pedem eiuſdem extenſionis in differentia graduum latitudinum 8. minutorum 30. in uno latere gnomonis applicuero, tunc ſi duxero reliquum pede circini huius extenſionis ad reliquū latus gnomonis, tanget tunc idem pes gra. 6. mi. 30. Hos quæro in ſegmento, uel circulo æquatoris, nodulo uel margarita antea maiori parallelo dictorum locorum, ſcilicet gra. 40. mi. 30. applicato, tunc idem

idem nodulus feriet gradum 8. minut. 30. in hoc maiori parallelo, & eſt differentia graduum & minutorum longitudinum locorum propoſitorum, ſcilicet inter Norinbergã & Neapolim. Si uero hæc duo loca ſub uno eſſent parallelo, id eſt, ſi haberent eandem latitudinem, tunc pone pedem unum circini in A punctum, reliquum applicando ſcalæ miliariorum ad diſtantiam itinerariam duorum locorum propoſitorum, tunc ibidem inuenies gradus & minuta, quæ debentur tali diſtantiæ. Hos demum quære in gradibus & minutis ſegmenti æquatoris, & age, ut ſupra.

Appendices.

Radicem quadratam faciliter mediante tabula ſequenti extrahere.

SI quæris radicem quadratam alicuius numeri, Intra tabulam ſequentem, quærendo eum numerum cuius radicem quæris in ordine numerorum quadratorum, quem ſi præciſe inueneris ibidem ſcriptum, numerus ei adiacens ad ſiniſtram in ordine radicum, erit eius numeri radix quadrata. Vt exempli cauſa. Si uelis huius numeri 625. radicem quadratam, ingredere tabulam ſequentem, quærendo eum in ordine numerorum quadratorum, & ad ſiniſtram ſub ordine radicum inuenies 25. radicem quadratam dicti numeri.

Si uero numerus cuius quæris radicem quadratam, non fuerit expreſſus in tabula, operandum erit duplici introitu, & hoc in hunc modum: Accipe duos numeros quadratos in tabula expreſſos, quorum alter quidem proximo minor extat numero propoſito, alter autem immediate maior, & minor eorum ex maiori demptus, numerum reliquum appellabis primum, qui quidem eſt portio uel fractio integri numeri, appellaturq; differentia, & erit diuiſor. Deinde prædictum numerum minorem ſubtrahe à numero propoſito cuius quæris radicem quadratam, & reſiduum pro numero ſecundo teneto, tertius autem numerus ſemper erit 60. Duc itaq; ſecundum in tertium & productum diuide per primum, quod nanq; huiuſcemodi diuiſione collectum fuerit de fractionibus, adijciendum erit numero integro radicis quadratæ ex directo numeri minoris inuento ad ſiniſtram, & colligitur numerus integer cum fractionibus, uidelicet radix quadrata uera numeri propoſiti. Sit uerbi gratia numerus propoſitus 829. Hunc numerum non inuenio præciſe in tabula, quare proximus ei minor eſt 784. proximus autem maior 841. horum numerorum differentia eſt 57. prout ad dexteram appoſitum cernis, & hæc differentia eſt primus numerus & diuiſor, minor deniq; numerus ſubtractus ex numero propoſito, relinquit 45. ſecundum ſcilicet numerum. Tertius autem numerus erit ſemper 60. Duco igitur ſecundum in tertium, producuntur 2700. partes fractiones, quę diuiſæ per primum numerum ſcilicet 57. partes uel fractiones, eliciuntur 47. fere fractiones addendo radici quadratæ ſcilicet 28. & perueniunt 28. integra & 47. fractiones, radix ſcilicet quadrata numeri propoſiti ſcilicet 829.

Hanc regulam præciſam operationem non dare à uero tamẽ parũ aberrare ſcias.

Canon extenſionis tabulæ ſequentis.

TAbula ſequens extractionis radicum quadratorum erit continuanda in hunc modum: Adde binarium numerum ultimæ differentiæ, & erit numerus differentialis immediate ſequens, qui ſi numero quadrato immediate pręcedenti additur, erit numerus quadratus ſtatim ſequens iſto enim modo poteris continuare tabulam uſq; in infinitum &c.

Tabula


Tabula extractionis radicum quadratorum.

Radix	Qua. num.	dif	Radix	Qua. num.	diff.	Radix	Qua. num.	diff.
2	4	0	35	1225	69	68	4624	135
3	9	5	36	1296	71	69	4761	137
4	16	7	37	1369	73	70	4900	139
5	25	9	38	1444	75	71	5041	141
6	36	11	39	1521	77	72	5184	143
7	49	13	40	1600	79	73	5329	145
8	64	15	41	1681	81	74	5476	147
9	81	17	42	1764	83	75	5625	149
10	100	19	43	1849	85	76	5776	151
11	121	21	44	1936	87	77	5929	153
12	144	23	45	2025	89	78	6084	155
13	169	25	46	2116	91	79	9241	157
14	196	27	47	2209	93	80	6400	159
15	225	29	48	2304	95	81	6561	161
16	256	31	49	2401	97	82	6724	163
17	289	33	50	2500	99	83	6889	165
18	324	35	51	2601	101	84	7056	167
19	361	37	52	2704	103	85	7225	169
20	400	39	53	2809	105	86	7396	171
21	441	41	54	2916	107	87	7569	173
22	484	43	55	3025	109	88	7744	175
23	529	45	56	3136	111	89	7921	177
24	576	47	57	3249	113	90	8100	179
25	625	49	58	3364	115	91	8281	181
26	676	51	59	3481	117	92	8464	183
27	729	53	60	3600	119	93	8649	185
28	784	55	61	3721	121	94	8836	187
29	841	57	62	3844	123	95	9025	189
30	900	59	63	3969	125	96	9219	191
31	961	61	64	4096	127	97	9409	193
32	1024	63	65	4225	129	98	9604	195
33	1086	65	66	4356	131	99	9801	197
34	1156	67	67	4489	133	100	10000	199
		60			135			201

QVISQVIS præter haſce tabulas noſtras, aliam quoq; cognitionem concipere uoluerit, illum ego ad quatuor ultima problemata, que Ioannes de Monteregio, ſuper magna compoſitione Ptolemæi, quam Almageſtum uocant, conſcripſit, remitto.

FINIS.

IOANNIS SCHONERI CAROLOSTADII, FRANCI, MATHEMATICI, DE CONSTRVCTIONE Torqueti, Dogmata ſex.




DOGMA I.

Duas quadrangulares tabulas, unamq́ circularem unà cum triangulo eleuationis Æquinoctialis, pro conſtructione Torqueti præparare.

FABRICA TORQVETI

PRIMVM duæ tibi conficiendæ ſunt tabulæ, ut uocant, Quadrangulares, quæ ſuperficierum ſint planiſsimarum. Facies autem uel ex metallo aliquo ſolido, uel ex ligno quopiam, quod iam longo ſitu ſoliditatem induit, quarum unam quidem inferne collocabis, quæ fundamentum Torqueti, ſiue tabella Horizontalis appellari poterit. Sitq; hæc paulo maior, puta ad digitos duos aut tres, quàm ea quæ ſuperne collocanda fuerit. Quin & lineam quandam per medium Horizontalis tabulæ ducere oportet, quæ recta tibi Meridianam repræſentabit lineam. Deinde quas ſic operatus es tabulas, inuicem, inſtar horologiorum, quæ uulgo Compaſſas uocamus, uel alia quapiam, & ad hoc idonea inuentione, coniunge. Deinde uero ſuperficies eius, quæ ſuperne poſita eſt, Tabulæ, excauanda uenit circulatim, hoc eſt, ut dicitur, orbiculariter, ſic tamen ut limbus ſiue margo eminentia ſua ſuperet excauationem. Qui quidem deinde limbus, Aequinoctialis uocabitur ambitus. Quod cum factum fuerit, alia eiuſdem materiæ præparetur tabula, quæ priorem excauationem æquè expleat, quæq; nullum orbicularis uolutionis ſuæ recipiat impedimentum: conueniatq; ſuperficies eius ex æquo cum ſuperficie quadrangularis tabulæ, uno duntaxat exempto denticulo, qui dictæ ſuperficiei inhæreat. Et hæc deinceps, nempe orbicularis tabula, Aequinoctialem in cœlo clare repræſentat. Porrò quia tabula illa ſuperior, quam dicimus quadrangularem, ad eleuationẽ Aequinoctialis circuli, loco in quo uti uolueris Torqueto, eleuari debet, ſumme proſpiciendum, ut tabulæ Horizontali unam adhuc aliam coniungas tabulam, qua monſtrante, eandem quadrangularem, id eſt, Aequinoctialis circuli ambitum, rité ad ſitum Aequinoctialis loci illius, cuius cupidus es, eleuare poſsis. Quod quidem in hunc qui ſequitur modum fieri debet. Ducenda eſt primum ſemicircumferentia quædam loco quopiam plano, & ad id ſatis ſpacioſo, deinde per centrum eius ducendus eſt tibi diametrus, hoc eſt, oppoſitionis linea, quæ quidem linea, ſemicirculum utraq; à parte contingat. Tum etiam ſemicircumferentia illa in 90 æquales ſubinde ſcindenda partes, facto uidelicet initio à dextra, lęuam uerſus, donec ad 90 aſcendas uſq;. Quo habito pone unam regulæ extremitatem ſuper primum, id eſt, dextrum circumferentiæ latus, dirigendo reliquam eius extremitatem ſupra gradum eleuationis poli Arctici, loci aut regionis, cuius eleuationem habere uolueris, Lineam rectam protrahendo, quę linea ad infinitum uſq; deducta, eleuationem Aequinoctialis ſupra Horizontem regionis tuæ tibi demonſtrat. Hic tamen notabis, ut quicquid extra has rectas lineas apparuerit, penitus abijcias. In cuius te cognitionẽ ſubſcriptũ paulo inferius Schema deducere poteſt. Porrò per hanc eleuationis Aequinoctialis tabulam, eleuanda uenit illa ſuperior quadrangularis tabula, hunc in modum: Applica dextri lateris aciem huius ſcilicet tabulæ triangularis, ubi A nota ponitur Meridianæ, inferioris quadrangularis tabulæ lineæ uerſus Septentrionalem eius partem. Alteram uero trianguli partem, quæ in altitudinem uergit, eatenus Meridiem uerſus dirige, quatenus præciſe ſupra Meridianam inferioris quadrangularis tabulæ lineam conquieſcat, adeo ut ſuperior illa quadrangularis tabula, decentiſsime huic triangulo applicari ualeat. Poteris tamen etiam quadrangularem illam tabulam excauare, quatenus trianguli huius capax eſſe queat: deinde affigere illi & coaptare, ut eam cum uolueris & eleuare, & rurſus ſubmittere poſsis.


DOGMA



DOGMA II.


Scalam eleuationis Æquinoctialis, per quam tabula ſuperior quadrangularis, in quauis regione eleuari poſsit, fabricare.

SI porrò ad omnem eleuationem cuiuſcunque loci uel regionis, pro triangulo eleuationis Aequinoctialis, Scalam parare uolueris, duc quopiam in loco plano uel papyro lineam rectam ſatis longã, quæ ſit A B, locando A ad dexteram lineæ huius rectæ, B uero ad læuam. Deinde ſuper A notam, duc quadrantem circuli iuſtiſsimum, uerſus B notam ſecundum longitudinem ſtyli ad placitum ſumpti. Huius quadrantis latus dextrum ſit A C & ſtyli longitudo. Deinde hunc quadrantem, ut aſſolet, in 90 partes ęquales, apponendo diuiſionibus numeros de 10 in 10, numerum inchoando à latere A C quadrantis uerſus læuam, in ſignaturam primam, pone 10, in ſecundam deſcendendo 20, ita ut in linea A B, recipiantur 90. Cum autẽ hæc perfeceris, accipe mediante circini ſtyli longitudinem, & applica



pedem eius unum ſignaturę ſecundę quadrantis, ſcilicet 10, reliquum uagum, applica

lineę A B, notã ibidem faciendo, quę tibi complementum & finem 10 gradus huius Scalę, oſtendet, Deinde ſeruata eadem circini extenſione, pone pedem eius unum ad ſignaturã tertiã, 20 ſcilicet quadrantis, reliquũ uero, ut iam dictum eſt, applica lineę A B, faciens rurſus, ut ante, notam, quæ & ipſa tibi finem 20 gradus oſtendit. Eodẽ modo, eadẽq; extenſione circini age reliquos notando gradus, dum ex integro compleas hanc lineę A B Scalam. Notandum tamen quòd de decimis hic exemplificatũ eſt, quod etiam pro ſingulis gradibus id fieri oportebit. Poſtremo applicabis hãc Scalam, mediante circino lineæ Meridianæ, inferioris nempe quadrangularis tabulæ, huc ubi numerus in parte eius Septentrionali ab A puncto incipitur, Meridionalem uerſus eius tabulæ partem pergendo, ubi 90 poſita conſpiciuntur. Fac inſuper ut finis, cuiuslibet, in hac Scala, gradus, foramen recipiat, cui poſtea acumen ſtili eleuationis Aequinoctialis immittere poſsis. Qui quidem ſtilus quadrantis huius latus A C, longitudinem non excedit. Hunc deinceps tabulæ quadrangulari ſuperiori, ſcilicet parte eius inferiori rectiſsimè applicabis, ita tamen, ut illum unâ cum acumine eius, ad omnes & ſingulos præſcriptos gradus, quoties placuerit, mouere poſsis. Cuius rei argumentum, hac tibi in figura, ſubijcere placuit.



Aliter & facilius. Secundum ſtili longitudinem duplicatam, ex A centro, ut ſemiſſe dimetientis deſcripto ſemicirculo, eoque, ut aſſolet, in gradus ęquales 180 diuiſo, ad ſingula ſectionum puncta adiecta regula dimetienti πρὸς ὀρθὰς, ipſa diameter in 90 partes æquales, gradus latitudinum, ſecabitur.


DOGMA

DOGMA III.

Limbum ſuperioris tabulæ quadrangularis, itemq́ circularem Æquinoctialem in partes competentes diſtribuere.

CVM iam, ut paulo ante dictum eſt, ſuperiorem illam quadrangularem tabulam, huic inferiori tabulæ ritè applicuiſti, ea tibi in hunc qui ſequitur modum deſcribenda uenit. Itaq; centrum in medio eius quàm potes diligentiſsimè inueſtigabis, quo inuento, pinge mediante circino, in eminentia iuxta capacitatem eius limbum, ducendo circumferentias non minus quatuor, quæ tria contineant ſpacia, quorum primum horis 24 diei & noctis aſsignabitur. Alterum graduum numeris 360, à quinq; in quinq; inſcribendis, adnumerabitur. Tertium uero ſingulis 360 gradibus diſtribuendum, quorum quilibet quatuor, unius nempe horæ, minutias numerabit. Et hæ quidem ſingulæ circumferentiæ ex uno duntaxat centro exordia ſua ducunt. Quas deinde in quatuor partes æquales ſcindere decet, duobus in centro earum diametris orthogonicos, id eſt, æque angulariter, ſeſe interſecantibus, quemadmodum in limbis Aſtrolabiorum fieri ſolet. Summe tamen conandum, ut Meridiana inferioris tabulæ linea, præciſe diametro, & lineæ Meridianæ ſuperioris tabulæ ſubiaceat. Et hi circuli unà cum diuiſionibus ſuis limbum conſtituunt, quem deinde ambitum inſcribere licet Aequinoctialem. Quibus ritè peractis, rotulam orbicularem uolubilē excauationi quadrangularis antea aptatam duobus diametris quadra, ita ut duo illi diametri ſeſe in eius centro orthogonicos, id eſt æque angulariter, interſecantes, ritè reſpondeant quadrangularis illius tabulæ, cui immiſſa eſt, diametris, fiantq; harum tabularum iam non plura, ſed unum duntaxat centrum. Porrò ex centro rotulæ illius, adhuc alios, mediante circino, circulos deſcribe quatuor, qui tria conſtituant ſpacia. Primum ſingulis 360 gradibus duodecim ſignorum zodiaci deſeruiet. Alterum numeris graduū duodecim ſignorum zodiaci conueniet. Tertium uero uel nominibus, uel characteribus eorundem duodecim zodiaci ſignorum aſsignabitur. Vt autem dictarum rerum maiorem cum diuiſionis, tum ſubdiuiſionis notitiam habere poſsis, ad fabricam Aſtrolabiorum te remittimus, immò ut prorſus tibi deſit nihil, hoc oculis tuis, ceu indubię demonſtrationis ſimulachrum ſubijcere placuit.

Tabula Horizontalis, tabulæ etiam eleuationis æquinoctialis. Item & ambitus æquinoctialis cum ſignifero æquinoctialis archetypus.




DOGMA IIII.

Rotulam eclipticæ, unà cum duabus, ut uocant, menſalibus tabulis, quibus eadem rotula innitatur, fabricare, eandemq; in congruas diſtinguere partes.

Præpa-


PRæparanda fuerit Tabula quæpiam orbicularis, ſpiſſa, planiſsimæq́ superficiei, magnitudinis ſanè eiuſdem, aut penè eiuſdem cum priore illa circulari, hoc eſt, ſigniferi Aequinoctialis tabula, in cuius poſtea medio, equidem diligenter centrum inquirendum, quo ſuper, circino ducente, deſcribe omnes omnino circulos, quemadmodum præceptum eſt fieri in fabrica poſticæ, ſiue dorſi Aſtrolabij. Qui deinceps circuli duobus ortho-



gonicis, id eſt, æque angulariter, eodem in centro ſeſe interſecantibus diametris, in quatuor æqualia ſubinde ſpatia partiantur, & eadem interſectio eiuſdem iam dictæ rotulæ centrum tibi apertiſsimè demonſtrabit. Quibus ita habitis, diuide eandem eclipticę rotulam, & inſcribe omnia ſicut poſita ſuperius figura planiſsimè te docet, & ſicut etiam de poſtica Aſtrolabij præcipitur.

Quia uero eclipticæ rotula correſpondere debet cœleſti eclipticæ, neceſſario utiq́ duæ tabulę, ut uocant, menſales faciendæ ueniunt, quæ eandem eclipticæ tabulam ab Aequinoctiali ſignifero, ad maximam Solis obliquationem, declinent, quatenus principium Cancri in eminentia conſtitutum uideatur, principium uero Capricorni in imo iacere cognoſcatur, iuxta eclipticæ cœleſtis ueriſsimum ſitum. Fiunt autem prædictæ tabulæ in hunc, qui ſequitur, modum: Duc quopiam in loco plano, circumferentiam quandam, unà cum diuiſionibus ſuis, quemadmodum in primo dogmate ſufficienter diſputatum eſt. Deinde pone unam regulæ extremitatem directe ſuper loco 90 graduum, id eſt, ad læuam, ubi diametrus eandem circumferentiam attingit. Reliquam uero regulæ extremitatem dirige recte ad maximam Solis declinationem, quæ reperitur tempeſtate noſtra 23 graduum, 30 minutorum, ducendo lineam rectam. Hinc quicquid extra haſce duas apparuerit lineas rectas, penitus abijce, & ſic uere habebis illas, quas uocant, Menſales tabulas. Huius accipe hanc formationem.

Porrò



Porrò ne ſuperior tabula, eclipticæ ſcilicet, quæ eiſdem affigenda erit tabulis, diuiſiones fortè & inſcriptiones inferioris tabulæ, in remiſsiori eius parte, circa Capricorni principium obtegere poſsit, abſcindenda erunt acumina harum tabularum circa gradum 90. non minus quàm duos aut tres latos digitos. Nam aliàs, ut dictum eſt, diuiſiones & inſcriptiones ab illis contegerentur.

Tabulis menſalibus ſic ritè perfectis atq; abſolutis, ſolidabis eas ad dorſum eclipticæ prædictæ rectiſsimè, ita quòd partes eminentiores earum ad eam partem eclipticæ ponantur, ubi Cancer ſignum ponitur, depreſsiores uero uerſus Capricornum, & hoc quàm decentiſsime fieri poterit. Quibus firmatis atq; perfecte conſolidatis, oportet demum etiam eaſdem menſales connectere & conſolidare ſignifero Aequinoctiali, ita quòd diametri, tabulæ ſuperioris ſcilicet eclipticæ, directe correſpondeant diametris inferioris tabulæ ſcilicet ſigniferi Aequinoctialis. Et quòd centrum ſupra centrum iuſtiſsimè locetur, & Cancer ſuperioris tabulæ ſignum, correſpondeat Cancro inferioris quàm decentiſsime, quod mediante Gnomone iuſtiſsimo ſubtiliſsime perficies.


DOGMA V.

Regulam longitudinum maiorem conſtruere, tabulamq; latitudinum ſyderum, eidem perpendiculariter annectere, ac in partes debitas ſecernere.

PRIMVM, Regula longitudinum unà cum pinnulis conficienda fuerit, quemadmodum in poſtica, ſiue in dorſo Aſtrolabij fieri ſolitum eſt. Huic deinde regulæ apud lineam eius fiduciæ adiunge aliam quandam tabulam, alioqui omnino, pedibus duntaxat exceptis, circularem: quę quidem cum eiſdem pedibus ſupra eandem fiduciæ lineam, ritè & perpendiculariter erigi poſsit: quæq; in nullam ab eadem linea declinet partem, ut prorſus nullum capiant impedimentum radij uel Solis uel ſyderum, per foramina pinnularum penetrantes. Quod cum factũ fuerit, deſcribe in eadem Lamina uel Tabula, mediante gnomone iuſtiſsimo, uel alio ingenio, lineam perpendicularem, quæ centro zo-

diaci,

diaci,ſiue eclipticæ,rectiſsime incidat:ac deinde in eadem linea,id eſt,in medio ro- tulæ,centrum diligentiſsime quære,ex quo circulos omnino tres,circino mediante, produces,duo facientes ſpacia:quorum primum ſingulis latitudinum ſyderum gra- dibus applicabis:Alterum uero numero graduum recte communicabis. Quinetiam per idem centrum adhuc alia, ad angulos rectos, ducenda erit linea, priori ſcilicet perpendicularis,quæ deinceps eclipticam zodiaci in Criſta iuſtiſsime repræſenta- bit. Porrò ab eadem linea numeros latitudinum incipies, ſiue Septentrionales ha- bere uelis,ſiue meridionales. Septentrionales quidem aſcendendo conſequeris. Me- ridionales autem deſcendendo,ita tamen,ut utrobiq; numeri 90 non tranſcendant. Poſtremò adiunge hanc regulam,quam ſic Criſtæ adaptaſti,centro eclipticæ clauo aliquo eam retinente, ita ut libere tamen, & abſq; impedimento ſupra eclipticam moueri & circumagi poſsit,quemadmodum in Aſtrolabiorum tabulis facere cōſue- uimus. Quæ omnia ut ritè cognoſcere queas, hanc tibi in præſentia præponere pla- cuit figurationem.




DOGMA VI.

Regulam Criſtæ minorem, quam latitudinum ſyderum uoca- mus,inſuper & ſemicirculum altitudinum, penſilem illum ſci- licet diuidere & conſtruere.

Super


SVPER eſt nunc addere regulam, ut uocant minorem, ſemicirculumꝗ penſilem, quibus præſens Inſtrumentum penitus abſoluitur. Quæ quidem hunc in modum conficere poteris: Præparanda tibi erit regula quædam, unà cum pinnulis & foraminibus ſuis, quę ſit per omnia non abſimilis regulæ longitudinum, de qua abundè in præcedentibus dictum eſt. Itaꝗ pinnulis regulæ huius ſemicirculum quendam adnecte, qui ſit per ſeſe & ſine ulla contrectatione manuum mobilis, quiꝗ libere ad eandem regulam pendeat, quem poſtea in duas ſubinde partes æquales diuide, quatenus utrobiꝗ ad pinnulas, ubi fit motio, gradus non minus 90 aſſurgant. Et hic ſemicirculus altitudinis recte nuncupabitur. Ducendum etiam fuerit per centrum eius, ſubtiliſsime quidem ex ſerico concretum filum, cui filo perpendiculū, hoc eſt, plumbi particulam, appendere non grauaberis. Porrò deinde ſemicirculum, ſic regulæ pinnulis appenſum, unà cum eadem regula adiunge centro Criſtæ, clauo aliquo retinente, ut tamen facilitas motus remaneat, id quod non tam hic, quàm in omnibus Aſtronomicis inſtrumentis fieri pręcipitur. Attamē ut nihil, in huius utiliſsimi inſtrumenti ſtructura, tibi deeſſe conqueraris, hoc infra annotatum accipe Schema, & uale.



FINIS.

IOANNIS SCHONERI IN CONSTRVCTIONEM ATque uſum rectanguli, ſiue radij Aſtronomici, annotationes.

PRO Conſtructione rectanguli inſtrumenti, ſiue radij Aſtronomici, fiat baculus, ſiue fuſtis quadrangularis cum ſuperficiebus planis longitudinis 6. uel plurium cubitorum, quem hic repræſentari uolo per lineam A B. Eum diuides in partes æquales quotlibet, nam quo plures eo laudabilius irit opus. Placet tamen hunc diuidere in partes 1300. hoc modo: Diuide eum primo in 13 æquales portiones, quarum quælibet continebit 100. deinde quamlibet in 10 portiunculas, quarum quælibet 10 repræſentabit. Demum inſcribe numeros partium, ut in linea A B, per 100 ſcandendo, donec ad 1300 perueneris, & paratus erit fuſtis. Deinde fiant etiam brachia, ſiue pinnacidia diuerſarum quantitatum, & ſi omnia uelles conficere, fierent iuxta diuiſionem lineæ A B, 21. nam ſic primum & minimum pinnacidium ualeret 10 partes fuſtis, ſecundum 20, tertium 30, ita quod maximum & ultimum ac 21 haberet 210. partes ęquales illis diuiſionibus & partibus fuſtis A B. Sint autem perforati in medio, ut fuſtis intrare poſsit, & ut faciant rectos angulos cum eo, ita tamen quod circa eum hinc inde traduci queant abſq; impedimento. Circa finem uero cuiuslibet pinnacidij, diſpone clauiculum ſubtilem, aut acum. Similiter etiam circa A oculum centri unum, & erit paratum hoc inſtrumentum.



Pro uſu huius trianguli Aſtronomici.

Applica fuſti unum de pinnacidijs, & id quod ſecundum æſtimationem tuam, conuenientius apparebit diſtantiæ ſtellarum conſiderandarum. Quo facto traduc pinnacidium hinc inde in baculo, donec ambæ ſtellæ ſimul ab A per acumina clauiculorum uideantur. Nam lineæ ſic procedentes ab A centro uiſus, & terminatæ ad ſtellas, cauſant triangulum æquicrurium. Et numerus partium brachij, ſiue pinnacidij ſic in fuſte quieſcentis Sinum primum inſinuat. Numerus autem in fuſte ab oculo A, ad uſq; lineam fiducię pinnacidij, ubi clauiculi ſunt, Sinum ſecundum denotabit.

Arcum diſtantiæ circuli magni per duas ſtellas tranſeuntis, capere.

Arcum hunc colliges, per tabulam Gnomonicam, quæ in Quadrato Geometrico Magiſtri: Georgij Beurbachij ponitur, & per regulam proportionũ uulgatiſsimam de Tri, hoc modo: Duc numerum maximum tabulæ Gnomonicæ, ſcilicet 1200. in Sinus primi modo reperti medietatem, ſcilicet C D, & productum diuide per Sinum ſecundum ſcilicet, A B, abſciſum per lineam fiduciæ pinnacidij; quod demum productum mitte in tabulam Gnomonicam. Nam arcus graduum & minutorum &c. ibidem repertus, arcus diſtantiæ inter duas ſtellas obſeruatas medietatem tibi commonſtrabit. Vt exemplo: Anno Chriſti 1475. fluente 17. die Octobris de mane inter horam ſecundam & tertiam, poſt noctis medium, obſeruauit uenerabilis ſenex Bernhardus Vualter ciuis Norinbergen. Inſtrumento trianguli diſtantiam Martis & Saturni, & reperit Sinum primum 210 partium. Sinum uero ſecundum partium 807. Per hos Sinus ita procede iuxta regulam proportionum. Dicendo 807 partes fuſti, id eſt, Sinus ſecundus, dat partes 210 pinnacidij, id eſt, Sinum primum, quid dabunt partes tabulæ Gnomonicæ? ſcilicet 1200. Duco igitur partes Sinus primi, ſcilicet 210, in partes tabulæ Gnomonicæ, ſcilicet 1200, facit 252000. Has partes diuido per Sinum ſecundum, ſcilicet 807. & ueniunt, 312 $\frac{216}{807}$, Quibus reſpondent ex tabula Gnomonica gradus 14. mi. 35. fere, Arcus inter ♄ & ♂ tempore obſeruationis &c. Hac etiam uia quæritur Diameter Cometæ, Solis & Lunæ.

APPENDIX IOANNIS SCHONERI, in annotationem, de radio Aſtronomico.

Pagina 35. ſic ſcribitur.

Nam lineæ ſic procedentes ab A centro uiſus, & terminatæ ad ſtellas, cauſant Triangulum Iſoſcelem, ſeu æquicrurium.

Nam huiuſmodi lineæ duæ, una cum chorda ſubtenſa ipſi arcui diſtantiæ ſtellarum, efficiunt Triangulum Iſoſcelem, ſeu æquicrurium, duorum tantum æqualium laterum, cui omnino ſimilis, non dico æqualis per ſecundam ſexti. Euclidis eſt Triangulus quem conſtituunt duæ uiſuales lineæ ab A ad utramq; pinnacidij extremitatem, terminatæ una cum pinnacidij linea, tanquam baſi Trianguli A C D.

Sequitur: Et numerus partium brachij ſic quieſcentis in fuſte Sinum primum inſinuat. Numerus autem in fuſte ab oculo A, ad uſq; lineam fiduciæ, ubi clauiculi ſunt, Sinum ſecundum denotabit.

Productus Iſoſceles Triangulus A C D, mediante linea ab oculo A ad pinnacidium C D, per medium fuſtis producta, in duos ſimiles & equales orthogonios Triangulos diuiditur, quorum uterq; tribus lineis conſtat, uidelicet radio uiſuali ab oculo ad extremitatem pinnacidij producto, tanquam Hypothenuſa anguli recti, cuius menſura in hoc negotio negligitur, & medietate pinnacidij tanquam Sinu recto eius arcus, qui eſt medietas diſtantiæ ſtellarum. Et linea ab oculo per medium fuſtis ad pinnacidium uſq; producta, tanquam Sinu complementi prædictę medietatis arcus diſtantiæ ſtellarum, quem ſecundum Sinum nominant, ſicuti priorem illum Sinum ſemiarcus diſtantiæ ſtellarum, Sinum primum uocant.

Sequitur

Sequitur. Duc numerum maximum tabulæ Gnomonicæ, ſcilicet 1200. in Sinum primum modo repertum ſcilicet C D, &c.

Nequaquam hic tota C D, ſed eius medietas intelligenda eſt, quæ ut dictum eſt, cum linea ab A oculo ad modum pinnacidij emiſſa, rectum angulum facit. Sic tandem procedit recte tota operatio certiſsimis Geometriæ nixa præſidijs.

Hoc modo attento, quòd ex tabula Gnomonica depromptus numerus graduum & minutorum, arcum perhibet prædicto primo Sinui debitum, qui non integram ſtellarum diſtantiam, ſed medietatem eius metitur, Quemadmodum Sinus ipſe non eſt tota chorda, ſed medietas eius quæ ſtellarum diſtantiæ arcui ſubtenditur. Sic in Vualtheri obſeruatione adductus Sinus primus non eſt totius pinnacidij menſura, ſed medietas eius, ita ut tandem ex Gnomonis tabula elicitus numerus non totam ſtellarum diſtantiam, ſed medietatem eius perhibeat. Iſte modus in modica diſtantia ſtellarum ſatis certus eſt, ſed in magna diſtantia aliquid erroris generabit.


IOANNIS SCHONERI IN FABRICAM ET VSVM magnæ Regulæ Ptolemæi annotationes.

Pro fabrica regulæ magnæ Ptolemæi ad inſtar illius de aurichalco factæ per M. Ioannem de Monteregio, quæ Norinbergæ reperitur.

FAC tibi primum præparari duas regulas planas ſuperficierum parallelogrammorum, longitudinis quatuor cubitorum, ſufficientis tamen groſsitudinis. In medio cuiuſq; earum latioris latitudinis, duc lineam rectam A C in una, in altera uero A D. Sit autem A C linea recta in regula fortiori ſiue groſsiori. Deinde parabis etiam regulam tertiam, quæ ſit C E iuſtæ latitudinis & ſpiſsitudinis, longitudinis tamen 6 cubitorum. Tribus his regulis ſic iuſtè & planiſsime præparatis, concipe longitudinem Lineæ A C, uel A D, (nam eiuſdem longitudinis eſſe debent) ad placitum, ab A puncto, uſq; in acumen eius D, & eandem lineæ longitudinem applicabis regulæ longiſsimæ, ſcilicet C E, & hoc à puncto C uerſus E, cuius termino aſsignabis numerum 100000. Hanc longitudinem lineę A C, huic regulæ longiori applicatam, diuidę in latere illo, quod ſuperiorem partem Inſtrumenti reſpicit, à puncto C, uſq; in aſsignatum numerum 100000. in partes æquales 10. Deinde etiam iterum quamlibet diuiſionum in 10 æquales partes. Sic procede etiam ultra aſsignatum numerum 100000, uſq; in finem regulæ longioris. His diuiſionibus aſcribe ſuos numeros debitos, ſemper per 1000 ſcandendo, & numeros augendo, donec ad finem perueneris, ſicut in prima diuiſione apud C punctum, regulæ C E ponas 1000, in ſecunda 2000, in tertia 3000, &c. Quibus accurate ſic inſcriptis, ſubdiuide demum quamlibet illarum portionum, iterum in 10 partes æquales. Hæ autem diuiſiones manebunt ſine numeris, quarum quælibet 100 ualebit partes. Demum coniunge regulas, ut decet. Deinde duo Clauiculi, ſiue Epiſtomia F G, regulæ fortioris infigantur perpendiculariter, ut in foraminibus ſuis libere circumuolui poſsint. Huius inſtrumenti formulam, uide infra. Modus iſte obſeruandi aſtra per has regulas Ptolemæi, meo quidem iudicio optime ualet, modo ut inter duo pinnacidia regulæ A D, fiat ſtructura quædam papyracea, ad modum cannæ quadratæ de quadruplicata papyro, ad latitudinem & altitudinem pinnularis regulæ A D, ſit tamen circa pinnacidium D foramen quoddam apertum, ut radius Solis ueniens per foramen pinnacidij A, ad pinnacidium D, uideri poſsit, quoniam ita radius Solis fortior uidebitur, non impeditus ab aëre uel uentis. Illarum rerum uide ſimulachrum mox ſequens.


SIMVLA.

SIMVLACHRVM REGVLAE PTOLEMAEI.



Vſus huius Regulæ.

Applica regulam in obſeruationibus ſicut conſtituat Triangulos formales Iſoſceles, ita quòd ſemper numerus per punctum D abſciſus, in regula C E, indicet magnitudinem chordæ ſubtenſæ arcui inter polum horizontis & ſtellam, ſeu Solem intercepto. Medietas autem huius numeri in tabula Sinuum ſemper indicabit medietatem ipſius arcus, ita, ut repertus graduum numerus duplicandus ſit. Sed quoniam hæc regula minime capax eſt omnium numerorum, cum linea eius C E in tot minutiſsimas portiunculas diuidenda eſſet, ſic hic in tali figuratione longior regula diuiſa eſt in 141421 partes æquales, ſecundum exigentiam tabulæ Sinuum habentis maximum Sinum 100000 partium, eam etiam ob rem quælibet pars compræhenſa inter duos numeros, 100 continebit, nam 10 in 10 ducti, faciunt 100, ſicut clarebit in hac adiecta figura, ubi A litera præciſæ 58400 repræſentat, B 58100, C 58200. D 58300. E 58400. G 58500. Si nunc A D pars regulæ, cui pinnacidia duo infixa ſunt, cum acumine ſuo D, ceciderit in punctum F, qui punctus non eſt medietas unius diuiſionis ultra E, ſcilicet intra E & G, hoc eſt inter duas diuiſas partes, quæ denotant hos numeros, ſcilicet 58400, & 58500, quem punctum F ſic tactum, iuxta coniecturam diuiſionum accipio pro 34, uel propè talium partium ultra E, hoc eſt, ultra 58400, qualium 100 ab E in G numerantur, & ſic ſit numerus debitus ipſi F puncto per D acumen alterius regulæ ſupernæ incumbentis deſignato, 58434. Huius uide figuram.



Numerus iſte ſic repertus eſt chordæ ſubtenſæ arcui diſtantiæ Solis à polo horizontis, ut anno 1475, die 2 Auguſti in meridie obſeruatus, Pro arcu uero ex tabula Sinuum inueſtigando, ſumenda eſt medietas huius chordæ, qui eſt Sinus rectus arcus ſubdupli, aut medij ad arcum chordæ prædictæ. Hic igitur Sinus rectus in tabula Sinuum, indicat arcum ſibi debitum. Cuius arcus duplatus, eſt arcus debitus ſupradictæ chordæ, & arcus diſtantiæ Solis à uertice horizontis, huius complementum eſt altitudo Solis meridiana, uide huius exemplum.

58434 Chordæ diſtantiæ à uertice.
29217 Medietas huius chordæ.
16.59.17 Arcus medietatis chordæ.
33.58.34 Arcus eius duplicatus.
56.1.26 Complementum huius duplicati, & eſt altitudo Solis meridiana.

Per altitudinem Solis meridianam locum eius uerum in Zodiaco capere.

Quære in area tabulæ ſequentis altitudinem Solis meridianam, quam ſi præciſe inueneris, habebis in promptu ad dextram uel ſiniſtram tabulæ gradum Solis, & in capite uel pede tabulæ, ſignum Solis. Nam ſi altitudo Solis ſumpta eſt à Solſtitio hyemali, uſque ad Solſtitium æſtiuale, erit eadem altitudo Solis ſignorum ♑, ♒, ♓, ♈, ♉, ♊. Si uero à Solſtitio æſtiuali in Solſtitium hyemale, erit altitudo Solis ſignorum ♋, ♌, ♍, ♎, ♏, ♐. Si autem altitudo Solis non fuerit expreſſa in tabula, accipe numerum uiciniorem minorem tuæ altitudini ibidem expreſſum, notando extra gradum in latere, & Signum in fronte uel pede tabulæ. Accipe etiam ibidem numerum proxime maiorem, & de illis fac differentiam, quæ differentia erit numerus primus regulæ de Tri, & diuiſor. Deinde ſubtrahe altitudinem Borealem, ibidem expreſſam ab altitudine propoſita, & erit earum differentia tertius numerus, quem multiplica ſemper in 60, qui eſt ſecundus numerus, & hoc productum diuide per primum ſcilicet diuiſorem, reduc tamen prius differentias ad ſecunda, facta multiplicatione & diuiſione. Subtrahe illud quod prouenerit à ſigno, & gradu Solis extra notato. Si altitudo fuerit accepta à ♋ in ♑, uel adde ſi altitudo Solis fuerit à ♑ in ♋. Per hanc regulam reperio altitudinis Solis meridianæ, ſcilicet 56, 1, 26, uerum locum 18, 5, 43, ♌, Solis in Zodiaco ad tempus obſeruationis.

Tabula

Tabula altitudinum Solis meridianarum, præſupponens altitudinem poli 49.24. & maximam Solis declinationem 23.28.

	♑			♒			♓			♈			♉			♊			
G.	g.	m̄.	ſe.	g.	m̄.	ſe.	g.	m̄.	ſe.	g.	m̄.	ſe.	g.	m̄.	ſe.	g.	m̄.	ſe.	G.
0	17	8	0	20	25	36	29	6	57	40	36	0	52	5	3	60	46	24	30
1	17	8	14	20	38	30	29	28	8	40	59	54	52	26	5	60	58	57	29
2	17	8	54	20	51	47	29	49	32	40	23	47	52	46	55	61	11	7	28
3	17	10	3	21	5	24	30	11	5	41	47	39	53	7	33	61	22	55	27
4	17	11	38	21	19	24	30	32	49	42	11	30	53	27	58	61	34	20	26
5	17	13	40	21	33	43	30	54	43	42	35	20	53	48	11	61	45	21	25
6	17	16	10	21	48	23	31	16	15	42	59	8	54	8	10	61	55	58	24
7	17	19	7	22	3	23	31	38	57	43	22	54	54	27	56	62	6	13	23
8	17	22	31	22	18	43	32	1	17	43	46	37	54	47	29	62	16	2	22
9	17	26	21	22	34	23	32	23	15	44	10	17	55	6	47	62	25	28	21
10	17	30	39	22	50	21	32	46	21	44	33	54	55	25	50	62	34	29	20
11	17	35	23	23	6	38	33	9	4	44	57	27	55	44	39	62	43	6	19
12	17	40	33	23	23	13	33	13	54	45	20	57	56	3	12	62	51	16	18
13	17	46	10	23	40	6	33	54	51	45	44	21	56	21	29	62	59	2	17
14	17	52	13	23	57	17	34	17	55	46	7	41	56	39	30	63	6	23	16
15	17	58	42	24	14	45	34	41	4	46	30	56	56	57	15	63	13	18	15
16	18	5	37	24	23	30	35	4	19	46	54	5	57	14	43	63	19	47	14
17	18	12	58	24	50	31	35	27	39	47	17	9	57	31	54	63	25	50	13
18	18	20	44	25	8	48	35	51	3	47	40	6	57	48	47	63	31	27	12
19	18	28	54	25	27	21	36	14	33	48	2	56	48	5	22	63	36	37	11
20	18	37	31	25	46	10	36	38	6	48	25	39	58	21	39	63	41	21	10
21	18	46	32	26	5	13	37	1	43	48	48	15	58	37	37	63	45	39	9
22	18	55	58	26	24	31	37	25	23	49	10	43	58	53	17	63	49	29	8
23	19	5	47	26	44	4	37	49	6	49	33	3	59	8	37	63	52	53	7
24	19	16	2	27	3	50	38	12	52	49	55	15	59	23	37	63	55	50	6
25	19	26	39	27	23	49	38	36	40	50	17	17	59	38	17	63	58	20	5
26	19	37	40	27	44	2	39	0	30	50	39	11	59	52	36	64	0	22	4
27	19	49	5	28	4	27	39	24	21	51	0	55	60	6	36	64	1	57	3
28	20	0	53	28	25	5	39	49	13	51	22	28	60	20	13	64	3	6	2
29	20	14	3	28	45	55	40	12	6	51	43	52	60	33	30	64	3	46	1
30	20	25	36	29	6	57	40	36	0	52	5	3	60	46	24	64	4	0	0
		♐			♏			♎			♍			♌			♋		

Si hac Tabula uti uolueris ad aliam regionem, ſiue locum, ſcias eiuſdem loci latitudinem, quæ ſi fuerit minor illa, adde altitudini hic in tabula inuentæ exceſſum illius: Si maior, minue. Verbi gratia: Tabula hæc fundata eſt pro eleuatione poli 49. grad. 24. minut. qualis eſt Norimbergæ. Si autem eam conuertere uelles, ad altitudinem poli 51. grad. 40. minut. fac differentiam duorum polorum, ſcilicet 49. 24. & 51. 40. quæ eſt graduum 2. minut. 16. Et quia cum differentia ſit maior polo Norico, ſubtrahe gradus 2. minu. 16. à quolibet numero in hac Tabula poſito, & habebis illam examuſsim pro polo 51. 40. &c.

Verum locum Solis per ſolam chordam diſtantiæ à uertice multo facilius colligere, quàm antea.

Modus iſte eſt ferè idem, ſicut per tabulam altitudinum Meridianarum, quare uſum huius accipe hoc exemplo. Item anno Chriſti labente 1475. die 2. Auguſti in Meridie, fuit inuenta talis Chorda 58434.

58902 Maior hac obſeruatione ex ſequenti tabula.
58385 Minor proximus obſeruatione ex tabula ſequenti.
517 Differentia, & primus numerus ac diuiſor 60 ſemper ſecundus numerus.

58434 Chorda obſeruata.
58385 Chorda minor obſeruatione ex tabula ſequenti.
49 Differentia & tertius numerus.

Diſpone hos numeros ad regulam proportionum, dicendo 517. dant 60. quid dabunt 49. Facit 18. grad. 5. minut. ♌ ferè locus Solis uerus huius obſeruationis.

Sequitur Tabula.

Tabula

Tabula pro extrahendo uero loco Solis per ſolam chordam diſtantiæ à uertice.

G	♋	♌	♍	♎	♏	♐	G
0	44877	50459	64974	83572	101334	114104	30
1	44884	50822	65556	84204	101860	114404	29
2	44903	51196	66144	84834	102382	114694	28
3	44937	51578	66736	85460	102897	114976	27
4	44980	51972	67332	86089	103406	115247	26
5	45036	52375	67930	86714	103908	115508	25
6	45108	52784	68532	87338	104404	115761	24
7	45196	53204	69140	87960	104896	116003	23
8	45288	53637	69748	88578	105379	116235	22
9	45398	54074	70360	89195	105855	116459	31
10	45518	54520	70976	89810	106327	116670	20
11	45652	54978	71592	90418	106788	116875	19
12	45798	55441	72212	91030	107242	117058	18
13	45958	55913	72864	91636	107692	117252	17
14	46128	56392	73460	92237	108133	117412	16
15	46312	56879	74086	92838	108567	117588	15
16	46508	57374	74714	93434	108993	117740	14
17	46716	57876	75342	94026	109412	117881	13
18	46936	58385	75972	94614	109822	118012	12
19	47168	58902	76602	95200	110225	118134	11
20	47412	59422	77236	95782	110621	118246	10
21	47654	59953	77870	96357	111007	118348	9
22	47932	60488	78504	96929	111385	118438	8
23	48208	61028	79138	97498	111761	118516	7
24	48497	61574	79772	98060	112118	118586	6
25	48798	62128	80206	98619	112470	118645	5
26	49108	62688	81040	99171	112815	118692	4
27	49430	63240	81674	99720	113151	118728	3
28	49762	63821	82308	100264	113477	118755	2
92	50106	64397	82940	100802	113795	118772	1
30	50459	64974	83572	101334	114104	118777	0
	♊	♉	♈	♓	♒	♑	

Tabula hæc præſupponit maximam Solis declinationem 23. 28. & poli eleuationem 49. 24, qualis eſt Nurenbergæ.

Si au-

Si autem alio in loco forte faceres obſeruationes ad Solem, uellesq́ tibi condere tabulam conſimilem, pro poli illius loci eleuatione, age in hunc modum: In Signis Septentrionalibus, ſubtrahe medietatem declinationis cuiuslibet gradus à medietate eleuationis poli, & producti Sinum duplica, quod prębebit tibi chordam diſtantiæ ab eodem gradu. In ſignis Meridionalibus. Adde medietatem declinationis cuiuslibet gradus, medietati eleuationis poli, & producti Sinum duplica, & habebis chordam diſtantiæ ab eodem gradu. Exemplum pro tabula præcedenti, quæ ad polum 49.24. rectificata eſt.

24	42		Medietates poli Nurembergæ.
	11	47	Medietates declinationis gradus 1 ♈ Septentrionalis.
24	30	3	Remanens.

24	31	41495	Sinus proximæ minor huius remanentis	ex tabula
24	30	41469	Sinus huius remanentis	Sinuum

26 differentia, & eſt ſecundus numerus 100000.
3 Remanentis, & eſt tertius
60 ſemper eſt numerus primus & diuiſor.

Pone hoc ad regulam proportionum dicendo; 60. dant 26. quid dabunt 3. facit 1. addendum.

41469
1 .A.
41470
41470
82940 Chorda pro 1. gradu ♈ ad Nurembergam.

FINIS.

Horarij


HORARII CYLINDRINI CANONES.

Obſeruandiſsimo uiro domino & Magiſtro Danieli Schmidt Eccleſiæ diuæ Virginis Mariæ Norinbergen. Primario: Ioannes Schoner Charolipolitanus. S. D.

IAm & ſi inſolitum, haud tamen præter amici officium uideatur, tibi nunc media literarum occupatione ereptas literas mittere præceptor obſeruandiſsime, quibus ueteris neceſsitudinis abolitam (quam forſitan exiſtimas) conſuetudinem inſtaurare conaturus: hoc inſtrumentum (Cylindrus quod fertur horarum æqualium, inæqualiumq́ index) è penu meorum negociorum ſumptum: tibi amico optimo dedicare ſtatui: quò inuiolatæ apud te amicitiæ pignus maneat. Qui uero dignior eo foret inter mortales te præter occurrebat nemo: ut quem olim in uenandis bonarum artium ornamentis præceptorem habuerim: nunc monumentorum meorum ſis defenſor acerrimus. Puto nanq́ tuto ea tecum commorari: ne liuida latrantium ora incurſent lanianda. Cætera quoq́ tuæ pietatis in me experimenta tanta ſunt: quanta nulla temporis uiciſsitudo obrutura ſit unquam. Reris obſecro hanc menti meæ ſublatam familiaritatem, quam ſtudij gratia alternatim Erffordiæ egimus? Quippe eam niſi fata infœlicia tulerint, perpetuo animo inſidebit. Hoc igitur inſtrumentum tibi nuncupatum firmiſsimum fœderis uinculum: boni conſule. Meq́ in omnibus tibi obſequuturum ama: Vale ex Babenberga pridie idus Februarij. Anno 1515.

DECLA-

DECLARATIO PARTIVM ET LINEARVM CYLINDRI.



Inſtru-

INſtrumentum hoc Cylindrinum eſt diuiſum: Primo in limbo inferiori duodecim ſigna Zodiaci, & eorum nominibus inſcriptum, & quodlibet ſignum in gra. 3. cum numeris ſuis, ſub quibus duodecim menſes, anni cum nominibus atq; diebus ſuis quibuſdam puncturis & gradibus notatis, quorum quilibet duos gradus, ſeu duos dies continet, excepto ubi menſis 31. habet dies, quia tunc ultima huius menſis punctura unum repręſentat diem. Item habet diei horas cum lineis horarijs, atramento notatas, ex quibus per umbram Solis, diei poterimus habere horas, quarum numerus ſcriptus ſupra imagines Cancri & Geminorum, id eſt, Tropicum Cancri apparet. Item in hoc etiam inſtrumento ſunt horæ inæquales, ſiue temporales, quæ uulgo planetariæ appellantur, rubro inſignitæ, quarum numerus circa æquatorem, uel principium Arietis & Libræ ſignatus reperitur. Item gradus altitudinis Solis, in longitudine obſertorij huius extenſi ſunt uſq; ad 36. gradus, & 30. ferè minuta, quæ maxima Solis altitudo in noſtra uidelicet 50. graduum eleuatione obſeruatur, è quibus omni momento Solis altitudinem ea lucente inuenire poſſumus. Item habet puncta umbræ uerſæ, quibus cuiuſq; rei excelſæ, ſiue in plano erectæ altitudinem per eius umbram metiri ualeamus.

Canon primus locum Solis docet inuenire.

Quære menſem in quo motum Solis cupis in limbo inferiori huius inſtrumenti, & eius diem, ſupra quem in limbo ſignorum inuenies gradum, & ſignum Solis huic diei rectè correſpodentem.

Canon ſecundus horam diei per umbram Ciotheri à Sole pandet.

Pone Ciotherum, ſiue ſtylum ſuper ſignum & gradum Solis, iuxta proportionem diei limbi inferioris inuentum, & uerte inſtrumentum in manu cum filo, ſiue chordula ſuſpenſum, ita quòd umbra Ciotheri cadet perpendiculariter iuxta lineas longas ſignorum & graduum, quia tunc umbræ extremitas Ciotheri oſtendet horam communem diei inter lineas horarias atro tractas, ut ſcilicet ſi terminus cœciderit ſuper lineam primam quæ infima eſt, & rubro colorata, tunc erit hora duodecima communis meridiei, & ſexta temporalis ſiue planetaria. Si ſuper ſecundam ceciderit lineam, erit hora undecima antemeridiana, aut prima poſt meridiana.

An autem ante uel poſt meridiem ſit talis hora, ita innoteſcet. Si umbra Ciotheri continue elongatur, tunc certum tene ante meridiem fore. Si uero abbreuiatur, erit tempus poſtmeridianum.

Canon tertius, Ortum & Occaſum Solis, atq; quantitatem diei & noctis inuenire prodet.

Ortus Occaſusq; Solis faciliter per Cylindrum inuenientur. Nam ſi ſtylus iuxta proportionem loci Solis in ſuperiori parte horarij locatus fuerit, conſiderandum erit, quæ linea horaria ſtilo, ſiue Ciothero proximior extiterit, nam ea Ortum & Occaſum Solis indicabit, hoc tamen notato, quòd horæ antemeridianæ ortum, poſt meridianæ uero occaſum indicabunt. Quibus cognitis, quantitatem huius diei numerabis â tali hora, & minutis ortus, uſq; in eius diei horam & minutas occaſus,

quia tot horarum & minutarum (ſi quæ ſint) erit diei quantitas, quam ſi à 24. horis detraxeris, conflabitur remanentis noctis quantitas.

Canon quartus, Horam planetariam per umbram Ciotheri à Sole docet.

Notetur finis umbræ Ciotheri inter lineas horarias rubro ſignatas, inſtrumento tamen antea ad locum Solis aptato, quia tunc umbra à ſtilo cauſata, horam indicabit planetæ. Quota autem ſit talis hora, oſtendet numerus horarum in medio Cylindri ſignatus in linea æquatoris. Cuius autem planetæ ſit talis hora, infra docebitur.

Canon quintus, Horam planetæ abſq; umbra Solis docet, etiam nocturnam.

Scito loco Solis in limbo inferiori huius inſtrumenti, compara eundem proportionaliter inter lineas horarias, quærendo horam communem æqualem, ad quam horam planetæ aues ſcire, qua habita: uide quæ hora inæqualis, uel quod ſpacium horæ inæqualis concurrit cum loco Solis & hora communi æquali, quia talis hora inæqualis erit quam quærebas. In nocturna uero hora inuenienda, quærendus eſt gradus Solis oppoſitus huius diei, cuius horam quæris, & patebit hora planetæ nocturna ex gradu Solis oppoſito, & hora communi noctis. Hoc tamen notato, quod horæ ab 1. uſq; in 6. ſunt horæ ante medium noctis, reliquæ uero ſex à 6. uſq; ad 12. iterum aſcendendo ſunt poſt medium noctis. Sic pari uia in die primæ ſex horæ in numero deſcendentes ſunt ante meridiem, reliquę uero 6. aſcēdendo ad duodecim ſunt poſt meridem.

Canon ſextus, Altitudinem Solis inueſtigare docet.

Voluatur cooperculum cum ſtilo, donec ipſe ſtilus ſit ſupra lineam & ordinem graduum altitudinis Solis. Poſtea ſuſpendatur Cylindrum cum filo eum tenendo, ita quod Ciotherus umbram ſuam proijciat directe ad puncta, ſiue gradus altitudinis Solis, quia finis huius umbræ altitudinem Solis qualibet hora oſtendit.

Canon ſeptimus, Puncta umbræ uerſæ inuenire quacunq; hora cupis notificat.

Vertetur Ciotherus ſiue ſtilus ſuper lineam punctorum in Cylindro, & oppone Soli lucenti, ut prius ſuſpenſo inſtrumento, & umbra finis ſtili indicabit puncta umbræ uerſæ quacunq; hora.

Canon octauus, Puncta umbræ rectæ quacunq; hora uolueris inſinuat.

Diuide 144. per numerum punctorum umbræ uerſæ, quæ per Cylindrum obſeruaſti, quia eius numerus quotiens oſtendit puncta umbræ extenſæ, ſiue rectæ eadem hora.

Canon

Canon nonus. Altitudines turrium, ſiue aliarum rerum eminentium in plano erectarum, adiutorio huius Cylindri capere.

Primo umbræ uerſæ puncta, iuxta doctrinam iam traditam ſume, uideq́ proportionem eorum ad 12. quia talis & tanta erit proportio rei erectæ ad eius umbram. Si uero puncta, quæ umbra ſtili ſuo tangit termino, fuerint præciſe 12. erit res æqualis ſuæ umbræ.

Si autem pauciora fuerint quàm 12. erit altitudo rei minor ſua umbra, habetq́ ſe ad eam in eadem proportione, ſicuti puncta ſe habent ad 12. Quia ſi puncta umbræ fuerint medietas de 12, erit altitudo rei medietas ſuæ umbræ, & ſic de reliquis eodem modo intellige. Si uero puncta plura fuerint quam 12. erit altitudo rei maior ſua umbra, & hoc in eadem proportione in qua ſe habent puncta ad 12. ut in exemplo, Si puncta fuerint dupla ad 12. tunc altitudo erit dupla ad umbram ipſius rei, ita etiam de alijs intelligendum erit. Si uero habueris puncta umbræ uerſæ, & quæreres ſcire puncta rei erectæ aliqua menſura tibi nota, multiplica eandem menſuram per puncta umbræ uerſæ, & productum diuide per 12. cuius numerus quotiens oſtendit altitudinem rei menſurandæ. Vel aliter idem inuenietur. Accipientur primo puncta umbræ uerſæ mutata in puncta umbræ rectæ, eadem uia ſicuti modo dicebatur, & multiplicetur umbra rei per 12 & productum diuidetur per puncta umbræ rectæ, quæ poſt reductionem ſunt puncta umbræ rei erectæ, & numerus quotiens oſtendit rei altitudinem.

Canon decimus docet cuius planetæ ſit quælibet hora inæqualis, per Canonem quartum uel quintum inuenta.

Habito numero horæ inæqualis tuæ obſeruationis per canones præcedentes, uolueriſq́ ſcire cui planetarum ipſa debeatur, intrabis Tabulam infra poſitam cum numero horæ, ſi fuerit hora diei temporalis diurna in primam columnulam numeri lateralis ad ſiniſtram poſita, uel in ſecundam columnulam, ſi nocturna extiterit, quærendo numerum talis horæ inæqualis, & ex illius diei ordine deſcende uſq́ ad horam in primis columnulis inuentam, & in communi angulo diei & horæ, planetam horæ dominum offendes.

TABVLA REGIMINIS Planetarum.

Diei Horæ	Noct.	Dies ☉ Dominicus	Dies ☽ Secunda fer.	Dies ♂ Tertia feria	Dies ☿ Quarta feria	Dies ♃ Quinta feria	Dies ♀ Sexta feria	Dies ♄ Sabbathum
1	3	☉	☾	♂	☿	♃	♀	♄
2	4	♀	♄	☉	☾	♂	♀	♃
3	5	☿	♃	♀	♄	☉	☾	♂
4	6	☾	♂	☿	♃	♀	♄	☉
5	7	♄	☉	☾	♂	☿	♃	♀
6	8	♃	♀	♄	☉	☾	♂	☿
7	9	♂	☿	♃	♀	♄	☉	☾
8	10	☉	☾	♂	☿	♃	♀	♄
9	11	♀	♄	☉	☾	♂	☿	♃
10	12	☿	♃	♀	♄	☉	☾	♂
11		☾	♂	☿	♃	♀	♄	☉
12		♄	☉	☾	♂	☿	♃	♀
1		♃	♀	♄	☉	☾	♂	☿
2		♂	☿	♃	♀	♄	☉	☾

Horarum planetarum ſignificationes in electionibus.

SAturni hora infortunata in omni re dicitur: exceptis infra dicendis: quia in eius hora eme agros: prata, lapides, pannos nigros, hortos eri ge & labora, exeas de domo tua, ſi reuerti illa die uolueris.

Iouis hora fortunata; In ea reges & prælatos honora. Fac coniu gium, incide in ea pannos, equita equitaturus, non bibas in ea malas ſpecies, exeas de terra tua, non emas arma, caueas ab igne & ſuis flammis, non fo deas foſſata, ſemines omne ſemen, & plantes omnem arborem, incipias omne ædi ficium, ponas te ad ſedendum cum regibus, nõ emas beſtias, ſed emas aues, non in tres nauem, loqueris cum rege: nec minuas uenam uel cum uentoſis, qui exiuerit pro itinere faciendo, habebit bonum lucrum in ſubſtantia & ſuo negocio, utilitatem â parte qua non ſuſpicabitur, & gaudia, bonum eſt intrare ad regem, alcaidos & Iu dices, qui dederit capitale, habebit inde bonum lucrum, & amorem cum ſocio parti cipe, qui infirmabitur cito ſanus efficietur.

Martis hora abhorrenda eſt in omni re, & omni initio & facto.

Solis hora infortunata in omni re, niſi pro intrando ad regem, tamen non in tres ad eum in occaſu Solis, nec indues in ea ueſtimentum nouum, nec tibi minues, nec

nec des alicui ſubſtantiam cauſa mercandi, nec perficiendo aliquam rem, nec inci-pias aliqua ædificia, nec emas beſtias, tamen petas in ea ſapientias, dominium & documentum, & non iaceas cum muliere, tamen emas arma, equita equum, & exeas de terra tua pro uenando, ſed ſi extra fueris non intres domum tuam. Et hæc hora bona eſt pro recipiendo dignitatem, & pro habendo negotio cum rege uel cum domino.

Veneris hora bona & fortunata: in ea equita equum, non intres nauem aliquam, inquire in ea dominium. Intromittas te de ioculationibus & ſolacijs, in ea lude ad Schachos, cum mulieribus uade ad ſolacia, exeas de terra tua, ſi tamen extra fueris, non intres domum tuam, fac cum muliere coniugium: bibe medicinas & ſpecies, non minuas de uena, neq; cum uentoſis, neq; plantes arbores, nec ſemines aliquod ſemen, incides ueſtimenta. Qui incipiet iter, ipſa hora bonum & utilitatem ex parte mulierum habebit uel ſimile, bonum eſt in ea facere quicquid ad mulieres pertinet, & omnes pannos depictos & uarijs coloribus coloratos.

Mercurij hora indifferens ſiue mediocris eſt. In ea omnem beſtiam equita, mulam & aſinam. Scribe in ea chartam, mitte nuncios, da ſubſtantiam tuam pro mercatura, mutues quicquid uolueris, recipias quod tibi debetur, & bibas medicinas, plantabiſq; arbores. Intres ad regem, cum muliere non facies coniugium, hæreditates non eme, nec terram. Ne intres domum tuam quando extra fueris, ne emas ſeruos, nec te permutes de una domo in aliam, nec extrahes de carceribus aliquem. Sed incipies omne ædificium, fodias puteos & foſſata. Iter incipe, quia inde bonum & utilitatem habebis. Dones puerum ad omnem diſciplinam, ut ad literas ſcribendum & ſimilia, mercantias facere, nuntios mittere, cauſari, dare & recipere bonum erit.

Lunæ Hora bona erit pro ædificio inchoando. Non emas in ea medicinam pro medicando. Non inſcidas pannos nec emas pecudes, nec his ſimilia, inſcidas arbores, eme fructus, fode foſſata & puteos, equita equos, honora mulieres, da filium tuum ad diſcendas literas & ſcribere, perſequaris in ea tuum inimicum, exeas de terra tua, ſed non intres in eam. Et dicitur, qui facit iter in ea, habebit bonum in illa, occaſione mortis alicuius hominis ſiue ſocietatis, tamen ſi Luna fuerit in ſigno terreo, damnatur hoc iudicium.

FINIS.

ÆQVATORIVM

ASTRONOMICVM IOANNIS SCHONERI MATHEMATICI NORICI, CVM NOVIS Canonibus, & figuris Sphærarum ſingularum.

Medium motum cuiuſuis Planetæ inueſtigare.

INTRA PRIMO TABVLAM ÆQuationis dierum cum ſigno & gradu Solis diei tui propoſiti, ad quem medium ſtellæ motum inquirere uolueris, accipiẽdo ibidem ex eius directo minuta & ſecunda temporis, quę ſubtrahe à tempore dato, & habebis tempus propoſitum ęquatum. Deinde pręſcribe radicem incarnationis Chriſti, quæ in calce tabulæ planetæ, cuius æquabilem motum quæris, inuenitur, in Abaco, in ſignis, gradibus, minutis & ſecundis. Poſtea conſidera quot anni ſint elapſi & completi ab anno radicis Chriſti, quia cũ eiſdem annis, menſibus, diebus, horis, & horarum fractionibus intra tabulam medij motus planetæ propoſiti, primo cum annis quærendo eos in tabulæ prima ſerie numeri, ſiniſtram uerſus, & ſi eos ſimul & ſemel in ſerie una numeri inueneris, motum eorum ibi inuentum ſub radicem Chriſti ſignabis, ſigna ſub ſignis, gradus ſub gradibus, ac demũ quodlibet ſub ſuo genere. Sin tabula eos præciſe non obtulerit, accipe annos completos proximè eis minores, in eadem linea numeri annorum, quorum motus in ſignis, gradibus, minutis ac ſecundis, ſubſcribe etiam radici, unumquodq; ſub ſuo genere. Quære etiam in eodem ordine numeri annorum reliquos annos completos (ſi quos ultra introitum primum adhuc habes) & ex eorum directo motum inuentũ iam iam inuentis ſubſcribe. Iam ſi tempus datum ultra annos, & menſes habuerit, quære eos in tabula menſium. Sunt autem ubiq; duplices menſium tabulæ, quarum una menſibus anni communis, altera uero anni biſextilis inſeruit. Hic igitur conſiderabis num annus currens propoſitus biſextilis ſit, an'ne communis, ſi enim cõmunis fuerit, intra tabulam menſium anni communis, cum præterito ſeu cõpleto menſe, ſin biſextilis, tabulam menſium anni biſextilis, ſubſcribendo ſimiliter inuentum ad dextram motum prioribus, quodlibet ſuo generi, prout tituli capitũ demonſtrant, ſimiliter ages cum diebus, in tabulam diebus addictam ingrediendo, quærendo numerum dierum in primo ordine numeri ad ſiniſtram, & motum illi diei adſcriptũ ibidem repertum ſubnotabis etiam reliquis. Sic ſimili ratione fiet cum cæteris fractionibus, ſi quas habuerit, in tempore tibi propoſito. Hoc ſolo animaduerſo,

quòd cum introitu minutorum tui temporis uariantur denominationes per unam differentiam, ita quòd fiet anticipatio per unum locum. Demum adde ſecunda ſecundis, minuta minutis, gradus gradibus, ſigna ſignis, & ſi excreuerint fractiones in ſexaginta uel ultra, in quolibet genere denominationum aufer ſexagenarium, & loco eius adde unitatem fractioni præcedenti uerſus ſiniſtram, idq; obſeruabis in ſingulis fractionibus. Cum autem ad gradus peruentum fuerit, ſi iunctorum numerus graduum ultra triginta excreuerit, cum triginta gradus ſignum cõſtituant, pro eis ſignum ſignis ſubſcribe, quòd ſi ſigna facta additione duodecim exceſſerint, cum duodecim ſigna integrum Zodiacum perficiant, duodenarium ſemper abijce, & quod remanſerit in ſignis, gradibus, minutis, & ſecundis, oſtendit tibi æqualem ſeu mediũ motum quæſitum, ad tempus tuum propoſitum, ſuper meridianum Babenbergenſem, diebus æquatis. Exempli gratia: Inquirendus ſit medius motus Solis, Veneris & Mercurij (habent enim hi tres planetę eundem medium motum) ad annum Domini Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti 1521 currentem, ad 16. diem Ianuarij, poſt meridiem hora ſecũda, minuta 45. à tempore iſto dato ſubtraham æquationem dierum. Et quia Sol tunc temporis circa ſextum Aquarij gradũ reperitur, ideo cum tali gradu Aquarij, ſexto ſcilicet, reperi in tabula æquationis dierum unum minutum & 44 ſecunda, quæ ſubtraxi à tempore propoſito inæquato, & remanſerunt dies Ianuarij 16. horæ duæ, minuta 43. poſt meridiem, tempore uidelicet æquato. Cum tempore hoc ęquato, ſcilicet annis Chriſti 1520. completis, ſemper enim fit in tabulas mediorum motuum introitus cum annis completis, intraui tabulam medij motus Solis, ſed quia eos annos minimè uno introitu inueni, ſed uiciniores eis annos, uidelicet 1500, quorum motus medius eſt ſignorũ 0, graduum 11. minuti unius, ſecundorũ 13. Hunc igitur ſubſcripſi radici incarnationis Chriſti, deinde in eodem ordine numerorum, 20. annos completos reperi, reſiduum ſcilicet numerum annorũ mei propoſiti, & in directo eorum ſigna 0, gradus 0, minuta 8, ſecunda 49 offendi, quæ pari ratione ſubſcripſi priori numero. Intraui etiam cum diebus temporis propoſiti, ſcilicet 16, ad tabulam dierum, inueniq; ex eorum directo, ſigna 0, gradus 15, minuta 46, ſecunda 13. Deinde quoque cum horis duabus, ex tabula horarum collegi minuta 4, ſecunda 56. Cum 43. autem minutis horæ reperi minutum unum, ſecunda 46. ferè. Hos motus ſubſcripſi radici incarnationis Chriſti in hunc modum.

Radix

		S.	G.	M	S.
Radix Solis, Veneris, & Mercurij incarnationis Chriſti.		9	8	18	45
Medius motus Solis, Veneris & Mercurij.	Anni 1500	0	11	2	13
	20	0	0	8	49
	Ianuarij dies 16	0	15	46	13
	Horæ 2	0	0	4	56
	Mi. Horæ 43.	0	0	2	46
		10	5	2	42

HOS numeros colligo, quemlibet ſuo generi addendum, ſecundum rationem iam iam enumeratam, & prouenit æquabilis Solis, Veneris, ac Mercurij motus temporis propoſiti, ad meridianum ciuitatis Babenbergenſis. Signorum 10, graduum 5, minutorum 21, ſecundorũ 42. In hunc modum omnes motus per tabulas ſuas colliguntur æquabiles, item centrorum & argumentorum.

Medium motum ex tabulis collectum, ad meridianum alterius ciuitatis reducere.

ACCIPE ex tabula regionum iuxta nomen ciuitatis tuæ, ad quã propoſiti aſtri æquabilem motum reducere uolueris, tempus differentiæ longitudinis ciuitatis in horis & minutis, ac illius temporis quære medium motum planetæ propoſiti, quem adde aut ſubtrahe à radice Chriſti ſuper meridianum Babenbergenſem fundatæ, iuxta literarum denotationem A uel M.

Vel (quod idem eſt) adde motũ reſpondentẽ temporis eiuſdem differentię lõgitudinis ciuitatis, ad motum medium planetę ſuper Meridianũ Babenbergenſem calculatũ, aut ſubtrahe prout litera ad dextrã annotata expoſcet, & habebis mediũ motũ planetę ad meridianũ tuæ ciuitatis, eo tempore, quo quæſiuiſti motus ſuper Babenbergam.

Aut tempus hoc differentię longitudinis ciuitatis ex tabula regionis acceptum, iuxta literarum aſſignationem A uel M, adde uel ſubtrahe à tempore propoſito, & cum reliquo collige medium motum planetæ ex tabulis, & ueniet æquabilis planetæ motus ad meridianum tuæ regionis. Exempli cauſa.

Radicem Chriſti medij motus Solis, in inferiori parte tabulæ medij motus Solis poſitam, ad meridianum Babenbergenſem, reducam ad meridianum Viennenſem Auſtriæ. In tabula igitur regionum ex regione Vienne Auſtriæ, occurrit tempus differentiæ longitudinis eiuſdem à Babenberga, horarum 0, minutorum 25, cum litera M ad ſini-

ſtram, quod indicat motum Solis medium in 25 minutis horæ, & duorum ferè ſecundorum, ſubtrahendum eſſe à radice Chriſti medij motus Solis, ſuper meridianum Babenbergenſem fundati, hoc modo:

	S.	G.	M	S.
Radix incarnationis Chriſti motus Solis, pro meridiano Babenbergenſi.	9	8	18	45.
Motus temporis differentiæ longitudinis 25. min. inter Babenbergam & Viennam.	M.		1	2
Radix incarnationis Chriſti ad Viennam.	9	8	17	4[illegible]

¶ Exemplum ſecundi modi.

	S.	G.	M.	S.
Medius motus Solis ad meridianũ Babenbergeñ.	10	5	21	33
Motus temporis differentiæ longitudinis 25 m̃. inter Babenbergam & Viennam.	M.		1	2
Medius motus Solis ad meridianum Viennenſem.	10	5	20	31.


¶ Exemplum tertij.

	D.	H.	M.	S.
Tempus æquatum poſt meridiem diei Ianuarij.	16	2	43	0.
Tempus differentiæ longitudinis inter Babenbergam & Viennam.	A.		25	25
Ianuarij poſt meridiem.	16	3	8	0.

Cum tempore iſto colligo motus, & fient ad meridianum Viennenſem.

Theorica

THEORICA OCTAVÆ SPHÆRÆ.



¶A circulus magnus tranſiens per polos Zodiaci primi mobilis & principia Cancri & Capricorni eiuſdem.

B circulus magnus ſub hoc, tranſit per polos ſigniferi nonæ Sphæræ & principia Cancri & Capricorni eiuſdem.

¶C circulus itidem magnus, cum priori ad angulos rectos, tranſiens per polos Zodiaci nonæ Sphæræ, & exordia Arietis & Libræ.

¶D æquator primi motoris.

¶E *Signifer* eiuſdem.

¶F *Signifer* fixus qui & nonæ *Sphæræ*.

¶G circulus Zodiacus octaui orbis.

H & I circuli parui, trepidationis octauæ Sphæræ, in concauo nonę ſphæræ, ſuper principia Arietis & Libræ conſtituti, quibus ſignifer octauæ ſphæræ hac illacq; uertitur, nunc ad Zodiacum noni orbis accedens, nunc uero ab eodem declinans.

¶K circulus puncta ęquinoctialia octauę ſphęrę eiusq; polos pertrāſiens, qui cū zodiaco octaui orbis uerſus quaslibet cęli plagas uoluitur.

¶ Motus augiũ & ſtellarũ fixarũ, eſt arcus zodiaci primi mobilis inter caput Arietis primi mobilis, & caput Arietis nonę ſphęrę, qualis in hoc diagrãmate eſt arcus O Q. ¶ Medius aũt motus acceſſus & receſſus octauę ſphęræ, eſt arcus circuli trepidationis I & H, à puncto ſupremo quartæ ſecundũ ſucceſſionem ſignorum uſq; ad caput Arietis octauæ ſphæræ computatus, qualis hic eſt L O Q. ¶ Æquatio autem octauæ ſphæræ, eſt arcus eclipticæ nonæ ſphærę, inter centrum circuli trepidationis & circulum magnum, qui à polis eclipticæ nonæ ſphæræ per caput Arietis octauæ tranſit, eaq; per arcum, qui eſt à centro circuli parui ad uſq; I deſignatus.

ÆQVATORII OCTAVI ORBIS in plano delineatio.

Ex centro D, interuallo autem D B datæ quantitatis, deſcribatur circumferentia B C F E, ſub hac circino cõpreſſo alia, tantum cum ea ſpacium concludens, ut in id commodè numerus ſignorum inſcribi poſſit, rurſus ſub hac tertia, ſtrictius aliquantulum priori interuallum deſcribens, in quod characteres numerorũ inſcribentur, inde quarta ex eodem centro deducta, quæ cum proximo anguſtiſsimum ſpacium compræhendat, in quo ſinguli gradus deſignabuntur. Hi igitur ambitus duabus diametris quadrentur, ſinguli deinde quadrantes in tres partes æquales diuidantur, & appoſita ad D centrum regula, per ſingulas ſectiones ab extimo ad intimum rectæ ducantur. Harum itaq; partium quælibet rurſus in tres partes æquales ſecetur, inde ſingulæ bipartiantur, illæq; à ſecunda circumferentia interiori rectis iungantur, adiecta nempe D centro & ſingulis diuiſionũ punctis regula, harum deinceps quælibet in anguſtiſsimo ſpacio in quinq; partes æquales diuidatur. His ita ritè peractis, numeri duodecim Zodiaci ſignorum inſcribantur inter duos ambitus exteriores, incipiendo ab unitate ſecundũ ſeriem numerorum à dextra leuam uerſus, in ſequens autem interuallum ſignentur notæ numerorum per denarios, aut ſi inſtrumenti quantitas ferat, per quinarios. Et hæc quidem Zodiaci in plano deſignatio. Æquatio aũt octauæ Sphæræ ita commodè inſcribetur: Intra hos iam iam deſignatos orbes alij quatuor ambitus deſcribantur, ſimilia prioribus ſpacia deſignantes, ingrediatur deinde proxime ſequentẽ tabellã æquationis octauę ſphæræ, & ex ea deſumatur cũ propoſito gradu æquationis ſignũ, gradus & minutum zodiaci ei reſpondens, & appoſita D centro regula, & termino numerationis, ducatur recta à ſecũda circũferentia ad interiorem, aſcribendo ei characterem numeri gradus propoſiti, deinde quod eſt anguſtiſſimũ hac quoq; lege diuidatur. Poſtremo in extimum horum ſpacium ad primam medietatem zodiaci, quę eſt ab unitate in ſenariũ ſcribatur, circa ſectiones dia-

diametrorum cum his, litera A, quæ ſignificet æquationis additionem ad medium motum augium & ſtellarum fixarum, in reliquam uero M, quæ minuendam indicet.

TABVLA ÆQVATIONIS OCTAVÆ Sphæræ acceſſus & receſſus.

Æquatio Zodiaci.							
G.	M.	S.	G.	M.	S.	G.	M.
0	0	0	0	0	0	0	0
	10	6	1	4	6	28	56
	20		2	8		27	52
	30		3	11		26	49
	40		4	16		25	44
	50		5	20		24	40
1	0		6	24		23	36
	10		7	29		22	31
	20		8	34		21	26
	30		9	39		20	21
	40		10	44		19	16
	50		11	49		18	11
2	0		12	54		17	6
	10		13	59		16	1
	20		15	5		14	55
	30		16	10		13	50
	40		17	18		12	42
	50		18	26		11	34
3	0		19	34		10	26
	10		20	42		9	18
	20		21	49		8	11
	30		22	57		7	3
	40		24	7		5	53
	50		25	17		4	43
4	0		26	29		3	31
	10		27	41	5	2	19
	20	1	28	55	11	1	5
	30	7	0	6		29	54

Æquatio Zodiaci.							
G.	M.	S.	G.	M.	S.	G.	M.
	40		1	20		28	40
	50		2	45		27	15
5	0		3	52		26	8
	10		5	9		24	51
	20		6	28		23	32
	30		7	48		22	12
	40		9	9		20	51
	50		10	31		19	29
6	0		11	55		18	5
	10		13	22		16	38
	20		14	49		15	11
	30		16	21		13	39
	40		17	48		12	12
	50		19	30		10	30
7	0		21	10		8	50
	10		22	53		7	7
	20		24	41		5	19
	30		26	33	4	3	27
	40		28	31	8	1	29
	50	2	0	38		29	22
8	0	8	2	50		27	10
	10		5	15		24	45
	20		7	49		22	11
	30		10	53		19	7
	40		14	25		15	35
	50		19	0		11	0
9	0	3	30	0	3	0	0
		9			9		

Motum

Motum uerum augis communis menſurare.

MEDIVS motus augium & ſtellarum fixarum abſq; radice quæritur, medius autem motus acceſſus & receſſus octauæ ſphæræ cum radice, ſicut alij medij motus. Æquatio autem motus augium talis eſt: Cum medio motu acceſſus & receſſus octauæ ſphæræ intra rotulam æquationis octauæ ſphæræ, quærendo ſignum & gradum eius in ordine duodecim ſignorum, ſupra eundem protendendo filum inſtrumenti, quod oſtendet tibi in limbo interiori gradum & minutum, cum litera A uel M: A quidem addendum, M uero minuendũ à medio motu augium & ſtellarum fixarum, & proueniens augem communem denotabit.

Augem cuiuslibet planetæ inuenire.

ADDE augem communem radici augis cuiuslibet planetę ſeorſum è tabella radicum augium planetarum tempore incarnationis Chriſti, & proueniet aux uera planetæ.

EXEMPLVM.

Pro medio motu augium & ſtellarum fixarum.

Radice caret	S.	G.	M.	S.
Anni à 1500	0	11	1	13
Anni 20	0	0	8	49
Ianuarij 16	0	0	0	1
Medius motus augiũ & ſtellarũ fixarum.	0	11	10	3

Pro medio motu acceſſus & receſſus octauæ ſphęræ.

Radix incarnationis Chriſti.	S.	G.	M.	S.
	11	29	12	34
Anni 1500	2	17	8	34
Anni 20	0	1	1	43
Ianuarij 16	0	0	0	8
Medius motus acceſſus & receſſus octauę Sphærę	2	17	22	59

IVXTA doctrinam huius Canonis protraxi filum inſtrumenti ſupra gradum 17. & proportionaliter 23. ferè minutũ Geminorũ, ſigni uidelicet ſecundi completi, & 17. graduum medium ſcilicet motum acceſſus & receſſus octauę ſphęrę iam inuentum, ſub eadem enim fili extenſione reperi in ordine graduum ſeu limbo interiori, 8. gradus minuta 47. ferè cũ litera A, qui ſunt gradus & minuta æquationis addendi, quos cum medio motui augium & ſtellarum fixarum iunxero, prouenit aux communis temporis dati.

	S.	G.	M.	S.
Medius motus augium & ſtellarũ temporis dati.	0	11	10	3
Æquatio.	8	47	ferè	A.
Aux communis anni 1520. ad diem 16. Ianuarij.	0	19	57	3

Huic

Huic adiungam cauſa exempli, radicem augis Solis incarnationis Chriſti, è tabella parua deſumptam, ſcilicet ſigna 2, gradus 11, minuta 15, ſecunda 23, & proueniet aux Solis & Veneris 3 ſignorum, gradus unius, minutorum 22, ſecundorum 26.

	S.	G.	M.	S.
Aux communis anni 1520.	0	19	57	3
Radix incarnationis Chriſti augis Solis & Veneris.	2	11	25	23
Aux Solis & Veneris.	3	1	22	26


Vera loca ſtellarum fixarum ad quodcunq; tempus perquirere.

QVÆRE augem communem temporis tui dati, à qua ſubtrahe augem communem tempore Alphonſi, & reſiduum erit differentia motus ſtellarum fixarum inter datum ac Alphonſi tempus. Hunc ergo motum adde ſtellis Alphonſinis, & habebis uerum locum ſtelle quęſitæ. Vt, uerificanda ſunt loca ſtellarum ad annũ 1520. tranſactum, & 16, Ianuarij diem. Aux communis autem huius temporis eſt 0 ſigni, 19 graduum, 57 minutorum, ac 3 ſecundorum, à qua ſubtraxi augem communem Alphonſi, nempe, 0 ſigni, graduum 17, minutorum 34, ſecundorum 34, & facta ablatione remanſerunt ſigna 0, gradus 2, minuta 22, ſecunda 29, motus ſtellarum fixarum à tempore Alphonſi in annum 1520. completum, & 16, Ianuarij diem. Inquirendus autẽ erat uerus locus Aldebaran ſtellæ regiæ in oculo Tauri, qui tempore Alphonſi fuit in ſigno 1, gradu 29, minuto 48. Huic itaq; addidi gradus duos, minuta 22, ſecunda 29, & collegi ſigna duo, gradus duos, minuta 10, ſecunda 29, uerum ſcilicet locum ſtellæ Aldebaran tempore propoſito.

	S.	Gr.	M.	S.
Aux communis anni 1520, completi.	0	19	57	3.
Aux communis Alphonſina.	0	17	34	34.
Motus ſtellarũ à tẽpore Alphonſi in 1520. annum.	0	2	22	29.
Verus locus Aldebaran tempore Alphonſi.	1	29	48	0.
Verus locus Aldebaran anno 1520. completo.	2	2	10	29.


Æquato-

ÆQVATORIVM OCTAVÆ SPHÆRÆ.



Numeri in interiori limbo ſunt graduum ab unitate in nouenariū, ſubdiuiſiones autem ſextantes illorum.

THEORICA ORBIVM SATVRNI.



¶A circulus magnus ductus per polos zodiaci, eiq; ad angulos rectos, qui etiam colurus ſolſtitiorum dicitur.

¶B Orbis deferenti augem Saturni normalis.

¶C Signifer circulus.

¶D Orbis deferens augem Saturni.

¶E Orbis deferens oppoſitum augis eius.

¶F Orbis eccentricus.

¶G Æquans.

¶H Epicyclus.

¶I Axis motus epicycli.

¶K N Axis motus eccentrici Saturni.

¶LM Axis zodiaci ac deferentium apogium ac perigium.


¶M Centrum mundi ac deferentiũ augem eiusq; oppoſitum.

¶N Centrum eccentrici.

¶O Vero centrum æquantis.

THEORIA

AEQVATORIVM
THEORIA MOTVS AVXIVM ET polorum Saturniorum.




¶ A B axis eclipticę. ¶ O P ſuperficies plana eclipticę. ¶ C centrū mūdi. ¶ D centrum deferentis centrum epicycli Saturni. ¶ E centrū ęquantis. ¶ F G axis deferētis ſeu eccentrici. ¶ H C D E K ſupficies plana eccentrici. ¶ A & B poli eclipticæ. F & G poli deferentis centrum epicycli Saturni ſiue eccentrici. ¶ K aux eccentrici. ¶ H uero eius oppoſitum.

EXPLICATIO FIGVRAE LATITVDINIS SATVRNI.

¶ A B ſuperficies plana deferētis augem Saturni. ¶ C caput Draconis ſeu Genzaar Saturni. ¶ D uero Cauda. ¶ Regreſſus eccentrici Saturni à deferente apogij, qui fit circa R & B puncta, dicitur uenter meridionalis. Qui uerò circa Q & A ſeptentrionalis. H I axis motus epicycli in latum. ¶ K L uero eiuſdem axis in longū. ¶ F E G P Linea augis ueræ. ¶ M diameter augiū epicycli Saturni. ¶ P aux epicycli. ¶ G aūt eius oppoſitum.

Theorica

THEORICA MOTVS SATVRNI IN LATVM.




ÆQVATORII SATVRNI IN plano figuratio.

EX centro D, interuallo autem A B, deſcribantur quatuor circumferentiæ ſecundum doctrinam conſtructionis æquatorij octauæ Sphæræ, quæ ut prius in trecentas ac ſexaginta partes diuidantur. Aſſignatis autem in ſecundo ſpacio ſingulis diuiſionibus debitis numerorum characteribus, in extremo horũ nomina duodecim ſignorum à dextra læuam uerſus inſcribantur, incipiendo ab Ariete. Semidiameter uero à D centro, uſq; ad orbem ſignorum diuidatur in nonaginta ſex partes æquales, quod fiet ubi eę primò bipertiantur, harum rurſus quælibet per medium diuidatur, quod ubi quintò factum fuerit, ſingulæ harũ in tres æquales partes ſecentur. Iam à puncto D numerabuntur ſex partes & quinquaginta minuta unius nonageſimæ ſextæ, ſitq; finis numerationis nota K centrum circuli æquantis, linea quoq; K D ubi per mediũ in puncto C ſecta fuerit, C nota centrum eccentrici Saturni oſtendet. Ex hoc numerabuntur ſexaginta partes, quarum finis ſit nota A apogium deferentis, linea autem C A ſemidiameter circuli eccentrici. Deinde ex A puncto computabuntur ſex partes & triginta minuta, punctus autem huius computationis ſit E litera, quæ, quam cum A lineam concludet, ſemidiametrum epicycli Saturni indicabit. Hoc demum abſoluto opere, ea lege orbes huius inſtrumenti depingentur. In alio quouis plano ad quantitatem ſemidiametri, quę eſt à puncto D uſq; ad interiorem circumferentiam zodiaci, deſcribatur ex D centro circumferentia, & ab ea uerſus D centrum inſtrumẽti ſignabitur punctũ F ad libitum ab eo diſtans, quatuor nempe aut quinq; quaſi graduum ſemidiametri, poſitoq; circino in C centro eccentrici, deſcribatur circumferentia ad quantitatem E F lineæ. Deinceps in alia tabula depingatur (circino non compreſſo) eiuſdem quantitatis ex C centro ambitus, & ad quantitatem A C ſemidiametri eccentrici, ſub hoc rurſus alius, eductaq; per C centrum recta, ſecetur interior in A puncto centro epicycli Saturnij. Numeretur poſtea à puncto C in partẽ oppoſitam ſemidiametro C A quantitas lineæ C D, impingendo eiuſdem oppoſitæ notam D centrũ mundi. Poſtremo in tertia tabula deſcribatur ex A centro ad quantitatẽ lineæ A E circumferẽtia epicycli Saturni, quæ erit epicyclus ueræ circulationis. Extra hanc autẽ deſignetur circumferentia priore tantum maior, quantum quantitas rectæ inter A punctum, & extremam eccentrici admittat, quę in trecentas & ſexaginta partes diuidatur. Et ſub ea deſcribatur alia tantum à priore remota, ut inter ipſas deſcribi poſſint trecentæ & ſexaginta partes. Infra hanc rurſus alia tantum à ſecunda diſtans, ut inter eas commode poſſint depingi characteres numerorum graduum per quinarium aut denarium,

prout

prout quantitas inſtrumenti patitur, diſtinctorum. Iterum ſub hac ex eodem centro quarta, tantum cum tertia ſpacium concludens, ut in id characteres numerorum duodecim ſignorum zodiaci deſcribi poſſint. Quæ omnia ita penitus perficientur, ut ſupra in inſtrumento ſeu ęquatorio octauæ Sphæræ dictum eſt de zodiaco. Hac tamen hoc in loco cautiuncula obſeruata, ut in eam partem ſeries numerorū & graduum per quinarium uel denarium diſtinctorum, & duodecim ſignorum procedat, in quam ordo nominum duodecim ſignorum in zodiaco uergebat. Vt ſi ordo ſignorum uerſus læuam in orbe ſignorum perrexerat, hic eandem partem uerſus ambulet. Poſtremo ubi id quod epicyclum excedit reſciſſum fuerit, deſcribatur circumferentia paulo anguſtior uero epicyclo Saturni in alia tabula, quę ſit L M, & ſub hac per quadrantem quaſi ſemidiametri eiuſdem ſtrictior alia K I, porrò ſecundum eam quantitatem (circino neutiquam compreſſo) ſuper A centro epicycli deſcribatur G H circumferentia, quę deinde ex epicyclo ſecetur tota. Iam eiuſdem quantitatis deſcribatur in alio quouis plano circumferentia N O, eaq́; (ſuperfluo prius ablato) conglutinetur centro A epicycli in eccentrico ſignati, ita ut huius centrum puncto A reſpondeat. Huic aptetur epicyclus, ita ut huius cauum epicycli gibbo reſpondeat. Ipſi uero rotulæ N O addatur alia, uidelicet L M, ita ut centra horum ſibiipſis reſpondeant, & epicyclum circa illas hac illacq́; liberè moueri poſſit, neq́; uſquam limites egrediatur. Itidem quoq́; fiat circa C punctum eccentrici ſignati in deferente epicyclij, compingendo deferentem epicyclum deferenti augis, ea tamen lege, ut eccentricus circa C centrum regulariter moueatur, quod facile fieri poterit, ſi cum C centro eccentrici agetur, ſicut cum A epicycli centro iam iam peractum eſt. Poſtremo ex centris A, D & K, egrediantur ſingula fila ſerica &c.



¶D Centrum mundi.
¶C Centrum eccentrici.
¶K Centrum æquantis.
¶A Centrum epicycli.

¶Linea K 2 A K, eſt linea educta à centro æquantis per centrum epicycli, & hæc augem mediam epicycli indicat.

¶Linea D 1 D, eſt linea medij motus planetæ.

¶Linea A 3 A eſt linea argumenti, determinans argumentum medium per arcum epicycli ab auge media epicycli uſq; ad corpus planetæ, quod eſt in interſectione epicycli cum linea hac.

¶Linea B 4 D, eſt linea ueri loci planetæ. Reliqua ex Theoricis Purbachij, aut Iacobi Fabri Stapulenſis petantur.

¶Verum motum Saturni perquirere.

PRIMO quære medium motum Saturni, cuius tabulam ſicut & cęterorū, tabulę reſolutæ huic operi additæ, tibi offerunt.

Secundo augem eius, per quam locum augis rotulæ deferentis augem dirige, eamq; immobilem ita cuſtodi.

Tertio

Tertio medium motum Solis,à quo ſubtrahe medium Saturni, & proueniet argumentum eius.

Quarto dirige D filum quod ex centro mundi egreditur, ſuper medium motum Saturni in orbe ſignorum, cui deinceps filum K æquabiliter protende,dimiſſo demum D filo,duc centrum A epicycli cum auge eius,id eſt duodecimo ſigno directe,ſub K filum.

Quinto dirige A filum epicycli ſuper argumentum planetæ in epicyclo,quod ut ita inuariatum permaneat,uidendum eſt.

Sexto dirige D filum ſuper argumentum planetæ,id eſt,ſuper interſectionem fili epicycli cum epicyclo ueræ circulationis, quod oſtendet in orbe ſignorum uerum Saturni motum.

EXEMPLI CAVSA.


¶ Quærendus ſit uerus Saturni motus ad annum Chriſti 1526 completum, & ad 16 Ianuarij diem, horam 2,minutum 43,& ſecunda 16. Huius itaq; dati temporis inuenio medios motus,ſcilicet:

	S.	G.	M.	S.
Medium motum Saturni.	10	11	20	40
Argumentum medium Saturni.	11	24	0	53

¶ Secundum canonem igitur educo D filum ſuper medium motum Saturni in orbe ſignorum, eiq; filum K æquantis parallelum, ſub quod centrum & augem epicycli duco,reiecto autem K filo, inſtrumentum ita numeratum relinquo. Deinde A filum pono ſuper argumentum medium Saturni in epicyclo. His autem ita immotis permanentibus, filoq; D ſuper ſectionem fili A cum epicyclo uerę circulationis applicato,id in Zodiaco oſtendit ſextum gradum Aquarij, uerum ſcilicet Saturnij motum diebus æquatis,ad meridianum Babenbergenſem.Cumq; argumentum medium in medietate epicyclij ſuperiori reperio,directum eum eſſe dico.

ÆQVATORIVM

ÆQVATORIVM SATVRNI.



❡Deferens Saturni mouetur per unum diem duobus minutis ferè, & in anno uno 12 gradibus, 13 minutis, & 35 ſecundis iuxta eius mediū motum, peragitq́ ſignife-

ſigniferum in 29 annis, 162 diebus, & 12 horis. Epicyclus eius uel argumentum, mouetur in ſuo circulo ſingulis diebus 57 minutis, & in anno 11 ſignis, 17 gradibus, & 32 minutis, hoc eſt, ſingulis coniunctionibus medijs Solis & Saturni epicyclus Saturni ſemel reuoluitur, quod fit in 378 diebus, hora una, minutis 30. Vnde etiam Saturnij ſyderis centrū, tot gradibus & minutis ab auge epicyclij media ſemper diſtat, quot mediorum eius & Solis motuum lineæ. Hæc eſt igitur ratio, cur medio Saturni motu ſubducto à Solis medio, medium argumentum Saturni remaneat, ac rurſus, ſi medius Saturni adijciatur motui epicyclij, motus ille æqualis ſit medio motui Solis &c.

THEORIA IOVIS.

¶Huius Theoriæ ſunt ſicut Theoriæ Saturni, quantum & ad rationem motuum & uocabulorum explicationes.

ÆQVATORII IOVIS DESCRIPTIO.

DIVISO ſemidiametro à D centro mundi uſq; ad orbem ſignorum in partes nonaginta ſex, ut ſuperius in Saturni æquatorio, à centro D mundi numerabuntur partes quinq; cum dimidia, & erit finis numerationis litera K, centrum ſcilicet æquantis, ſecta autem D K recta per medium in C puncto, habebitur centrum eccentrici. Poſtea à C puncto computabuntur ſexaginta partes, quarum finis erit A punctus centrum epicyclij Iouialis. Ab hoc rurſus, ubi undecim cum dimidia, quarum tota eſt nonaginta ſex, partes numerabuntur, proueniet locus notæ E termini numerationis, & ipſa quidem A E recta, ſemidiametrum epicycli Iouialis ueræ circulationis indicabit. Reliqua ſe habent, ut ſupra in Æquatorij Saturnij fabrica dictum eſt.

¶Verum Iouis motum quærere.

IN hoc age, ut ſupra in Canone æquatorij Saturnij diximus. Verum ne quid hac in re ſtudioſis deeſſet, exemplum dati ſuperioris temporis apponere uoluimus, fuerunt autē medij motus Iouis tum temporis hi.

	S.	G.	M.	S.
Medius motus Iouis.	8	12	27	18
Medium argumentum Iouis.	1	22	53	45

¶Applicui igitur filum D medio motui Iouis in zodiaco, & parallelū ei duxi filū K, cui dimiſſo D filo applicui centrū A epicycli Iouis, eiusq; augem. Poſtea A filum epicycli poſui ſuper argumentum medium Iouis in epicyclo. Poſtremo filū D poſui ſup interſectionē fili A cum epicyclo

uer æ circulationis, & indicabit uerum motũ Iouis in 15 Sagittarij, & cum argumentum eſſet in ſuperiore parte epicycli, tum temporis erat directus.

ÆQVATORIVM IOVIS.



¶ Deferens Iouis mouetur per diem unum, minutis 4, ſecundis 59, & anno uno gradibus 30, minutis 20, & ambit totũ orbem in annis 11, diebus 313, horis 20. Epicyclus eius mouetur uno die 54 minutis, & anno uno, ſignis 10, gradibus 29, minutis 25. completq́ motum totius circuli in diebus 398, horis 21, minutis 20, quo tempore & Iupiter coniungitur cum Sole ſecundum medium motum.

THEORICA MARTIS.

Theoriæ Martis eædem ſunt cum prioribus duorum &c.

FABRICA ÆQVATORII MARTIS.

DESCRIPTO Zodiaco, quemadmodum ſuperius traditum eſt, ſemidiameter à D centro mundi ad periferiam uſq́ Zodiaci diuidatur in partes ſexaginta æquales, & à puncto D numerentur 6 partes cum dimidia, terminus autem numerationis ſit K punctus centrum æquantis. Secetur autem per medium linea D K in C puncto centro eccentrici, & ab eo cõputabuntur partes triginta uſq́ in punctum A, ab eo demum 19 partes, & 45 minuta in E punctum. Eſt autem A E ſemidiameter epicycli Martis, ad cuius quantitatem in plano dato deſcribatur epicyclum ueræ circulationis, quod in 360 partes diuidatur, ſicut epicyclus Saturni. Reliqua communia ſunt prioribus.

¶ Verum motum Martis quærere.

INQVISITIO ueri loci Martis eadem eſt cum canone inuentionis motus ueri Saturni ac Iouis. Exempli gratia.


¶ Tempore propoſito ſcilicet anno 1520 completo, die 16 Ianuarij, horis à meridie 2, minutis 43, ſecundis 16, medij motus Martis ſunt.

	S.	G.	M.	S.
Medius motus Martis.	4	1	51	59
Medium argumentum Martis.	6	3	29	45

¶ Iuxta doctrinam Canonis D filum ſuper medium motum Martis in orbe ſignorum poſui. Deinde ipſi D filo filum K æquidiſtanter produxi, ſub quod centrum epicycli cum eius auge poſui, abiecto poſtea K filo, A epicyclij filum eduxi ſuper argumentum medium Martis in epicyclo. Rotulisq́ ita nuſquam uariatis, D filum ſuper interſectionem A fili epicycli cum ipſo Martis epicyclio poſui, quod in Zodiaco oſtendit uerm motum Martis in 29 gradu Cancri, cumq́ argumentum eſſet in inferiori medietate epicycli, retrogreſſionem paſſus eſt.


ÆQVA-

ÆQVATORIVM MARTIS.



¶Deferens Martis mouetur p̃ diem unum, minutis 31, ſecundis 26. Anno autem uno mouetur ſignis 6, gra. 11, m̃. 17. Completq́ꝫ motum ſuum in anno uno, diebus 321. & horis ferè 23. Epicyclus eius mouetur uno die, minut. 28. Et anno uno ſignis 5, gradi. 18, m̃. 28. Et reuoluitur totus in diebus 779, & horis 5, quo tempore Sol etiam Marti coniungitur ſecundum medium motum.

THEORIA ORBIVM SOLIS.




¶A Colurus ſolſtitiorum.
¶B Deferens augem eccentrici Solis.
¶C Eccentricus ſeu deferens corpus Solare.
¶D Deferens oppoſitum augis eccentrici Solis.
¶E Centrum eccentrici.
¶F Centrum mundi.
¶F L M Axis Zodiaci.
¶F I K Axis augem deferentium.
¶G E H Axis eccentrici.
G K L & H I M Circuli parui motus axis eccentrici circa axem Zodiaci ac deferentium augem.

Compoſitio

COMPOSITIO ÆQVATORII SOLIS.

POSTQVAM ſignifer ſecundum canonem æquatorij Saturnij ſuper D centrum mundi deſignatus fuerit, à linea, quæ eſt ab orbe ſignorum in D centrū mundi, reſecetur particula pro libito tanta, quantam diſtantiam eccentrici Solis ab orbe ſignorū eſſe uoluerimus. Rectam deinde, quæ eſt à D puncto, in datū iam punctum, diuidatur in partes 25 æquales, quarum una ſit C centrū eccentrici Solis. In alio itaq; plano, ad datam quantitatem lineę, quàm C litera, & datum punctum intercipit, deſcribentur circumferentię quatuor, tria concludentes ſpacia, ita tamen, ut id quod extremum eius obtinet anguſtiſsimum ſit, pro ſingulorum graduum diuiſione, ſequens aliquo modo latius, pro annotatione numerorum graduum, tertium autē horum omnium ampliſsimum, pro numerorum ſignorum deſignatione aptum, quæ ita penitus diſtribuentur, ſicut in Zodiaco octaui orbis factum eſt. Et numerus quidem, tam graduum quàm ſignorum, in eum ſe ſequatur ordinem, quem ſeries ſignorū in zodiaco expoſcit. Compingetur autem hæc eccentrici rotula, rotulæ deferentis augem, ita tamen ut circa eam liberè uolui poſsit, & ex D & C centris egredian- tur fila ſerica &c.



¶Linea

¶Linea c c eſt linea argumenti Solis in eccentrico.
¶Linea D D medij motus Solis.
¶C Centrum eccentrici.
¶D autem centrum mundi.

¶Locum Solis uerum inuenire.

PRIMO dirige augem rotulæ deferentis ſuper augem Solis. Secundo quære mediū Solis motum ex tabulis Solaris medij motus, quas in tabulis reſolutis inuenies, eiusq́ augem. Tertio deme augem à medio motu Solis, & relinquetur argumentum ſolare, quod ubi in eccentrico inuentum fuerit, ſupra id extende D filum, hoc etenim in Zodiaco uerum Solis locum indicabit. Vt, tempore dato medius motus Solis erat 10 ſignorum, 5 graduum, 21 minutorum, 42 ſecundorum: Aux Solis autem 3 ſignorum, unius gradus, 22 minutorum, & 26 ſecundorum, qua à medio Solis ſubtracta, remanent 7 ſigna, 3 gradus, 59 minuta, & 16 ſecunda, argumenti ſcilicet medij Solis. Hoc igitur numeraui in eccentrico, & ſuper id poſui filum D, quod in Zodiaco oſtendebat uerum locum Solis eſſe in 6 gradu Aquarij tempore dato, ad meridianum Babenbergenſem.

¶Aliter idem efficere.

NVMERA (affixa prius rotula deferente augem ipſi inſtrumento, ita ut aux rotulę reſpondeat augi ſolari) in ſignifero medium motum Solis, ſuper quem pone filum D, huic æquidiſtanter produc c filum eccentrici, deinde D filum pone ſuper interſectionem c fili, & extremæ eccentrici ſuperficiei, id in Zodiaco oſtendet uerum locum Solis. Exemplum hoc in loco apponere ſuperuacaneum duxi, quandoquidem in priori Canone ſimile poſuerim.

ÆQVATORIVM SOLIS.




¶In ſuperiori medietate zodiaci, ſcilicet à principio Arietis in finem uſq; Virginis, moratur Sol motu ꝓprio ꝑ 187 dies, inferiorē aũt peragit ſpacio dierũ 178.

¶Linea

¶Linea medij motus Solis, eſt linea à centro mundi D ad Zodiacum ex-
enta, Linea autem ueri motus, eſt ex C centro ec-entrici deducta linea, paral
ela tamen lineæ medij motus Solis.


THEORICA VENERIS.

THEORICA ORBIVM VENERIS.



¶A Colurus ſolſtitiorum. ¶B Zodiacus. ¶D Centrum mundi. ¶H Cen
trum eccentrici. ¶I Centrum ęquantis. ¶L & O deferentes augem Veneris,
eiusq; oppoſitũ. ¶M Eccentricus. ¶N Æquans. ¶B D C Axis zodiaci ac de
ferentium augem. ¶F D G Axis motus eccentrici in latũ, ſeu deuiationis eius.
¶Recta K H Axis eccentrici Venerei. ¶Q Centrum epicycli ¶. P Epicyclus,
eius axis S Q R motu epicycli in latum, quem inclinationem dicunt, circa dia-
metrum mediarum longitudinum, circulorũ deſcribit circumferentias, quem
admodum & axis deuiationis circa axem augem deferentium.

THEORIA DEVIATIONIS ECCENtrici Venerei.



¶A Circulus magnus per polos Zodiaci tranſiens, qui cum deferente augem, angulos rectos concludit.

¶B Deferens augem eccentrici.


¶F E G Diameter capitis & caudæ Draconis.

¶H I Axis Zodiaci.

¶K E L Axis eccentrici, cuius poli nunc hac, nunc illac à Zodiaci polis declinant.

¶C Eccentricus Veneris, eiusq́ centrum E, epicyclus autem D.

THEORIA INCLINATIONIS ET DEclinationis epicycli Venerei.



¶B Centrum eccentrici.
¶A B Linea augis ueræ.
¶C D Diameter mediarum longitudinum.
¶E Centrum epicycli.
¶F E G Diameter mediarum longitudinum epicycli, ſuper quem fit inclinatio.
¶H I Axis inclinationis epicycli, cuius poli circa diametrum mediarum longitudinum, circulorum circumferentias motu inclinationis epicycli deſcribunt, itidem quoq; aux media epicycli, eiusq; oppoſitũ circa M & N puncta faciunt.

 Conſtru-

CONSTRVCTIO INSTRVMENTI Veneris.

COMPOSITIO organi Veneris perſimilis eſt compoſitioni trium ſuperiorum, præterquàm quòd ſemidiametro à D centro in punctum uſque ſub orbe ſignorum datum, in ſexaginta partes diuiſo, numerabitur una pars, & 15 minu. unius ſexageſimæ, quę quidem K centrum æquantis indicabit. Hęc igitur K D linea cum in duas partes in centro eccentrici ſecta fuerit à C puncto, numerabuntur partes 30, quarum finis ſit A centrum epicyclij Venerei, ab hac denique partes 21, minuta 35 numeratæ oſtendent E punctum, & linea A E erit ſemidiameter epicyclij Veneris, reliqua ex prioribus colliges.

¶ Vocabulorum interpretatio eadem eſt cum tribus ſuperioribus, ex quibus etiam ſtudioſus eam petere poterit.

¶ Verum locum Veneris ſcrutari.

EADEM eſt motus ueri Veneris inquiſitio, quę & trium ſuperiorum. Eſto enim exempli cauſa, medius motus Veneris tempore dato, qui & medius Solis motus, ſignorum 10, graduum 5, minutorum 21, ſecundorum 42. Argumentum autem medium ſigni unius, graduum 26, minutorum 29, ſecundorum 55. Cum quibus ſi iuxta doctrinam canonis egero, inueniam uerum Veneris locum in 28 gradu Aquarij, eamque directam, cum argumentum eius ſit in ſuperiore epicyclij arcu, fuiſſe indicat.

ÆQVA-

ÆQVATORIVM VENERIS.




¶Venus non poteſt elongari à Sole ultra 48 gradus. Quando autem Venus multum à Sole remouetur, & fuerit in parte inferiori epicycli, tunc ſi fuerit dies ſerena, uidebitur in die, & magna ualde noctu apparebit.

¶Deferens Veneris mouetur ſingulis diebus iuxta ordinem ſignorum 59 minutis, 8 ſecundis, ſicut ipſe Sol. Argumentum autem eius in epicyclo mouetur ſingulis diebus 37 minutis ferè.

THEORIA MERCVRII.

THEORICA ORBIVM MERCVRII.



¶A Circulus magnus ductus per polos zodiaci primi mobilis eiusq; puncta ſolſtitialia. ¶B Zodiacus primi motoris. ¶C Deferens augem æquantis. ¶D Deferens augem eccentrici. ¶E Eccentricus Mercurij. ¶F Æquans. ¶G Deferens oppoſitũ augis eccentrici. ¶H Deferens oppoſitũ augis æquantis. ¶I Epicyclus Mercurij. ¶K I Axis inclinationis epicycli. ¶L Centrũ mundi. ¶M Centrum

¶ M Centrum æquantis. ¶ N Centrum parui circuli. ¶ C Centrum deferentis. ¶ Q L Z Axis Zodiaci ac deferentium augem æquantis. ¶ S L R Axis deferentium augem eccentrici, cuius poli circa polos deferentium augem æquantis circulorum deſcribunt circumferentias. ¶ X N O Axis parui circuli. ¶ Y O P Axis eccentrici, cuius poli ac centrum circa polos, ac centrum axis parui circuli circulorum circumferentias deſignant.


ÆQVATORII MERCVRII delineatio.

Orbe ſignorum, ſecundum doctrinam Canonis de Fabrica inſtrumenti Saturni deſcripto, ad quantitatem lineæ, quæ eſt à D centro mundi uſq; ad periferiam orbis ſignorum intimum, deſcribatur in prima tabula circumferentia ex D centro, cuius ſemidiameter in triginta duas partes æquales ſecetur. Harum autem à D centro mundi prima erit K centrum æquantis, ſecunda H centrum parui circuli, tertia uero C centrum eccentrici Mercurij. Numerabuntur autem à C puncto uiginti partes, eritq; finis numerationis A centrum epicycli Mercurij: ab hac ſeptem Q cum dimidia computabuntur, quarum erit terminus nota E, quantitas itaq; lineę A E erit ſemidiameter epicyclij Mercurij: Iam ſub circumferentia ex D centro nunc primum deſcripta, tria ſignentur puncta, quæ per unum quaſi gradum à ſe inuicem diſtent, ſintq; ea F, G & I in ſecunda deinceps tabula, ad quantitatem A E deſcribatur epicyclum Mercurij, quod in 360 partes diuidatur, numeruſq; tam graduum quàm ſignorum in eum procedat ordinem, quem ſeries numerorum in Zodiaco exigit. In tertia uero tabula, quæ eccentrici tabula dicitur, ad quantitatem rectæ, C A, ex eodem centro deſcribatur circumferentia eccentrici, extra hanc alia, quæ magnitudine parum excedat lineam C A E. In quarta autem tabula ex C centro ſimilis priori deſcribatur ambitus, & à C centro numerabitur lineæ H C quantitas, ac ex H puncto extra hunc deſcribatur periferia, hęc deferentis augem eccentrici tabula uocabitur. In prima autem pro huius periferiæ quantitate ex H centro deſcribatur circuitus, ſed in ſemidiametro eius ab H centro numerabuntur intercapedines linearum H K & H D, ponaturq; in K punctum circinus, & extra circumferentiam deſignatam in hac tabula paulo maior alia, quæ cadet intra hanc & extremam primo delineatam. Poſtea in quinta ex H centro deſcribatur circumferentia parui circuli, cuius ſemidiameter ſit H K, extra hanc deſcribantur quatuor circumferentiæ, ſicut in epicyclio, quorum ſemidiameter ſit quaſi duodecim graduum ex illis 32 partibus, diuidanturq; in 360 partes ęquales, ordo autem nu-

merorum

merorum contrarius ſit numero epicyclij ac zodiaci. Poſtremo in ſexta tabella ſecundum quantitatem ſemidiametri circumferentiæ exterioris prioris tabellæ, ex H centro deſcribatur circumferentia, & extra hanc ex C centro eccentrici alia. Rurſus in ſecunda tabula, quæ & epicyclij, deſcribatur periferia, qua deinde ex eo reſecta, in alio plano deſcribatur eiuſdem quantitatis orbiculus, qui conglutinetur A centro epicycli in eccentrico ſignati, & in alia deinceps tabula maior hac, quæ, applicato prius epicyclij cauo orbiculi gibbo cum eodem A centro compingatur, ita tamen ut circa eas epicyclium liberè hac illacq́ moueri poſſit, quæ omnia ita perficiantur, ſicut de Saturnij aſtri epicyclio ſupra dictum eſt. Iam in tertia tabula quam eccentrico dicauimus, ſuper C centro deſcribatur periferia paulo maior rotula motus centri, eaq́ ex eccentrico ablata, eiuſdem quantitatis deſignetur circumferentia, quæ ubi ſuper C puncto in deferētis augem eccentrici tabula ſignato, affixa fuerit, ei applicetur eccentrici rotula, agglutineturq́ illi rotula ſexta, ita tamen ut cum harum diametri unam quaſi lineam conſtituerint, ſtrictiori unius latius alterius ſupereminea. His ita connexis orbibus, quantitas C H lineæ in harum diametro à C uerſus D centrum numerabitur, quod reſpondet ſtrictiori exterioris, & latiori inferioris rotulę, & ex H puncto deſcribatur prioribus aliquantulū ſtrictior ambitus, circa quem ita orbes compacti excauentur. Iam uero in alia tabula deſcribatur rotula & magnitudine & craſſitie ſimilis priori, quæ affigatur rotulæ deferentis augem ęquantis in prima tabula deſcriptæ, eiq́ applicentur rotulę iam cauatæ. Deinde conglutinetur huic rotula ſexta ſuper K centro. Poſtremo ex A centro epicycli, H centro parui circuli, K centro æquantis, & D centro mundi tam in Zodiaco quâm hiſce orbibus deſcripto, fila ſerica exeant.

¶D Centrum



¶D Centrum mundi.
¶K Centrum æquantis.
¶H Centrum parui circuli.
¶C Centrum deferentis.
¶A Centrum epicycli.
¶Linea H 1 1 H, eſt linea motus centri.
¶Linea D 2 D, eſt linea medij motus Mercurij, huicꝗ; æquabilis K 3 K. ¶Linea A 4 A, eſt linea argumenti medij Mercurij.
¶Linea uero D 5 D, eſt ueri motus Mercurij linea.

¶Verum motum Mercurij inquirere.

PRimo quære augem Mercurij, iuxta quam dirige augem rotulæ deferentis augem æquantis.

¶Secundo medium motum Mercurij, qui ſemper eſt medius motus Solis.

Tertio, argumentum eius per tabulas argumenti medij Mercurij.

Quarto, ſubtrahe augem Mercurij, ab eius medio motu, & habebis centrum Mercurij. Quinto, H filum ſuper Mercurij centrum in paruo circulo locato, ſub eundem crucem æquantis ducendo.

¶Sexto, protrahe D filum ſuper medium motum Mercurij in orbe ſignorum, cui prallelum conſtitue filum K. ¶Septi-

¶Septimo,dimiſſo D filo, A centrum epicycli cum auge ſua ducito ſub K filum.

¶Octauo,relicto K filo,rotulas ita immotas cuſtodi, & A filum epicycli protende ſuper argumentum Mercurij in epicyclio.

¶Nono, duc filum D mundi ſuper interſectionem A fili cum epicyclio,quod oſtendet uerum locum Mercurij in orbe ſignorum.

¶Exempli gratia,tempore propoſito,ſcilicet anno 1520 completo, die 16 Ianuarij,horis à meridie duabus,minutis 43, ſecundis 16, medij motus Mercurij ſunt:

	S.	G.	M.	S.
Medius motus Mercurij,qui & Solis,ac Veneris.	10	5	21	42
Medium argumentum Mercurij.	3	24	20	36
Aux Mercurij.	7	0	36	36

Augem igitur ſubtraho à medio motu Mercurij, ut remaneat centrum eius.

	S.	G.	M.	S.
Medius motus Mercurij.	10	5	21	42
Aux Mercurij.	7	0	36	36
Centrum medium Mercurij.	3	4	45	6

¶In orbe ſignorum numero augem Mercurij, ſcilicet primum ferè gradum Scorpionis, ad hanc dirigo augem æquantis, poſtea numero in rotula motus centri medium Mercurij centrum, ſcilicet 3 ſignorum, 4 graduum,45 minutorum,& 6 ſecundorum,& ſuper hoc pono filum H parui circuli,& crucem æquantis ſub idem duco.Deinde D filum medio Mercurij motui applico in orbe ſignorum,10 ſcilicet ſignis,5 gradibus,21 minutis, & 42 ſecundis, cui parallelum duco K filum,& centrum A atq; augem epicycli,hoc eſt ſignum duodecimum ſub idem pono,rotulasq; ita immotas ſeruo. Demum filum epicyclij A ſuper argumentum medium,nempe 3 ſignorum,24 graduum,20 minutorum, & 36 ſecundorum in epicyclio computatum trajicio,& D filum ſuper interſectionem A fili cum epicyclo,quod ita productum oſtendit uerum Mercurij motum in 26 ferè gradu Aquarij, directum,cum argumentum in arcu ſuperiori epicyclij inuenam.

ÆQVATORIVM MERCVRII.




Mercurius non poteſt elongari à Sole ultra 28. gradus.

¶ Deferentes augem ęquãtis mouẽtur ad motũ octauę ſphærę ſup̃ axe

zodiaci. ¶Deferens augem eccentrici non complet reuolutionem, ſed continue ſub ecliptica à duabus lineis, à mundi centro ad ſigniferum porrectis, circulum paruum contingentibus, ad centri deferentis motũ aſcendendo & deſcendendo uoluitur. ¶Mercurius in epicyclo ratione argumenti, quottidie perambulat 3 gradus, & ſex ferè minuta. ¶Orbis deferens Mercurium epicyclum, mouetur ſecundum ſucceſſionem quottidie 59 minutis, & 8 ſecundis.

THEORIA LVNÆ.

THEORICA ORBIVM LVNAE.




¶L Centrum mundi. ¶M Centrum eccentrici. ¶F Centrum epicycli. ¶A Circulus magnus ductus per polos eclipticæ, & principia Cancri & Capricorni. ¶B Circulus zodiacus. ¶Et ſub eo deferens caput & caudam Lunæ. ¶C Deferens augem eccentrici. ¶E Deferens eius oppoſitum. ¶F Epicyclus Lunæ. ¶I K Axis zodiaci & capitis caudæq; Draconis Lunę. ¶N I Q Axis orbium augem deferentium. ¶O M P Axis eccentrici. ¶G F H Axis epicycli Lunæ. ¶Lunæ ſimplex eſt latitudo, regreſſus ſcilicet ſuperficiei eccentrici à circulo zodiaco, & puncta ſectionis horum dicuntur caput & cauda Draconis Lunæ.

Deſcriptio

¶ Deſcriptio inſtrumenti Lunæ.

PRincipio deſignetur Zodiacus, quemadmodũ in ſuperioribus factum eſt. Deinde in alio plano pro quantitate ſemidiametri à D mundi centro uſq; in punctum ſub orbe ſignorum notatum, deſcribatur circumferentia, cuius ſemidiameter diuidatur, ut in Saturno & Ioue in nonaginta ſex partes ęquales, & à centro D numerentur 12 partes, & 18 minuta unius nonageſimæ ſextæ uerſus orbem ſignorum, & finis harum ſit litera C centrum eccentrici Lunæ, ponaturq; circini pes in D centrum mundi, & in C punctum altero extenſo deſcribatur circumferentia circuli, quam centrum eccentrici Lunæ ad motum orbium augem deferentium deſcribit, circa centrũ mundi contra ordinem ſignorum. Poſtea à C centro eccentrici numerabuntur 60 partes, harum terminus ſit A centrum epicycli Lunæ, ab hoc rurſus computabuntur 6 partes & 20 m̃, & ubi terminabitur erit nota E, ponaturq; in C centrum deferentis circini pes, altero in punctum G, quod ab exteriori ambitu per octo aut nouem gradus ſemidiametri diſtet, extenſo, deſcribatur circuitus, hi igitur duabus diametris ſuper D mundi centro quadrentur. In ſecunda uero tabula ad magnitudinem iamiam deſcripti, depingatur ſuper C centro circumferentia, & ex eodem centro ad quantitatem lineæ C A eccentrici circuitus. In tertia demum tabula ſecundum intercapedinem A E ſemidiametri epicycli, deſcribatur circumferentia epicycli ueræ circulationis, & extra hanc quatuor aliæ, quæ diuidantur in 360 partes, ſicut in Saturno & Ioue factum eſt, hoc ſolo notato, quòd ſeries numerorum in epicyclio Lunæ aduerſam partem perambulet, ita uidelicet, ut ubi in zodiaco ordo ſignorum dextram uerſus iuerat, hic læuam uerſus gradiatur. Luna enim in ſuperiori parte epicycli contra ſucceſſionem, occidentem uerſus ambulat, in inferiori autem uerſus orientem, alÿ autem planetæ econtra. Super centro itaq; A epicycli lunaris deſcribatur circumferentia, & cum ea agatur, ſicut in reliquis, compingendo eam rotulæ eccentrici, ita ut ſuper A punctum liberè uoluatur. In ſecunda uero tabula ſuper C centro eccentrici deſcribatur ambitus, duplo quaſi maior epicyclio, qui ex eccentrico reſecetur totus, deſcribatur deinde in alio plano ſimilis huic rotula, quæ conglutinetur ſuper C centro eccentrici in deferente augem ſignati ad ipſam deferentis rotulam, cui applicetur eccentrici orbis, & rotula hac aliquantulum maior in alia depingatur tabula, quæ quidem affigatur priori ſuper C centro eccentrici. Deſcribatur deinde ſuper D centro ad quantitatem lineæ D C circumferentia parui circuli, & intra hanc alia, circa quam ita compacti orbes cauentur, & agatur cum ÿs ſicut in Mercurio factum eſt cum deferentibus, compingendo eos tabulæ orbis ſignorum, ſuper D mundi centro. Poſtremo ex centris A epicyclÿ, D mundi, & K puncto in paruo circulo oppoſito ipſi C centro eccentrici, emittantur fila ſerica.



¶D Centrum mundi.
¶C Centrum eccentrici.
¶K Punctum oppoſitum centro eccentrici,in paruo circulo.
¶A Centrum epicycli.
¶Linea D 1 A D,eſt linea medij motus Lunæ.
¶K A 2 K,eſt linea medij motus centri epicycli.
¶Linea A 3 A,eſt argumenti medij Lunæ linea.
¶Linea D 4 D eſt linea ueri loci Lunæ.

¶Verum locum Lunæ inquirere.

PRimo, quære medium motum Lunæ, & eius argumentum ex tabulis mediorum motuũ, quales tabulę reſolutæ huic operi additę,exhibent. ¶Secundo,ſubtrahe medium motum Solis à medio motu Lunæ, remanensq́ dupla, quod erit centrum Lunæ, hoc demum ſubtrahe à medio Lunæ motu, & reſiduum erit aux eccentrici. ¶Tertio dirige locum augis rotulę deferentis augem ſuper augem eccentrici Lunæ in orbe ſignorum numeratam, cuius rotulam immobilem ſeruato. ¶Quarto, dirige

D filum

D filum centri mundi ſuper medium Lunę motum in orbe ſignorum, ſub quod ducito A centrum epicycli, quod ita inuariatū fac permaneat, reiecto D filo. ¶ Quinto, protrahe K filum ſuper A centrum epicycli, augem etiam eius, quæ eſt duodecimū ſignum epicycli, ſub idem ducendo, quæ ſic immota cuſtodi. ¶ Sexto, duc A filum epicycli ſuper argumentum Lunę in orbe epicycli, & ſuper interſectionem eius, cum uero epicyclij orbe ducatur filum D mundi, quod in orbe ſignorum uerum locum Lunæ indicat. Vt, medij motus Lunæ tempore dato ſunt hi:

	S.	G.	M.	S.
Medius motus Lunæ.	1	15	23	49
Argumentum medium Lunæ.	6	9	18	52

Medium igitur Solis ſubtraho à medio motu Lunæ, reſiduumq; duplo, ut proueniat centrum Lunæ medium.

	S.	G.	M.	S.
Medius motus Lunæ.	1	15	23	49
Medius motus Solis.	10	5	21	42
	3	10	2	7
Centrum medium Lunæ.	6	20	4	14


Hoc demum ſubtraho ex medio Lunæ, ut producatur aux eccentrici lunaris.

	S.	G.	M.	S.
Medius motus Lunæ.	1	15	23	49
Medium Lunæ centrum.	6	20	4	14
Aux eccentrici Lunaris.	6	25	19	35

¶ Augem eam numero in orbe ſignorum, & augem eccentrici ſub eam duco, rotulamq; deferentis augem ita immobilē cuſtodio. Deinde protraho filum D ſupra motum Lunæ medium in orbe ſignorum, & ſub id dirigo centrum A epicyclij, dimiſſo deinceps D filo, K filum ſupra centrum A epicyclij pono, & ſub id duco augem eius. Hos æquatorij orbes ſic immobiles ſeruo, poſtea A filum epicyclij Lunæ pono ſuper argumentum eius medium, ac poſtremo D filum ſuper interſectionem fili A, cum uero orbe epicyclij protraho, quod in Zodiaco uerum locum Lunæ in 16 Tauri nonę Sphęræ indicat, ſuper meridianum Babenbergenſem. Cumq; argumentum Lunæ ſit in inferiori arcu epicycli, uelox motu erat tempore dato.

AE QVATORIVM

ÆQVATORIVM LVNÆ.



¶ Deferens augem eccentrici mouetur ſuper mundi cẽtro, contra ordinem ſignorum, per unum diem gradibus 11, minutis 12.

Deferens

¶Deferens epicyclum mouetur ſuper centro mundi ſecundum ſucceſſionem ſignorum per unum diem gradibus 13, minutis 11. ¶Lunæ motus in epicyclo per unum diem eſt graduum 13, minutorum 4, & dicitur motus medij argumenti Lunæ.

THEORIA CONIVNCTIONVM & oppoſitionum luminarium.

¶Compoſitio inſtrumenti ☌ & ☍.

EX centro E deſcribatur ad datam E A quantitatem circumferentia, quę duabus diametris A C & B D quadretur, & in 360 partes æquales diuidatur, ſub hac demũ tres deſignentur, cũ quibus agetur, ſicut in epicyclo Lunę factum eſt, diſtinguendo eos per duodecim ſigna, graduſq́ per quinarium aut denarium diuidendo, hic loco epicycli Lunę inſeruiet orbis, Cuius aux ſit A, oppoſitum autem augis C, & longitudines mediæ B D, ac ſeries numerorum tam graduum quàm ſignorum ab A per B uerſus C procedat. Deinde ab auge uerſus B in exteriori circumferentia numera 28 gradus, & 14 minuta, finiſq́ horum ſit F punctum. Rurſus in eandem partem ab auge computabuntur 5 ſigna, 6 gradus, & 6 minuta, quorum terminus ſit punctus G, applicata igitur hiſce duobus punctis regula, ea ſemidiametrum E B in H puncto interſecabit. Aut in eandem partem ab auge numeratis ſigno uno, gradibus 18, erit terminus numerationis X, poſita igitur regula ſuper C & X puncta, ea ſemidiametrum E B in eodem H puncto diſſecabit. Quare ſuper E centro ſecundum E H rectæ quantitatem, deſcribatur I H K L, circulus argumenti Solis, qui in 360 partes diuidatur, per ſigna & gradus, omnino ſicut iam de epicyclo Lunæ dictum eſt, cuius I aux ſit ſub auge ſuperioris, eiuſq́ K oppoſitum ſub oppoſito augis epicycli Lunę. Quod ſi ab A in B unum ſignum, & 12 gradus computati fuerint in terminum uſq́ horum Y, apponaturq́ regula ſuper hoc punctum & D, lineam E A diuidet in I puncto. Poſtea ducatur linea O A Q, quæ contingat epicyclum Lunæ in A puncto, & lineæ B E D æquidiſtet. Recta ſimiliter P C R contingens epicyclum in C puncto parallella priori deſcribatur. Iam ab auge epicycli uerſus B numerentur partes 29, minuta 45, & ab eadem 5 ſigna, 4 gradus, & 48 minuta, appoſitaq́ ad ea puncta regula, ad puncta ſectionum eius cum O A Q ſignetur M punctum, ad ſectionem uero eius cum P C R, nota N. Hoc ita peracto negocio, A M recta diuidatur in partes 5 æquales, & earundem partium lineæ A M, adde ſex, ita ut A M O earum partium ſit 11, quarum A M eſt quinq́, totidem quoq́ habeat reliqua A Q, & continebit harum tota uiginti duas partes. Simili quoq́ modo diuide lineam P C R, ita ut tota habeat uiginti duas partes, quarum N C eſt quinq́,

Poſtea à ſingulis 22 diuiſionibus lineę ſuperioris ad diuiſiones totidem inferioris ducantur rectæ incipiendo à punctis A C diametro propioribus. Deinceps recta C P producatur in punctum uſq; S, & C R in T, donec C S ſit æqualis A O, & C T æqualis A Q, & per puncta S O, & Q T ducantur rectæ, quarum quælibet in duodecim partes equales diuidatur, & per puncta reſpondentia ab O S & Q T rectis, lineæ ducantur, parallellæ O Q & S T lineis, incipiendo à punctis proximis O Q rectis, & hæ quidem ſunt lineæ minutorum tranſuerſalium, quorum numerus incipiat in auge epicycli A, & deſinat in oppoſito. Deſcendentes autem ſunt horarū lineæ, diſtantiæ ſcilicet ☌ aut ☍ medię à uera, harum numerus incipiat in E centro inſtrumenti, & uergat in utramq; partem ita nempe, ut finiatur in B & D punctis.

¶ Medias Coniunctiones & oppoſitiones luminarium inquirere.

PRimo quære medium motum Solis & Lunæ ad tempus, quod ☌ aut ☍ proximum eſſe exiſtimas, & numerum minorem in ſignis, gradibus & minutis, ſubtrahe à maiori, remanens erit diſtantia luminarium. ¶ Secundo, diſtantiam hanc mitte in tabulam generalem Coniunctionū & oppoſitionum luminarium mediarum, cum ſignis diſtantiæ, (ſi ſigna fuerint in ea luminariū diſtantia) & quod è directo eorum in diebus, horis, & minutis occurret, ſeorſim in Abaco annotato, poſtea cum ſigulis denominationibus, cū gradibus uidelicet, minutis & ſecundis ſuas tabulas ingredere, & quod in horū directo inueneris prioribus ſubſcribe. ¶ Tertio, ſingula ſingulis adde, quamlibet ſuo generi denominationem, hoc itaq; aggregatū adde tempori tuo propoſito, ſi Solis medius maior fuerit Lunæ motu medio, aut ſubtrahe, ſi minor, & habebis tempus medię coniūctiōis aut oppoſitionis. ¶ Quarto ad hoc quere medios motus Solis, & argumēti Lunę medios motus. ¶ Quinto ſi tēpus hac ratione repertum continuare uolueris, accipe ex tabula continuationis mediarum ☌ & ☍ tempus unius reuolutionis ☌ ☍ &c. cum ſuis motibus, addendo ei ☌ aut ☍ iam inuentæ, & habebis ☌ aut ☍ ſequentem cum ſuis motibus. Quòd ſi ultra numerum dierum menſis propoſiti, facta additione, numerus dierum excreuerit, deme numerum dierum menſis dati ab eo, & dies remanentes ſunt menſis ſequentis, à meridie eiuſdem diei computando. In anno uero biſextili pro Februario tolle 29 dies &c.

¶ Exempli cauſa. Pono tempus propinquum ☌ fore Anno 1520. completo, die 7 Ianuarij, cuius temporis collegi medios motus Solis, & Lunæ, in meridie diei huius, ſcilicet ſeptimi Ianuarij, ad meridianum Babenbergenſem hos:

Medius

	S.	G.	M.	S.
Medius motus Solis.	9	26	22	45
Medius motus Lunæ.	9	15	18	57

Minorem motum Lunæ à maiori motu Solis ſubtraho, & remanet diſtantia luminarium o ſigni, graduum 11, minutorum trium, ſecundorum 48, cum ea igitur intraui tabulam generalem ☌ & ☍, & reperi numeros ſequentes.

	S.	G.	M.	S.
Medius motus Solis.	9	26	22	45
Medius motus Lunę.	9	15	18	57
Diſtantia luminarium.	0	11	3	48
	D.	H.	M.	S.
Graduum. 11.	0	21	39	21
Minutorum. 3.		0	5	54
Secundorum. 48.			1	34
Coniunctio media.	0	21	46	49

Hos numeros ſingulos ſingulis addo, & proueniunt o dies, horæ 21, minuta 46, ſecunda 49. Tempus hoc ſeptimo Ianuarij, diei ſcilicet dato, adiungo, & prouenit mediæ luminarium coniunctionis tempus, Anni domini 1521 currentis diei 7 Ianuarij, horis 21, minutis 46, ſecundis 49, cuius quidem hos motus medios reperio.

	S.	G.	M.	S.
Medius motus Solis.	9	27	16	26
Medium argumentum Lunæ.	2	22	6	21

Nunc igitur inquiram ☌ ſequentem, adijciam ergo unam reuolutionem huic tempori, medijsq́ eius motibus.

D.	H.	M.	S.	Coniunctio.
7	21	46	49	Coniunctionis mediæ tempus.
29	12	44	3	Reuolutio coniunctionis.
37	9	30	52	Coniunctionis medię ſequentis tempus.

Medius motus Solis.

S.	G.	M.	S.
9	27	16	26
0	29	6	24
10	26	22	05

Argumentum Lunæ medium.

S.	G.	M.	S.
2	22	6	21
0	25	49	1
3	17	55	22

TABVLA

TABVLA MEDIARVM CONIVNCTIONVM
& oppoſitionum Solis & Lunæ generalis.

Signa.	D	H	M	S.	Grad.	D	H	M	S.	Minu.	D	H	M	S.	Minu.	D	H	M	S.
1	2	11	3	40	1	0	1	58	7	1	0	0	1	58	31	0	1	1	1
2	4	22	7	20	2	0	3	56	15	2	0	0	3	56	32	0	1	2	59
3	7	9	11	1	3	0	5	54	22	3	0	0	5	54	33	0	1	4	58
4	9	20	14	41	4	0	7	52	29	4	0	0	7	52	34	0	1	6	56
5	12	7	18	21	5	0	9	50	37	5	0	0	9	50	35	0	1	8	54
6	14	18	22	2	6	0	11	48	44	6	0	0	11	48	36	0	1	10	52
7	17	5	25	42	7	0	13	46	51	7	0	0	13	46	37	0	1	12	50
8	19	16	29	22	8	0	15	44	59	8	0	0	15	44	38	0	1	14	48
9	22	3	33	2	9	0	17	43	7	9	0	0	17	43	39	0	1	16	46
10	24	14	36	42	10	0	19	41	13	10	0	0	19	41	40	0	1	18	44
11	27	1	40	22	11	0	21	39	21	11	0	0	21	29	41	0	1	20	43
12	29	12	44	3	12	0	23	37	28	12	0	0	23	37	42	0	1	22	41
					13	1	1	35	35	13	0	0	25	35	43	0	1	24	39
					14	1	3	33	43	14	0	0	27	33	44	0	1	26	37
					15	1	5	31	50	15	0	0	29	31	45	0	1	28	35
					16	1	7	29	57	16	0	0	31	29	46	0	1	30	33
					17	1	9	28	5	17	0	0	33	28	47	0	1	32	31
					18	1	11	26	12	18	0	0	35	26	48	0	1	34	29
					19	1	13	24	19	19	0	0	37	24	49	0	1	36	27
					20	1	15	22	27	20	0	0	39	22	50	0	1	38	25
					21	1	17	20	34	21	0	0	41	20	51	0	1	40	23
					22	1	19	18	41	22	0	0	43	18	52	0	1	42	22
					23	1	21	16	49	23	0	0	45	16	53	0	1	44	20
					24	1	23	14	56	24	0	0	47	14	54	0	1	46	18
					25	2	1	13	3	25	0	0	46	13	55	0	1	48	16
					26	2	3	11	11	26	0	0	51	11	56	0	1	50	14
					27	2	5	9	18	27	0	0	53	9	57	0	1	52	12
					28	2	7	7	25	28	0	0	55	7	58	0	1	54	10
					29	2	9	5	33	29	0	0	57	5	59	0	1	56	8
										30	0	0	59	3	60	0	1	58	7
										S T	H M	M S	S T	T Q	S T	H M	M S	S T	T Q

TABELLA

TABELLA CONTINVATIONIS
mediarum ☌ & ☍.

¶ Ab una ☌ aut ☍ in aliam.

Tempus.				Motus medius ☉.				Argumentum medium ☽.			
D.	H.	M.	S.	S.	G.	M.	S.	S.	G.	M.	S.
29	12	44	3	0	29	6	24	0	25	49	1

¶ A ☌ ad ☍, & ab ☍ in ☌.

Tempus.				Motus medius ☉.				Argumentum medium ☽.			
D.	H.	M.	S.	S.	G.	M.	S.	S.	G.	M.	S.
14	18	22	2	0	14	33	12	6	12	54	30

¶ Tempus ueræ coniunctionis aut oppoſitionis inquirere.


PRimo quære medium motum Solis, eiusq; argumentum, ſubtracta Solis auge à medio eius motu, & medium argumẽtum Lunæ tempore ☌ aut ☍ mediæ. ¶ Secundo numera in interiori orbe medium argumentum Solis, & horas ac minuta quas terminus numerationis inter deſcendentes lineas contingit, in Abaco ſeorſim notato. ¶ Tertio argumentũ mediũ Lunæ in exteriori orbe cõputato, horasq; ac minuta ab eo inter deſcendẽtes lineas prioribus ſubſcribe, eiq; ſimul iunge, quamlibet ſuo generi fractionem, ſi in una eademq; parte medium Solis ac Lunæ argumentum reperiſti, aut ſubtrahe ſi in diuerſis. ¶ Quarto uide minuta tranſuerſalia inter tranſuerſales lineas, quæ idem argumentum Lunæ terminant, eaq; duc in numerum horarum & minutorum diſtantiæ medię, ac productum ſubtrahe ab horis & minutis mediæ diſtantiæ, & ꝓducetur inter mediam & ueram copulam, aut oppoſitionem æquata diſtantia. ¶ Quinto diſtantiam æquatam iunge tempori ☌ aut ☍ mediæ, ſi Lunæ argumentũ propius fuerit in ſuo orbe puncto B, quàm Solis argumentũ, aut ſubtrahe ſi ecõtra, quodq; ex hac operatione proueniet, erit tempus ☌ aut ☍ ueræ diebus nõ æquatis. Vt tempore ☌ medię fuere medij motus hi,

	S.	G.	M.	S.
Medius motus Solis.	9	27	16	16
Medium argumentum Solis.	6	26	54	0
Medium argumentum Lunæ.	2	22	6	21

¶ Cum argumento medio Lunę tempore ☌ medię, ſcilicet anno 1520 completo, die 7 Ianuarij, horis à meridie 21, m̃. 46, ſecundis 49, ſuperius inuento, in exteriori orbe ęquatorij reperio horas 10, minuta 18 ferè, ac minuta tranſuerſalia 5 ſecunda 10. In interiori autem orbe cum medio Solis argumento horas duas, minuta 15. Has itaq; horas coniungo, cum

cum in diuerſis partibus (argumentũ enim Lunæ in ſiniſtra, Solis aũt in dextra reperio) luminarium media inueniã argumenta, & colligo horas 12, m̃. 33. Iam 5. minuta, 10 ſecunda multiplico per horas 12, minuta 33, proueniunt 1. hora, 5 minuta ferè, quæ à prioribus ſubtraho, remanentq́ꝫ facta ablatione horæ 11, minuta 28, tempus diſtantiæ inter ueram & mediam copulam, quod quia medium Solis argumentum remotius eſt ab B puncto medio Lunæ argumento, adijcio tempori ☍ mediæ, & inuenio ueram ☌ Anno 1521 currente, die 7 Ianuarij, horis à meridie 9, minutis 15 diebus non æquatis.

ÆQVATORIVM CONIVNCTIONVM & oppoſitionum luminarium.



¶Perſpecto tempore ueræ ☌ aut ☍, num nam futurum ſit luminarium deliquium explorare.

Tabella


¶Ad tempus ☌ aut ☍ mediæ collige argumentum latitudinis Lunæ medium, idq́ quære in tabella poſſibilitatis ecclipſium, quod ſi inueneris, deliquium Solis in ☌, aut ☾ in ☍, contingere poteſt.

TABELLA POSSIBILITATIS ECCLIPSIVM.

Solis.								Lunæ.							
Septentrionalis,				Meridionalis.				Septentrionalis,				Meridionalis.			
S.	G.	G.	S.	S.	G.	G.	S.	S.	G.	G.	S.	S.	G.	G.	S.
0	0	0		6	0	0		0	0	0		6	0	0	
	1	29			1	29			1	29			1	29	
	2	28			2	28			2	28			2	28	
	3	27			3	27			3	27			3	27	
0	4	26			4	26			4	26			4	26	
	5	25			5	25			5	25			5	15	
	6	24			6	24			6	24			5	24	
	7	23			7	23	11		7	23			7	23	
	8	22		Caput		Cauda.			8	22			8	22	
	9	21							9	21			9	21	
	10	20							10	20			10	20	
	11	19							11	19			11	19	
	12	18							12	18			12	18	
	13	17							13	17	5		13	17	11
	14	16						Caput		Cauda.		Caput		Cauda.	
	15	15													
	16	14													
	17	13													
	18	12													
	19	11													
	20	10	5												
Caput		Cauda.													

THEORICA ECCLIPSIVM SOLIS.

THEORIA DIVERSITATIS ASPECTVS tam in longitudine quàm in latitudine.



¶ A Centrum terræ. ¶ B Oculus in ſuperficie terreſtri apparentias cœleſtes conſiderans. ¶ D Locus uiſus. ¶ F Locus uerus. ¶ M Circulus loci uiſi, tranſiens per polos zodiaci ac locum uiſum. ¶ L Circulus ueri loci ex ĳſdem polis locum uerum pertranſiens. ¶ Linea A C F, eſt linea ueri loci. ¶ B C D autē uiſi. ¶ I zenith. ¶ I F D Circulus ſeu quarta altitudinum. ¶ P Zodiacus, cuius poli N & O. ¶ Colurus ſolſtitiorum Q. Arcus D F diuerſitas aſpectus Lunæ in circulo altitudinis. ¶ Arcus E F diuerſitas aſpectus in latitudine. ¶ Arcus uero H G, diuerſitas aſpectus in longitudine. ¶ Circulus autem E D ac F, ſunt duo latitudinum circuli, quorum alter ueram, alter uiſam determinat latitudinem.

ÆQVA-

ÆQVATORII ECCLIPTICI SOLIS in plano deſignatio.

IN plano dato datæ quantitatis deſcribe rectam lineam, & facto centro in medio, deſcribe ſemicirculum qui ſit A B C, quem diuide in 90 partes æquales. Deinde extra illum deſcribe marginem pro gradibus, & ſpacium pro numero graduu (Marginem autem dico interuallum id, in quo ſingulę graduum diuiſiones fiunt. Spacium uero, in quo numeri graduum deſignantur) & incipias ab A uerſus C, & iterum à C uerſus A, & iterum continebit 90, & eſt primus circulus. Similiter Diameter eius A C, continebit 60 partes ſimili modo duplici numero ſcriptas. Deinde iterum ſuper centro G, fac duo ſpacia cum margine intercepto, quæ diuide in 90, incipiendo ab A uerſus C, ut ſupra de primo circulo, & eſt ſecundus circulus. Poſt quem iterum gyrabis ſpaciũ habens ab extra marginem, quod diuides in 10 partes æquales, quæ partes erunt gradus, & quælibet illarum partium in 60 minuta, & intitulabis ipſas diuiſiones graduum à puncto A uerſus B, ſimiliter à puncto C uerſus B, & habebit utraq; quarta circuli 5 gradus, & quilibet gradus 60 m̃, & eſt circulus tertius. Poſt quem iterũ fac circulũ habentem duo ſpacia cũ margine in medio, quam marginem diuide modo communi per tabulam latitudinis Lunę. Poſtea incipias à puncto A uerſus C, deſcribẽdo in priori ſpacio gradus per 6 ſigna, & iterum redeundo à puncto C per B uerſus A, intitulabis reſidua 6 ſigna, Deinde iterum ſeparatum ſpacium duorum uel triũ digitorum ad placitum, in quo ſignabuntur puncta ecclipſis Solis, & eſt quintus circulus. Cuius exterior circulus qui eſt communis huic ſpacio & argumento latitudinis Lunæ, uocatur longitudo propior. Et alius circulus, qui eſt communis huic ſpacio & circulo uerſus centrum, dicitur longitudo longior. Et hæc bene nota. Deinde ſuper diametrum A C quære centrum circuli, qui tangit circulum longitudinis longioris apud A, & exteriorem circulum, ſcilicet longitudinis propioris apud C, & uocatur æquator punctorum ecclipſis Lunæ, & eſt ſextus circulus. Poſtea fac iterum circulum communem, qui habeat ſpacium & marginem, & eſt ſeptimus circulus, quem diuides ſicut poſtea dicetur. Illis peractis, reliquam partem lineæ chordarum diuide in 34 partes ęquales à G, uerſus A intimum circulum iam factum, & etiam à G uerſus C, uſq; ad prędictum circulum. Et caueas ne diuiſiones eius confundantur per gradus in linea chordarũ ſignatos. Et hæc linea dicitur linea minutorũ caſus & moræ. Et numerum illorum minutorum ſcribe inter ſemicirculũ in ſpacio ad hoc facto. Sed numerũ lineę chordarum ſcribe extra ſemicirculum in ſpacio ſingulari ad hoc facto. Item ſuper G deſcribe circulum, qui contineat de illis partibus 31 partes, & eſt octauus circulus.

Deinde in linea minutorum quære circulum, qui tangit ſeptimum circa c, & octauum circa A, qui dicitur æquator Ecclipſis Solaris, & eſt nonus circulus. Spacium autem inter ſeptimum & octauum dicitur tropicus Lunæ ecclipſis Solis. Item poſito circino in G deſcribo circulum habentem 16 partes, & 20 minuta de linea diuiſa in 34 partes, qui erit decimus circulus, & eſt circulus corporis Solis. Deinde à linea minutorum per omnes 34 diuiſiones duc lineas. Similiter eaſdem diuiſiones 34, ſigna in numero & menſura in linea B G. Et duc lineas rectas, per illa puncta æquediſtanter cadentes ſuper lineam minutorum & chordæ rectæ, orthogonaliter ſuper lineam G B, ſed tantũmodo per ſpaciũ tropici uſq; ad circulũ extremũ eius, & dicuntur minuta latitudinis Lunæ. Deinde pone regulam ſuper G, ex una parte & ex alia parte, ſup quintã uel ſextam diuiſionem in loco ubi illæ diuiſiones ſeu minuta latitudinis tangunt exteriorem circulum tropici Lunæ, & duc lineam rectam per ſpacium & marginem ſeptimũ circuli, & hoc de ſingulis. Et intitulabis incipiendo à linea minutorũ caſus ex utraq; parte ſemicirculi, & utraq; continebit 34 partes. Et in puncto c pone filum ſecundũ quantitatem diametri A C, & in puncto G, ſimiliter ſecundum quantitatem lineæ B G, & utrumq; filum cõtinebit tria Almuri. Poſtremo inſcribas puncta eclipſis Solis per duas tabulas ſequentes iſto modo. Intra tabulam primã, quæ intitulatur ad longitudinẽ longiorẽ per argumentũ Lunæ, & accipe gradus & minuta. Deinde poſita regula ex una parte ſuper G, & ex alia parte ſuper tot gradus & minuta in argumento Lunę in ſpacio exteriori, quot gradus & minuta in tabula inueniſti, & ubi regula ſit iacẽs interſecat interiorem circulum ſpacij punctorũ, qui etiam uocatur longitudo longior, ibi fac punctũ. Deinde intra eandem tabulam, & accipe gradus & minuta in directo duorum punctorum, & iterum fac punctũ in prædicto circulo &c. uſq; ad 12. Poſtea intra ſecundam tabulam quę intitulatur ad longitudinẽ propiorem per argumentũ Lunę, & tot computa gradus & minuta in argumento Lunę quot in tabula inueniſti & regula iacente ſuper G ex una parte, & ex alia parte ſuper numerum in argumẽto ubi interſecant circulũ exteriorem ſpacij punctorũ ecclipſis, qui uocatur longitudo propior ibi fac punctum. Deinde iterum intra tabulam, & accipe ſecundum punctũ, & iterũ fac punctum in iam prædicto circulo &c, uſq; ad 12, ſemper ab A uerſus B computando. Poſtea protrahe lineam rectam ad proxima puncta in utroq; circulo prædicto apud B. Et inſcribe numerum ſic quod in primo ſpacio, quod eſt apud B uerſus A cõpræhenſo inter lineam tranſuerſalem per ſpaciũ ductam, ad duo puncta prænotata duorũ circulorum ſpacij, uidelicet interioris & exterioris, ſcribe unum in ſequenti duo, & in tertio tria, & hoc conſequenter uſq; ad 12, & hæc ſunt puncta Ecclipſis Solis. Et ſicut diuiſiſti quartam A B, ſic etiam diuide quartã C B, puncta inſcribẽdo per eaſdem

tabulas

tabulas & eo dem circulos omnino ſicut dictum eſt. Nec nomina, nec tabulæ, nec minuta uariantur. Et ſicut proceſſiſti in præcedenti quarta ab A uerſus B in punctis ſignandis, eodem modo procede hic à C uerſus B. Et etiam ſcribe numerum punctorum ſicut prius, ſcilicet, procede tunc à B uerſus C, & hoc completum eſt &c.

Lõgitudo ꝓpior.		
Pun.	Gra.	Min.
0	0	0
1	2	35
2	7	12
3	11	54
4	16	56
5	21	12
6	26	20
7	31	45
8	37	15
9	43	8
10	50	0
11	57	27
12	67	33

Lõgitudo lõgior.		
Pun.	Gra.	Min.
0	0	0
1	2	33
2	7	20
3	12	16
4	17	27
5	22	35
6	28	18
7	34	25
8	40	40
9	47	25
10	55	20
11	65	40
12	90	0

Tabulam latitudinis Lunæ inuenies in Tabulis reſolutis.

Ecclipſim Solis inuenire.

PRImo quære mediam coniunctionem, deinde ueram, Et ad idem tempus uerum locum Solis & Lunæ, hæc omnia ſcribe ſeorſim in Abaco, quia in ſequentibus eorum indigebis. Item quære etiam argumentum uerum Solis ad ueriſſimam coniunctionem, qua etiam indigebis in ſequentibus. Similiter argumentum uerum Lunæ ad eandem, & argumentum uerum latitudinis Lunæ. Deinde cum gradibus Solis quære æquationem dierum & noctium, quam æquationem adde ad ueram coniunctionem, & habebis ueram coniunctionem diebus æquatis. Habito autem tempore ueriſſimæ coniunctionis diebus ęquatis, quære ad idem gradum aſcendentem

dentem,& gradum medij cœli,& gradum nonageſimum ab aſcenden te,& hoc fac illo modo: Pone indicem in Planiſphærio ſuper horam ueræ coniunctionis diebus æquatis,& duc rethe quouſq; gradus Solis & Lunæ, qui ſunt unus tempore coniunctions diebus æquatis, cadat præciſe ſub indice,& rethi ſic immobiliter iacente, uide quis gradus eſt ſuper horizontem orientalem, ille uocatur aſcendens, quem notabis. Vide etiã quis gradus cadat ſuper lineam medij cœli, ille uocatur gradus medij cœli. Similiter uide quot gradus altitudinis habeat ille gradus medij cœli in linea meridiana,& numerum illorum Almicantharat etiam ſerua,& dicitur altitudo gradus medij cœli. Item rethi ſic iacente numera gradus, qui ſunt inter aſcendentem & gradum in ecclíptica,id eſt,gradum in zodiaco in quo eſt Luna,& hoc fac numerando gradus zodiaci intermedios in rethe,& illi dicuntur diſtantiæ gradus Lunę ab aſcendente,quæ etiam ſerua. Et uide etiam quot gradus altitudinis inter Almicantharat ille prædictus gradus Lunæ habeat, & illum numerum etiam ſerua, & dicitur altitudo gradus Lunæ. Item non moto rethi computa ab aſcendente nonaginta gradus, & ille gradus dicitur nonageſimus ab aſcendente, quem etiam ſerua, & uide quot gradibus diſtat ille gradus nonageſimus à zenith capitum. Et hoc illo modo computa à zenith puncto inter Almicantharat, uſq; ad illum gradum nonageſimum ab aſcendente,& uide numerum eorum quem ſerua, & erit diſtantia gradus nonageſimi ab aſcendente à zenith. Item eodem modo uide quot gradibus diſtat gradus Solis ſiue gradus Lunæ in ecliptica à zenith capitũ,quam diſtantiam ſerua, & uocatur arcus diſtantiæ gradus dati uel puncti dati in ecclíptica à zenith capitum. Et cum ſu pradictis operaberis, ſecundum canonem ſequentem, & eorum quęre ſinum,ſiue chordam quæ idem ſunt. Vt,inquiram defectum Solis in anno præſente. Tempus autem propinquum ☍ mediæ eſt 30 Auguſti eiuſdem anni, ad hoc inuenio mediam ☍ die 31 Auguſti,hora 0, minutis 27. Medium quoq; Solis eodem tempore 5 ſignorum,18 graduum, 43 minutorum,& 15 ſecundorum, augem uero eius 3 ſignorum,1 gradus,39 minutorum, & argumentum 2 ſignorum 17 graduum, 4 minutorum,15 ſecundorum. Argumentum medium Lunæ 4 ſignorum, 26 graduum, 41 minutorum, & 1 ſecundi. Cum argumento medio Solis inuenio horas 4,minuta 33. Cum argumento autem medio Lunæ horas 6, minuta 26,& minuta tranſuerſalia 11, ſecunda 2,cumq; eadem in parte reperiam luminarium argumenta, horas & minuta, numerum ſcilicet minorem ex maiori aufero, reſtat hora una,minuta 53. Minuta itaq; tranſuerſalia 11 cum duobus ſecundis,duco in horam unam,minuta 53, proueniunt minuta ferè 21,hæc ſubtraho ab horis & minutis facta ablatione reſiduis,remanent hora una,minuta 32. Hoc deniq; tempus adiungo tempori ☍ medię,cum argumentum Lunæ ſit uicinus argumento

gumento Solis, ipſi B puncto, ſecundum ſeriem numerorum compu-tando, & prouenit ☌ uera diebus inæquatis, die 31 Auguſti, hora una, minutis 55. Hoc tempore inuenio ueros motus Solis & Lunæ 5 ſigno-rum, 16 graduum, 40 minutorum. Argumentum uerum Solis 2 ſigno-rum, 17 graduum, 6 minutorum, 50 ſecundorum. Argumentum ue-rum Lunæ 4 ſignorum, 27 graduum, 32 minutorum, 50 ſecundorum. Argumentum uerum latitudinis Lunæ 0 ſignorum, 10 graduum, 40 minutorum, quæ ex tabulis reſolutis accipies. Tempus hoc ueræ ☌ æ-quo per uerum locum Solis, ęquatio autem dierum eſt 20 minutorum, hæc adiecta ueræ ☌ tempori producit æquatę ☌ tempus, die 31 Augu-ſti, hora 2, minutis 15. Super hoc tempus pono indicem Planiſphærij, ac rethe circumduco, quouſq; Solis gradus cadat ſub indicem, gradus autē quem ex zodiaco orientalis Horizon abſcindit, eſt 20 Sagittarij, aſcendens tempore ☌ æquatæ. Medium cœli 19 gradus Libræ. Altitu-do Solis & Lunæ 40 graduum. Medij cœli 32, Nonageſimus gradus ab aſcendente eſt 20 Virginis. Diſtantia Lunæ ab aſcendente diſtat 93 gradibus. Diſtantia nonageſimi gradus ab aſcendente à zenith capitū, eſt 51 graduum, loci autem Solis & Lunę à zenith capitum 50 graduū.

¶ Sinum rectum cuiuslibet arcus dati cognoſcere.

PONE filum limbi ſuper arcum datum in ſemicirculo arcuum, & ibidem ſituetur Almuri, deinde transfer idem filū ſuper li neam chordarum, & Almuri oſtendit numerum graduū & minutorum ſinus quęſiti à radice fili computandū, & hoc eſt uerum, ſi arcus datus fuerit minor 90 graduum. Si uero maior 90 fuerit, tunc illud quod plus eſt 90, cōputa è conuerſo ab A uerſus B, & ibidem pone Almuri, deinde transfer filum ad lineam chordarum & Almuri, quod oſtendit numerū graduum ſinus arcus prædicti à radice fili com-putando. Sinus rectus in dato exemplo altitudinis Solis & Lunæ, eſt 39 graduum ferè. Altitudinis autem medij cœli 32 quaſi graduum. Di-ſtantiæ nonageſimi gradus ab aſcendente à zenith capitum, eſt 47 fer mè graduum. Diſtantiæ autem loci ☌ à zenith capitum 46 graduum.

¶ Quantitatem anguli occidentalis conſtituti ſuper datum punctum, ex concurſu circuli altitudinis cum ecclíptica per notam diſtantiam eiuſ dem puncti à zenith capitis illius gradus, quæ ab aſcendente diſtat 90 gradibus cognoſcere.

PONE Almuri in filo limbi ſuper chordam diſtantiæ gradus 90 ab aſcendente à zenith capitis. Deinde applica idem filū ſu-per arcum diſtantiæ puncti dati in ecclíptica à zenith capitis, ſuper tantum arcū uel talē diſtantiam applica filū limbi quantū uel per quot gradus ille punctus datus in ecclíptica uel gradus Lunæ in quo fit

Ecclipſis diſtat à Zenith capitum, deinde ab Almuri ducatur linea perpendicularis, & ubi ceciderit filum ſuper lineam chordarum, nota locũ non cõputando à radice fili, ipſa erit corda recta arcus quęſiti, uel chorda anguli occidentalis.

¶ In propoſito exemplo pono Margaritam fili limbi ſuper 46 gradus cum una tertia, numeroq; in arcu A B 50 gradus diſtantię loci ecclíptici à zenith, & à Margarita deſcendens perpendicularis indicat anguli occidentalis quantitatem in linea chordarũ graduum, 36 ferè graduum, cuius arcus eſt 84 graduum.

¶ Diuerſitatem aſpectuum Solis & Lunæ in circulo altitudinis ad tempus Ecclipſis Solaris capere.

APPLICA filum centri ad lineam minutorum caſus & moræ in figura ecclipſis Lunæ, & pro diuerſitate aſpectus Solis Almuri primum ſuper maximam diuerſitatem aſpectus Solis, quæ eſt duo minuta, 25 ſecunda, computando à centro uerſus A uel C, ſemper pro 6 minutis, 30 ſecunda, & Almuri illud Solis cadet ſuper 34 minuta caſus, & 25, ſecunda ferè, & ibi erit maxima diuerſitas aſpectus Solis, ſcilicet, duo minuta & 52 ſecunda. Et pro diuerſitate aſpectus Lunæ pone ſecundum Almuri ſuper 64 minuta à centro computando ſicut prius. Deinde pone idem filum cum Almuri duobus ſuper punctum B, id eſt ſuper lineam exeuntem à centro uerſus B, & ipſum filum moue uerſus G A lineam in circulo argumenti Lunæ ſecundum quantitatem diſtantiæ gradus Lunæ à zenith notæ, id eſt, per tot gradus & numerum moue filum in circulo argumenti Lunæ, quot gradus ſunt à zenith uſq; ad gradum Lunæ ſiue datum punctum in ecclíptica. Et ſuper quam lineam de lineis tranſuerſalibus deſcendentibus, orthogonaliter lineam minutorum caſus ſecantibus Almuri pro Sole locatum ceciderit, illa linea in linea minutorum caſus oſtendit numerum diuerſitatis aſpectus Solis præſentem, computando à radice fili, ut prius, capiendo ſcilicet pro 6 minutis caſus 30 ſecundis, uel pro quolibet minuto caſus 5 ſecunda. Et filo adhuc ſic iacente, uide ſuper quam lineam de lineis orthogonalibus prædictis Almuri pro Luna locatum, ceciderit illa linea in linea minutorum caſus, oſtendit numerum diuerſitatis aſpectus Lunæ in circulo altitudinis, computando à radice fili ſecundum quod ibi minuta ſcribuntur. Deinde ſubtrahe diuerſitatem aſpectus Solis iam inuentam à diuerſitate aſpectus Lunæ iam inuentam, & quod fuerit reſiduum tenebis pro diuerſitate aſpectus Lunæ in circulo altitudinis, ac cum ea ut inferius dicetur operare.

¶ Exempli cauſa, filum centri in inſtrumento Lunę dirigo ad lineam G B, & unam margaritam pono ad 64 minutum, alteram uero ad 34, & 24

& 24 ſecunda, & à puncto G numero 50 gradus, diſtantiæ ſcilicet loci ecclipticí à zenith. Numerus autem in 40 gradu terminatur, cui applico filum, & exterior margarita cadit intra 44 & 48 minutum inter deſcendentes, diuerſitas itaq; aſpectus Lunæ eſt circiter 47 gradus. Interior uero inter eaſdem deſcendentes ſecat 26 minuta, ea diuido per 5, & habeo 5 minuta diuerſitatis ſcilicet aſpectus Solis, quam à diuerſitate aſpectus Lunæ ſubtraho, remanentq; gradus 42, diuerſitas aſpectus Lunæ in circulo altitudinis.

¶Diuerſitatem aſpectus in longitudine & latitudine inuenire.

IN figura Ecclipſis Lunæ pone Almuri in filo centri, in lineam minutorum caſus ſuper reſiduū diuerſitatis aſpectus Lunæ in circulo altitudinis notæ per pręcedentem, & transfer idem filū in eadem quarta in circulo argumenti Lunæ, quæ eſt tunc loco zodiaci, recedendo à linea minutorū, ſcilicet A C uerſus G B, ſecundum quantitatem arcus anguli occidentalis. Et ſuper quam lineam de lineis deſcendentibus orthogonaliter lineam A C ſecantibus, Almuri ceciderit, illa linea oſtendet in linea minutorum caſus & moræ ſcilicet A C, numerum minutorum diuerſitatis aſpectus Lunæ in longitudine. Si uero computaueris quantitatem arcus prædicti anguli in eadem quarta ſemicirculi, in circulo argumenti Lunæ pędicto in contrarium à linea meridiana ſcilicet G B uerſus lineam minutorum, ſcilicet A C, tunc ſuper quam lineam de orthogonalibus prædictis Almuri ceciderit, illa linea oſtendet, in linea minutorum caſus numerum minutorum diuerſitatis aſpectus Lunæ in latitudine ueriſſimæ. Vnde per hunc modum poteris corrigere, imò de nouo formare tabulas diuerſitatis aſpectus. In dato exemplo, pono filum inſtrumenti Lunę ſuper A C lineam, & in ea numero à G puncto diuerſitatem aſpectus Lunæ in circulo altitudinis. Deinde in arcu A B ab A puncto in B, numero quantitatem anguli occidentalis, quæ eſt 84 graduum, & ſuper finem numerationis pono filum, cuius margarita inter deſcendentes lineas, indicat 4 minuta diuerſitatis ſcilicet aſpectus Lunæ in longitudine. Iam à puncto B uerſus A eundem arcum numero, & ad finem numerationis ſimiliter applico filum, & Almuri ſeu unio inter deſcendentes indicat 44 minuta diuerſitatis aſpectus in longitudine.

HABITIS IGITVR MINVTIS DIVERſitatis aſpectus in longitudine, redigas ea in tempus illo modo, diuide minuta diuerſitatis aſpectus Lunæ in longitudine per ſuperationem Lunæ in una hora, inuentam per argumentum Lunæ uerum, & argumentum Solis ad tempus ueriſſimæ coniun-

coniunctionis diebus non æquatis,& proueniet hora. Sed ſi diuerſitas aſpectus in longitudine fuerit tam exigua, ut diuiſio per ſuperationem fieri nequeat,tunc multiplica diuerſitatẽ prædictam in longitudine per 60,& productum diuide per ſuperationem Lunæ,& in quotiente prouenient m̃.horarũ,& tale productũ adde ad tempus uerißimæ coniunctionis diebus æquatis, ſi inter aſcendens & locum coniunctionis fuerint plures gradus quàm 90,uel ſubtrahe ſi fuerint pauciores quàm 90. Et ad tale tempus nunc productum quere iterum aſcendens & gradus 90,ab aſcendente,& diſtantiam eius gradus à zenith capitũ, & gradus medij cœli,& altitudinem eius in linea meridiana,& gradus Lunæ & altitudinem eius,& diſtantiam eius à puncto zenith. Illis habitis,quære per omnia diuerſitatem aſpectus longitudinis & latitudinis ſicut prius. Quòd ſi diuerſitas aſpectus in longitudine concordat cum præcedente,es expeditus,quam diuerſitatem redigas in tempus,& adde uel ſubtrahe. Adde quidem ad coniunctionem uerißimam diebus æquatis, & non ad coniunctionem,quam prius dixi,uiſibilem. Quòd ſi minuta diuerſitatis aſpectus longitudinis non correſpondeant cum præcedentibus,tunc iterum ad illud tempus quod proxime inueniſti,quære gradũ aſcendentem & nonageſimum &c. & diuerſitatem aſpectus in longitudine & latitudine. Tunc ſi diuerſitas aſpectus in longitudine concordet cum præcedenti,illud tempus præcedens eſt coniunctio uiſibilis,& es expeditus. Quòd ſi iterum diuerſitas aſpectus longitudine non concordet cum præcedenti,tunc toties quære diuerſitatem aſpectus in longitudine, quouſq; ſequens concordet cum præcedenti ſecundum modum iam dictum,& ſic habebis diuerſitatem aſpectus Lunæ in longitudine & latitudine æquatam, cum qua operare ut iam dicetur.

¶Cum argumento Solis tempore ueræ ☌ ſcilicet 2 ſignis,17 gradibus, 6 minutis,50 ſecundis,in tabulis motus luminarium in una hora, (quas tabulæ reſolutæ exhibent) inuenio horarium Solis 2 minutorũ, 27 ſecundorum, Cum argumento autem Lunæ, uidelicet, 4 ſignis, 27 gradibus,42 minutis,38 ſecundis,reperio 36 minuta,8 ſecunda,à quibus ſubtraho horarium Solis motum, & remanent 33 minuta, 41 ſecunda, ſuperatio ſcilicet Lunæ in una hora,per quam diuido diuerſitatem aſpectus Lunę in longitudine,cumq; ea diuerſitas adeo ſit exigua,ut diuiſio fieri nequeat, eam duco in 60, & proueniunt 240, quæ diuido per 34 minuta,proueniunt 7 minuta diſtantiæ inter ueram & uiſibilem, hanc addo tempori ueræ ☌ diebus æquatis, cum locus eccliptícus diſtet ab aſcendente pluribus 90 gradibus,& habebo uiſam,die 32 Auguſti,hora ſecunda, minutis 22 à meridie, ad hoc tempus rurſus inquiro aſcendens,medium cœli, nonageſimum gradum ab aſcendente, altitudines quoq; medij cœli,nonageſimi gradus ab aſcendente, ac loci eccliptici, Ac diſtantias horum à zenith capitum, ſed quia tunc in longum latumq;

tumq́ diuerſitas aſpectus Lunæ à priori parum differat, inſtrumentaq́ precìſionem, præter ea quæ ſunt capacia magis, non admittant, hoc in loco curioſius inquirere nolui, reperto igitur ſecundum huius canonis doctrinam tempore pro uiſibili copula utar.

¶ Verum locum Lunæ ad coniunctionem uiſibilem inquirere.

ADDE minuta diuerſitatis aſpectus Lunæ in longitudine cum ſua duodecima ſuper uerum locum Lunæ ueriſſimæ coniunctionis diebus non æquatis, & ſuper argumentum uerum Lunę ad idem tempus repertum, ſi inter aſcendens & locum ueræ coniunctionis plures quàm 90 gradus fuerint, uel ſubtrahe ſi fuerint pauciores, & habebis intentum, ſcilicet uerum locum, & uerum argumentum Lunæ. In propoſito exemplo minuta diuerſitatis aſpectus Lunæ in longitudine, ſcilicet 4 cum ſua duodecima addo uero Lunæ loco, eiusq́ argumento æquato, tempore ☌ ueræ diebus non ęquatis, cū inter aſcendens ac locum eclipticum plures ſint nonaginta gradibus, & habeo uerum Lunæ locum 5 ſignorum, 16 graduū, 45 ferè minutorum. Argumentum autem uerum Lunæ 4 ſignorum, 27 graduum, 37 quaſi minutorum.

¶ Argumentum uerum latitudinis Lunæ ad coniunctionem uiſibilem inuenire.

MINVTA diuerſitatis aſpectus Lunę in longitudine cū ſua duodecima, & motu capitis Draconis, extracto in tempore æquiualenti minutis diuerſitatis aſpectus Lunę in longitudine addantur pariter ad argumentum uerum latitudinis Lunæ, inuentum ad tempus ueræ coniunctionis diebus non ęquatis, ſi inter aſcendens & locum ueriſſimæ coniunctionis fuerint plures gradus quàm 90, uel ſubtrahantur, ſi fuerint pauciores quàm 90, & habebis intentum. Vt diuerſitatem aſpectus in longitudine cū ſua duodecima, & motu Draconis reſpondenti tempori diuerſitatis aſpectus Lunę in longitudine, qui eſt quaſi unius ſecundi, adijcio argumento uero latitudinis Lunæ tempore ☌ ueræ, nempe 10 grad. 38 ferè minut. & prouenit argumentum uerum latitudinis Lunę, tempore ☌ uiſæ 10 graduum, 42 quaſi minutorum.

¶ Latitudinem Lunæ uiſibilem ad horam coniunctionis uiſibilis cognoſcere.

POne filum centri ſup argumentū latitudinis Lunæ uerū iam habitū, & habebis in circulo capitis Draconis latitudinē lunę, & uide utrū meridionalis aut ſeptentrionalis fuerit. Vnde ſeptētrionalis eſt, ſi argumentū latitudinis Lunę fuerit minus 6 ſignis cōmunibus, & ſi fuerit plus 6 ſignis eſt meridionalis, q́ latitudinē habitā ſerua, & diuerſitas aſpectus Lunę in latitudine ſemp eſt meridionalis in

regionibus

regionibus noſtris,quarum altitudo poli eſt plus 24 graduum, quam habitam ſerua etiam. Deinde aſpice,ſi latitudo meridionalis fuerit,adde eius diuerſitatem aſpectus in latitudine. Si uero fuerit ipſa latitudo ſeptentrionalis,tunc ſubtrahe unam ab alia, & quod remanet erit apparens latitudo. Et eſt illius partis,cuius ambæ ſimul iunctæ fuerint,uel illius partis cuius fuerit maior. In propoſita Solis ecclipſi filum centri pono ſuper argumentum latitudinis tempore ☌ uiſæ in circulo argumenti Lunæ,quod oſtendet in circulo latitudinis Lunæ, latitudinem ſeptentrionalem 56 minutorum,cum id minus ſit ſex ſignis,ab hoc igitur ſubtraho diuerſitatem aſpectus Lunæ in latum, ſcilicet 44 minuta, reſtant 12 minuta latitudinis Lunæ ſeptentrionalis uiſæ.

¶ Minuta caſus Ecclipſis Solaris inuenire.

PONE filum centri figuræ Solis ſuper argumentum Lunę uerum, ad uiſibilem coniunctionem inuentum,& transfer Almuri ad æquationem Ecclipſis ſolaris. Deinde pone filum ſuper latitudinem Lunæ uiſibilem in tropico Lunę,ſic quòd Almuri cadat ſuper lineam,& hoc in illa quarta in qua argumentum Lunæ eſt repertum. Et quot ſpacia linearum lineam minutorũ caſus perpendiculariter ſecantium inter Almuri & centrum inſtrumenti repereris,tot minuta caſus in Ecclipſi habebis. In dato exemplo pono filum centri ſuper argumentum Lunæ uerum,tempore ☌ uiſibilis,& margaritam duco ad eius cum æquatore ecclipſis Solis interſectionem,deinde idem filum pono ſuper latitudinem Lunæ uiſam, ſcilicet 12 minuta in tropico Lunæ,cuius margarita ſecat ex deſcendentibus rectis triceſimam à centro inſtrumenti computando, quæ indicant 30 minuta caſus in Ecclipſi Solis.

¶ Initium & finem Ecclipſis Solis oſtendere,& totius ecclipſationis durationem.

MINVTA caſus diuidantur per ſuperationem Lunæ in una hora,per prçcedentia inuentam,& in quotiente proueniet tempus quod eſt à principio ecclipſis uſq; ad mediũ,quod ſi duplicaueris,proueniet tẽpus totius ecclipſationis,& uocatur duratio. Et ſi idem tempus non duplatum ab horis coniunctionis uiſibilis ſubtraxeris,horam initij Ecclipſis habebis. Si autem idem tempus ad horas uiſibilis coniunctionis addideris,finem horarum Ecclipſis habebis. Vt,minuta caſus,30 ſcilicet,diuido per ſuperationẽ Lunæ horariam,quæ erat quaſi 34 minutorum,& proueniunt 53 minuta, quæ ſubtraho à ☌ uiſibili, medio uidelicet ecclipſis Solis, & prouenit initium ecclipſis, die 31 Auguſti, à meridie hora prima,minuta 29. Ea quoq; eidem tempori adiungo, & prouenit finis ecclipſis, die eadem,


hora

hora tertia,minutis 15 à meridie. Quòd ſi tempus 53 minutorum duplico,habeo integram eclipſis Solis durationem,unius horæ, 46 minut.

¶ Minuta eclipſata inuenire.

PONE filum centri ſuper argumentum uerum Lunæ ad uiſibilem coniunctionem in circulo argumenti Lunæ figuræ Solis,& moue almuri primum ad æquatorem eclipſis Solaris. Deinde pone idem filum ſuper argumentum Solis ad coniunctionem uiſibilem,uel ad ueriſsimam coniunctionem diebus nõ æquatis,& moue ſecundum Almuri in circulo argumenti Solis & Lunæ ad æquatorem punctorum eclipſis Solis. Deinde cum filo prædicto pone Almuri primum ſuper latitudinem Lunæ uiſibilem in tropico Lunæ,& Almuri ſecundum,ſcilicet argumenti Solis, cadens inter puncta Solis, oſtendit numerum, quem ſi à 12 ſubtraxeris remanebunt partes obſcurationis. Filum in dato exemplo pono ſuper argumentum Lunæ ad uiſibilem ☌ ſcilicet ſigna 4, gradus quaſi 28, in circulo argumenti Lunæ,& primam margaritam pono ad interſectionem eius cum æquatore eclipſis Solis. Iam idem filum pono ſuper argumentum uerum Solis,quod eſt duorum ſignorum,17 fermè graduum,& ſecundam margaritam dirigo ad ęquatorem punctorum eclipſis Solis. Deniq; idem filum cum prima margarita duco ſuper latitudinem Lunæ uiſam in tropico Lunæ,& ſecunda inter puncta Solis indicat quaſi 4 puncta,quæ à duodenario aufero,remanent 8 quaſi partes defectus Solaris,& hæc quidem ad meridianum Viennenſem Auſtriæ,&c.

THEORICA ECCLIPSIS SOLARIS.



Omnes

¶Omnes circulos primi Inſtrumenti cognoſcere.

EXTREMVS circulus dicitur circulus arcuum pro chordis, duplici numero inſcriptus uſq; ad 90. Diameter uero eius A C dicitur linea chordarum rectæ & uerſæ, ſimiliter dupliciter intitulatus uſq; ad 60. Secundus circulus dicitur argumentum Solis & Lunę duplici numero inſcriptus, habens duo ſpacia & marginem intermedium. Tertius eſt circulus Genzahar uel latitudo Lunæ uſq; ad 5 gradus in una quarta extenſus. Quartus cum duobus ſpacijs & margine intercepto, dicitur argumentum latitudinis Lunæ. Quintus circulus habens tantũ unum ſpaciũ, dicitur ſpacium punctorum ecclipſis Solis cum numeris ſuis. Sextus uero circulus in ſpacio prædicto inæqualiter contentus, dicitur æquator punctorum ecclipſis Solis. Septimus circulus continet numerum minutorum tropici Lunæ in figura ecclipſis Solis. Deinde ſequitur octauus circulus, cuius ſpaciũ inter prædictum & octauum dicitur tropicus Lunę. Nonus circulus in tropico inęqualiter & eccentraliter gyratus, dicitur ęquator eclipſis Solis tangens octauum apud A, & intimam circumferentiam ſeptimi circuli apud C. Decimus & intimus dicitur æquator corporis Solis. Semidiameter uero G A & G C, dicitur linea minutorum caſus & moræ diuiſa in 34 partes æquales, uſq; ad extremum circulum tropici Lunæ. Lineæ uero orthogonaliter lineam minutorũ ſecantes ductę, ac prædictum extremm circulum per totum ſpacium ſunt minuta caſus. Sed lineæ tranſuerſales in tropico Lunæ ęquidiſtantes lineæ minutorum dicuntur minuta latitudinis Lunæ. Filum in puncto C affixum, dicitur filum limbi. Aliud in G affixum, dicitur filum centri &c.

THEORICA ECCLIPSIS LVNÆ.

COMPOSITIO ÆQVATORII Ecclipſis Lunæ.

PRoduc lineam rectam, & facto centro in medio, pone ſignũ G. Et ſecundum quantitatẽ lineæ iam productæ ſuper G, fac ſemicirculum A B C omnino ſicut ſupra in Sole. Deinde poſt illũ circulũ fac duo ſpacia ſuper G cũ margine intercepto, & eſt primus circulus, quem diuide omnino ſicut dictũ eſt de ſecundo circulo primi inſtrumenti. Deinde iterũ fac ſemicirculũ habentẽ ſpaciũ & marginem eius uerſus centrũ, & eſt ſecundus circulus. Iterũ deſcribe unum circulũ habentem ſpaciũ & marginem ab intra ſicut in pręſcripto, & eſt tertius circulus. Deinde reliquam partem lineę G C uel G A, diuide in 64 partes, quæ ſunt minuta, caſus & moræ, hęc aũt linea dicitur linea minutorum caſus & moræ. Et huic lineæ extra ſemicirculũ fac marginem & ſpaciũ pro minutis & literis numerorum, & intitulabis ſpacium A G, uerſus

utramq; partem computando. Deinde pone unũ pedem circini in G, & alium extendas uſq; ad 63 minuta, & 36 ſecunda in linea minutorũ, & ſecundũ illam quantitatem fac ſemicirculum, qui dicitur longitudo propior, & eſt quartus circulus, quē intitulabis D T B, D ſub C, T ſub B, & B ſub A. Item ſuper idem centrum fiat ſemicirculus F H I, F ſub D, H ſub T, I ſub B. Ita quod tam G F ſemidiameter quàm G I, ſint 52 partes, & 50 minuta de eiſdem partibus. Deinde diuiſa linea D G I in duas partes ęquales, & in eius medio facto centro ducatur ſemicirculus D K I cõtingens utrumq; ſemicirculorũ priorũ. Poſthæc de ſemidiametro D G, capiatur linea 45 partium & 56 m̃, quæ ſit linea G K. Item de linea G B capiatur altera linea 38 partiũ & 10 m̃, quæ ſit linea G M, & ſuper lineã K M perficiamus ſemicirculum. Item de linea D G capiamus lineam 28 partiũ & 16 m̃, quæ ſit linea G N. Alteram lineam G O de linea G B quæ ſit 23 partium, 30 minutorum, & perficiamus ſemicirculum ſuper lineã O N. Illis circulis factis, duc lineas rectas per 63 puncta à linea minutorum uſq; ad quartũ circulum, qui dicitur longitudo propior, quę neceſſario cadẽt orthogonaliter ſuper lineam minutorũ, ſimiliter eaſdem 63 diuiſiones ſiue minuta, ſigna in linea G B in numero & menſura æquatiſſimè. Et iterum per illas diuiſiones duc lineas rectas per omne ſpacium uſq; ad prędictum circulum quartum, quæ lineæ æquidiſtent lineæ minutorum, & orthogonaliter cadant ſuper lineam G B. Et in linea G B ab illo puncto G uerſus B, ſigna numerum illorum minutorum. Sed tertium circulum ſic diuide, pone regulam ſuper G, & aliam eius partem ſuper quintam uel ſextam diuiſionem, ſeu minutum in circulo exteriori tropici Lunæ, ubi quinta uel ſexta diuiſio tangit primum circulum. Et regula ſic iacente, protrahe lineam rectam per ſpacium & marginem, & ſic procede per quintam uel ſextam ſicut placet, ſecundum autem circulum, qui erit pro punctis Lunæ ecclipſatis ſic diuide. Intra tabulam paruam quæ intitulatur tabula punctorum Ecclipſis Lunæ ad longitudinem propiorem per argumentum Lunæ, & accipe gradus, minuta in directo unius puncti, & tot gradus & minuta numera in argumento Lunę ab A uerſus B, quod in tabula inueniſti, & iacente regula ſuper G, & alia eius parte ſuper numerum talem in argumento, interſectũ circulũ ſecundũ, qui eſt punctorũ Lunę, cũ pũcto notabis, & ducta linea recta per ſpaciũ & marginẽ iterum intrabis eandẽ tabulã, & fac ut prius feciſti uſq; ad 21. Et incipias à B inſcribẽdo numerũ punctorũ uerſus A uſq; ad 21. Et eodem modo fac de alia quarta, ſcilicet

P.	G	M
0	0	0
1	1	56
2	4	20
3	7	0
4	9	40
5	12	26
6	15	3
7	17	45
8	20	36
9	23	40
10	26	30
11	29	38
12	32	50
13	35	50
14	30	4
15	42	40
16	46	30
17	50	38
18	54	43
19	60	6
20	65	40
21	74	0

ſcilicet C B quomodo feciſti de A B numerum argumenti à C uerſus B cõputando, & à B uerſus C puncta numerum eorum inſcribendo moræ communi. Et completum eſt.

¶ Ecclipſim Lunæ, & quantitatem & durationem ſimiliter inuenire.

SI Ecclipſis Lunæ eſt poſſibilis, quęre mediam oppoſitionẽ Solis & Lunæ, ex qua ſcias tẽpus ueriſſimę oppoſitionis. Et ad idem tempus ſcias uerum locum Lunæ, & nadir Solis, & argumentum uerum Lunæ, & argumentum uerum latititudinis Lunæ, & cum gradu uero motus Solis quęre ueram oppoſitionem diebus æquatis, hæc ſerua pro media Ecclipſi. Exempli cauſa, inquiram Ecclipſim Lunæ anni 1551 currentis, die 20 Februarij, ad hoc itaq; tempus reperio mediam oppoſitionem hora prima, minutis 41 ferè, à meridie eiuſdem diei, & argumentum Solis 8 ſignorum, 7 graduum, 53 minutorum, argumentum quoq; Lunę 5 ſignorum, 8 graduum, 53 minutorum, cum quibus reperio iuxta doctrinam Canonis de inueſtigatione ueræ ☌ & ☍, diſtantiam inter mediam & ueram ☍, 6 horarũ, 59 minutorũ addendam. Hac igitur ad mediam ☍ adiecta, inuenio tempus ueræ oppoſitionis hora 8, minutis 40 à meridie diei 20 Februarij. Ad tempus autem ueræ oppoſitionis inuenio uerum Lunæ, qui etiam eſt nadir, hoc eſt, punctnm oppoſitum Solis, 5 ſignorum, 11 graduum 52 minutorum, & argumentum uerum latitudinis Lunæ 11 ſignorum, 25 graduum, 51 minutorum.

¶ Latitudinem Lunæ per datum argumentum latitudinis Lunæ cognoſcere.

PONE filum centri ſuper argumentum uerum latitudinis Lunæ, inuentum tempore ueræ oppoſitionis diebus nõ æquatis, & cadet idem filum ſuper latitudinem Lunæ in circulo latitudinis Lunæ ueræ. Et ſi argumentum latitudinis Lunæ eſt minus 6 ſignis, tunc latitudo eſt ſeptentrionalis. Si uero argumentum Lunæ eſt plus 6 ſignis, tunc latitudo eſt meridionalis, & illud quęre in figura Ecclipſis Solis. Vt in dato exemplo, pono filum centri in figura ecclipſis Solis, ſuper uerum latitudinis Lunæ argumentum, tempore uerę ☍, id in circulo latitudinis Lunæ, oſtendit latitudinem Lunę ueram 22 duorũ ferè minutorum meridionalem, cum latitudinis Lunæ argumentũ maius ſit 6 ſignis.

¶ Minuta, caſus, & dimidium moræ ſeorſim cognoſcere.

POne filum centri ſuper argumentum uerum Lunæ, & transfer Almuri ſuper æquatorem diſtantiæ Lunæ à terra, & ſecundum ſuper æquatorem moræ & caſus. Deinde pone idem filum cum Almuri primo ſuper latitudinem Lunæ in

tropico ecclipſis Lunæ, & hoc in illa parte, in qua argumentũ cœpiſti. Et uide ſi linea perpendiculariter æquidiſtans lineæ minutorum, quam tangit Almuri primum ſecet ſemicirculum, qui eſt ęquator minutorum caſus & moræ, tunc erit mora, ſin autem, tunc non erit mora. Qui ſi ipſum æquatorem ſecuerit, tunc minuta exiſtentia inter ſemicirculum iam dictum & Almuri primum, id eſt, inter tactum lineæ æquidiſtantis, & Almuri computando in lineis orthogonalibus lineæ minutorum caſus & moræ, uſq; ad Almuri ſunt minuta caſus. Deinde eandem latitudinẽ Lunæ computa cum ſecundo Almuri quod ſitum eſt ſuper ęquatorem caſus & moræ, incipiendo à linea minutorũ caſus & moræ, & ſurſum numerando ſecundum motum fili, etiam in eadem quarta. Et minuta exiſtentia inter Almuri prædictum, ſcilicet ſecundum, & Diametrum exeuntem à centro uerſus B, ſunt minuta dimidiæ moræ. In propoſito exemplo pono filum in inſtrumento ecclipſis Lunę ſuper argumentũ uerum Lunę, & unam margaritam pono ſuper interſectionem fili cum æquatore diſtantiæ Lunæ à terra, & alteram ſuper ęquatorem caſus & moræ. Et in eadem parte inſtrumenti, filum cum prima margarita pono ſuper latitudinem Lunæ in tropico Lunæ, inter lineas ęquabiles lineæ minutorum caſus & moræ, & quia linea deſcendens à margarita ſecat ſemicirculũ hunc ecclipſis in tenebris immorabitur, & unio inter deſcendentes eaſdem ſecat 47 minuta caſus. Secundum autem pono ſuper latitudinem Lunæ inter eaſdem æquidiſtantes, id inter deſcendentes oſtendit 18 minuta moræ mediæ.

¶ Digitos ecclipſatos Diametri lunaris cognoſcere.


Pone filum centri ſuper argumentum uerum Lunæ ut ſupra, & transfer unum Almuri ſuper æquatorem diſtantiæ Lunæ à terra. Deinde idem filum cum Almuri pone ſuper latitudinem Lunæ ad medium ecclipſis, in tropico ecclipſis Lunæ, & cadet filum ſuper numerum, quem ſubtrahe à 22, & remanebunt puncta ecclipſis Lunę. In dato paradigmate filum pono ſuper argumentum uerum Lunæ, & margaritam applico ęquatori diſtantię Lunę à terra. Hoc igitur filum cum margarita pono ſuper latitudinem Lunæ, inter æquabiles in tropico numeratas, & filũ oſtendit 8 partes cum dimidia, quæ ſubtractæ à 22, relinquunt partes 13 cum dimidia quaſi puncta ecclipſis Lunæ.

¶ Quantitatem temporis Ecclipſis Lunæ oſtendere.

Minuta, caſus diuide per ſuperationem Lunæ in una hora, & in quotiente prouenient horę. Et reſiduum multiplica per 60, & diuide per idem, quod prius, & exibunt minuta horarum, & habebis tempus correſpondens minutis caſus. Similiter

militer minuta moræ diuide per ſuperationem Lunæ in una hora, & iterum prouenient horæ, & reſiduum multiplica per 60, & diuide ut prius, & habebis tempus correſpondens minutis moræ. Nota tempus ex minutis caſus & moræ extractum, uel tantum ex minutis caſus, ſi non habet moram, eſt tempus ſeu quantitas medij Ecclipſis, & id dupla, tunc exibit quantitas temporis totius Ecclipſis. Nota minuta caſus uocantur illud, quòd tranſit Luna à principio Ecclipſis, donec totaliter obſcuratur & ueniat in umbram. Sed minuta moræ dicũtur illud, quod Luna tranſit, interim quod manet in umbra. Vnde ſi tempus correſpondens minutis moræ ſubtraxeris à tempore ueræ oppoſitionis diebus æquatis, habebis principium moræ, quod ſi addideris, habebis finem moræ. Sed ſi tempus correſpondens minutis moræ cum tempore correſpondente minutis caſus, ſubtraxeris à tempore ueræ oppoſitionis diebus æquatis, habebis initium totius ecclipſis, ſi autem addideris, habebis finem totius ecclipſis. Si autem tale tempus duplicaueris, habebis D rationem totius ecclipſis, &c. In propoſito Lunæ defectu, minuta caſus 47 diuido per ſuperationem Lunæ horariam, quæ eſt 34 minutorum, 11 ſecundorum. Cum argumento enim Solis reperio Solis horarium 2 minutorum, 30 ſecundorum. Cum argumento autem Lunæ uero inuenio Lunæ horarium 36 minutorum, 41 ſecund. & minori à maiore ſublato, reſtat ſuperatio Lunæ 34 minutorum, 11 ſecundorum. Facta itaqꝫ partitione prouenit una hora, & reſtãt 13 ferè minuta, quæ duco in 60, & productum per ſuperationem Lunæ ſeco, proueniunt 21 minuta tempus caſus. Similiter minuta moræ mediæ, ſcilicet 18 per eandem ſuperationem diuido, ijs antea per 60 multiplicatis, cum aliàs diuiſio fieri nequeat, proueniunt 31 minuta moræ mediæ in tenebris. Moram itaqꝫ mediam à tempore ueræ oppoſitionis, quod eſt medium ecclipſis Lunæ, ſubtraho, remanetqꝫ initium totalis obſcurationis hora 8, minutis 9 à meridie eiuſdem diei, hanc quoqꝫ addo tempori oppoſitionis ueræ, & habeo finem ecclipſis Lunæ totalis hora 9, minutis 11. Iam tempus caſus iungo moræ mediæ, proueniunt hora una, minuta 52, quæ ſubtraho ab oppoſitione uera, & reſtat initium ecclipſis Lunæ hora 6, minutis 48. Finis autem eiuſdem ubi id tempus adiungo tempori oppoſitionis ueræ, hora 10, minutis 36. Et cum id duplico, proueniunt horæ 3, minuta 44, integra duratio ecclipſis, ſi aut moram mediam duplico, habeo totalis obſcurationis durationem, ſeu in tenebris integram moram.

THEORICA ECCLIPSIS LVNÆ.



Omnes

¶Omnes circulos ſecundi Inſtrumenti cognoſcere.

PRIMVS & maximus circulus ipſius cum duobus ſpacijs & margine interpoſito, dicitur argumentum Lunæ. Secundus dicitur circulus punctorum Ecclipſis Lunæ extenſus uſq; ad 21 puncta. Tertius, qui ſequitur ſecundum, uerſus centrum cum ſpacio & margine dicitur circulus minutorum tropici Lunæ extenſus uſq; ad 63 minuta, & 36 ſecunda. Deinde ſequitur tropicus Lunæ cum reliquis quatuor circulis, quorum primus dicitur longitudo longior tropici Lunæ. Secundus ſibi eccentricus æquator diſtantiæ Lunæ ad terram, tertius æquator umbræ, quartus æquator minutorum caſus & moræ. Diameter uero pertingens uſq; ad extremum circulum tropici Lunæ, diuiſus in 63 partes, & 36 ſecunda, uocatur linea minutorum, caſus & moræ. Lineæ uero ab illa linea minutorum ductæ, per totum ſpacium uſq; ad circulum extremum tropici Lunæ. Et lineæ orthogoneæ eum ſecantes, dicuntur minuta caſus in linea minutorum caſus, & moræ. Lineæ uero tranſuerſaliter per totum ſpacium in tropicum Lunæ ductæ æquidiſtantes lineæ minutorum caſus & moræ, dicuntur latitudines Lunæ in tropico Lunæ, ut ſupra in figura &c.

FINIS TOTIVS ÆQVATORII Aſtronomici Ioannis Schoneri Mathematici Norici.

PLANI-

PLANISPHÆRIVM

SEV METHEOROSCOPION IOANNIS SCHONERI Mathematici Norici.


COMPOSITIO PLANISPHÆRII.

¶Deſcribendum eſt primò inſtrumentum, è quo facillime Planiſphærium ſeu Metheoroſcopion deſcribitur.

ESTO IGITVR IN DATO PLANO datæ lineæ A B quantitas, ſecundum quam ex A centro deſcribatur periferia B C D E, eaqꝫ duabus diametris in quatuor ęquas ſecetur partes, eritqꝫ recta B A D Horizon, & circulus B C D E Meridianus. Huius ſinguli in 90 partes diuidãtur quadrantes, & per ſingulas partes ducantur rectæ æquidiſtantes ipſi B A D Horizonti, quæ altitudinum circulos ſeu Almicantarath deſignabunt, quorũ numerus incipiat in Horizonte. In alio plano ad datam A B quantitatem deſcribatur quadratum A C D E, in cuius C A & D E lateribus numerentur ab D & C in A & E interſectiones Almicantharath cum A C ſemidiametro, quæ ab A in C uergunt, & per puncta numerationum ducantur rectæ parallelæ ipſis D C & E A lateribus. Eædem quoqꝫ ſimili ratione numerentur in A E recta, incipiendo in A, apponaturqꝫ regula hiſce ſectionum in A E linea & C punctis, & ex ijs in C ducantur rectæ, quarum E C ſignabitur charactere 0 & C A 90, & reliquæ prout ordo poſtulat. Sectiones uero harum inter ſe ita priori ſchemati ingerentur. Linea B A D ex utraqꝫ parte ſecetur ſicut A E quadrati latus notando ſectiones A E in B A D ab A centro inſtrumenti in utramqꝫ partem. Deinde proximæ huic rectæ interſectiones depingantur in proximam B A D in utramqꝫ partem, ita tamen ut in his omnibus ab A G uerſus quamlibet partẽ fiat deſcriptio, numerando ſemper ab A C quadrati latere, & hac quidẽ lege ſecentur lineæ ipſi horizonti æquabiles, ipſa quoqꝫ ſectionum puncta proxima ipſi G A arcuali linea coniungantur, quę deniqꝫ circulos azimuth, quos etiam uerticales dicunt conflabunt. Iam in quadrante B G à B in G, numeretur datæ regionis latitudo ſeu eleuatio polaris, itidem etiam fiat in quadrato D E à D in E numerando, & appoſita ad finem numerationis regula ducatur recta Z K quæ ſextam horam deſignabit. In quadrante uero D G à D in G, numeretur complementum altitudinis poli, & appoſita ad A centrum & terminum numerationis regula, per centrũ & finem computationis ducatur recta quę æquatorem referet, ſitqꝫ ea T I. Ambitus autem Z T I diuidatur in partes 360, & per diuiſionum puncta æquabiles æquatori T I, exeant, quæ declinationum circulos re


præſen-

præſentabunt. His ita peractis idem circuitus in 24 æquales partes diuidatur, & applicata ad ſectionum harum puncta ipſi Z K proxima, notentur interſectionum in T I puncta ubi ſcilicet regula interſecat æquatorem. Poſtea in alio plano ſecundum quantitatem Z A rectæ deſcribatur quadratum A B E F, in cuius B A & F E lateribus numerentur à B & F, in A & E interſectiones circulorum declinationum cum Z K, quæ ab K in C uergunt, & per puncta numerationum ducantur æquabiles ipſis E F & E A lateribus quadrati ſimiles prioribus. In A E autem numerentur ſectiones T A, ſicut in quadrato A C D E factum eſt, ab A in E computando, & appoſita ad ſectionum puncta & B regula ducantur rectæ, quarum prior A B numero 6 ſignabitur, B E autem 12, & ita reliquæ ex ordine. Sectiones quoque harum inter ſe depingentur in lineis æquabilibus æquatori T I, ut antea in prioribus, & puncta ſectionum proxima Z K inflexa aliquantulum linea cōnectantur, quæ quidem horarios circulos referent, incipiatque numerus circa T & I puncta &c.



PLANI-

PLANISPHÆRII COMPOSITIO.



Hoc

¶Hoc deniq; iam parato inſtrumento, quo pacto ex eo Planiſphęrium deſumatur edocebimus. In propoſito plano ſuper A centro ad libitum, ducatur circulus B C D E, qui ubi duabus diametris B D & C E in quatuor partes ſectus fuerit, in partes 360 diuidatur, & appoſita regula ad ſingula puncta diuiſionum proxima ipſi B D, ſecetur linea C A in 90 inæquales. Fiat deinde linea fiduciæ quæ in 90 partes diuidatur, ſicuti C A linea, in quo numerus deſinat in A puncto, & hi quidem declinationum numeri & gradus. Extra ambitum uero B C D E, alij tres deſcribantur circuitus, tria concludentes ſpacia, ita ut tantũ inter B intimum & ſequens ſpacium intercipiatur, ut nomina quatuor cœli plagarum inſcribi poſſint, ſcribatur autem circa B literam meridies circa C occidens, ad D uero ſeptentrio, & ad E ortus. In ſequens uero ſpacium horarum in partes diſtinctio, ac in tertium numerus horarum, qui incipiat in B, uergatq; per C in D, & à D puncto rurſus per E in B. Iam quo pacto horizon cũ circulis almicantarath Planiſphęrio facilime inſerantur dicendum eſt. Regula itaq; fiduciæ affigatur A centro planiſphærij. Deinde in inſtrumento prius deſcripto, ꝓpoſitæ cuiuſuis horarij circuli cõſideretur ſectio cum horizonte, in quo declinationũ gradu id fiat, & appoſita ad horam illam fiduciæ regula, notetur punctus ad planiſphęrium circa gradum declinationis in linea fiduciæ. Poſtea eiuſdem horizontis cum reliquis horarijs circulis interſectiones notentur, in quibus declinationum gradibus contingant, & applicata ad eas horas Planiſphærij numeratas in ſemicirculo eius C D E, circa gradus declinationũ in linea alhidada ſignentur ad planiſphęrium puncta quæ proximis arcuali linea coniungantur, eritq; arcus ille Horizon. In inſtrumento aũt eodem incipiendo in arcu T C Z B I, conſideretur ſectio horę duodecimę cum linea almicantarath, proxima horizonti, in qua ſimiliter gradu declinationũ accidat, poſitaq; regula A D, ad horã 12. circa D & circa gradum altitudinis notetur punctum ad A D planiſphærij. Simili deinde ratione ſectio ſequentis horariæ cum eadem recta notetur, & ad eam horam applicata regula circa illum gradum declinationis ſignetur punctum in utramq; partem ab A D linea, & ita in reliquis quæ deinde arcuali linea iungantur. Hæ autem ratio in omnibus ſemper obſeruabitur donec ad æquatorem uentum fuerit, ibi enim tum circuli almicantharath propoſiti cum æquinoctiali conſiderabitur interſectio, circa quem ex horarijs circulis id accidat, & applicata ad id tempus & A centrum regula notabitur punctum in ambitu B C D E ex utraq; parte, hic etenim æquatoris in planiſphærio uicem gerit. Quibus omnibus hac lege deſcriptis depreſſionum circuli, quos qudem apparentiarum uocant, eadem penitus ratione inſcribentur planiſphærio hoc ſolo notato, quod ſectiones almicantarath proximę horizonti in inſtrumento cum hora 12, & reliquis, numerandæ ſint in reliquo T D G E I ſemicirculo inſtru-

 menti

menti quæ antea in T C Z B I arcu computabantur. Numerus uero circulorum Almicantarath in Horizonte incipiat, uergatq́ in utramq́ partẽ ſurſum & deorſum, deſinatq́ in zenith quod eſt Almicantarath 90. Deinceps azimuth ſeu uerticales circuli eadem ratione inſcribentur Planiſphærio, ſicut iam de almicantarath dictum eſt, uidendo nempe ſemper ſectiones circulorũ horariorum cum propoſito circulo azimuth in inſtrumento, in quibus nempe declinationum gradibus accidant, & ad eam horam appoſita regula circa gradum illũ declinationis in linea fiduciali, notando puncta, eaq́ deinceps inflexa linea connectendo, quorum numerus incipiat in B A D linea, deſinatq́ in C A E. Poſtremo ab orbe B C D E numerentur 23 gradus, 29 minuta, declinatio uidelicet Solis maxima, ſuper quo ex A centro tropicus ſolſtitiorũ depingatur. Et hæc quidem matris huius Planiſphærij deſcriptio, quantũ inſtituto noſtro inſeruire uidebatur, rhetis autem hæc eſt depictio. In ſecunda tabula ad datam A B quantitatem, deſcribatur circulus F G H I ex K centro, qui in 360 partes equales ſecetur, & numerus ab F per G H & I procedat. Centro autem eius K applicetur linea fiduciæ in partes nonaginta, prout diximus inæquales diuiſa. Fiat deinde introitus in tabellam ſequentem declinationũ & aſcenſionum rectarum partiũ ſigniferi, deſumaturq́ cũ propoſito ſigno eiuſq́ parte ex ea declinatio eius ac aſcenſio recta. Aſcenſio uero recta numerabitur in circulo F G H I, & ad finem numerationis apponatur fiducialis regula, in qua declinatio eiuſdem partis ſigniferi computabitur, & circa terminum huius numerationis ad hanc tabulam rhetis fiat punctum, & ita de reliquis, quæ tandem ſibi inuicem curua nectantur linea, ut ecliptica ex ijs procreetur. Porrò huic æquidiſtantes alij deſcribantur arcus, tria ſpacia cum ecliptica concludentes, ut in horum primum ſingulorum per gradus ſignorum diſtinctio, in ſequens numerus graduum per quinariũ aut denarium diſtinctorum, in poſtremum autem nomina aut characteres duodecim ſignorum inſcribi poſſint. Numerus quoq́ incipiat in F, uergatq́ uerſus G H & I, quam etiam ſeriem nomina ſeu characteres duodecim ſignorum ſequuntur, & extra ambitum F G H I, alia deſcribatur periferia pro libito. Quod ubi factum fuerit, ex tabula ſtellarum fixarum deſumatur aſcenſio recta ſtellæ cuiuſpiam propoſitæ, eaq́ ut antea numeretur in arcu F G H I, & ad eam applicata regula fiduciæ, in ipſa numeretur eiuſdem ſtellæ declinatio, & circa eam ad rethe fiat punctum, quod uerum ſtellę locum indicet propoſitæ, cui adſcribatur nomen ſtellę datæ &c. Hoc deniq́ quiſq́ pro ſui ingenij ſagacitate in rethis foramen ita perforabit, ut ab ecliptica linea ex una parte ſuperfluum reſecetur, quo illa quodammodo fiat diaphona &c. Rethe uero cum fiduciali linea ita affigatur matri Planiſphærij, ut libere circa eam moueri poſſint.

TABVLA INDICANS PARTIVM ZODIACI declinationes & aſcenſiones rectas.

Gradus	♈ Aſcẽſ. recta.		♈ Declinatio.		♉ Aſcẽſ. recta.		♉ Declinatio.		♊ Aſcẽſ. recta.		♊ Declinatio.		♋ Aſcẽſ. recta.		♋ Declinatio.		♌ Aſcẽſ. recta.		♌ Declinatio.		♍ Aſcẽſ. recta.		♍ Declinatio.	
0 5	G	M	G	M	G	M	G	M	G	M	G	M	G	M	G	M	G	M	G	M	G	M	G	M
10	0	0	0	0	27	54	11	30	57	48	20	12	90	0	23	30	122	12	20	12	152	6	11	30
15	4	35	2	0	32	42	13	13	63	3	21	11	95	27	23	24	127	22	19	4	156	51	9	42
10	9	11	3	58	37	35	14	51	68	21	22	0	100	53	23	7	132	27	17	47	161	33	7	50
15	13	48	5	55	42	31	16	23	73	43	22	39	106	17	22	39	137	29	16	23	166	12	5	55
20	18	27	7	50	47	33	17	47	79	7	23	7	111	39	22	0	142	25	14	51	170	49	3	58
25	23	9	9	42	52	38	19	4	84	39	23	24	116	57	21	11	147	18	13	13	175	25	2	0
30	27	54	11	30	57	48	20	12	90	0	23	30	112	12	20	12	152	6	11	30	18c	0	0	0
			Sept.				Sept.				Sept.				Sept.				Sept.				Sept.	

Gradus	♎ Aſcẽſ. recta.		♎ Declinatio.		♏ Aſcẽſ. recta.		♏ Declinatio.		♐ Aſcẽſ. recta.		♐ Declinatio.		♑ Aſcẽſ. recta.		♑ Declinatio.		♒ Aſcẽſ. recta.		♒ Declinatio.		♓ Aſcẽſ. recta.		♓ Declinatio.	
	G	M	G	M	G	M	G	M	G	M	G	M	G	M	G	M	G	M	G	M	G	M	G	M
0	180	0	[illegible]	0	207	54	11	30	237	48	20	12	270	0	23	30	302	12	20	12	332	6	11	30
5	184	35	[illegible]	0	212	42	13	13	243	3	21	11	275	27	23	24	307	22	19	4	336	51	9	24
10	189	11	3	58	217	35	14	51	248	21	22	0	280	53	23	7	312	27	17	47	341	33	7	50
15	193	48	5	55	222	31	16	23	253	43	22	39	286	17	22	39	317	29	16	23	346	12	5	55
20	198	27	7	50	227	33	17	47	259	7	23	7	291	39	22	0	322	25	14	51	350	50	3	58
25	203	9	9	42	232	38	19	4	264	33	23	24	296	57	21	11	327	18	13	13	355	15	2	0
30	207	54	11	30	237	48	20	12	270	0	23	30	302	12	20	12	332	6	11	30	360	0	0	0
			Auſtri.				Auſtri.				Auſtri.				Auſtri.				Auſtri.				Auſtri.	

TABVLA STELLARVM FIXARVM quarundam maximè inſignium,

NOMINA STEL-larum.	Declina-tio. G	M	P.	Aſcenſio recta G.	M
III. Aurigæ, Alhaioth, Hircus.	45	0	S	07	35
XIIII. Tauri, Aldebaran.	15	42	S	61	43
II. Orionis.	6	18	S	82	25
XXV. Orionis.	9	16	M	72	11
I. Canis maioris, Alhabor, Os canis maioris.	15	50	M	96	13
II. Caniculæ, Procyon, Algomeyſa.	6	6	S	108	34
VIII. Leonis, Kalb eleced, Cor Leonis, Rex.	14	7	S	144	59
XXVII. Leonis, Deneb eleced Cauda Leonis.	16	57	S	170	33
Arcturus, Alramech.	22	17	S	208	16
XIIII. Virginis, Azimech, Spica Virginis.	8	28	M	194	39
I. Vulturis cadentis.	38	36	S	274	27
XLII. Aquarij, Fomahant, Poſtrema fuſionis aquæ.	36	25	M	331	19
XXXIIII. Eridani, Acarnar.	40	56	M	42	24
I. Pegaſi, Alpheratz.	26	50	S	356	4
XII. Perſei, Raſalgol, Caput Meduſæ, Gorgonis.	39	40	S	39	23
III. Orionis.	4	44	S	71	18
I. Geminorum, Caput Gemini præcedentis.	32	25	S	105	42
II. Geminorum, Raſalgenſe, Caput ♊ ſequentis.	28	39	S	109	2
XII. Hydræ, Alphrad, Lucida Hydræ.	4	41	M	136	7
VI. Leonis, Ceruix Leonis,	22	8	S	147	35
XX. Leonis, Dorſum Leonis.	22	39	S	161	30
I. Coronæ Septentrionalis, Alpheta.	28	44	S	228	3
I. Libræ, Luminoſior lancis meridionalis.	13	37	M	215	55
III. Libræ, Luminoſior lancis Septentrionalis.	7	26	M	222	24
VIII. Scorpionis, Cor, Alatrab, Cor Scorpionis.	24	41	M	239	49
I. Serpentarij, Raſalangue, Caput Serpentarij.	13	10	S	257	36
III. Vulturis cadentis.	7	23	S	290	55
IIII. Pegaſi, Markeb Alpheratz.	12	52	S	340	25

III. Pegaſi


NOMINA STELlarum.	Declinatio.			Aſcenſio recta	
	G	M	P.	G.	M
III. Pegaſi.	25	13	S	339	52
V. Gallinę Aridet, Denab Adigege, Cauda gallinæ.	48	49	S	306	33
XVII. Nauis, Lucida tranſtri.	38	24	M	116	21
XXIII. Vrſæ maioris, Pes poſterior urſæ maioris.	51	32	S	201	32
XXVI. Vrſæ maioris.	57	16	S	194	35
XXV. Vrſæ maioris, Alioth, Cauda urſæ maioris.	57	56	S	187	11
XVI. Vrſæ maioris, Dubhe, Dorſum urſæ maioris.	64	2	S	156	29
VII. Perſei Alchenib, Latus dextrum Perſei.	47	49	S	42	9
XXI. Tauri, Cornu Septentrionale Tauri.	27	42	S	73	65
XIX. Tauri, Cornu meridionale.	20	23	S	76	24
XIIII. Cete, Batakaitos Venter Ceti.	12	29	M	21	40
XIX. Piſcium.	0	55	S	24	2
XII. Andromedæ, Mirach. Vmbilicus Andromedę	34	23	S	10	17
I. Arietis, Cornu Arietis.	17	19	S	21	58
II. Arietis.	18	27	S	22	36
II. Ceti, Menkar.	8	15	M	12	2
X. Eridani.	14	36	M	53	46
I. Trianguli.	27	15	S	22	32
VIII. Leporis, Venter leporis.	21	27	M	78	28
V. Corui, Ala poſtrema corui, Algorab.	13	36	M	179	8
XIII. Virginis, Præuindemiator.	13	0	S	188	12
VI. Centauri, Spatula dextra Centauri.	34	29	M	204	33
II. Lupi, Pes poſtremus Lupi.	44	12	M	212	9
VII. Serpentarij, Latus ſiniſtrum, Marſic Alangue.	2	33	M	236	47
I. Herculis, Raſalgeti, Caput Herculis.	15	23	S	251	51
XX. Scorpionis, Spina Scorpionis.	36	11	M	254	59
IIII. Delphini.	12	49	S	302	50
XXIIII. Capricorni, Deneb Alchedi.	17	53	M	319	15
XVII. Pegaſi, Enit alpheratz, Muſcida Pegaſi.	7	12	S	320	33
XVIII. Aquarij, Scheat.	17	52	M	336	35
XXII. Ceti, Deneb Kaitos.	20	16	M	4	35
V. Draconis, Raſaben, Caput Draconis.	52	9	S	265	50

NOMINA STELlarum.	Declinatio?			Aſcenſio recta	
	G	M	P.	G.	M
I. Vrſæ minoris, Alrucaba ſtella polaris.	86	1	S	4	25
II. Caſſiopeiæ, Scheder pectus Caſſiopeiæ.	53	56	S	3	9
IIII. Cephei, Alteraim dexter humerus Cephei.	60	48	S	316	50
I. Scorpionis, Frons Scorpionis.	18	6	M	234	26
II. Scorpionis.	20	52	M	232	59
III. Scorpionis.	24	6	M	232	6
XXVI. Orionis.	1	21	M	76	43
XXVII. Orionis.	1	51	M	78	32
XXVIII. Orionis.	2	37	M	79	25
IX. Bootis, Haſta Bootis.	43	3	S	228	15
I. Vrcei, Alhez.	15	47	M	158	24
II. Aræ.	42	21	M	218	34
I. Coronæ meridionalis.	45	0	M	269	1
VII. Piſcis notij, Venter notij.	29	4	M	326	32
XXVI. Aquarij.	8	16	M	341	48
XXVII. Aquarij.	9	9	M	342	43
XXVIII. Aquarij.	11	25	M	342	1
XIX. Aquarij.	11	43	M	343	4
I. Serpentis, Caput Serpentis.	21	33	S	228	46
I. Extra Formam piſcium.	5	50	S	20	48
II.	2	42	S	21	22
III.	6	24	S	21	35
IIII.	3	38	S	22	47
VIII. Cancri, Aſinus.	22	43	S	123	15
V. Cancri, Aſinus.	19	43	S	123	37
XXX. Tauri, Pleias Atoraye.	22	43	S	48	36
XXXI. Tauri, pleias Atoraye.	22	58	S	48	52
I. Orionis.	4	6	S	77	46
I. Cancri, Præſepe, Pectus Cancri.	20	46	S	122	47
I. Extra formam Scorpij.	36	26	M	259	24
VIII. Sagittarij.	24	9	M	275	46
I. Perſei, Manus dextra perſei.	55	9	S	26	38
VI. Extra formam, Leonis Trica.	33	15	S	179	30

¶ Alia deſcriptionis formula.


SVper A centro pro aſſumta A B, ut ſemidiametri quantitate, deſcribatur circuli ambitus, quo primum in quadrantes B C D E notis ſignatos, ſingulisq; rurſus in 90 æquales parteis diuiſis, à B numeretur utrinq; altitudo poli, termini numerationis ſunto puncta F G, ad quæ adiecta regula ſecetur B E puncto uerticali quod zenith uocant: Inde à C & D uerſus E ſimiliter uſq; in H I puncta, ad quę admota regula ſecabit B E in K puncto. Circumferentia B C D E ſecetur pro libito in aliquot æquales partes, utpote 24, 90, &c, applicataq; regula ad ſingula bina puncta, æqualibus interuallis à B & E diſtantia, ducantur ipſi C D æquabiles, ipſi uero B E πρὸς ὀρθὰς. Ex A quoq;, ut centro, pro ratione ſemidiametri A K ſimiliter ducta peripheria diuidatur, ut prior, in totidem partes æquales, quæ ſit L M K N, adiectaq; regula ad ſingula bina puncta æqualiter ab M & N, diſtantia, ducantur ipſi B E parallelæ, quæ ubi priores ſecuerint, notatis punctis connexisq; per lineas dabitur Horizon, & ipſa ſectionum puncta oſtendent interſectiones eiuſdem cum uerticalibus circulis ſeu Azimuth. Deinde, ut unico præcepto totum negotium tranſigamus, pro aſſignandis almicantarath, numeretur ab F & G punctis aſſumtus altitudinis gradus, idq; ſurſum & deorſum uſq; in puncta O P Q R, & admota regula ad O P ſecetur B E in S, ſimiliter ad Q R in T, bipertiatur S T recta in V, è quo, ut centro, pro ratione V S ſemidiametri ductus ambitus ſecetur in tot parteis æquales, ut priores, appoſitaq; ad ſingula bina puncta æqualibus interſtitijs ab S & T remota, ducantur rectę ipſi B E ad rectos, ipſi autem C D æquabiles, & per V egrediens ſit X Y. A B numeretur quantitas rectæ H E utrinq; uſq; in a b puncta, applicata iam regula ad a & H ſecabitur Y X in Z, & ad b I in t. Porrò, ex V rurſus, ut centro pro ratione V Z ſemidiametri ducatur circumferentia, qua, ut priores, ſecta ad ſingula ſectionum puncta æqualiter à Z & c diſtantia ducantur rectæ ęquabiles ipſi B E, puncta ſectionum harum cum prioribus lineis contracta dabunt aſſumtum altitudinis circulum, ac ipſa etiam puncta oſtendent communes interſectiones eiuſdem cum uerticalibus, & ſic de cæteris. Quòd ſi puncta ſectionum uerticaliũ contrahantur, habebimus ipſos uerticales. Eoſdem alia quoq; ratione depingere poterimus. Datam à Meridiano in uerticali circulo diſtantiam, ſeu azimuth, numeretur à B & E utrinq;, ſintq;, exempli gratia, in ſiniſtra parte numerationis fines d e, ad quæ admota regula ſecabit Horizontem in f puncto & in dextra in g, quæ connexa recta ſecabunt B E in h, è quo, ut centro pro ratione f h ſemidiametri ducto circuitu diuidantur ſinguli eius quadrantes in tot æquales partes, quot altitudinum circuli deſcripti ſunt, (uel diuiſis ſingulis quadrantibus in

90 æquales partes à B E numerentur dextrorſum & leuorſum in ſupe riore ac inferiore partes deſcriptorum Almicantarath gradus) & ad ſingula ſegmentorum bina puncta, æqualiter ab f & g remota, applica ta regula, æquabiles ipſi B E ductæ ſecabunt Almicantarath in punctis ſectionis eorum cum uerticalibus.



DEſcriptio alterius partis, Rete dictæ ſic habet: Numeretur à B & E utrinq; maxima Solis obliquatio uſq; in F G H I puncta, admotaq; ad F G & H I puncta, ſecetur B E in K & L. Circuli autem B C D E circumferentia in 360 partes æquales diuiſa, ad ſingula bina puncta æqualiter à C & D diſtantia, adiuncta regula emittantur ipſi B E æquabiles. Rurſus ex A pro ratione ſemidiametri K A uel A L deſcribatur peripheria, hac ut priore ſecta in 360 partes æquales ad ſingula ſectionum puncta utrinq; æqualiter à K & L diſtantia adiecta regula ducantur ipſi C D æquabiles, hæ ubi prius ductas ſecabunt ipſa ſectionum puncta coniuncta dabunt Eclipticam lineam cum ſuis diuiſionibus, ordo ſignorum incipiat in C, & uerſus B procedat &c. Stellarum loca ita commode imponemus. Si ſtellæ longitudo ſit in medietate cœli aſcendente, hoc eſt, à principio Arietis uſq; in finem Virginis, latitudo eiuſdem, ſi Borea ſit, à ſignis F & G numeretur uerſus C & D uſq; in O P puncta, per quę emiſſa recta ſecabit B E in Q. Item ab I uerſus D uſq; in S, ac ab H uerſus C, uſq; in R per quæ egrediens recta ſecabit B E in T. Sin auſtrina ſit, numeretur à ſignis, F quidem uerſus B & D, G uero uerſus B & C. In altera autem medietate ſigniferi contrario modo operandum eſt. Ipſa Q T bifariam ſecetur in V puncto, è quo, ut centro pro ratione Q V, uel Q T ſemidiametri ducatur circumferentia, diuidaturq; in 360 partes æquales, & ex V ipſi D C æquabili ducta ſi huius cum ducta circumferentia ſectionis nota ſit O V, & ab hoc uerſus B numeretur longitudo ſtellę uſq; in X, per quod ipſi C D emittatur æquabilis. Deinde à C & D numeretur utrinq; maxima Solis declinatio, & ad finem numerorum admota regula ducatur ipſi B E æquabilis, ſecans ex V ipſi C D æquabilem in Y. Iam pro ratione rectæ V Y ſemidiametri, ex V ut centro, deſcripta circunferentia, diuiſaq; in 360 partes æquales, à puncto ſectionis huius circumferentię cum A B numeretur uerſus dextram longitudo ſtellæ, per quem terminum rurſus ipſi B E æquabilis ducta, ſecabit priorem ex X in puncto ueri loci ſtellæ. Exempla propoſui ſtellarum Azimech & Fomahant.

Dato


B P
F
K
G
Ecliptica
F
C
D
A
T
Azimech
R
H
L
I
P
E
S

¶Dato uero loco Solis & hora, aſcendentis gradus, & qui meridianum tum occupat inquirendi ſunt.

Regula fiduciæ applicetur horę propoſitæ ante uel poſtmeridianæ, prout tempus datum exquirit, moueaturq́ hac & illac rethe, donec Solis locus in ecliptica cadat præciſe ſub eandem alhidadam, & gradus quem linea A B ſecat, erit gradus M C. Gradus uero aſcendentis is eſt, quem oriētalis horizon abſcindit, idq́ ſi Sol in medietate zodiaci aſcendente fuerit, quæ eſt à principio ♑, in principium uſq́ Cancri, & horæ datæ fuerint à ſexta ante meridiem, in ſextam poſt meridiem. Aut Sol ſit in altera medietate, deſcēdenti ſcilicet, ac horę datæ fuerint à ſexta poſt meridiem in ſextam ante meridianam. Sed ſi horę datæ fuerint à ſexta poſtmeridiana in ſextam ante meridiem, ac Sol in altera medietate, quæ eſt à principio ♋ in finem uſq́ ♐ immoretur, aut Sol in aſcendente medietate eclipticę maneat, horęq́ datæ ſint inter ſextam antemeridianam, & ſextam poſt meridiem, horizon occidentalis ſeptimam indicabit, eo ſcilicet in gradu, quem ex zodiaco reſecat, cuius oppoſitum eſt aſcendens.

¶Exempli gratia ad tempus anni Chriſti 1530 currentis, 21 diei Iunij, horarum 13, minutorum 16, inquiram aſcendentis gradū, atq́ medij cœli. Locus autem uerus Solis in meridie eiuſdem diei fuit in nono gradu Cancri. Pono igitur regulam fiduciæ ad datum hoc tempus, 13 horarum, 16 minutorum, & nonum gradū Cancri in rethi pono ſub eam. Linea itaq́ A B meridiei ſcilicet, indicat 27 gradum ♑, medij uidelicet cœli gradum, ſeu ut quidam uocant, cordis cœli. Horizon autem orientalis, nempe is qui eſt ab A D recta in C punctum exortus ex ecliptica ſecat 25 gradum Tauri, cum Sol ſit in deſcendenti medietate, ac horæ datæ inter ſextam poſt meridiem, & ſextam antemeridianam, aſcendentis ſcilicet tempore dato gradus, in data regionis latitudine, ſcilicet 49 graduum, & 30 minutorum, qualis eſt Noribergæ.

¶Dato gradu Zodiaci altitudo eius meridiana, eiusq́ à zenith capitum diſtantia inueſtigandæ ſunt.

Ponatur gradus & ſignum datum in rethe ad lineam meridianam, & circa lineæ A B cum dato eclipticæ puncto interſectionum, numerus graduum indicat dati puncti zodiaci meridianam altitudinem, ſi ipſe fuerit in ſigno aliquo boreali, ut ♈ ♉ ♊ ♋ ♌ & ♍, aut eiuſdē à zenith capitū diſtantiā, ſi in ſigno auſtrali. Linea uero A D indicat altitudinē meridianam eiuſdem puncti, ſi ſit in ſigno auſtrali, aut eiuſdem à uertice capitū diſtantiā, ſi in boreo.

Exempli

¶Eempli cauſa, temporis dati inquiram altitudinem Solis meridianam in 9 ſcilicet gradu ♋ exiſtentis. Pono igitur eum ſuper A B, quæ oſtendit, cum ſit in ſigno boreo, altitudinem Solis meridianam 64 quaſi graduum, linea uero A D, diſtantiam eius à zenith capitum 26 graduum in latitudine Noribergenſi.


¶Gradu Zodiaci & hora datis, altitudo eius & diſtantia à zenith capitum perſcrutanda ſunt.

AD horam datam applicetur fiduciæ regula, & gradus ac ſignum zodiaci data, in rethi ponantur ſub eandem, & interſectio eius cum circulis Almicantharath, indicat altitudinem illius hora data, idq; ſi ſit in Boreali medietate Zodiaci. Quòd ſi in altera medietate fuerit, adijciantur horæ propoſitæ 12, & cum prouenientibus ex hac collectione horis agatur ut iam dictum eſt. Altitudine itaq; illius hac ratione inuenta, ſubtrahatur à 90 gradibus, proueniens erit diſtantia eius à zenith capitum hora data. Vt inquiram altitudinem 15 gradus Arietis eadem hora, pono igitur lineam fiduciæ ad unam horam, 16 minuta à meridie, & 15 gradum Arietis in rethi ſub eam duco, cumq; ſignum Arietis ſit ſeptentrionale eiuſdem gradus cũ circulis altitudinum, interſectio oſtendit 31 gradus altitudinis eius, hora data, quam aufero à 90 remanent 59 gradus, diſtantiæ eius à zenith capitum.

¶Puncto Eclipticæ quopiam, ac hora data azimuth, id eſt horizontalis à uerticali circulo diſtantia perquirenda eſt.

HORÆ propoſitę applicetur, ut ante, fiduciæ regula, & gradus ac ſignum Zodiaci in rethi ponantur ſub eadem, & ſectio eius cum circulis azimuth, hoc eſt uerticalibus oſtendit diſtantiam eius horizontalem à circulo uerticali, ſi ſignum boreale quopiam occupet. Sed in altera medietate Zodiaci cum immoratus fuerit, adijciatur propoſitę horæ duodenarius, & agatur quemadmodum iam docuimus. Exempli cauſa, pono alhidadam ſuper primam horam 16 minuta à meridie, & 15 Arietis ſub eandem duco, qui inter circulos azimuth oſtendit 22 gradus, diſtantiam ſcilicet dati puncti horizontalem.

PLANISPHÆRIVM.




¶ Explicandi ſunt huius inſtrumenti circuli & partes.

INSTRVMENTVM hoc Planiſphærij duas partes habet cum linea fiduciæ, quarum una dicitur mater Planiſphærij, altera uero rethe. In matre autem limbus continet tres ambitus diuiſos in 24 partes æquales, & ſubdiuiſiones horarum in quinq; partes æquales, quarum quælibet continet 12 minuta, horas deinde ſequentur 4 cœli regiones, ſub his B A D, & C A E lineæ, quatuor illas partes mundi determinantes. Circulus autem B C D E, eſt æquator, & ex eiuſdem centro deducta circumferentia, uocatur tropicus ſolſtitialis. Circuli quoq; ab Horizonte in zenith uſq;, ſunt circuli almicantarath ſeu altitudinum, & qui in zenith puncto ſe interſecant azimuth ſeu uerticales. In rethi uero exterior ęquatorem refert, & arcus intra hunc notati cum ſignis duodecim Zodiaci, dicuntur duę medietates ſigniferi. Signa uero in eis diſtincta ſunt per gradus 15, quorum ſinguli duos compræhendunt, & ſimplex crucis nota denarium, duplex autem uicenarium ſignificat, & cuſpides ſeu acus uera ſtellarum loca cum adiecto titulo oſtendunt.

Organum

ORGANVM VRANICVM

IOANNIS SCHONERI MATHEMATICI NO-
rici, è quo facilime abſq; ſcrupuloſa ſupputatione, ueri, mediјq;
planetarum motus propemodum inquiruntur.



¶ Partes inſtrumenti huius ac tabulæ
eius declarandæ ſunt.

COmpoſitionem huius inſtrumenti paucis perſtringemus. Exterior limbus partes habet 360 æquales, & ſub eo circulum diuiſum in 365 partes æquales, pro ratione dierum anni communis, ita ut 11 Martij, incidat in principium Arietis, cum Sol eo die noſtro tempore ingrediatur primum punctum Arietis. Sub hoc ſunt ſex circuli continentes ęquationem centri quinque errorum & argumenti lunaris, quarum deſignatio facilima eſt ex proprijs æquationum centri tabulis, facto initio numerorum ab augibus ſingulorum, argumenti autem Lunaris ab o ♈, quæ ex tabulis reſolutis petenda ſunt. Rotulæ exterior duplex limbus diuiſus eſt in 360 partes æquales, quorum hic eſt in ſignorum conſequentia, ille in præcedentia. Sub his eſt epicyclus communis, cuius centri ab inſtrumenti diſtantia eſt pro libito ſumta, & diuiſus eſt in 360 partes ęquales. Similiter & uolubilis. Centra autem ſeu puncta planetarum characteribus notata in epicyclio uolubili, non pro arbitrio, ſed ex aſcripta tabella ſumta ſunt. Diuiſa enim diſtantia centri epicyclij communis à centro inſtrumenti in ſexaginta quatuor partes æquales, quot earum à centro uolubilis epicyclij diſtet apogion ſeu punctum planetæ ſigno notatum oſtendit.

		Gra.	Min.	
Saturnij	epicyclij apogion diſtat à centro epicyclij	6	33	quarum centri epicycli communis eſt à centro inſtrumenti 46 partium.
Iouij		11	41	
Martij		38	1	
Venerei		45	6	
Mercurialis		20	52	

¶Sub epicyclio communi ex eiuſdem centro ducti ſunt arcus circulorum quinque, continentes ſtationes quinque erraticarum ſumtæ ex proprijs æquationum per argumentum eiuſdem. Initium ſtationis primę accepit ſtationem primam minimam dempta maxima centri ęquatione & initium retrogradationis ſeu finem primæ eadem addita ſtationi primæ maximæ. Menſus eſt etiam in alteram partem eadem ſpacia, ſeu harum notarum ab oppoſito augis epicyclij diſtantiam, per quas & initium & finem ſecundæ ſtationis deſcripſit. Hæc de compoſitione dicere uoluimus, iam igitur partes eius ac tabulas explicabimus & enumerabimus.

¶Tabulę autem radicum medij motus cuiusuis planetæ hunc obſeruant ordinem: Principio poſita eſt tabula radicis cuiusuis planetæ in annis, incipiens ab anno Chriſti 1500, & durans in 1600 uſq;, & hæ quidem oſtendunt medium motum planetæ ad meridiem S. Syluestri qui eſt ultimus anni, & hæc quidem currentis anni proximè ſequentis radix dicitur. Hanc ſequitur tabella additionis aut diminutionis à

radice

radice quapiam data,ſi eiuſdem planetæ ęquabilem motum per aliquot centenarios annorum ante & poſt inquirere uelis à 100 uſq; in 500 permanens annos. Eodem in loco ponitur etiam tabula menſium & dierum,circa quos gradus & ſigna planetę inueniuntur,quos medio motu ſuo planeta conficit à radice uſq; ad illum diem, & hæ quidem mediorum motuum tabulæ. Sunt & in hoc opuſculo plures deinceps tabulæ.Mars enim Venus & Mercurius minutorum proportionalium, & eorum multiplicationum tabulas habent,quę ſuis in locis clarius explicabuntur, Luna quoq; eaſdem quas & reliqui tabulas habet, prætérquàm quòd ſingularem tabulam in diebus & menſibus per literas & gradus contineat,per quas quidem ſigna intelligentur,quemadmodum de lunaris motus inquiſitione caput indicat. Similem quoq; tabulam Luna habet argumentum eius indicantem.Poſtremo ſequitur tabula in annis menſibus & diebus,ſicut & reliquorum,ueri nempe motus capitis Draconis ſeu Genzahar Lunæ.Inſtrumenti uero partes hæ ſunt:Primò in limbo inſtrumenti ſeu extremo orbe,qui immobilis rotula dicetur,continentur 12 ſigna Zodiaci cum eorum characteribus & gradibus,quorum ſingula ſpacia binos gradus deſignant, diſtincti per crucem ſimplicem quod denarium, & duplicem quod uicenarium ſignificat.In ſecundo orbe uerſus centrum ſunt 12 menſes anni,cum diebus quæ oſtendunt medium motum Solis, Veneris & Mercurij.Deinde in eiuſdem rotulæ area continentur ſex ſpacia,in quibus deſignatæ ſunt æquationes centrorum Martis, Iouis,Saturni,Veneris,Mercurij,& argumenti Lunæ, & numerus graduum in flauo addendus eſt medijs planetarum motibus,in albo uero ſubtrahendus. Poſt ſequitur uolubilis rotula cum indice,quæ continet 12 ſigna uerſus centrum,per quæ inuenitur argumentum Saturni Iouis & Martis, prout in ſuis canonibus latius explicabimus. In exteriori uero eius ambitu ſcripti ſunt 12 literarum characteres,nempe, A B C D E F G H I K L M loco 12 ſignorum,quorum quidem ordo contrarius eſt priori, uergitq; uerſus ſiniſtram,in qua ſingulis diebus inueniuntur medij motus planetarum à principio uſq; ad finem anni. In hac quoq; eius ſextans ex ea ablatus eſt,per quem æquatio centri quæritur. In hac etiam eſt orbis epicyclij diuiſus in 12 ſigna ipſis per quinarium diſtinctis. Poſtea ſuper eadem uolubili rotula,epicyclij rotula mobilis eſt affixa, continens duodecim literas, quarum quælibet triginta partes ſicut epicyclus continet, per quam argumentum Veneris & Mercurij quæritur, & in eadem puncta quinq; reperiuntur uerſus indicem eiuſdem,& apud ea quinq; planetarum characteres, ♄ ♃ ♂ ♀ & ☿,quæ uerum eorum locum indi-

cant. Poſtremo ſub epicyclio reperiuntur ſtationes & retrogradationes quinqꝫ errantium, oſtendentes eorum initia & finem. Quare cum alicuius eorum argumentum inuenitur in ſpacio ſtationum eius, dicitur ſtationarius, non quòd ſtet immobilis, ſed quòd eius motus adeo tardus eſt, ut ad ſenſum ſtare uideatur, cumqꝫ in ſpacium retrogradationis peruenerit, retrogradus eſt, idqꝫ donec eius argumentum eundem arcum exeat.

TABVLA RADICVM SATVRNI, & aliorum ſecundum ordinem.

Radices

Anni	S.	G
1500	♉	24
1	♊	6
2	—	18
3	♋	1
4	—	13
5	—	24
6	♌	7
7	—	20
8	♍	2
9	—	14
10	—	26
11	♎	8
12	—	21
13	♏	3
14	—	15
15	—	27
16	♐	10
17	—	22
18	♑	4
19	—	16
20	—	29
21	♒	11
22	—	23
23	♓	5
24	—	17
25	♈	0
26	—	12
27	—	24
28	♉	6
29	—	19
30	♊	1
31	—	13
32	—	25
33	♋	8
34	—	20
35	♌	2

Anni	S.	G
1536	♌	14
37	—	27
38	♍	9
39	—	21
40	♎	3
41	—	16
42	—	28
43	♏	10
44	—	23
45	♐	5
46	—	17
47	—	29
48	♑	14
49	—	24
50	♒	6
51	—	18
52	♓	1
53	—	13
54	—	25
55	♈	7
56	—	19
57	♉	2
58	—	14
59	—	26
60	♊	8
61	—	21
62	♋	3
63	—	15
64	—	27
65	♌	10
66	—	22
67	♍	4
68	—	16
69	—	29
70	♎	11
71	—	23

Anni	S.	G
1572	♏	5
73	—	18
74	♐	0
75	—	12
76	—	35
77	♑	7
78	—	19
79	♒	1
80	—	14
81	—	26
82	♓	8
83	—	20
84	♈	3
85	—	15
86	—	27
87	♉	9
88	—	21
89	♊	4
90	—	16
91	—	28
92	♋	10
93	—	23
94	♌	5
95	—	17
96	—	29
97	♍	12
98	—	24
99	♎	6
1600	—	18

Adde	S.	G
100	4	23
200	9	17
300	2	10
400	7	4
500	11	27

Motus ♄ diebus.		A
Ianu.	0	0
Ianu.	15	1
Febr.	14	2
Mar.	16	3
Apr.	15	4
Mai.	15	5
Iuni.	14	6
Iulius	14	7
Aug.	12	8
Sept.	11	9
Octo	11	10
Nou.	10	11
Dec.	10	12
Grad.	Tag.	Monat.

Anni	S.	G
1500	♓	3
1	♈	4
2	♉	4
3	♊	5
4	♋	5
5	♌	5
6	♍	6
7	♎	6
8	♏	6
9	♐	7
10	♑	7
11	♒	7
12	♓	8
13	♈	8
14	♈	8
15	♊	9
16	♋	9
1517	♌	10
18	♍	10
19	♎	10
20	♏	11
21	♐	11
22	♑	11
23	♒	12
24	♓	12
25	♈	12
26	♉	13
27	♊	13
28	♋	14
29	♌	14
30	♍	14
31	♎	15
32	♏	15
33	♐	15
34	♑	16
1535	♒	16

Anni	S.	G
1536	♓	17
37	♈	17
38	♉	17
39	♊	18
40	♋	18
41	♌	81
42	♍	19
43	♎	19
44	♏	19
45	♐	20
46	♑	20
47	♒	20
48	♓	21
49	♈	21
50	♉	22
51	♊	22
52	♋	22
1553	♌	23
54	♍	23
55	♎	23
56	♏	24
57	♐	24
58	♑	24
59	♒	25
60	♓	25
61	♈	26
62	♉	26
63	♊	26
64	♋	27
65	♌	27
66	♍	27
67	♎	28
68	♏	28
69	♐	28
70	♑	29
71	♒	29

Anni	S.	G
1572	♈	0
73	♉	0
74	♊	0
75	♋	1
76	♌	1
77	♍	1
78	♎	2
79	♏	2
80	♐	2
81	♑	3
82	♒	3
83	♓	3
84	♈	4
85	♉	4
86	♊	5
87	♋	5
88	♌	5
89	♍	0
90	♎	6
91	♏	6
92	♐	7
93	♑	7
94	♒	7
95	♓	8
96	♈	8
97	♉	9
98	♊	9
99	♋	9
1600	♌	10
Adde	S.	G
100	5	6
200	10	12
300	3	19
400	8	25
500	2	1

Motus ♃ in di. M	D	A
Ianu.	0	0
	7	1
	19	2
Febr.	11	3
	24	4
Mar.	8	5
	20	6
Apr.	1	7
	13	8
	25	9
Mai.	7	10
	19	11
	31	12
Iuni.	12	13
	24	14
Iulius	6	15
	18	16
	30	17
Aug.	11	18
	23	19
Sept.	4	20
	16	21
	28	22
Octo	10	23
	22	24
Nou.	3	25
	15	20
	29	27
Dec.	9	28
	21	29
Menſes.	Dies.	Gradus.

Radices

Anni	S.	G
1500	♉	23
1	♐	5
2	♊	16
3	♐	28
4	♋	9
5	♑	21
6	♌	2
7	♒	13
8	♌	25
9	♓	6
10	♍	18
11	♓	29
12	♎	10
13	♈	22
14	♏	3
15	♉	15
16	♏	26
17	♊	8
18	♐	19
19	♋	0
20	♑	12
21	♋	23
22	♒	5
23	♌	16
24	♒	27
25	♍	6
26	♓	20
27	♎	2
28	♈	13
29	♎	26
30	♉	6
31	♏	17
32	♉	29
33	♐	10
34	♊	22
35	♑	3

Anni	S.	G
1536	♋	14
37	♑	26
38	♌	7
39	♒	19
40	♍	0
41	♓	12
42	♍	23
43	♈	4
44	♎	15
45	♈	27
46	♏	8
47	♉	20
48	♐	1
49	♊	13
50	♐	24
51	♋	5
52	♑	17
53	♋	28
54	♒	10
55	♌	21
56	♓	2
57	♍	14
58	♓	25
59	♎	7
60	♈	18
61	♏	0
62	♉	11
63	♏	22
64	♊	4
65	♐	15
66	♊	27
67	♑	8
68	♋	19
69	♒	1
70	♌	12
71	♒	24

Anni	S.	G
1572	♍	5
73	♓	17
74	♍	28
75	♈	9
76	♎	20
77	♉	2
78	♏	13
79	♉	25
80	♐	6
81	♊	18
82	♐	29
83	♋	10
84	♑	22
85	♌	3
86	♒	15
87	♌	26
88	♓	7
89	♍	19
90	♈	0
91	♎	12
92	♈	23
93	♏	5
94	♉	16
95	♏	27
96	♊	9
97	♐	20
98	♋	2
99	♑	13
1600	♋	24

Adde	S.	G
100	2	2
200	4	3
300	6	5
400	8	6
500	19	8

Min. ppor. ♂.				
	A	S	S	A
0	♈	♋	♎	♑
3	40	45	40	44
6	37	47	38	46
9	34	49	35	48
12	32	50	32	50
15	30	52	30	51
18	27	53	27	53
21	24	55	24	55
24	22	56	20	56
27	19	57	17	57
30	16	58	14	58
	♈	♌	♏	♒
3	14	59	11	59
6	11	59	8	59
9	8	59	4	59
12	5	60	A	60
15	2	60	2	60
18	S	60	5	60
21	4	99	8	59
24	8	59	11	59
27	11	59	14	59
30	14	58	16	58
	♊	♍	♐	♓
3	17	57	19	57
6	21	56	22	56
9	24	55	24	55
12	27	53	27	53
15	30	52	30	51
18	32	50	32	49
21	35	49	34	48
24	38	47	37	46
27	40	45	40	44
30	43	43	42	42

Motus ♂ in diebus.

Dies.	Ianua.	Febr.	Mart.	April.	Mai.	Iunius	Iulius.	Aug.	Sept.	Octo.	Nou.	Dec.
	A	A	B	B	C	C	D	D	E	E	F	F
1	1	17	1	18	3	20	5	22	8	24	10	26
2	1	17	2	18	4	20	6	22	8	24	10	26
3	2	18	3	19	4	21	6	23	9	25	11	27
4	2	18	3	19	5	21	7	23	9	25	11	27
5	3	19	4	20	6	22	7	24	10	26	12	28
6	3	19	4	20	6	22	8	24	11	26	12	28
7	4	20	5	21	7	23	9	25	11	27	13	29
8	4	20	5	21	7	23	9	25	12	27	14	29
9	5	21	6	22	8	24	10	26	12	28	14	30
10	5	21	6	22	8	24	10	26	13	28	15	G
11	6	22	7	23	9	25	11	27	13	29	15	1
12	6	23	7	25	9	25	11	27	14	29	16	1
13	7	23	8	24	10	26	12	28	14	30	16	2
14	7	24	8	25	10	26	12	28	15	F	17	2
15	8	24	9	25	11	27	13	29	15	1	17	3
16	8	25	9	26	11	28	13	29	16	1	18	3
17	9	25	10	26	12	28	14	E	16	2	18	4
18	9	26	10	27	12	29	14	1	17	3	19	4
19	10	26	11	27	12	29	15	1	17	3	19	5
20	10	27	11	28	13	30	15	2	18	4	20	6
21	11	27	12	28	14	D	16	2	18	4	20	6
22	12	28	12	29	14	1	16	3	19	5	21	7
23	12	28	13	29	15	1	17	3	19	5	21	7
24	13	29	14	30	15	2	17	4	20	6	22	8
25	13	29	14	C	16	2	18	4	20	6	22	8
26	14	30	15	1	16	3	18	5	21	7	23	9
27	14	B	15	1	17	3	19	5	22	7	23	9
28	15	1	16	2	18	4	20	6	22	8	24	10
29	15		16	2	18	4	20	6	23	8	24	10
30	16		17	3	19	5	21	7	23	9	25	11
31	16		17	2	19		21	7		9		11

Multiplicatio minutorum proportionalium ♂.

Subtrahe.

	Gradus numeri.	Multiplicatio
♈	0	0
♈	22	1
♉	0	1
♊	0	2
♊	22	3
♋	25	4
♌	12	5
♌	28	6
♍	10	5
♍	17	4
♍	22	3
♍	24	2
♍	27	1
♍	29	0
♎	1	1
♎	3	2
♎	6	3
♎	8	4
♎	15	5
♎	20	6
♏	2	5
♏	18	4
♐	5	3
♑	7	2
♒	0	1
♓	8	0

Adde.

	Gr. numeri	Multiplica.
♈	0	0
♈	20	1
♉	25	2
♊	0	2
♋	10	3
♋	15	4
♌	0	5
♌	12	6
♌	22	7
♍	0	8
♍	17	7
♍	20	6
♍	22	5
♍	24	4
♍	26	3
♍	28	2
♍	29	1
♎	0	0
♎	1	2
♎	2	3
♎	4	4
♎	6	5
♎	8	6
♎	10	7
♎	13	8
♏	0	7
♏	8	6
♏	18	5
♏	29	4
♐	15	3
♐	29	2
♑	0	2
♒	5	1
♓	10	0

Anni	S.	G	Anni	S.	G	Anni	S.	G
1500	♓	27	1536	♎	4	1572	♈	11
1	♏	13	37	♉	19	73	♏	26
2	♊	28	38	♑	5	74	♋	11
3	♒	13	39	♌	20	75	♑	26
4	♍	28	40	♈	5	76	♎	11
5	♉	14	41	♏	20	77	♉	72
6	♐	29	42	♋	5	78	♑	12
7	♌	14	43	♒	20	79	♌	27
8	♓	29	44	♎	5	80	♒	12
9	♏	14	45	♉	21	81	♏	28
10	♊	29	45	♑	6	82	♋	12
11	♒	14	47	♌	21	83	♒	28
12	♍	29	48	♒	6	84	♎	12
13	♉	15	49	♏	22	85	♉	29
14	♑	0	50	♋	6	86	♑	3
15	♌	15	51	♒	22	87	♌	29
16	♒	0	52	♎	6	88	♈	13
17	♏	16	53	♉	23	89	♏	29
18	♋	0	54	♑	6	90	♋	14
19	♒	16	55	♌	23	91	♒	29
